



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines


Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



C423.5.4



Harvard College Library

BOUGHT WITH INCOME

FROM THE REQUEST OF

HENRY LILLIE PIERCE,  
OF BOSTON.

Under a vote of the President and Fellows,  
October 24, 1898.

*1 April, 1899.*











0

MONUMENTA HISTORICA SOCIETATIS JESU

---

HISTORIA SOCIETATIS JESU





◉

VITA  
IGNATII LOIOLAE

ET  
RERUM SOCIETATIS JESU  
HISTORIA

AUCTORE JOANNE ALPHONSO DE POLANCO  
EJUSDEM SOCIETATIS SACERDOTE


---

TOMUS QUINTUS  
(1555)



MATRITI  
EXCUDEBAT AUGUSTINUS AVRIAL  
via S. Bernardi, 92.  
1897

C423.514  
~~III. 9289~~



Piece fund



# CHRONICON SOCIETATIS JESU <sup>1</sup>

ANNUS 1555.

## DE DOMO ET COLLEGIIS ROMANIS

1. Initio hujus anni octo Provincias distinctas habebat Societas <sup>2</sup>, siquidem Castellae addita est Baetica, solo Cordubensi Collegio ab ea separato <sup>3</sup>. In Gallia habebat quidem P. Paschasius, jam inde ab eo tempore quo missus fuerat Parisios, auctoritatem Provincialis; sed quia unico in collegio <sup>4</sup>, et valde adhuc debili, nostri residebant, non fuit inter provincias distinctas Gallia computata usque ad hunc annum 1555, cum aliqui ex

<sup>1</sup> Verbo sequenti *Annus* incipit tertium ms. volumen hujus *Chronici*, quod mille ducentis sexaginta et quinque paginis complectitur res per Societatem gestas annis 1555 et 1556. (Vide supra, t. I, pag. 6 et seq., et t. IV, pag. 677.)—Totum descriptum est eadem manu, qua duo priora, excepto primo folio quod reliquis jam ligatis conglutinatum est. In eo volumine non folia sed paginae numeris distincta sunt ex quo a secundo volumine segregatum est; olim enim cum eo consutum fuit et folia alternatim numeris distincta hoc modo: folium secundum numero 493, quartum n. 424, sextum n. 435 et sic ad finem usque voluminis. Habet in dorso haec: POLANCUS | HISTOR. | VOL. III.

<sup>2</sup> En harum Provinciarum conspectum et Praepositorum Provincialium nomina:

PROVINCIAE.	PRÆPOSITI PROVINCIALES.
1 Italia' (citra Romam, Tybur et Neapolim)..	P. Jacobus Laynez.
2 Sicilia. ....	P. Hieronymus Domenech.
3 Aragonia. ....	P. Franciscus de Estrada.
4 Castella. ....	P. Antonius de Araoz.
5 Baetica. ....	P. Michaël de Torres.
6 Lusitania. ....	P. Jacobus Miron.
7 Brasilia. ....	P. Emmanuel Nobrega.
8 India et Japonia. ....	P. Melchior Nuñez.

<sup>3</sup> Hoc est, cum Baeticae Provincialis factus est P. Michaël de Torres (Vide supra, t. IV, pag. 384, n. 829), ideoque nova et a Castellae provincia distincta instituta est, solum in ea erat Collegium Cordubense, quod suis initis ad Castellae provinciam pertinerat.

<sup>4</sup> Scilicet, Parisiensi.—Idem fere dixit jam POLANCUS supra, t. IV, pag. 327, n. 700; idemque fusius explicabit infra, n. 869.

nostris initium Collegio Billiomensis dederunt. Residebat autem Societas initio hujus anni in uno et sexaginta locis, nam praecedenti anno residere coepit Tornaci; et in Provincia Castellae, Abulae, Simancis et Conchae; in Baetica, Placentiae, Granatae et Hispali; in Italia, Laureti, Genuae et Argentae; in Brasilia, Piratiningae <sup>1</sup>; undecim locis quamvis Eugubiense Collegium dissolverat <sup>2</sup>, cetera collegia, quae sub octo Provinciis jam dictis non comprehendebantur, a P. Ignatio regebantur.

2. Romae autem res Societatis, et numero nostrorum et auctoritate, augebantur. In consistorio habito mense Januario <sup>3</sup> actum fuit de tredecim sacerdotibus Societatis in Aethiopiam mittendis, et communi omnium Cardinalium consensu acta fuerunt, quae privatim Summus Pontifex prius egerat <sup>4</sup>; et Patriarcha confirmatus fuit P. Joannes Nugnez; et Patres Andreas de Oviedo et Melchior Carnero, Episcopi et successores Patriarchae creati; dicente Summo Pontifice, quod saltem in his praelationibus locum avaritia non esset habitura, et ita prorsus res habebat, quia potius ad martyrium et gravissima incommoda ferenda, quam ad honorem et opulentiam se praeparare oportebat eos, qui ad hujusmodi dignitates promovebantur <sup>5</sup>.

3. Scripsit autem P. Ignatius litteras ad P. Joannem Nugnez, quibus ei concedit quod petebat, ut scilicet duodecim sacerdotes secum duceret, et tres vel quatuor alios, si ita Regi

<sup>1</sup> Nos non unum et sexaginta, ut hic Polancus, sed ex ipsius *Chronico*, t. iv, sexaginta quinque loca enumeramus, in quibus aliqui de Societate sub anni praecedentis finem et hujus anni initio residebant, videlicet: IN ITALIA, 1, Roma; 2, Tybur; 3, Genua; 4, Lauretum; 5, Ferraria; 6, Argenta; 7, Mutina; 8, Bononia; 9, Patavium; 10, Bassanum; 11, Venetiae; 12, Perusium; 13, Florentia; 14, Neapolis. IN SICILIA, 15, Messana; 16, Panormum; 17, Monsregalis; 18, Bibona; 19, Syracusae. IN AUSTRIA, 20, Vienna. IN GERMANIA, 21, Colonia. IN BELGIO, 22, Lovanium; 23, Tornacum. IN GALLIA, 24, Lutetiae Parisiorum. IN HISPANIA, 25, Valentia; 26, Gandia; 27, Barcinona; 28, Caesaraugusta; 29, Salmantica; 30, Methymna Campi; 31, Vallisoletum; 32, Burgi; 33, Concha; 34, Complutum; 35, Ognate; 36, Septimaniae; 37, Abula; 38, Corduba; 39, Granata; 40, Hispalis; 41, Placentia; 42, Sanlucar. IN LUSITANIA, 43, Conimbrica; 44, Sanctus Felix; 45, Ulyssipo; 46, Eborae. IN AFRICA, 47, Tituanum; 48, Magnum Congum. IN BRASILIA, 49, Sanctus Vincentius; 50, Baia Salvatoris; 51, Portus Securus; 52, Spiritus Sanctus; 53, Piratininga. IN INDIA ORIENTALI, 54, Goa; 55, Ormuzium; 56, Bazainum; 57, Tanaa; 58, Coccinum; 59, Coulan; 60, Comurinum; 61, Sanctus Thomas; 62, Malaca; 63, Amboinum. IN JAPONIA, 64, Amangucium; 65, Bungum.—Cf. etiam dicta supra, t. iv, pag. 613, annot. 3.

<sup>2</sup> Rectius fortassis ita: Undecim in locis, quandoquidem Eugubiense Collegium dissolutum fuerat...—Vide supra, t. iv, pag. 52-55.

<sup>3</sup> Habitum fuit die 23 Januarii. Vide *Excerpta ex Actis consistorialibus* in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 430.

<sup>4</sup> Hoc est, quae prius cum Ignatio egerat Julius III.

<sup>5</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 85.

placeret; et quia Roma quinque, tres ex Hispania P. Ignatius mittebat, reliquos in Portugallia eligi voluit a Provinciali, et consultoribus aliis, si videretur, adhibitis coram ipso Patriarcha, ut ita eligerentur idonei ad hanc missionem, ut Portugalliae Provincia necessariis ministris non spoliaretur; et si dissentiret Patriarcha ab aliis in horum electione, ut Regi rationes utrinque redderentur ut ipse statueret quinam Patriarcham essent comitaturi <sup>1</sup>. Ipsi autem P. Joanni Nugnez, non tantum ut Patriarchae, sed ut Superiori, qui vices ipsius P. Ignatii gereret, subjectos esse et obedire voluit religiosos nostrae Societatis, qui ex Portugallia proficiscebantur, et qui postea in Aethiopia ad Societatem accessissent; et duobus successoribus, scilicet, Patribus Andreae et Carnero eandem facultatem, postquam ei successissent, communicabat. De facultate autem Commissarii aut Visitoris super Patriarcham, quem ipse P. Joannes Nugnez suis litteris postulabat, non visum est necessarium esse ut litterae Apostolicae conficerentur; sed id vivae vocis oraculo Summus Pontifex constituit, et eodem modo in virtute obedientiae Patriarchae designato et coadjutoribus injunxit ut dignitates illas admitterent, ad quas promoti erant <sup>2</sup>.

4. Addidit et P. Ignatius instructionem de modo, quo se gerere debebat in Aethiopia <sup>3</sup>, et quatuor consultores eidem Patriarchae habendos censuit, ex quibus duo essent ipsius coadjutores et successores, alii duo erant in Portugallia eligendi.

5. Praeter quatuor autem illos, Syndicus vel Admonitor eligendus P. Ignatio videbatur, qui eum, cum opus esset, admoneret, et ad Provincialem Indiae (qui Visitor vel Commissarius sub Patriarcha futurus erat) et Romam etiam scriberet, si res id posceret <sup>4</sup>.

6. Data est autem ampla facultas Patriarchae non solum ad Aethiopiae regnum, sed ad finitimas illas provincias juven- das, de quibus superius mentio facta est, et si quae aliae similes essent <sup>5</sup>.

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 577.

<sup>2</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 92.

<sup>3</sup> Hanc *instructionem* dabimus in *Nova Serie litterarum Sancti Ignatii*.

<sup>4</sup> De hoc vide annot. 1 ad *Carta DCXIV*, in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 82.

<sup>5</sup> Harum provinciarum Aethiopiae finitimarum nullam adhuc mentionem a POLANCO factam reperimus nisi brevem illam, quae est supra, t. iv, pag. 580, n. 1239.



7. Scripsit et P. Ignatius Regi Aethiopiae (quem Prestem Joannem vocant) de unitate Ecclesiae Catholicae et de primatu Sedis disserens, et quod ab ipso merito Patriarcham postulas-  
set ostendens <sup>1</sup>. Reliqua ad hanc expeditionem pertinentia, cum de rebus Portugalliae agetur, dicemus <sup>2</sup>.

8. Designaverat idem Summus Pontifex Cardinalem Moronum legatum in Germaniam, ut diaetae, quae ibi fiebat, non exigui momenti, nomine Sedis Apostolicae interesset; designavit autem duos de Societate nostra ipsius itineris socios adjungere motu proprio; hos autem elegit P. Ignatius, scilicet, patres Laynez et Natalem, qui cum Legato in Germaniam profecti sunt <sup>3</sup>. Cum etiam idem Pontifex Episcopum Veronensem <sup>4</sup> in Poloniam mitteret, Nuncium apostolicum futurum, quidam Cardinalis, non exiguae auctoritatis <sup>5</sup>, suggessit Pontifici ut duos etiam de Societate nostra eidem adjungeret; quamvis autem id valde placeret Pontifici, noluit statim id praecipere, sed injunxit Cardinali, ut rem cum P. Ignatio conferret. Cum autem satis intelligi possit propensio Pontificis, noluit P. Ignatius suam operam Apostolico Nuncio denegare, cum illius regni necessitas spiri-  
tualis auxilium, etiam nostrae exiguae tenuitatis, exposcere videretur. Designavit itaque Patrem Bobadillam, qui, paulo ante utiliter in visitatione abbatiae farfensis et aliorum locorum occupatus <sup>6</sup>, jam Romam redierat. Secundus P. Baptista Viola

<sup>1</sup> Has litteras, saepe jam et a pluribus editas, habes in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 68-81.—De iis, quoniam aliqua minus recte dicta sunt in *Revue de l'Histoire des Religions, quatorzième année*, t. xxvii, n. 1. pag. 37-75, sermonem denuo faciemus in *Nova Serie litterarum Sancti Ignatii*.

<sup>2</sup> Infra, a n. 1669 ad 1680.

<sup>3</sup> Designatio haec Patrum Laynez et Nadal, ut Nuncium Cardinalem Moronem in Germaniam comitarentur, facta fuit primis diebus mensis Januarii hujus anni 1555. Scribit enim Polancus, *ex com.*, Patri Petro Canisio: "Facio intendere a V. R. che Sua Santità manda nella Dieta il Cardinale Morone, Legato in nome della Sede Apostolica, et motu proprio ordinò che doi delli nostri andassino con esso; et sono deputati il P. Mtro. Laynez et il P. Mtro. Nadal; di modo che per uno (P. Canisius petierat ut mitteretur in Germaniam P. Laynez, ut videbitur infra dum de rebus Germaniae agetur) si mandano doi, et oltra di aggiutare il negocio universale per il quale si mandano, potranno gli doi, o almeno il P. Mtro. Nadal, visitare il suo Collegio et lasciargli le constitutioni et regole della Compagnia et aggiutar le cose di esso temporali et spiri-  
tuali. La partita sarà per tutto questo mese, come intendiamo., 15 Januarii 1555.—Hos in itinere Germaniam versus comitari debebant "per aiutarli nostro fratello Jonas Adler, per esser tedesco et de molta edificazione, et qualche altro per servire., Polancus, *ex com.*, Patri Nicolao Lanoy, 12 Februarii 1555.

<sup>4</sup> Aloysius Lipomanum.

<sup>5</sup> Is fuisse videtur Rodolphus Pius, Cardinalis de Carpi.

<sup>6</sup> Vide supra, t. iv, pag. 143, nn. 285 et 286.

electus est; sed haec et superior missio, propter mortem Pontificis, ex parte interrupta et mutata est <sup>1</sup>.

9. Cum etiam gravis quaedam necessitas occurrisset cujusdam monasterii in Gallia reformandi <sup>2</sup>, cujus cura ad Cardinalem S.<sup>tae</sup> Crucis <sup>3</sup> expectabat, visum est P. Ignatio non esse id etiam negandum amicissimo et de Societate optime merito Cardinali, qui id magnopere optabat; et electus est ad hanc missionem P. Pontius <sup>4</sup>, qui id temporis Procurator erat domus Romanae <sup>5</sup>, et in monasterio nobili (quod *Turrim speculorum* Romae vocant <sup>6</sup>) perutilem operam navaverat; et ei socius adjunctus est frater noster Julius Onofrius <sup>7</sup>; et hac reformatione peracta, Avenionem invisuri <sup>8</sup> erant, ut res disponerent ad collegium, quod ibi Cardinalis Farnesius <sup>9</sup> inchoare volebat. De his autem, quae ab eo sunt acta in ea difficili missione, cum de rebus Galliae agetur, aliquid dici poterit <sup>10</sup>.

10. Initio hujus anni centum et sexaginta fere de Societate nostra Romae versabantur; partim in professorum domo, partim in Collegio <sup>11</sup>, pauci etiam in Germanico, ut scholasticos germanos juvarent, versabantur <sup>12</sup>; quamvis paucis ante mensibus,

<sup>1</sup> Vide infra, n. 945.

<sup>2</sup> Sermo est de monasterio *Cellae ad Brincolam*, dioecesis Aiz, sito in oppidulo quodam Galliae, quod ipse P. Pontius Cogordanus litteris ad Ignatium datis 15.<sup>a</sup> Aprilis hujus anni 1555 appellat *Cella di Brugnola*, et ORLANDINI, *Hist. Soc. Jes.*, lib. xv, n. 64, *Cella pago prope Bruniolam*; POLANCUS infra, n. 956, monasterium *Cellarum prope Brugnolam*; et vix dubium esse potest quin illud sit quod ita describit ADOLPHUS JOANNES: "CELLE (LA). Var. commune de 449 habitants, à 260 mètres, sur la rivière de Camps, près du Calami, canton, arrondissement et bureau de poste de Brignoles (3 kilomètres)...—Ruines de l'ancien monastère de Bénédictines de Saint-Victor fondé en 1101., *Dictionnaire géographique, etc. de la France*. Et de hoc pago sermonem esse intellexit P. J. M. PRAT, *Mémoires pour servir à l'histoire du Père Broet et des origines de la Compagnie de Jésus en France*, part. III, lib. II, pag. 338.

<sup>3</sup> Marcellum Cervini.

<sup>4</sup> P. Pontius Cogordanus.

<sup>5</sup> Eo in munere successerat Patri Petro Codacio anno 1549. Vide in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 111 et 360, patentes litteras, quibus Patris Pontii loco substituitur P. Joannes Baptista Pezzano.

<sup>6</sup> Monasterium B. M. Virginis Annuntiatae, O. S. B., a la Torre de Specchi, institutum a Sancta Francisca Romana. Vide inter alia DIAZ VARA Y CALDERON, *Grandezas y Maravillas y Sacro Thesoro de la Santa Ciudad de Roma*, lib. III, cap. 7.

<sup>7</sup> P. Julius Onofroi.

<sup>8</sup> Primum certe scriptum erat *missuri*; sed emendatum est et sub emendationibus et litteris haud perspicuum est legendumne sit *invisuri*, an vero *itur*.

<sup>9</sup> Alexander Farnesius.

<sup>10</sup> Infra, a n. 943 ad n. 969.

<sup>11</sup> In Collegio Romano.

<sup>12</sup> E nostris in Collegio Germanico versabantur 16.<sup>a</sup> Octobris praecedentis anni 1554, P. Cornelius Vishaven et fratres Petrus Scorichius et Joannes Reidt. Vide Petri Schori-

ad varia loca plus quam quinquaginta missi essent. Collegium <sup>1</sup> autem, ubi supra septuaginta de nostris erant, ut aliis in rebus florebat, ita quod ad reditus attinet temporales, nullos jam aut fere nullos habebat; qui enim empti fuerant pecunia a P. Francisco Borgia relictis <sup>2</sup>, ad sustentationem nostrorum paulatim venditi fuerunt; curaverat autem idem P. Franciscus ut Rex Angliae ac Hispaniarum Princeps Philippus litteras et ad Pontificem et ad complures Cardinales scriberet, ut superius dictum est <sup>3</sup>. Initio ergo hujus anni Cardinales illi <sup>4</sup> Pontificem sunt alloquuti, et cum eis commisisset Pontifex ut dispicerent quid applicari posset foundationi hujus collegii, praeter sexcentos aureos, quos alias designaverat idem Pontifex ex quibusdam judaeorum bonis dissolvendos; suggererunt autem illi ex hospitalibus, quae in tota Italia et Sicilia data sunt in *commendam*, in quibus non excercebatur hospitalitas, duo millia ducatorum annui reditus posse reservari; considerato enim numero collegialium, qui tunc Romae erant, videbantur hi reditus duorum millia et sexcentorum posse sufficere; et quia videbat P. Ignatius numeri rationem haberi, licet annona cara esset, augeri numerum collegialium in dies patiebatur.

11. Erat tunc Collegium nostrum in conductitia domo Marrii Cappocci romani, cui conjuncta erat a tergo ecclesia S.<sup>ti</sup> Stephani del chacho <sup>5</sup>. Hujus usus Collegio donatus est; nec enim, cum animarum haberet curam, jus ipsum aut dominium ecclesiae a nostris optabatur. Pars etiam domus professorum eccle-

---

chii litteras illa die Romae datas Patri Leonardo Kessel apud HANSEN, *Rheinische Akten zur Geschichte des Jesuitenordens*, 1542-1582, pag. 252-254.

<sup>1</sup> Collegium Romanum.

<sup>2</sup> Vide supra, t. II, pag. 168, n. 6.

<sup>3</sup> Supra, t. IV, pag. 12, n. 11.—Quid cum his Regis Philippi litteris, quae non minus quam septem numero erant, actum Romae sit enarrat, *ex com.*, Polancus sub finem Januarii hujus anni 1555 in *Informacion de lo que se ha hecho con las letras de la Majestad del Rey de Inglaterra en encomienda del Colegio de Roma. Embiada á Gonçalo Perez*, quam edemus in *Nova Serie litterarum Sancti Ignatii*.

<sup>4</sup> Cardinales, ad quos litteras dederat Philippus in Collegii Romani commendationem, videlicet, Marcellus Cervini, Cardinalis Sanctae Crucis, Joannes Alvarez de Toledo, Compostellanus seu Sancti Jacobi Cardinalis dictus, quia Compostellanus Archiepiscopus erat; Bartholomaeus de la Cueva, et Joannes Morone.

<sup>5</sup> Sancti Stephani del Cacho. "Toma el sobrenombre de Cacho, ladrón ratero, que estaba en esta plaza y ahora está en el Capitolio; es antiquísima, porque antes que la reedificasen estos monjes tenía las insignias de San Pasqual primero, como hay en otras iglesias. El de 1563 se dio á los monjes de San Benito, Silvestrinos, así llamados por haber sido cabeza de su Congregación el Beato Silvestro, de la ilustre casa en Osma de la Marca.", DIAZ VARA Y CALDERON, I. c., lib. XVI, cap. VII.

siae <sup>1</sup> conjuncta a nostra habitatione substracta et ecclesiae addita fuit; nam concursus tam ad ecclesiam domus nostrae, quam ad Collegium in dies crescebat, sicut et bonus odor atque existimatio Societatis; qui, cum spargeretur ab Urbe in alia loca multa, a variis etiam locis collegia petebantur. Et ut de his loquar, quae Romae viciniora sunt, ex civitate spoletina <sup>2</sup>, ex interamnensi <sup>3</sup>, maceratensi <sup>4</sup>, salernitana <sup>5</sup> ac sexensi <sup>6</sup> urgebant P. Ignatium; quamvis ille parum esset jam ad hujusmodi collegia propensus, praesertim in Italia; nam ad alia loca Ungariae, Germaniae, Galliae et Bohemiae, a quibus Societas expetebatur, immo etiam et Poloniae ac Transilvaniae, propensior erat. Quid autem in ea parte sit actum, inferius videbimus.

12. Expetebatur et in Gallia Societas quibusdam in locis <sup>7</sup>; sed decretum illud, de quo superius egimus <sup>8</sup>, quod Facultas theologica Parisiensis ediderat, cursum Societatis in eo regno vehementer impediēbat; nec tamen P. Ignatius contra Universitatem illam celeberrimam quicquam tentandum esse vel apud Pontificem vel alia acerbiori ratione judicabat, quam ut scriberet nostris, qui ubique versabantur, ut Principis aut civitatum testimonia de Societatis progressu ac fructu mitterent, ut ostendi posset Universitati Parisiensi, non esse nostrum Institutum, ut suo in decreto dicebant, rebus publicis perniciosum sed utile ad Dei gloriam et animarum utilitatem; et ita ex variis regnis atque provinciis testimonia hujusmodi luculenta a Principibus, universitatibus et variis populis diligenter transmissa fuerunt <sup>9</sup>. Et cum Cardinalis Lotharingiae <sup>10</sup> Romam hoc anno venisset ad Pontificis electionem, et quatuor ex primariis

<sup>1</sup> Sanctae Mariae della Strada.

<sup>2</sup> Vide infra, n. 137.

<sup>3</sup> Vide supra, t. iv, pag. 144, n. 289.

<sup>4</sup> Vide infra, n. 245, et *Litterae Quadrimestres*, t. iii, pag. 325.

<sup>5</sup> Vide supra, t. iv, pag. 185, n. 394.

<sup>6</sup> Ibidem, n. 395.

<sup>7</sup> Scilicet, Avenione (vide supra, n. 8, et infra a n. 943 ad n. 969), Monte Argino (*Montargis*) (vide supra, t. iv, pag. 318, n. 680, et *Litterae Quadrimestres*, t. ii, pag. 662, et t. iii, pag. 111), Petrocorio (*Perigueux*) (vide supra, t. iii, pag. 300, n. 668), oppido quodam prope Tolosam (vide *Litterae Quadrimestres*, t. iii, pag. 241), et Billomo, de quo saepius in hoc *Chronico* et in *Litterae Quadrimestres*.

<sup>8</sup> Supra, t. iv, pag. 328, et seq., n. 703 et seq.

<sup>9</sup> Horum testimoniorum plura habes in *Acta Sanctorum mensis Julii*, t. vii, *Commentario praevio de Sancto Ignatio*, § XLVII et XLVIII; et alia in *Cartas de San Ignacio*, t. v et vi; alia dabimus in *Nova Serie litterarum Sancti Ignatii*.

<sup>10</sup> Carolus de Guise.

lectoribus theologiae secum Parisiis duxisset, qui fere omnes interfuerant illi decreto conficiendo, et aliquis eorum, magister, scilicet, Benedicti, Ordine dominicanus <sup>1</sup>, auctor fuisse bona ex parte a quibusdam dicebatur; aliqui de Societate nostra <sup>2</sup>, inter quos erat et P. Olavius, doctor Parisiensis, Cardinalem adierunt, qui satis propitium Societati ac benevolum se exhibebat, et adhibitis in consilium his doctoribus, actum est de decreto; et singulis articulis sic responsum est, salva modestia, ut non solum Cardinali, sed ipsis etiam doctoribus abunde satisfactum videretur; et significabat Cardinalis velle se curare ut omnino decretum illud a Facultate theologica Parisiensi revocaretur. Addebat etiam velle se dare unum ex collegiis remensibus, quod prae cacteris melius erat, Societati nostrae <sup>3</sup>.

13. Retulit idem Cardinalis, quod dum totum consilium regium (*strictum* <sup>4</sup> ipsi vocant) adversaretur litteris apostolicis nostri Instituti, et solus ipse omnibus sese opposuisset, quod Rex Christianissimus Henricus ei dixisset se communem habere sententiam cum ipso Cardinale, et quod ambo protectores erant Societatis. Sed haec sub finem hujus anni gesta sunt.

14. Cum autem res Collegii nostri Romani vicinae viderentur ut a Summo Pontifice Julio, quod ad reditus attinet temporales, stabilirentur, mense Martio in morbum incidit, ex quo, die 23.<sup>a</sup>

<sup>1</sup> "Jean Benoît, que Launoy distingue de René Benoît., P. J. M. PRAT, l. c., part. III, lib. 1, pag. 308, qui ad paginae calcem haec addit: "*Historia Regii Navarrae Gymnasii*, in ann. 1556.—Cet auteur remarque avec raison que le P. Orlandini (*Hist. Soc. Jesu*, part. 1, lib. xv, n. 42) comprends tous ces docteurs sous le titre de Sorbonistes, quoiqu'ils appartenissent presque tous à la maison de Navarre. C'était assez la coutume des écrivains étrangers de cette époque de confondre la Sorbonne avec la Faculté de théologie.—Reliqui Doctores, qui Cardinalem Lotharingum comitabantur, erant: "Claude d'Espence, de la maison de Navarre; Jérôme de Sauchières, de l'Ordre de Cîteaux, Crespin de Brichanteau, religieux bénédictin., Id., *ibid*."

<sup>2</sup> Scilicet, P. Jacobus Laynez, P. Andreas Frusius, P. Martinus de Olave et ipse hujus *Chronici* auctor P. Joannes de Polanco. Cf. PRAT et ORLANDINI, locis citatis, et *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 118.

<sup>3</sup> Sermonem esse hic existimamus de collegiis, quae in Universitate Parisiensi habebat Rhemensis ecclesiastica provincia seu dioecesis. Verum unius tantum hujusmodi Collegii meminit CREVIER, *Histoire de l'Université de Paris*, t. III, pag. 341, dum ait: "Par son testament il (Gui de Roze) ordonnoit la fondation d'un collège à Paris pour les étudiants de son diocèse, et il léguoit des fonds à cette intention. Matthieu de Roze, son frère, et Simon de Cramaud, son successeur dans l'archevêché de Reims, ne tardèrent pas à accomplir sa dernière volonté; et dès le mois de Septembre de la même année 1409, ils obtinrent des lettres du roi, qui en autorisoient l'exécution. En 1412 les écoliers du diocèse de Reims étudiants en l'Université de Paris, achetèrent pour la somme de mille livres Tournois l'hôtel de Bourgogne, qui appartenait à Philippe, comte de Nevers et de Retel, frère du duc de Bourgogne. C'est aujourd'hui le Collège de Reims.,

<sup>4</sup> *privé?*



eiusdem mensis, ex hac vita migravit; et ita, tam nostrum Collegium quam Germanicum, alterum fundatorem, alterum dotatorem amisit <sup>1</sup>. Neutri eorum stabile quicquam donatum erat et illos quingentos aureos, quos promiserat in singulos annos Germanico Collegio, successores minime ipsi dederunt. Ex eleemosynis tamen Cardinalium, qui promiserant se singulis annis certam quamdam pecuniae summam daturos, aliquandiu sustentatum est <sup>2</sup>; quamvis aliis morientibus, aliis quod promiserant subtrahentibus, cum fundatori Pontifici Julio successores in eo juvando non successissent, imminutus fuit Germanorum numerus, et facies ejus collegii, admixtis convictoribus, fuit immutata <sup>3</sup>; donec Gregorius XIII serio foundationem ejus collegii suscipiens, ac renovans et in pristinam formam redigens, ac numero augens, insigne collegium hoc fecit. Quomodo autem res ejus his mediis annis a Societate nostra fuerint sustentatae, suis locis dicetur.

15. Mortuo Pontifice Julio III, quoquoersus scripsit P. Ignatius Provincialibus, ac aliis, qui Societati praefecti erant, ut in sacrificiis Missarum et orationibus electionem futuri novi Pontificis Domino commendarent <sup>4</sup>. Postquam autem Cardinales conclave fuerant ingressi, quarto die, (qui decimus fuit Aprilis <sup>5</sup>) electus fuit non humana ulla industria, sed, ut creditum est, communi S.<sup>ti</sup> Spiritus inspiratione, Cardinalis Sanctae Crucis, Marcellus Cervinus, qui die mercurii, in ipsa hebdomada sancta, qua crucis misteria recoluntur, in Sede Aposto-

<sup>1</sup> Hoc est, Germanicum fundatorem, Romanum vero Collegium dotatorem amisit; hujus enim fundator ab Ignatio tunc habebatur P. Franciscus de Borja. Cf. *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 12, annot. 1. — Vide etiam infra, n. 21.

<sup>2</sup> Vide supra, t. II, 422, n. 11, et CARD. STEINHUBER, *Geschichte des Collegium Germanicum Hungaricum in Rom.*, lib. I, cap. 1, pag. 11.

<sup>3</sup> Haec non de hoc anno 1555 intelligenda sunt, sed de posterioribus, cum Praepositus Generalis esset P. Jacobus Laynez; quamvis et hoc anno de convictoribus in Germanicum Collegium admittendis sit actum. Vide infra, n. 64 et 65.

<sup>4</sup> Has litteras *Provincialibus ac aliis, qui Societati praefecti erant*, scriptas non vidimus. Vidimus tamen alias, in quibus haec Polancus dicit Patri Hieronymo Domenech: "et dopo il transito (Pontificis) per nove giorni ha ordinato Nostro Padre che nelle messe et orationi si raccomandandi nella casa et Collegio de Roma l' anima di detto Santo Padre a Christo Nostro Signore; et anche ha ordinato che in tutte le bande della Compagnia s' habbia d' imitare quest' ordine dato in Roma et così si scrive alli provinciali et alcuni rettori, quali non hanno anchora provinciale, acciò lo esseguiscono. Medesimamente vedendo l' importanza d' un bono et zeloso Pontefice... vorria Nostro Padre si osservassi da tutti quelli della Compagnia, che in ogni luogo si trovano.... 24.<sup>a</sup> Martii.

<sup>5</sup> Fefellit hic memoria Polancum; non enim decimo sed nono Aprilis in Pontificem electus est Cardinalis Cervini.

lica constitutus fuit; vir morum gravitate, pietate ac zelo catholicae religionis ad eam dignitatem et officium dignus judicatus.

16. Noluit mutare Marcelli nomen, quia, ut ipse asseruit, nec mores mutare in animo habebat; et paucis illis diebus, quibus vixit, id plane praestitit; immo, in modestia, humilitate sancta ac devotione crevit; familiam pro aliorum more noluit augere, donec videret quomodo sese haberent res Sedis Apostolicae; et cum in erectionis ac coronationis festo plusquam viginti millia ducatorum expendi solita essent, eam ille summam pauperibus et locis piis impendi maluit. Delectabatur pedes ire ad templum, potius quam sublimi sella vectus; Missam crebro et devotissime celebrabat; et quia exhaustas facultates Sedis Apostolicae invenit, triginta millia ducatorum per Cardinalium manus expendi domi suae et non amplius volebat; redditus, qui supererant, in Sedis Apostolicae et pauperum ac piorum operum usum destinari volebat. Mensam pontificiam aliam esse non voluit, quam fuisset cum Cardinalis erat, et tamen valde sobria haec esse solebat.

17. Judaeos et meretrices in quemdam angulum Urbis transyerim, et quidem notatos judaeos pileo coloris fulvi volebat<sup>1</sup>; et si quae inter meretrices essent conjugatae, ut ad mari-

---

<sup>1</sup> Quod in animo habuit Marcellus II hac in re praestare, praestitit non multo post ejus in Pontificatu successor Paulus IV. "Siccome particolare zelo aveva sempre mantenuto questo Pontefice della purità della nostra Santa Religione, così ascenso al Pontificato, questa fu una delle sue maggiori premure. Or comechè il libero commercio degli Ebrei co' Cristiani, fosse uno scoglio assai pericoloso al mantenimento della Fede, Paolo con una Bolla, confermata dipoi da S. Pio V, da Gregorio XIII, et da Clemente VIII, saggiamente ed opportunamente ne provvide. Ordinò per tanto che gli Ebrei non potessero aver più d' una Sinagoga ne' paesi ove dimorassero. In Roma li separò da Cristiani, costringendoli ad abitare rinchiusi in una strada contigua, ma divisa dalla Città (e si chiama *il Ghetto*), come aveva fattonella sua Capitale la Repubblica di Venezia. Ad esempio d' Innocenzo III comandò, che gli uomini portassero un cappello giallo, e le donne un velo del medesimo colore, per essere in questa maniera contraddistinti da Cristiani. Per questo punto, il più penetrante agli Ebrei, uno di questi de' più ricchi, sparse per Roma, che il Santo Padre in ciò altra mira non aveva avuto, se non che il carpire da essi qualche somma di denaro; onde con uno sbruffo di Zecchine se ne sarebbero liberati. Chiamato costui dal Papa con dissimulazione, ebbe il coraggio di esibirgli cento mila scudi, perchè togliesse loro il cappello giallo, e rivoцasse le altre leggi: per lo che il S. P. senza dimora alcuna lo fece frustare per le strade di Roma. Ordinò in oltre, che non potessero tener balie, serve, nè servi Cristiani, nè lavorare in publico ne' giorni festivi, nè giuocare insieme co' Cristiani, come più ampiamente aveva già comandato nel 1442 Eugenio IV. Proibì parimente, che i Medici Ebrei curar potessero i Cristiani, ancorchè chiamati e pregati. Raffrenò le loro usure, vietò loro il possedere beni immobili, accrebbe i tributi ch' erano soliti di pagare, e rivoцò i privilegi concessi

tos redirent, vel in monasterio servarentur. Crimen nefandum tribunali Inquisitionis subicere volebat, et alia multa ad reformationem expectantia meditabatur; et multi sponte sua vitam in melius commutabant, cum ejus Pontificis mentem intellexissent. Fratrem suum unicum, qui erat in Piceno <sup>1</sup>, prohibuit ne Romam veniret; alios etiam consanguineos, qui erant in Monte Policiano <sup>2</sup>, hoc ipsum interdixit; immo et duos nepotes, fratris praedicti filios, qui Romae agebant, Bononiam studii gratia ablegavit <sup>3</sup>. Et in universum statuisset se significavit nolle se suos consanguineos ultra gradum, in quo nati erant, promovere. Cardinales aliquos in palatio consilii gratia habitare voluit, qui ex gravioribus et prudentioribus erant. Tribunalium tam civilium quam criminalium praefectos ad se advocatos admonuit et praecepit severe ne in administratione justitiae rationem ullam consanguineorum aut familiarium ipsius haberent; et sese ab eis justitiae rationem districte exacturum. Quosdam autem ex junioribus Cardinalibus paterna gravitate ad vitae reformationem est hortatus. Cum autem illi vitam longam precarentur, respondit ille: "Si utilis futura est Ecclesiae Dei, vitam meam ipse conservet; sin minus, potius brevem opto, ne peccata mea augeam., Quinque tantum horas in lecto esse consueverat.

18. Quod ad Societatem attinet, prorsus paterno affectu eam diligebat, et quae a primordiis ejus gesta erant in Europa et usque ad Indiam et Brasiliam, bene noverat, et quae Deus per eam operabatur. Saepe nostris fuerat confessus, et paulo antequam Romam veniret ad electionem Pontificis, in Collegio

---

loro da' Sommi Pontefici, co' quali estremamente si arricchivano., *NOVARS*, I, c., t. VII, pag. 119 et 120.

<sup>1</sup> Alexandrum Cervini. "Duos fratres habuit Marcellus ex eodem patre genitos, sed ex noverca, Alexandrum et Romulum. Hic, praestantis ingenii vir, triennio ante ejus Pontificatum magno fratrurn moerore decessit. Ille quinquennio post e vita migravit, quatuor filios superstites relinquens., *PALATIO, Gesta Pontificum Romanorum*, t. IV, col. 189.

<sup>2</sup> In oppido Monte Politiano degebat tunc temporis Marcelli soror Cinthia Cervini, uxor Vincentii Bellarmini et mater Roberti, S. R. E. postea Cardinalis. Vide *COUDRAC, Le Vénérable Cardinal Bellarmin*, t. I, lib. I, 1.

<sup>3</sup> Haud satis cum his congruere videntur quae ex PANVINIO et CIACCONIO refert ipse *PALATIO*, I, c., col. 194: "Duos parvulos, Alexandri fratris filios, Ricardum et Herennium, quos ipse in Urbe educabat, a nemine salutarī, raro etiam in publicum prodire praeterquam ad sacra passus est... nec brevi eo tempore, quo Pontifex fuit, eos unquam vidit. Interpellatus an in palatium ex privatis aedibus introducendi essent, respondit: Quid illis cum palatio? Eorum forte id patrimonium ne esse censetis?,"

nostro Lauretano ejus Rectori P. Oliverio confessus fuerat, et celebrato sacro Beatae Virginis in sacello, in quo Verbum caro factum erat, omnibus nostris Eucharistiam sua manu ministraverat et ad virtutum progressum hortatus fuerat in eodem loco <sup>1</sup>.

19. Postquam autem promotus est ad Pontificatum, semel ipsum P. Ignatius cum alio socio <sup>2</sup> invisit, qui tanta cum humanitate, familiaritate et charitate ipsos excepit et amplexus est, osculo etiam pacis adhibito, ut vix unquam, dum Cardinalis esset, talem dilectionem prae se tulisset. Multa cum P. Ignatio contulit et, ut libere sibi proponerent, quae ad Dei gloriam pertinere viderentur, hortatus est. Addidit se aliquid de Societate nostra cogitasse, et id explicando dixit, quod si posset fieri sine Societatis incommodo, pergratum haberet, si duo ex nostris sacerdotibus in palatio cum ipso habitarent, quibuscum conferre posset de his, quae ad Dei gloriam pertinerent, et eorum consilium audire, et etiam Missam; et jam de duobus eligendis agebatur; alter erat P. Laynez, qui tamen in Germaniam cum Cardinale Morono abierat; sed illo <sup>3</sup> redeunte, ubi mortem Pontificis audivit, ut electioni futurae interesset, tam ipse P. Laynez quam P. Natalis in Italiam redierunt. Commendavit autem se omnium nostrum orationibus, qui tunc erant Romae 170, et omnibus suam benedictionem misit, ac gratum fore sibi ostendit, ubi cessasset negotiorum frequentia, si ad benedictionem eandem coram accederent <sup>4</sup>.

20. Cum autem, sive ex laboribus nimis, sive ut quidam suspicati sunt (quod tamen Romae non admodum creditum est) quod venenum ipsi datum fuerit <sup>5</sup>, in morbum incidisset, P. Ignatius diligenter pro ejus sanitate et vita (si ita ad divinae bonitatis obsequium et Ecclesiae utilitatem futurum erat), et orari

<sup>1</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 324 et 333; *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 157, et OLIVERII MANAREI *De Rebus Societatis Jesu Commentarius*, cap. IX, § 25.

<sup>2</sup> Indigitari hic videtur ipse Polancus.

<sup>3</sup> Cardinale scilicet Morone.

<sup>4</sup> Quae hucusque a n. 15 de Summo Pontifice Marcello II dicuntur, ad verbum fere desumpta sunt ex supra memoratis litteris, quas habes in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pags. 152-159 et pags. 372-376.

<sup>5</sup> "Non mancò chi sospettasse (GENEBRARDO, *Chron.*, lib. IV), che la sua morte fosse cagionata dal veleno messogli da un chirurgo in una occulta piaga, che Marcello da molto tempo aveva in una gamba; ma dall' aperto cadavere non ne fu trovato segno alcuno di veleno.", NOVAES, *Elementi della storia de' Sommi Pontefici*, t. VII, pag. 106.

et sacrificia offerri, et varia poenitentiae opera suscipi a nostris voluit; et cum multi ex his, qui Romae erant, ad peregrinationem se promptos offerebant, ut scilicet ad sacram domum B. Virginis Lauretanae mendicantes accederent, quatuor sacerdotibus ea peregrinatio concessa est <sup>1</sup>; aliis alia poenitentiae ac devotionis genera sunt permissa.

21. Jam hoc tempore ultra centum in Collegio Romano versabantur, et dubitari non poterat quin Summus Pontifex non solum ob affectum illum, quem erga totam Societatem gerebat, sed quia Collegii Romani momentum ad commune bonum promovendum perspectum habebat, et ipse inter illos erat quibus Rex Philippus de Collegio dotando scripserat <sup>2</sup>, et apud Julium tertium id curaverat, dubitari, inquam, non poterat, quin cito et egregie illud esset dotaturus <sup>3</sup>, et alia multa majora ab ejus pietate et benevolentia expectari poterant.

22. Aliter tamen visum est divinae bonitati, et 22.<sup>o</sup> die sui pontificatus <sup>4</sup>, quinquagesimum quintum aetatis annum agens <sup>5</sup>, ex hac vita migravit, magno sui desiderio apud omnes bonos relicto, quos in spem insignis reformationis erexerat.

23. Fuit autem nova electio Pontificis celebrata mense Maio, et ad Summum Pontificatum [evectus] 23.<sup>a</sup> die ejus mensis, ipso die Ascensionis Domini, Cardinalis Theatinus, Joannes Petrus Caraffa, qui 69.<sup>um</sup> aetatis annum tunc agebat, et Paulus IV vocatus est. Duobus itaque mensibus tres Pontifices Roma videre potuit. Et quamvis multa Paulus quartus sit exequutus eorum, quae ad reformationem Ecclesiae Marcellus secundus praecegitaverat; in studio tamen nostrae Societatis, juxta suum institutum promovendae, neutri ex superioribus similis futurus sperabatur; nam praeterquam quod olim a P. Ignatio quibusdam in rebus dissenserat <sup>6</sup>; propter causam illius Octavii neapolitani, de quo superius mentio facta est, offensus fuerat; cum ea, quae ipse impetraverat de juvene parentibus restituendo, P. Ignatius,

<sup>1</sup> Hi fuere ipsi P. Joannes de Polanco, P. Ludovicus Gonzalez, P. Didacus de Guzman et P. Gaspar Loarte. Vide OLIVERII MANAREI, *De rebus Societatis Commentarius*, cap. ix, § 25, et *Cartas de San Ignacio*, t. v, pags. 170-177 et pags. 376-380.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 10, n. 10.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 13, n. 14.

<sup>4</sup> Scilicet, Aprilis ultimo.

<sup>5</sup> Natus erat Marcellus 6.<sup>a</sup> Maji 1501.

<sup>6</sup> Vide supra, t. i, pag. 56, et pag. 212 sub finem n. 173.



Pontificem Julium alloquendo et quomodo se res haberet explicando, revocari obtinuerat <sup>1</sup>; nihilominus de personis Societatis et de bonis ejus operibus optime sentiebat <sup>2</sup>; credebatur nihilominus quod ex religione nostra et clericorum regularium, in quo ipse, si non auctor fuerat, habebatur tamen, quia ex primis et magis notis ejus congregationis fuerat <sup>3</sup>; et hoc a nobis egredi et postulari, potius quam ab ipso juberi, ut credebatur, expetebat; et cum id Societas nunquam esset factura, timeri poterat ne aliquid ex his, quae ad Institutum nostrum pertinent, immutare vellet.

24. Satis tamen divina providentia in hoc Pontificatu, cum humanus favor videretur in Pontifice defuturus erga nostram Societatem, eluxit; nam quod attinet ad spiritualem progressum Societatis, augmentum non exiguum habuit, tum in aliis charitatis functionibus, tum in aliis litterariis exercitiis; et quamvis Pontificis subsidia temporalia non habuerit, numerus tamen nostrorum auctus est; et cum magna penuria tota pene Italia laboraret, tamen nihil de necessariis nostris defuit.

25. Et ut de domo ipsa primo loco dicam, tanta celebrabatur primariorum hominum frequentia, tum ad conciones audiendas, tum ad rem divinam, tum ad confessionem et communionem, ut nobilium rhedis pene aditus templi intercluderetur. Cardinales etiam aliqui assidui in ecclesia erant, et alii praelati, qui et in sacello privato domus rem divinam faciebant vel audiebant. Erat templi nostri concionator P. Benedictus Palmius, quamvis eodem tempore studiis operam daret, qui rogatu aliquorum Cardinalium alibi aliquando praedicabat, et ad commovendos auditorum animos peculiari talento a Domino erat donatus. Quidam juvenes (ut ipsi postea fassi sunt) ad templum nostrum ventitabant non profectus spiritualis, sed detrahendi potius occasionem venantes; sed ita verbi divini aculeo com-

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 17, n. 17.

<sup>2</sup> Hoc sensu intelligenda veniunt verba illa "Quanto alla Compagnia nostra è da credere sarà favorevole, perchè sempre è stato molto amico di quella in quanto si è potuto giudicare", quae reperiuntur in litteris, quas ex *Ignatii commissione* scripsit Polancus 25 Maji hujus anni 1555. Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 186 et 385.

<sup>3</sup> Sic, sententia, ut patet, non perfecta; sed perficitur facile iis, quae Sacchini ad paginae oram hic summatim scripsit, videlicet: "Credebatur velle unum ordinem ex Theatinis et Societatis (*sic*) fieri et hoc a nobis postulari, quod cum futurum non esset, periculum erat ne in institutum nostrum aliquid moliretur."

puncti sunt, ut iniquo illo animo deposito, ad studium longe melius sese converterint, et ad confessionem octavo quoque die et Sanctissimam Eucharistiam sumendam sese convertebant: et qui prius mordebant Societatem, ejus praecones sunt effecti; nec sodalium dicteria reformidantes, alios ad virtutem et pietatem stimulabant. Fuit et quidam, qui nostros, si quando juxta ipsius domum transirent, scommatibus et interdum conviciis incessebat: is usque adeo mutatus est a Domino, ut Societati sese addixerit et in eam sit admissus.

26. Eodem tempore viri quidam primarii a P. Ignatio impetrarunt ut in templo S.<sup>ti</sup> Celsi, mercatorum civium et aulicorum frequentia celebri, sermonem Domini in monte declararet <sup>1</sup>; quod ne homines ignorarent, Justinopolitanus Episcopus Ordinis S.<sup>ti</sup> Dominici, eximius concionator <sup>2</sup>, in frequentissimo suorum auditorum conventu id promulgavit: et cum ad oves suas pascendas iturus esset, ad hunc concionatorem audiendum suos est adhortatus de Societate nostra multa verbis sanctissimis dicens. Hic ille est, quem vulgo *Todeschinum* vocabant <sup>3</sup>; et quamvis aestus canicularium tempore saeviret; frequenti tamen et nobili auditorio apud S.<sup>m</sup> Celsum suo munere functus est. Tertius etiam concionator apud Virgines orphanas S.<sup>tae</sup> Catharinae <sup>4</sup> Ecclesiastes munere fungi coepit, nec solum gratus fuit, sed ut eleemosynas largas ei coenobio auditores elargirentur causa fuit.

27. Alii ex nostris complures, aestivis his mensibus, divisi per Urbis carceres, vinctos et diversorum criminum reos ad patientiam et poenitentiam hortabantur, et eorum, quibus persuasum id erat, confessiones audiebant, quibus et Missas celebrare et sacram Synaxin ministrare instituerunt: et praefectus Urbis (quem *gubernatorem* vocant) <sup>5</sup> aditum ad hujusmodi homines semper patere jussit, et quae ad eorum pertinerent salutem

<sup>1</sup> His Polanci verbis erui videtur ipsum Ignatium in templo Sancti Celsi nunc concionatorem egisse; sed si ita est, nonnisi speciali Dei dono tribuendum est; adeo enim fracta erat eo tempore Ignatii valetudo, ut tanto ferendo labori impar omnino fuisse videatur. Nec referri posse sermo videtur ad Benedictum Palmium; nam postquam Benedicti supra, et hic hujus ad S. Celsum concionatoris mentionem fecit Polancus, ait infra: *Tertius etiam concionator...*

<sup>2</sup> Fr. Thomas Stella.

<sup>3</sup> Vide supra, t. III, pag. 142, n. 286.

<sup>4</sup> Scilicet, in monasterio Sanctae Catharinae *de' Funari*.

<sup>5</sup> Is toto hoc anno a coronatione Pauli IV fuit Scipio Rebiba, Motulensis Episcopus.

libere curare; nec uberi fructu hoc nostrorum officium caruit: nam depravata in illis locis ludendi, pejerandi ac blasphemandi consuetudo magna ex parte sublata est; ac institutum ut dominicis et festis diebus Missae apud eos celebrarentur. Multi confessi sunt nostris, qui plurimis annis hoc sacramento caruerant; et curatum est, ut in posterum quicumque carceri manciparentur, statim sacerdoti confiterentur, seque ad honestioris vitae rationem converterent.

28. Quidam, qui diu gravibus facinoribus obstrictus fuerat, ac postremo in carcerem coniectus, audita cujusdam ex nostris concione, ita commotus est, militaris alioqui homo ac robustus et a quo nihil tale expectabatur, ut praeteritorum actuum poenitentiam lacrymis etiam testaretur; et absoluta concione, cunctis audientibus, instare apud sacerdotem coepit, ut quoniam ipse nocentissimum omnium se agnosceret, ipsius confessio primo loco audiretur. Post confessionem autem, si liber ab uxore esset, et liber a custodia emitteretur, reliquum vitae in solitudine agere et peccata sua lugere decreverat; dicebat autem se jam non curare quid iudices de suo corpore ac vita statuerent, dummodo spiritus salvus fieret. Hic autem paucis post diebus, capitali sententia damnatus, foeliciter, ut credibile [est], in meliorem vitam migravit.

29. Erat ibi alius matricida, qui nullis adhortationibus ad confessionem impelli poterat; nostris autem, qui eum invisebant, pro ejus salute Deum orantibus, postridie confessarium ultro postulavit, et post confessionem coelesti mensa refectus, cum omnium admiratione, paulo post extremo supplicio affectus decessit. Alii complures a gravissimis peccatis resipiscentes, morum correctionem omnino se curaturos significabant et pollebantur. Alii deserti ab omnibus, cum nemo causam ipsorum susciperet, nostrorum opera adjuti sunt. Ipsi etiam custodes ad pietatem vitaeque probitatem excitabantur.

30. Judaeos etiam quosdam inibi detentos, qui christianos se fieri velle, non spe impunitatis sed studio spiritualis salutis, expetebant, in bono proposito ac sententia confirmarunt. Inter quos femina erat hebraea liberos christianos habens, quae negabat satis decere ut liberi matrem praecederent in regnum Dei. Juvenis quidam hebraeus, honestus ac locuples, nostrorum sermonibus ac disputationibus ex Veteri Testamento habitis, eo

deductus est, ut se christianam religionem suscipere velle profiteretur; quae res admirationem et aedificationem custodi et custodiis attulit non mediocrem. Duo praeterea pueri, a iudaismo conversi, in disciplinam traditi sunt nostris: et alterum P. Olavius coram Compostellano Cardinali <sup>1</sup> et tota sua familia in aede S.<sup>ti</sup> Jacobi baptizavit <sup>2</sup>. Ad haereticos autem in vincula coniectos adhortandos et instruendos nostri aliquando vocati accesserunt.

31. Ut xenodochia omittam, in quibus nostri et confessiones audierunt et alia charitatis opera obierunt; quod etiam in privatis domibus, aegrotantium causa, pro more factum est.

32. Cum domus nostra eorum multitudinem non caperet, quos Deus ex variis locis ad Societatem mittebat, etiam in magnis rerum temporalium difficultatibus aedificium domus augendum fuit; nam aliquando, ad octoginta ascendentes, arcte et incommode habitabant; et posterior pars domus aedificata, et quia cubiculis superioribus et inferioribus instructa, laxiorem et commodiorem habitationem nostris dedit. Ecclesia vero, quae anno praecedenti, mutato priori situ ac forma, aedificari coeperat, ut diximus <sup>3</sup>, cum paulatim surgere inciperet, quaedam familia nobis vicina nobilium romanorum, ubi jus minus videbatur suffragari, minis et ense districto contra quemdam ex fabris coementariis, occasionem dedit cessandi; et quamvis superari fortassis haec difficultas et molestia potuisset, existimavit P. Ignatius, hac sumpta occasione, ab aedificio illo desistendum esse, cum in rei pecuniariae difficultate magna, etiam ad victum et vestitum, Romae nostri versarentur. Sed sine occasione huiusmodi non omnino intermissum aedificium fuisset; Deus tamen hac ratione expensas non necessarias ad futurum ecclesiae aedificium fieri vetuit; nam quae tertio loco in diverso situ ac forma, post complures annos inchoata est ecclesia, ab Alexandro Farnesio, Cardinali amplissimo, his principis aut fundamentis non innitebatur.

33. Hoc anno solarium conjunctae domus, quam *Turrim Rosciam* vocant, [emptum est] et ad infirmos curandos aliquot cubacula confecta fuerunt; officina etiam pharmacopolae in

<sup>1</sup> Fr. Joannes Alvarez de Toledo, O. P.

<sup>2</sup> Ms. hic habet *baptizatus est*.

<sup>3</sup> Supra, pag. 10, n. 11.

usum aegrotantium instructa est, D. Torrensi <sup>1</sup>, qui medicus erat, sollicitè haec praesidia infirmorum curante; et primus pharmacopolae officio functus fuit Ludovicus quidam lusitanus, hujus artis peritus, qui cum Bernardo Japonensi Romam venerat.

34. Vineam etiam in Aventino emptam est. Domus ampla ad collegialium recreationem et exercitationem ex praescripto P. Ignatii coepta est; cui operi praefecit P. Madridium <sup>2</sup>, qui nondum Societati se dederat; et quamvis magna esset caritas, ut diximus, nullis expensis parcendum esse putabat Ignatius, ut convalescentibus ac valetudinariis primo quoque tempore domus commoda parata esset <sup>3</sup>.

35. Quod ad collegium nostrum attinet, hoc anno praeter octo classes aut novem, in quibus litterae humaniores trium linguarum docebantur, tres philosophiae lectores erant ordinarii; sed quartus etiam adjungebatur, ut quae ab ordinariis triennio praelegi non poterant, ab eo explicata audirentur. Quintus etiam accedebat lector mathematicus, qui frequenti cum auditorio diligenter admodum officio suo fungebatur <sup>4</sup>. Tres erant

<sup>1</sup> Patre, scilicet, Balthasare de Torres. Vide supra, t. III, pag. 8, n. 6.

<sup>2</sup> P. Christophorum Madrid.

<sup>3</sup> "A vinha e hũa quinta que nosso pae fez comprar em tempo de muita necessidade só por lhe parecer necessaria pera a saude dos irmãos, que por serem no Collegio Romano muitos e de muy diferentes nações, e Roma muyto nociva especialmente a estrangeiros temia adoececer a miuda e gravemente. Para este fim fez que antes que a quinta se comprasse fosse ver o sítio M. Alessandro (Petronio), que era o principal medico de Roma, pera vulgar se seria sadio, e por le parecer muito bom a tomou N.º P.º, ainda que depois a experiencia mostrou o contrario.. P. LUDOVICUS GONZALEZ DA CAMARA, in Codice *Alguas cousas, etc.*, ms.—"Nuestro Padre, con estar los que V. R. dejó en Roma y bien otros veinte de mas rescibidos despues de su partida, hace fabricar en quatro partes diversas, y con su buen ánimo le dá á todos, haciendo que miremos á lo divino, en lo qual nos ensanchamos, y no á lo humano, donde nos estrechamos, no pudiendo aun los ricos ahora valerse en cierto modo para vivir en Roma.. Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Nadal, 1.º Aprilis 1555.—Vide RIBADENEIRA, *Vida de San Ignacio de Loyola*, lib. v, cap. ix. "Estando una vez (1555) en grande aprieto la ciudad de Roma..."

<sup>4</sup> Ut clare appareat quanti haec studia faceret Ignatius, quamvis ea studio Sacrae Scripturae et Theologiae postponeret et subordinaret, juvat ex pluribus, quae in *Nova ipsius litterarum serie* edere intendimus, haec jam nunc exscribere: "Il Dottore Torres, olim medico, adesso religioso et lettore di Mathematica et Philosophia naturale nel nostro Collegio di Roma, ha inteso che il nostro charissimo Mtro. Giovanni de Rosis tiene certi instrumenti o figure delle theorie di planete molto bone; et accaden-do che lui ne ha di bisogno per leggere dette theorie, ci ha fatto instantia per pre-gare sua Signoria ce le presti per un poco di tempo. Vostra Riverenza veda se potrà senza discommodo prestarle et mandarcele per qualche vecturale; che di qua si pagará la spesa allo andar et tornar. Se pure le adoperasse, o vero si temesse non si guastas-sino, non accaderà mandarle .. Polancus, *ex com.*, Patri Ludovico du Coudrey, Re-ctori Collegii Florentini, 5.º Januarii 1555.

praeterea theologiae professores, et tam multi jam ad omnes accedebant facultates, cum et lectorum eruditio et publicarum disputationum exercitatio magnam auctoritatem collegio nunciaret <sup>1</sup>, ut Universitas Romana, quam *Sapientiam* vocant, nullum posse detrahare discipulum nostris scholis videretur; et exemplo collegii, alii religiosi studia diligentius solito tractare coeperunt. Invisabant autem collegium nostrum legati Principum, ut Imperatoris, Regis Angliae et Lusitaniae <sup>2</sup>, aliqui etiam Cardinales, qui pronuntiatis carminibus in actionem gratiarum excipiebantur, et amicissimi et erga collegium valde affecti recedebant.

36. Et cum hoc tempore res perturbari Romae coepissent, conscriptis militibus multis, quibus expulsus est a sua ditione Dominus Marcus Antonius Columna <sup>3</sup>, et aliquid ulterius etiam nonnulli suspicabantur; nihilominus nostri studiis pacis vacantes, dum studia autumnus hujus anni renovarent, octo dierum disputationes de variis theologiae et philosophiae rebus nostro in templo defenderunt, compluribus Cardinalibus, Praelatis ac aliis primariis viris praesentibus, cum de theologicis ageretur; sex enim ex Sacro collegio interfuerunt, inter quos erat Cardinalis Bellaius <sup>4</sup>, qui Sacri Collegii decanus fuit: et cum audiret tres nostros scholasticos theologos de variis theologiae partibus respondentes, et praesidentem Doctorem Olavium, qui non minus subtiliter et docte, quam copiose et ornate, acribus etiam disputatoribus satisfaceret, conversus ad collegas Cardinales: "mare magnum, inquit, est hic.. Religiosi S.<sup>ti</sup> Domini, qui ad hoc usque tempus non interfuerant nostris disputatio-

<sup>1</sup> Sic; conciliaret?

<sup>2</sup> Erant hoc tempore ordinarii oratores seu legati: Imperatoris Marchio de Sarria, Philippi II Regis Angliae Prolegatus (*Agente*) Garcilaso de la Vega, extraordinarius seu obedientiae orator Comes de Chinchon; Regis Romanorum Ferdinandi, ordinarius orator Didacus Lasso de la Vega, extraordinarius seu obedientiae Marcus, Comes ab Arcu; Lusitaniae Regis Alphonsus de Alencastre. Vide supra, t. iv; CABRERA, *Historia de Felipe II*, lib. ii, caps. i, ii et iii; NORRES, *Istoria della guerra di Papa Paolo IV contro gli Spagnuoli*, lib. i; ORLANDINI, *Hist. S. J.*, lib. xv, n. 9, etc., etc.—Regis Galliae Orator ordinarius erat Dominus de Lansac, extraordinarius Dux de Alençon. Horum tamen non meminit Polancus nec credibile est eos Collegii Romani litterarlis ludis tunc interfuisse.

<sup>3</sup> Vide NORRES, l. c.—Hujus patri, Ascanio, amicum satis se semper praebuit Ignatius, suam operam diligenter adhibens ut pacem inter eum ejusque uxorem Joannam de Aragon componeret. Vide supra, t. ii, pags. 427 et 428, nn. 22 et 23; et *Cartas de San Ignacio*, passim.

<sup>4</sup> Joannes du Bellay (1492 † 1560). Vide supra, t. iv, pag. 321, n. 687, annot. 1.

nibus, et interfuerunt his diebus, et suis disputationibus eas ornarunt.

37. Sed et philosophi, post triduum theologiae datum, quatuor diebus continuis respondentes, tam doctrina quam ingenio, omnium expectationem vicerunt. Praeerat his magister Emmanuel de Saa, cujus et eruditio et modestia egregia in propugnando visa est.

38. Octavo die, qui rhetoricae et tribus linguis datus est, actus est a pueris, qui nostro in collegio instituebantur, dialogus jucundissimo utilissimoque argumento, quem cum duabus horis permulti viri graves spectassent, inter quos erat Cardinalis Augustanus <sup>1</sup> cum pluribus Episcopis, et Comes Montorius <sup>2</sup> Summi Pontificis nepos (qui in palatium reversus omnia Pontifici retulit), omnes et voluptate simul perfusi et admiratione affecti sunt, cum puerorum industriam illa in actione considerassent: et gravium virorum consensu dignus habebatur dialogus qui in lucem ederetur <sup>3</sup>; et multi legendi, alii etiam exscribendi copiam petierunt.

39. Ante dialogum tres orationes breves habitae sunt in tribus linguis; graecam autem quidam ex nostris natione graecus peroravit; hebraicam, puer quidam ex discipulis natione hebraeus, qui ad Christianam Religionem nuper fuerat conversus. Haec omnia existimationem collegii magnopere augebant, non solum quod ad eruditionem attinet, sed etiam quod ad institutionem juventutis in litteris simul ac moribus.

40. In spiritualibus etiam tam Romae quam in locis vicinis multa praestare poterant collegiales, cum triginta hoc anno sacerdotes ibi fuerint, et quidem decem ex eis promoti sub ejus finem. Et quia ex omnibus nationibus christianorum Romam multi veniebant, cum ad suos redibant, bonum odorem vitae spargebant; et ita ex diversis regnis vel collegia vel universitates Societati offerebantur. Et quia in eodem collegio praeter

<sup>1</sup> Otto Truchsess de Waldburg.

<sup>2</sup> Joannes Caraffa, Dux di Pulliano anno sequenti creatus. Vide *Cartas de San Ignacio*, t. iv, pag. 118.

<sup>3</sup> Ms. habet sic: *et gravium virorum consensu gravis habebatur dialogus qui in lucem ederetur*; sed emendandum videtur ut nos fecimus. Dialogi auctor fuit P. Andreas Frusius, et quamvis nihil certi affirmare possimus, valde suspicamur eum dialogum tandem typis, ut petebatur, excussum esse: plura enim exempla, quam ut commode manu scribi possent, per Societatis Collegia distributa sunt, ut videbitur in *Nova Serie litterarum Sancti Ignatii*.

Italos, Hispanos et Lusitanos, Galli, Flandri, Germani, Bohemi, Dalmatae et Graeci etiam erant, (in qua diversitate, diversitatem ejusdem <sup>1</sup>, multi unionem spiritus et mutuam omnium inter se dilectionem mirabantur) seminarium quoddam, ad eas omnes nationes aliquando juvandas, parari videbatur; et videbatur divina providentia ex septentrionalibus locis multos ad Societatem, qui Romam veniebant, vocare.

41. Venerant, Collegii Germanici fama provocati, undecim aut duodecim bohemi scholastici, qui domi nostrae excepti fuerunt <sup>2</sup>, et quia tunc collegium Germanicum subsidio Pontificis erat destitutum, non videbatur expedire ut facile tam multi in illud admitterentur. Interim quidam ex nostris vicinarum nationum eos alloquuti sunt; et partim ab eis moti, partim quod Societatis erga se studium agnoscebant, et quod primo loco dictum oportuit, quod eos Dominus hac ratione ad statum perfectiorem vocaret, omnes simul Societatem sunt amplexi. Inter hos fuerunt P. Balthasar Ottovinus <sup>3</sup> et P. Vincislaus <sup>4</sup> et alii <sup>5</sup>, qui utilem operam postea Ecclesiae navarunt. Sex etiam Germani ex variis provinciis ad idem Collegium Germanicum non vocati veniebant, et simili ratione ad Societatem ingredi constituerunt. Aliqui tamen ex utrisque, qui forte humana potius ratione, quam divina vocatione hoc Institutum susceperant, ab eo post aliquot annos, cum in studiis profecissent, defecerunt <sup>6</sup>.

42. Quod attinet ad hujus collegii <sup>7</sup> dotationem, quam diximus <sup>8</sup> morte Pontificis Julii impeditam fuisse, cum Cardinalis Puteus <sup>9</sup> jam negotium litterarum apostolicarum conficienda-

<sup>1</sup> Verba haec *diversitatem ejusdem* redundare videntur.

<sup>2</sup> Nullibi horum nomina reperire valuimus, nisi ea quae immediate scribit Polancus; sed vix dubium esse potest quin eorum aliqui sint illi bohemi, Andreas, Joannes, Vitus, Lucas, quos refert *Catalogus eorum, qui de Societate Jesu Romae versantur sub finem mensis Maij anno M. D. LXI*, editus a P. Sommervogel.

<sup>3</sup> Balthasar Hostovinus (*Hostounsky*), natus Hostomitz in Bohemia anno 1535.

<sup>4</sup> "Wenceslaus Sturmius, et ipse Tina civitate oriundus, vir summis dotibus validus." SCHMIDT, *Historia S. J. Provinciae Bohemiae*, lib. II, n. 19.

<sup>5</sup> "Andreas Piessinus, Wolfgangus, omnes patria Tinenses: denique Joannes Labra; qui omnes postea theologiae magistri ac Doctores exstiterunt." *Id.*, *ibid.*

<sup>6</sup> "Entrarão (de Bohemais loquitur) nella [Companhia] com tã bõs desejos que dous somente não perseverarão." P. LUDOVICUS GONZALEZ DA CAMARA, in *Codice Alguas consas*, etc., ms.

<sup>7</sup> Romani.

<sup>8</sup> *Supra*, pag. 12, n. 14.

<sup>9</sup> "Jacobo del Pozzo, nobile d'Alessandria, ma nato in Nizza di Provenza, da Uditore del Cardinale Accolti fatto da Paolo III Uditore di Rota dove fu Decano, indi da questo



rum ' suscepisset, nihil cum Pontifice Marcello actum est, tum quia pauci dies illi, quibus vixit, non erat de hujusmodi negotio inter tam multas ejus occupationes tractandum; tum quod sponte sua non hoc tantum, sed et alia collegia fundaturus pro sua benevolentia et charitate in Societatem videbatur.

43. Assumpto autem ad Summum Pontificatum Paulo IV, judicabat P. Ignatius expedire, ut denuo Rex Angliae et Hispaniarum Rex Philippus scriberet Summo Pontifici, et ab eo postularet confirmationem annui redditus, quem ejus praedecessor Julius tertius, Romano Collegio promiserat; sed loco reservationis duorum millium ducatorum super hospitalia data in *commendam*, in quibus non exercebatur hospitalitas in Italia et Sicilia \*, commodiorem aliquam assignationem peti posse insinuabat.

44. Nec solum ea de re ad primarios aliquos ministros Regis scripsit, praeter ipsum Regem (ut Dominis Ruigomez et Gundisalvo Perez, Secretario \*) sed et P. Bernardum Oliverium, qui in Belgio versabatur, in Angliam transire cum his litteris jubebat †, nisi ejus ‡ adventus in Belgium brevi expectaretur. Nam a patre Imperatore evocari dicebatur, ut illi regna sua ac dominia resignaret.

45. Accedebat etiam ad hoc Collegii Romani negotium, quoddam aliud Limericensis Episcopi Hiberni §, et tertium quod

---

Pontefice (Guilio III), che fin da Cardinale era suo amico intrinseco, Arcivescovo di Bari nel 1550, e dopo un'anno Prete Cardinale di San Simone., *Novas*, l. c., t. vii, pag. 75.—Is familiariter utebatur Polanco et Societati favere semper studuit.

† Intellige litteras apostolicas, quibus Julius III annuos redditus perpetuos Collegio Romano assignaturus erat. Vide supra, n. 10 et infra, n. 43.—Confectae hae litterae videntur eisque nihil aliud defuisse quam Pontificis subscriptionem et plumbeum sigillum. "A 17 del mismo (Febrero), yendo el Padre (Ignacio) para la villa..... 2.º No quiere agora hacer nada en este negocio (decreti Parisiensis) hasta que las bullas de la dotacion del Collegio sean plombadas.—De la dotacion. Quería o Papa Julio 3.º fundar e dotar o nosso Collegio Romano, mais não veo a effeito por sua morte (come aconteece polla de Marcelo 2.º, que també o quísera fundar). E porque ao tempo que N.º P.º se occupava na expedição das bullas desta fundação chegou a Roma o recado do negocio de Paris, dilatou o até se acabar o que trazia entre mãos; porque não costumava nunca tratar juntamente duas cousas de importancia por se entregar todo a cada hũa dellas.", P. LUDOVICUS GONZALEZ DA CAMARA, l. c.—Plura etiam in Polanci, *ex com.*, datis litteris primis hujus anni mensibus.—Vide etiam infra, n. 49.

‡ Vide supra, n. 10, et *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 239.

§ Ignatii litterae ad Gundisalvum Perez sunt in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 241.

¶ De his plura infra, cum de Collegio Lovaniensi agetur.

§ Philippi II.

¶ "Di alcune cose appartenenti al Vescovado Limericense in Ibernia abbiamo con-

magis P. Ignatium urgebat; scilicet, Domini Joannis de Mendoza, qui cum hoc anno Romam ad Societatem venire vellet, visum erat P. Salmeroni, inconsulto P. Ignatio, id fieri non debere; et cum esset praefectus Castelli novi Neapolitani <sup>1</sup>, censuit P. Ignatius non debere ipsum ab arce recedere, donec Rex Philippus certior factus (nam jam Neapolis Rex a patre, ut diximus <sup>2</sup>, effectus erat) id probaret. Sed cum ex Anglia ad Imperatoris Curiam Bruxellas Rex Philippus venisset, non necesse fuit in Angliam ad haec negotia tractanda navigare <sup>3</sup>.

46. Non omisit interim P. Ignatius quin tentaret Summi Pontificis animum, qui multis verbis honorifice admodum de Societate loqui solitus erat, et ejus doctrinae et integritati multum tribuebat. Cum etiam idem Pontifex quibusdam ex nostris, qui ad ipsius pedes deosculandos accesserant, multum humanitatis exhibuisset, et inter alios eidem P. Ignatio <sup>4</sup>, eundem non multo post ad se vocari jussit <sup>5</sup>, et significavit ei a quodam Cardinale <sup>6</sup> se audivisse quod P. Natalis in Germania magno cum fructu versaretur (redeunte siquidem Cardinale Morono, aliquot menses exegit in Germania, ac praecipue Viennae, antequam in Italiam rediret). Sed et aiebat, se noluisse hoc <sup>7</sup> concedere, donec ipsius P. Ignatii sententiam audisset. Multa etiam eidem Patri de suo desiderio Germaniam adjuvandi dixit; et ita inter ipsos convenit, ut P. Natali scriberetur ne usque ad Octobrem inde recederet; quod cum statim scripsis-

ferito col Rmo. Cardinal Morone e a pieno informerà V. S. Rma. M. Bernardo nostro., *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 391.—De his nihil apud Hogan, *Hibernia Ignatiana*; aliqua prodibunt in *Nova Serie litterarum Sancti Ignatii*.

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 176, n. 371, et pag. 187, n. 400.

<sup>2</sup> Supra, t. iv, pag. 187, n. 399.

<sup>3</sup> Confirmatur his quod conjectando tantum dictum est de Patris Bernardi Oliverii in Angliam profectione in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 272, annot. 3.

<sup>4</sup> "Quem primum ex nostris vidit (Paulus IV), postquam ad Pontificatum est assumptus, fuit M. Nicolaus Bobadilla, quem amplexus, et osculatus est, ac plurimis verbis suam benevolentiam significavit.", *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 402.

<sup>5</sup> "Ayer, dia de San Juan, que me envié á llamar.", *Ignatius Regi Romanorum. Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 234.

<sup>6</sup> Cardinalis, scilicet, Augustanus, Otto Truchsess. Vide annot. seq. et infra, n. 47.

<sup>7</sup> Oblitus est Polancus, vel praetermisit librarius, scribere quid hoc esset, quod Pontifex concedere noluit donec ipsius Patris Ignatii sententiam audisset. Verum et innuitur infra et notum est ex litteris supra relatis (*Cartas de San Ignacio*, t. v, pags. 401 et 402): "Cum Rmus. Cardinalis Augustanus (Otto Truchsess) ab eo (Pontifice) contenderet ut Doctorem Hieronymum Natalem a Julio III bon. mem. ad Diaetam augustanam cum Legato missum, in ea natione manere, cui utilissima ejus opera erat, juberet, negavit se prius facturum quam cum P. N. Praeposito rem conferret...."

set P. Ignatius, litterae nihilominus cum in Germania non invenerunt, quia jam in Italiam, rebus quae ipsi agendaerant, expeditis, redierat.

47. Tum P. Ignatius de quibusdam gratiis magni momenti, quae a Rege Romanorum Ferdinando expetebantur, egit cum eodem Summo Pontifice, quas omnes amanter ille concessit; et tanto honore P. Ignatium afficiebat, ut praeter morem Pontificum, non nisi capite aperto eum loqui secum permitteret; et coram multis externis cum ipso deambulabat <sup>1</sup>. Cum etiam postea per Cardinalem Saracenum <sup>2</sup> gratia quaedam a Summo Pontifice postularetur (erat is Pontifici gratissimus et initio Pontificatus omnia per ejus ministerium agebantur), rem illam totam commisit P. Ignatii judicio. Agebatur autem de quadam commutatione <sup>3</sup>. Et cum Cardinali Augustano sic de P. Ignatio et de Societate loquutus est, ut diceret idem Cardinalis, rem exaggerans, quod, si quando favore aliquo indigeret apud Pontificem, recursum ad Patrem Ignatium esset habiturus.

48. Cum ergo haec et alia signa suae benevolentiae Pontifex ostenderet, tentavit ejus animum P. Ignatius, quod ad foundationem attinet Collegii Romani; et accidit opportune, ut quidam vir nobilis hispanus ab Imperatore missus esset ad Summum Pontificem salutandum et congratulandum [de] ejus electione. Cui quamvis non esset hoc nominatim commissum, generali tamen commissione utens quam ab utroque <sup>4</sup> habebat, negotium Romani nostri Collegii officiose admodum Summo Pontifici nomine utriusque Principis commendavit. Et responderat Pontifex, se operibus velle bonum affectum, quem erga Societatem nostram habebat, ostendere.

49. Postea aliqui Cardinales alloquuti sunt Pontificem ea de re; et significavit Pontifex, velle hoc opus amplecti; et jussit ad se adferri summam concessionis Julii tertii (quam *minutam* vocant) <sup>5</sup>; sed assignationem sibi non placere ostendit, et aliam

<sup>1</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 292 et 402.

<sup>2</sup> Joannes Michael Saraceni, seu Sarracino. Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 285.

<sup>3</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. iv, pag. 370, et t. v, pag. 234, 292, 298 et 583-588, et BRAUNSBERGER, *Epistolae et Acta B. Patris Petri Canisii*, t. i, praesertim pag. 476, annot. 3.

<sup>4</sup> Scilicet Imperatore ejusque filio Philippo. Vide supra, pag. 23, n. 85, annot. 2.

<sup>5</sup> Vide supra, pag. 23, n. 42.

melio<sup>1</sup>rem esse quaerendam. Non displicebat id P. Ignatio, aucto valde collegialium numero (nam ad centum et triginta P. Ignatius ascendere voluerat): nam numeri rationem Pontifex habiturus in quantitate dotationis videbatur <sup>1</sup>.

50. Sed demum nihil eorum, quae suggerebantur Pontifici in hac parte, probabat; unde facile conjici poterat, non libenter eum collegii hujusmodi dotationem esse facturum; et ita minus in dies subsidii temporalis ab eo sperabatur; et quamvis quatuor illa ducatorum millia, quae P. Natalis anno praeterito per Comit<sup>2</sup>em Melitensem miserat, recuperata essent <sup>3</sup>; et alia quingenta, quae vel ille vel ejus gener, dominus Ruigomez, adjecerat, propter dispendium, quod passum erat Collegium (quod multos menses haec solutio dilata fuerat); omnia jam expensa erant et census collegii venditi: nec mirum, cum hoc anno tam cara esset annona, ut saccus frumenti ipso Augusto mense octo aureis emeretur <sup>4</sup>; et tamen non solum domus et collegium nostrum, sed et germanicum etiam, ut diximus, prope destitutum <sup>5</sup>, humeris Societatis incumberet: et cum ex nostris in domo professorum et collegio fere centum et octoginta hoc autumno essent, quadraginta alii vel quinquaginta in hoc Germanico Collegio erant sustentandi; et conductitiae domus utriusque collegii [pretium] fere ad quingentos aureos ascende<sup>6</sup>bat. Quae Romae ex eleemosynis haberi poterant, ad quartam partem rerum necessariarum non ascende<sup>7</sup>bant; et ita sex vel septem millia ducatorum aeris alieni contracta sunt, nec ulla ratio humana sine peculiari Dei auxilio ad haec opera sustentanda sufficere videbatur. Sed omnium reddituum loco, spes in solo Deo collocata erat, cujus honor in augmento harum trium domorum quaerebatur.

51. Sed Dominus videbatur plurima bona ingenia ex Anglia et Hibernia, Prusia, Gotia, Dania, Slesia, Bohemia, Moravia et aliis Germaniae provinciis, vel ad Societatem nostram <sup>8</sup>

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 10, n. 10.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 475, n. 1008.

<sup>3</sup> Saepius Polancus litteris toto hoc anno scriptis, ut tum nostrorum, praesertim qui in Sicilia versabantur, tum etiam externorum liberalitatem excitaret, talem Romae annonae difficultatem esse ait ut frumenti saccus (*il rubbo di grano*, quod etiam *ruggio* a Polanci librariis scribitur), qui quatuor jullis constare solebat, vix octo jullis possit haberi.

<sup>4</sup> Supra, pag. 10, n. 10.

<sup>5</sup> Quinam ex his regionibus Societatem hoc tempore ingressi sunt aperiemus, cum

vel ad Collegium Germanicum mittere, et utriusque collegii dotatio a Julio III facienda probabiliter credebatur. Unde non sine ratione augendae multitudinis occasio data est. Ipse etiam Papa Marcellus haud dubie, si vivebat, utrumque egregie dotaturus credebatur: et, semel evocatos, dimitti ex Urbe in suas provincias non sine aedificationis detrimento fieri potuisset, qui potius erga Sedem Apostolicam ut bene afficerentur curandum erat.

52. P. ergo Ignatius, qui in Deo sperare didicerat, nec ipsi difficilius esse sustentare multos quam paucos intelligebat; nihilominus ne omitteret quod in ipso erat facere, praecipuos ex domesticis evocari jussit <sup>1</sup>, et cum ipsis contulit hoc negotium collegialium; et demum quod in ipso esset facere decrevit, ut undecumque auxilia ad hos alendos, quos miserat Dominus, habere curaret; et haec fuit una ex praecipuis causis cur P. Natalem, qui sub initium autumnus Romam venerat, in Hispaniam secundo mitteret, (quamvis a multis alioqui optatus et litteris expetitus fuerat) ut Patrem Franciscum, commissarium <sup>2</sup>, in his quae ad Collegii Romani sustentationem pertinerent, adjuvaret; quamvis is <sup>3</sup> ex Germania paulo ante itineribus fatigatus venisset. Illud etiam movit, ut in his quae ad constitutiones inducendas in praxim [pertinebant] et in nostris ad professionem admittendis et collegiis ad normam nostrarum regularum exigendis, Patrem eundem Franciscum adjuvaret <sup>4</sup>.

53. Electus quidem fuerat idem P. Natalis omnium domesticorum consensu, anno proxime praeterito, ut ipsius Patris Ignatii vices gereret <sup>5</sup>; sed haec auctoritas (quae eadem erat cum illa, quam P. Ignatius habebat) suspensa illi fuit pro eo tempore, quo in Hispania versaretur. Cum enim Commisarius super quatuor illas provincias P. Franciscus Borgia constitutus esset, non videbatur alia potestas necessaria. In his tamen, quae

---

eorum catalogum texemus, qui ante S. Ignatii obitum Societatis Institutum amplexi sunt. Quod ad Angliam et Hiberniam spectat, aliqua habes in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pags. 218 et 249.

<sup>1</sup> Hi fuere PP. Laynez et Christophorus de Madrid et ipse Polancus. RIBADENEIRA, *Vida de San Ignacio*, lib. v, cap. xi, ubi haec pulchre narrat.

<sup>2</sup> Patrem Franciscum Borgia in Hispania et Lusitania Commissarium.

<sup>3</sup> Scilicet, P. Hieronymus Natalis.

<sup>4</sup> Vide infra, nn. 603-624.

<sup>5</sup> Praetermisit haec anno 1534 POLANCUS; sed vide ORLANDINI, *Hist. Soc. Jes.*, lib. xiv, n. 17.—Quaedam tunc ordinata ut Patris Ignatii labor minueretur et valetudinis ejus major cura haberetur, dabit *Nova Series litterarum Sancti Ignatii*.

ad subventionem Collegii Romanii pertinebant et in aliis quibusdam casibus particularibus, quos ejus instructio continebat, et haec erat cum P. Francisco conferenda, auctoritatem acceperat: et cum subscriptiones aliquas Patris Ignatii secum ferret, super illas scribere, quod videbatur, poterat in his, quae P. Ignatius ipsi significaverat: et ita credendum esse ipsi suis litteris 21.<sup>a</sup> Octobris datis testatus est <sup>1</sup>.

54. Ex ipso Collegio Germanico quidam per collegia nostra distributi fuerunt, ut litteris operam darent. Aliqui[bus], qui ex honestis ex causis id expetebant, redire in suas provincias permissum est, convenienti viatico illis curato. Ex nostris multi etiam ad varias provincias et collegia missi fuerunt, adeo ut duobus mensibus hujus autumnii fere centum [Urbe excesse rint], <sup>2</sup> nec propterea pauci ex nostris Romae manserunt; nam centum et quinquaginta Romae relictii sunt ex nostris, praeter germanos, quorum minor quidem numerus quam prius, sed non exiguus admodum erat hoc anno <sup>3</sup>.

55. Inter ea media, quae Patri Francisco Borgiae occurrerant, illud unum fuit, ut singula collegia singulos scholasticos in hoc Romano Collegio, tanquam universali, alerent; nec fuit illud improbatum, etsi exequutio difficilis videbatur: et Romae, non tam hominibus missis, quam sustentatione Societas indigebat, nisi forte qui mitterentur egregiis dotibus, ut communi bono servirent, praediti essent. Alterum medium idoneum visum est; ut scilicet, redditus quidam mille ducatorum et paulo amplius, qui ad vitam P. Francisco ab Imperatore datus fuerat, et ad quinque annos post ejus professionem ab eodem Imperatore in Romani Collegii utilitatem fuerat concessus <sup>4</sup>, ad alios quinque annos prorogaretur. Et cum dubitaret P. Franciscus, an id expetere liceret, cum regium patrimonium esset exhaustum, scrupulum hunc P. Ignatius exemit; quamvis si ejus loco pensionem aliquam majorem collegio Rex <sup>5</sup> concessisset, admitti

<sup>1</sup> Instructionem et litteras, quarum hic meminit Polancus, habes in *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 21-32.

<sup>2</sup> Vel *Romam reliquerint*, ut habet SCHROEDER in opere infra memorando.

<sup>3</sup> De Germanici collegii alumni quibusdam hoc anno per Italiae et Siciliae collegia dispersis, cf. *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pags. 127-129, et 450-451, et recentissimum opus Patris FRIDERICI SCHROEDER, *Monumenta, quae spectant primordia collegii Germanici et Hungarici*, pag. 264-268, Monum. 58 et 59.

<sup>4</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. iv, pag. 311 et seq., et t. v, pag. 24, 113, 160 et 198.

<sup>5</sup> Rex Philippus II.

posse videbatur. Fuit autem hoc subsidium ad alios quinque annos facile a Rege impetratum.

56. Sed et Rex Romanorum, Ferdinandus, qui intellexit bohemos illos subditos suos Romae fuisse exceptos <sup>1</sup>, et collegium nostrum penuria laborare, hoc ipso anno constituit quadringentos aureos singulis annis persolvendos: et ita ipsi, quamdiu ipse vixit, Romae recuperati fuerunt. Reliqua, quae non ex redditibus cujusquam collegii, sed vel ex privatis patrimoniis eorum, qui bonis suis juvare Societatem volebant, et ex elemosynis curata fuerunt; et maxima pars, primis annis consequentibus ex Hispania missa, fuit a P. Francisco, quandiu fuit Commissarius, curata <sup>2</sup>.

57. Agebat hoc tempore idem Romanorum Rex de Collegio Pragae instituendo <sup>3</sup>, et expedire visum est Patri Ignatio, ut scriberet Summo Pontifici Paulo IV <sup>4</sup>; et haec mens esse videbatur in hujusmodi litteris: ut occasionem haberet Pontifex videndi quod summis Principibus christianorum Societatis ministerium gratum erat, cujus opera, in novis collegiis instituendis et in aliis functionibus, suas provincias indigere significabant; ut minus mirum esse videatur quod Paulus IV, Summus Pontifex, non esse Societatem nostram facile molestandam ju-

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 23, n. 41.

<sup>2</sup> De his aliqua jam videre licet in *Cartas de San Ignacio*. Plura dabuntur in *Nova Serie* et dum litteras edemus Patrum Francisci Borgia et Hieronymi Natalis.

<sup>3</sup> Vide supra, t. iv, praesertim pag. 21, n. 23.

<sup>4</sup> Ignatii litteras ad Regem Romanorum, in quibus eum rogat ut ad Pontificem de Pragensi Collegio scribat, siquidem id Ignatius per litteras praestitit et non per Patrem Canisium, aut Cancellarium Jonam, aut Labacensem Episcopum, aut tandem per Ferdinandi legatum in Romana curia, non vidimus; sed alias, in quibus eum hortatur ut gratias Pontifici agat et Cardinali Saracino pro his quae, Ignatio intercedente, concesserat Pontifex Ferdinando. *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 258 et 266.—De Ferdinandi litteris ad Pontificem haec BRAUNSBERGER, *Epistolae et Acta B. Patris Petri Canisii*, t. i, pag. 765, Monum. 117: "Ex commentario epistolae (nondum editae) Ferdinandi, quod est Viennae in archivio aulae caesareae "Romana 1553., *Ferdinandus I Paulo IV, Augusta V Septembris 1555, refert se Pragae collegium Societatis condere coepisse, et Ignatium duodecim sibi Socios promississe. Ideo Pontificem rogat, ut illos statim mittendos curet.*"—Quid his acceptis litteris egerit cum Ignatio Pontifex, refert ex *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 340-342. 414-415. Idem BRAUNSBERGER, l. c., Monum. 118.—Et ipse, pag. 766, Monum. 120: "Ex litteris Pauli IV, quas edidit Raynaldus in "Annalibus Ecclesiasticis," t. xxi, a. 1553, n. 50: Paulus IV Ferdinando I, Roma 7 Octobris 1553: Se quam maxime laetari quod rex Pragae Collegium Societatis constituere velit. Sed quia duo illi theologi ex longinquiore locis accersendi sunt, et hyems jam subest, eorum missio in proximum mensem Februarium dilata est."—Tandem vide in *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 638 et 639, quod ipse BRAUNSBERGER colligit in Monum. 121.

dicaret, cum commendatione <sup>1</sup> Imperatoris Caroli, Regis Angliae Philippi, Regis Romanorum Ferdinandi, Regis etiam Joannis Portugalliae, qui pro sua charitate serio res Societatis eidem Pontifici commendaverat, alii etiam Principes, tam ecclesiastici quam saeculares, eam sibi pergratam esse multis modis significabant, et nostri instituti aliquos ad se mitti postulabant. Multa etiam ipsemet Pontifex per se noverat.

58. Et tamen, ut occasionem ipsi adimeret P. Ignatius immutandi quicquam quod ad nostrum institutum pertineret, sponte sua hoc ipso anno constituit, ut vespertinum officium in ecclesia nostra diebus dominicis et festis cantaretur; sic videbatur contentus fore Pontifex, nec chorum alium a Societate expetiturus. Cum autem, re tractata cum quibusdam ex primoribus Societatis, qui Romae versabantur, judicatum fuisset huiusmodi cantum inducendum esse, qui nostris constitutionibus non repugnaret, rationem cantus ipsemet P. Ignatius sibi reservavit, et constituit ut in cantu figurato (quem *falsum bordonem* <sup>2</sup> vocant) caneretur ad maiorem populi aedificationem. Et quamvis haec ratio cantus constitutionibus minus consonet, qui eas condiderat, Romae dispensandum esse censuit; et invitabat eum, quod essent multi tum in collegio nostro, tum in Germanico et ex septentrionalibus scholasticis, qui cantus rationem egregie tenerent <sup>3</sup>.

59. Venerat P. Jacobus Laynez Romam, quem Summus Pontifex peculiari affectu diligebat, et eum in palatio habitare apud se voluerat, et habitationem ipsi paraverant atque ornaverant. Cum autem ipse, ut obediret, in palatium se contulisset et unam ibi noctem exegisset (mane domum rediit), satisfactum obedientiae existimans, quod semel ibidem pernoctasset; nec

<sup>1</sup> Sic; cum praeter commendationem?

<sup>2</sup> Hispanice *fabordon*, Italice *fabordone*, gallice *faux-bourdon*. "Ce mot, dont l'étymologie est très incertaine, désigne en musique une espèce de contrepoint vocal, note contre note, réalisé généralement sur un plain chant syllabique d'après les règles harmoniques en usage à l'époque où il a été composé. L'apparition du faux-bourdon remonte à l'époque des premières manifestations de l'harmonie. Les chanteurs d'Avignon l'introduisirent en Italie quand la cour pontificale revint à Rome." Ch. Bordes, in *La Grande Encyclopédie*, t. xvii, pag. 71.

<sup>3</sup> Paucis post annis alumnorum in Collegio Germanico *chorus* inter insigniores Urbis habebatur et ab insignioribus musicae professoribus regebatur, sc., Ludovico de Victoria et aliis. Vide STEINMEYER, *Geschichte des Collegium Germanicum Hungaricum in Rom.*, lib. II, cap. viii.—Vide etiam PROELL, *La música religiosa en España*, an. 12 et 18, pag. 177 et seq.



videtur in malam partem id accepisse Pontifex, a quo cum Nuncius apostolicus in Germaniam mittendus <sup>1</sup> nominatim hunc Patrem postulasset, et ipse concessisset, cum quaedam paulo post ad commune bonum pertinentia incidissent, in quibus videbatur Pontifici opera ipsius P. Laynez opportuna, revocavit quod Nuncio concesserat, et jussit ut Romam veniret P. Laynez. Et quia Florentiae Ducissa <sup>2</sup> sollicitè curabat eundem ad se mitti, Summus Pontifex expresse dixit ne ex Urbe recederet; etiam si ipsius nomine diceretur; quia haec erat ipsius voluntas, ut non recederet; et suae obedientiae eum immediate reservavit.

60. Cum autem de eodem P. Laynez in Cardinalem creando ageretur, a qua dignitate et ipse aversum habebat animum, et voto contrario juxta constitutiones firmatum, et P. Ignatius nulla ratione id expedire sentiebat, diligentia non mediocris adhibita est ut id non fieret. Et in primis ab ipsomet P. Laynez litterae scriptae fuerunt manu propria, quibus testabatur, se postquam ea intentione saepius Missam celebrasset, ac Domino se commendasset, quod coram Domino inhabilem ad talem gradum se esse intelligebat, et quod melius divinae Majestati et ejus Ecclesiae et Summo Pontifici inserviturus esset in sua vocatione perseverando; et quia timebat suggestionem esse daemónis, qui contrarium suaderet; P. Ignatium rogabat ut quacumque ratione posset id impedire niteretur <sup>3</sup>. Deinde cum aliquo ex amicis Cardinalibus actum est, ut si pergeret hujusmodi negotium et Summi Pontificis voluntas perseverare videretur, quacumque ratione posset impediret. Et aliqua etiam P. Ignatius ulterius meditabatur <sup>4</sup> et ipsemet P. Laynez, si non intel-

<sup>1</sup> Zacharias Delfinus, quem Paulus IV Roma 18 Decembris 1555 Ferdinando I scripserat se iterum ad eum mittere nuntium. RAYNALDUS, *Annales Ecclesiastici*, t. XXI, a. 1555, n. LI; BRAUNSBURGHE, l. c., pag. 591; Polancus supra, t. IV, pag. 16, annot. 2.—De hac re nihil habet BOERO in *Vita del servo di Dio P. Giacomo Laines*; quaedam nos dabimus in *Nova Serie litterarum Sancti Ignatii*.

<sup>2</sup> Eleonora de Toledo, de qua saepius supra et infra.

<sup>3</sup> Tria sunt harum litterarum exempla, quas P. Laynez scripsit ut a se hanc dignitatem averteret. Primum Patri Ignatio lingua hispana totum manu Patris Laynez, qui etiam nomen suum subscripsit. Sunt tamen in eo pauca verba inserta a P. Polanco. Alterum manu, ut videtur, Patris Joannis Philippi Vito, Cardinali Ottoni Truchsess, lingua italica, sed sine subscriptione. Tertium brevissimum lingua item hispana et Polanci manu, in quo pauca verba addidit manu propria Laynez, quamvis nomen suum non subscripsit. Datae sunt ternae hae litterae *De casa d 19 de Diciembre de 1555*.

<sup>4</sup> "Y el año 1555 en el mes de Octubre, sabiendo que el Papa Paulo IV quería en todas maneras hacer Cardenal al Padre Maestro Laynez, me dijo Nuestro Padre que si lo fuese, lo sería de suerte que el mundo entendiese cómo la Compañía aceptaba tales dignidades." RIVADENEIRA, *Vida de San Ignacio*, lib. III, cap. 15.—"Percioclhè il Santo

lexissent hujusmodi negotium apud Summum Pontificem refriguisse <sup>1</sup>.

61. Accepit P. Ignatius a Cardinale Polo, Angliae Legato, litteras, quibus ipsum inter cetera admonebat, quod Regina Angliae grvida esset, ut partus ejus Domino commendaretur <sup>2</sup>; et omnino tumor quidam ventris huic opinioni occasionem dedit; quam tempus ipsum facile non veram esse, cum magno incommodo illius regni, ostendit.

62. Venerunt hac aestate eodem tempore tres legati Regis ac Reginae Angliae utriusque et totius regni nomine obedientiam Summo Pontifici Christi Vicario offerentes, qui magna consolatione totam hanc Sedem Apostolicam repleverunt <sup>3</sup>. Et dicebat ipse Pontifex P. Ignatio, in afflictis his Occidentis et Septentrionis provinciis, vel per bella, vel per haereses et alias calamitates, vix oculos converti posse ad aliam provinciam, quae amatori universalis boni Ecclesiae et gloriae Dei solatio esset, quam ad Angliam.

63. Respondit autem Cardinali P. Ignatius et vicissim admonuit quod a Legato Regis Portugalliae audierat, quod Patriarcha Alexandriae obedientiam Summo Pontifici Romano etiam misisset; quamvis quaedam ab illis Patriarchis minus sincere et constanter, quam par erat, oblata Sede Apostolicae, vel saltem observata fuerunt. Et si quos vellet scholasticos anglos in Collegio Germanico vel nostro instituendos mittere, se libenter eos excepturum scripsit <sup>4</sup>. Unus autem ex his legatis Angliae, qui Romae suorum Principum nomine substitit, cuidam ex nostris confiteri coepit et in eo perseveravit <sup>5</sup>.

disse ad un Padre queste esprese parole: Forse fra pochi di hauremo Cardinale Lainex: il che quando sia io ne farò tal romore, che s' intenderà da tutto il mondo come la Compagnia accetti le dignità., BARROLI, *Della Vita di S. Ignazio*, lib. III, n. 29.—Gratum quid omnibus fecisset Polancus, id, quod Ignatius, si ad Cardinalatum fuisset promotus Laynez, facere intendebat, aperiendo Verum fortasse nec ipse Ignatius id aperuit.

<sup>1</sup> Vide Patris Laynez litteras ad Sanctum Ignatium datas die 13 Decembris 1555, quas italicè edidit P. BOËRO, *Vita del servo di Dio, P. Giacomo Lainex*, § XIII.—Eae sunt, quarum primo loco meminimus supra, pag. 34, annot. 3.

<sup>2</sup> Vide has litteras apud QUIRINI, *Epistolae Reginaldi Poli, S. R. E. Cardinalis*, t. v, pag. 119, et in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 425.

<sup>3</sup> "Decreti quidem fuerant oratores ad Julium III, quo e vivis sublato, Philippus et Maria, Angliae Reges, easdem litteras mutato Pontificis nomine renovarunt., RAYNALDI, *Annales ecclesiastici*, ann. 1555, n. xxv.—Cf. etiam *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 221.

<sup>4</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 19-23.

<sup>5</sup> Romae substitit Eduardus Carne. LINGARD, *History of England*, t. III, c. 8.—

64. Hoc tempore janua aperta est quodammodo ad convictores in Collegio Germanico admittendos; nam P. Natalis, qui quarta die Julii Venetias ex Germania pervenerat, significavit P. Ignatio complures esse germanos, qui libenter filios suos ad Germanicum Collegium missuri erant cum iis, quae ad expensas ipsorum essent necessaria, si sine obligatione ad ecclesiasticos ordines suscipiendos ibi admitti possent; quae res cum P. Ignatio probata esset, P. Canisio eos mitti posse scriptum est, si tamen quae ad ipsorum sustentationem convenirent, certo mittenda essent; et eo numero, ut domus separata cum ministris accipi posset; et daturam esse Societatem nostram aliquos de nostrorum numero, qui eorum regendorum et instituendorum in litteris et moribus curam susciperent <sup>1</sup>.

65. Sed quod tunc de germanis et in domo separata tractabatur, annis sequentibus in aliarum nationum adolescentibus et in ipso collegio Germanico executionem habuit: nec enim hujusmodi juvenes tunc missi fuerunt; sicut nec alii 49 scholastici germani <sup>2</sup>, quos Ferdinandus Romanorum Rex Nuncio Apostolico <sup>3</sup> et P. Natali se missurum ad Collegium Germanicum dixerat, Episcopis suarum ditionum injungendo, ut partem rerum necessariarum ad eorum sustentationem solverent; et partem Rex ipse solvere constituerat. Et libenter eos se excepturum scripsit P. Ignatius, quamvis bono ingenio hujusmodi adolescentes praeditos esse debere, et certam habere ad sui sustentationem aliquam, quae sufficeret, pecuniarum summam admonuit. Hoc ergo, inter alia bona opera, impeditum fuisse videtur daemonis vel ministrorum ejus industria, nec enim Romam hujusmodi scholastici, quamvis cum aedificatione hujus curiae Regis deliberatio audita esset, venerunt.

66. Tam Nuncio Apostolico, qui ad diaetam Augustanam mittebatur, quam ei, qui in Poloniam destinabatur, aliqui ex nostris, ut superius diximus, adjungendi erant; sed visum est deinde Summo Pontifici, unum et eundem utrique missioni pos-

Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 222, et DELPLACE, *L'Angleterre et la Compagnie de Jésus avant le martyre du B. Edmond Campion*, in *Précis historiques*, t. xxxix, pag. 282.

<sup>1</sup> Continentur haec litterae a Polanco, *ex com.*, datis Patri Petro Canisio 16 Junii 1555.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 25, n. 41, et infra, n. 698, ubi hi quadraginta et octo numerantur.

<sup>3</sup> Idem, qui supra, Zacharias Delfinus, priusquam ad tempus a Paulo IV revocaretur. Vide BRAUNSBERGER, l. c., pag. 552. annot. 1, et infra in hoc *Chronico*, n. seq.

se satisfacere; et ita P. Alphonsus Salmeron, Romam evocatus, Nuncium Apostolicum, ad Augustanam diaetam missum, comitari jussus est et inde in Poloniam progredi post praedictae diaetae finem <sup>1</sup>. De laboribus autem, quos in ea peregrinatione pertulit, alio loco agendum erit <sup>2</sup>.

67. Legatum Regis Romanorum, quem Marcum comitem <sup>3</sup> vocabant, intellectum est curasse, ut duo vel tres Episcopi de nostra Societate fierent; sed adfuit nobis Dominus, et nihil ille impetrare potuit <sup>4</sup>.

68. Argentinensis Episcopus <sup>5</sup>, cum civitatem suam haereticis plenam doleret, initium alicujus collegii ibidem institui cupiebat, et ut mitteretur instabat <sup>6</sup>; sic et Ratisbonensis Episcopus <sup>7</sup>, et in Ungaria Strigoniensis Archiepiscopus <sup>8</sup>, et in Prusia Varmiensis <sup>9</sup>, qui ut columna quaedam in Regno Poloniae habebatur: et alii aliis in locis, collegia postulabant; sed hoc anno nullum eorum admissum est. Sed de Pragensi in Bohemia instituendo, Summo Pontifice id ita volente, et Patre

<sup>1</sup> Nuncius a Paulo IV ad Diaetam Augustanam et inde Poloniam missus fuit Aloysius Lipomanus, Veronensis Episcopus "..... coram etiam ager Venerabilis Frater Aloysius Episcopus Veronensis, cui in Poloniam nostro et Sedis Apostolicae Nuntio a nobis misso in mandatis dedimus ut isthac iter faceret ac Serenissimo Romanorum Regi tibique et aliis Catholicis Principibus, qui isthic sunt, nostrum sensum exponeret.....". Paulus IV Alberto Ducl Bavariae, 6 Julii 1555, apud RAYNALDI, l. c., n. XLIV.—Eum non ad Diaetam Augustanam solum sed quasi *ordinarium* apud Regem Ferdinandum Nuntium facit Braunsberger, dum ait: "Paulo IV 23 Maii 1555 electo, Zacharias Delphinus nuntius petiit ut revocaretur, in cuius vicem ad tempus Aloysius Lipomanus successit (*Sf. Pallavicinus*, Historia Concilii Tridentini, l. 13, c. 18, n. 2)., *Beati Petri Canisii epistolae et acta*, t. 1, pag. 552, annot. 1.

<sup>2</sup> Infra, nn. 758 et 759.

<sup>3</sup> Marcum, Comitem ab Arcu. Vide supra, pag. 22, n. 35, et ORLANDINI, l. c., lib. xv, n. 9.—Verum latebitne in voce hac *Marcum* aliquis error, eritque hic ille Scipio, comes ab Arcu, qui Ferdinandi Legatus fuerat jam anno 1555 (DRUFFEL, *Beiträge zur Reichsgeschichte*, 1546-1551, t. 1, pag. 383) eratque etiam anno 1560 (BRAUNSBERGER, l. c., pag. 582, annot. 2)?

<sup>4</sup> Vide de hac re, quamvis non ad ea, quae hoc anno gesta sunt, sed ad ea quae anno praecedenti spectant, litteras, quas *Don di* (*Don di[ego]*?) Lasso scribebat Ferdinando, Romanorum Regi, 23 Augusti 1554, apud BRAUNSBERGER, l. c., pag. 756-758.

<sup>5</sup> Erasmus von Limburg, Episcopus Argentorati (italis *Argentina*, FERRARI, *Lexicon geographicum*), Strassburg.

<sup>6</sup> De iis egit Canisius Augustae cum Christophoro Welsinger, Argentoratensis Episcopi Cancellario, ut videre est apud BRAUNSBERGER, l. c., pag. 565, qui pag. seq., annot. 5, haec ad rem addit: "Collegium, quod Canisius fieri cupiebat, ab Joanne de Manderscheid-Blankenheim, qui Brasmo proxime successit, anno 1580 Molshemii conditum est. Ipsa autem urbs argentinensis anno demum 1684 collegium Societatis accepit..

<sup>7</sup> Georgius von Pappenheim.

<sup>8</sup> Nicolaus Olah (Olaus). Vide supra, t. iv, pag. 253, n. 550.

<sup>9</sup> Stanislaus Hosius. Vide supra, t. iv, pag. 19, n. 20, et pag. 246, n. 539.

Ignatio Regis Romanorum voluntati morem gerente, serio est actum; quamvis missio ad initium anni sequentis rejecta est.

69. Cum concionatores quidam in Hispania libere contra Societatem nostram et in publicis suggestis loquerentur, et ideo fortassis liberior, quod Summum Pontificem nobis non admodum esse propitium existimarent, res est Romae collata cum Cardinale Carpensi <sup>1</sup>, tunc Societatis protectore, et ab eo postulatum, an viderentur in Urbem citandi hujusmodi concionatores ut sui rationem redderent, cum praesertim unus eorum, Ordinis Praedicatorum, frater Ambrosius Salazar <sup>2</sup>, approbationi Sedis Apostolicae non parceret. Visum est protectori, ut si quid hujusmodi, vel pro suggestu vel alibi, quisquam dixisset, ejus informatio Romam mitteretur. Cum enim ipse inter praecipuos inquisitores esset, munus suscipiebat hujusmodi oblocutores Romam evocandi et contra eos procedendi.

70. Sed quod attinet ad obloquia contra ipsam Societatem, hortatus est, ut alloqueremur Cardinalem Moronum, qui protector erat Ordinis Sancti Dominici; qui non mediocriter admiratus est cum a nobis intellexisset praedictum Ambrosium et quemdam alium fratrem Thomam de Chaves <sup>3</sup> et forte alios, sic contra Societatem loqui. Providerat quidem, quod in ipso fuerat, cum magna charitate, ne hujusmodi fierent, annis praeteritis <sup>4</sup>, frater Franciscus Romeus, Magister Generalis Ordinis

<sup>1</sup> Rodolpho Pio de Carpi.

<sup>2</sup> "Fue natural de Salamanca, en cuyo convento tomó el hábito, pasando luego al colegio de su Orden en Valladolid, donde regentó una cátedra de teología con gran aprovechamiento de sus hermanos de religión. Por la fama que adquirió de sabiduría, el sabio dominico fr. Domingo de Soto, que había sido su maestro y que por espacio de veinte años regentara la cátedra de teología en la Universidad de Salamanca, la renunció á su favor en el año 1556. Salazar correspondió dignamente á la confianza de su antiguo maestro, obteniendo grande fruto de sus lecciones y el aplauso general por su método de enseñanza; pero las brillantes esperanzas que de él se tenían, quedaron agostadas en flor, perdiendo la existencia prematuramente en el año 1568, cuando sólo contaba los treinta y ocho de su edad. Dejó manuscrita una obra titulada: *Comentarios in primam partem summae Theologicae Sancti Thomae, perquam erudita Salmanticae servata*. Igúorase si llegó á publicarse., EMMANUEL BEJAR, in *Biografía eclesiástica completa*, t. xxiv, pag. 1126. Sed erravit typographus cum annum obitus hujus Ambrosii Salazar excudii; ALTAMURA enim, et quos ipse adhibet auctores, eum obisse scribunt anno 1560. *Bibliothecae Dominicanae incrementum ac prosequutio*, ann. 1560, pag. 317, col. 1.

<sup>3</sup> "Thomas a Chaves, Hispanus, vel Achaveus, Praesentatus, alumnus conventus Sancti Stephani Salmantini, vir gravis et prudens, discipulus P. F. Francisci de Victoria ejusdem nostri Ordinis Praedicatorum et olim primarii cathedralici apud Salmanticens., ALTAMURA, l. c., ann. 1559, pag. 316, col. 1.

<sup>4</sup> Vide supra, t. i, pag. 267, n. 229, et *Cartas de San Ignacio*, t. II, pag. 159-166, et pag. 489-519.

Praedicatorum<sup>1</sup>; sed parum memores videbantur ejus religiosi praecepti sui Generalis; nec mirum est, si ne Christi quidem praeceptum de charitate fraterna, eos in officio continebat<sup>2</sup>. Cardinalis Moronus<sup>3</sup> invidiae hoc adscribebat, et postulavit hujus rei memoriale sibi dari; nam per ipsorum Magistrum Generalem se remedium adhibiturum dicebat; et si id non sufficeret, dixit, se opere ostensurum quod Societatis nostrae protector esset, quamvis Ordinis illius protectionem suscepisset.

71. Cum D. Teutonium<sup>4</sup> Romam veniens et satis quiete in initio se gereret, rescripsit P. Ignatius Duci Bergantiae ejus fratri<sup>5</sup>, qui eum commendaverat, nullam commoditatem futuram ipsi, quominus in Collegio Romano posset et in litteris et in spiritu proficere<sup>6</sup>; sed sub autumnum eo devenit D. Teutonii morbus spiritualis et inquietudo, ut nullis remediis adhibitis cederet, et ita obstinate deliberavit se, nec cibum, nec potum in Collegio nostro accepturum esse: et cum urgerent nostri, ut saltem responsum aliquod Regis expectaret, respondere se nihil

<sup>1</sup> "Franciscus Romaeus, Castilionensis, Aretinus, Tuscus, Jo. Finario Generali datus comes, et Provincialis Terrae Sanctae, Gymnasii Galliarum et Hispaniarum, quae cum eodem Magistro Ordinis visitando attingit, doctrinae profunditate et eleganti facilitate disserendi exitit admirabilis, sed non minor religionis exemplo. Demum eodem Magistro Generali vita functo, ad suos reversus, primum suae Romanae Provinciae Prior Provincialis, deinde Procurator Ordinis a Magistro Generali Alberto Casao factus est, et eo mortuo, Vicarium Ordinis egit in interregno, donec anno 1546, ex Procuratore et Vicario Ordinis in Magistrum Ordinis fuit assumptus. Hoc officio sex annis perfunctus est. A Paulo III in Concilio Tridentino detentus est. Quo mortuo, Capitulum Generale ad celebrandum anno 1551 Salmanticam petiit. Deinde reversus ad Italos, Synodo Tridentinae duranti interfuit, eaque per Julium III suspensa, reversus est Romam. Ibi 20 Julii 1552 ereptus apoplexia sepultus est in Minerva. Obiit aetatis suae anno 60.<sup>o</sup>, mense 4.<sup>o</sup>, ALTAMURA, l. c., ann. 1552, pag. 301, col. 1. Longiorem descriptionem habet JOSEPHUS SANCHEZ BIEDMA in *Biografia eclesiastica completa*, t. xxiii, pag. 543-548.

<sup>2</sup> "Credimus quidem vos omnes, utpote coelesti sponso dilectos, et amicos varietatis, qua sponsa illius amicitur, non detracturos, sed ea potius charitate, quae congaudet veritati, complexuros et exosculaturos." FR. FRANCISCUS ROMAEUS, Mag. O. P., litteris Romae datis 10 Dec. 1548. Vide *Cartas de San Ignacio*, t. II, pag. 492-494.

<sup>3</sup> Hoc, quod Cardinalis Moronus opinabatur, de P. Melchiorre Cano et uno alterove eorum, qui eum imitabantur, non absque causa dici posse videtur; verum "por esta parte debemos mucho a los Padres de Santo Domingo, que han favorecido y favorecen a la Compañía, y no nos podemos quejar de toda la orden, sino amarla y reverenciarla, porque con ella no hemos tenido en cuenta, sino con algunos particulares hijos suyos, que se han descompuesto notablemente contra nuestra religión y pretendido llevar adelante lo que comenzó y les enseñó el Mtro. Cano." P. RIVADENEIRA, *Glorias y triunfos de la Compañía de Jesus conseguidos en sus persecuciones*, ms.

<sup>4</sup> Dominus Theutonium de Braganza, de quo saepius in hoc *Chronico* et in *Cartas de San Ignacio*, et in TELLEZ, *Chronica da Companhia de Jesu em Portugal*.

<sup>5</sup> Dno. Theodosio de Braganza.

<sup>6</sup> Vide has litteras 11 Aprilis hujus anni 1555 datas in *Cartas de San Ignacio*, t. V, pag. 146.

sperare a Rege Portugalliae; et vix tandem P. Olavius <sup>1</sup> hinc, et inde Legatus Regis Portugalliae <sup>2</sup>, et eiusdem filius D. Dionysius, ei persuaserunt, ut in Portugalliam iret: et ita mense Septembri [profectus fuit] cum eodem fratre nostro Andrea Fernandez, cum quo venerat, qui Romae jam erat functus officio suo in India eidem commisso. Significavit autem idem Teutonium voluntatem ipsius a Societate nostra alienam esse, et si Regi id probaretur, gravi onere Societatem, eo recedente, liberatam iri nostris scriptum est <sup>3</sup>.

72. Partim autem ut D. Teutonium testem vicinum haberet contra se, si quid aliter diceret, quam res habebat ac deceret, partim quia P. Ludovici Gonzalez opera in Portugallia erat necessaria, decrevit P. Ignatius eum remittere, quamvis ejus praesentia et opera Romae satis esset utilis <sup>4</sup>; et in eo promissioni etiam de eo remittendo satisfactum est <sup>5</sup>. Adjunxit autem ei P. Ignatius, praeter Bernardum Japonensem <sup>6</sup>, duodecim scholasticos diversarum nationum <sup>7</sup>, bonis ingeniis et moribus praeditos, quos secum deducere idem Pater cupiebat non tam ut sublevaret onus Collegii Romani (quamvis et hoc fortassis eum moveret), quam quod existimaret, lusitanos et hispanos utiliter cum aliis nationibus in suis collegiis admiscendos esse; tum ad majorem unionem inter omnes nationes, tum quia aliquid peculiare et imitatione dignum in cujuscumque nationis

<sup>1</sup> P. Dr. Martinus de Olave.

<sup>2</sup> Alphonsus de Alencastre. Vide supra, pag. 22, n. 85, et t. iv, pag. 8, n. 6.

<sup>3</sup> De his Theutonii rebus hoc tempore gestis vide litteras, quas Ignatius dedit Patri Jacobo Miron, Provinciali, Joanni III Portugalliae Regi, Theodosio Bergantiae Duci, et Infanti Portugalliae Elisabethae, in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 311-318.

<sup>4</sup> P. Ludovicus Gonzalez da Camara, qui Romam, e Portugallia veniens, appulerat 28 Maji 1553, magnam temporis partem, quod Romae exegit, ad finem Septembris hujus anni 1555, Patrem Ignatium in officio Ministri professorum domus juvit.

<sup>5</sup> "Infans Ludovicus ejus (P. Ludovici Gonzalez) adventum in Portugalliam optabat." Supra, t. iv, pag. 437, sub finem numeri 967.

<sup>6</sup> "Depois de estar perto de hũ anno em Roma, o trouxe comigo quando me vimmo anno de 55 pera esta provincia, e nella morreo no Collegio de Coimbra com a mesma edificação e exemplo com que tinha vivido." P. LUDOVICUS GONZALEZ in Codice *Algumas consas, etc.*, ms.

<sup>7</sup> Horum unus erat quidam Lancilottus, ortus in urbe Perusio, qui hoc anno cum tribus fratribus Job, Cincinnato et Petronio, Romae in Societatem admissi fuerunt. "Destes 4 irmãos so Petronio ficou e morreo na Companhia e foy nella Reitor de hũ Collegio com muita edificação. O Lanciloto trazia eu comigo pera Portugal, mais deixei o doente em Genova, e em seu lugar levei daly a Volfango, Boemio, que agora esta em Praga, o qual era hũ dos nove que vinhão pera o Collegio Germanico e ficarão na Companhia." P. LUDOVICUS GONZALEZ, l. c.—Vide supra, pag. 25, n. 41, ubi tamen non novem, ut P. Gonzalez, sed undecim aut duodecim Bohemos Romam hoc anno venisse affirmat Polancus

hominibus esse solet, quod alios expediat imitari. His autem simul cum P. Natali, cui Franciscus Alexander, juvenis sicularius non vulgaris eruditionis, adjunctus erat <sup>1</sup>.

73. P. Petrus Ribadeneyra hoc anno a P. Ignatio ad curiam Imperatoris Caroli missus est, et eidem commissum ut nostris coloniis, lovaniensibus ac tornacensibus Societatis Constitutiones ferret ac declararet; ac deinde ipse in curia Imperatoris, quae erat Bruxellis, vel ubicumque ostium commodius ad Dei honorem aperiretur per praedicationem et alia ministeria, Societati consueta in belgica Domini vinea laboraret <sup>2</sup>. Missi sunt praeter illum <sup>3</sup> et alii sex, partim in Inferiorem, partim in Superiorem Germaniam.

74. In Galliam autem, praeter P. Pontium cum socio jam dicto <sup>4</sup>, missus est ad juvandum collegium Billiomense Magister Petrus Chanalus, natione gallus, qui ex Hispania studiis absolutis Romam venerat. Remissus est cum eo P. Hieronymus Bassius, qui cum aliquandiu Romae fuisset, et quibusdam spiritualibus molestiis liberatus esset <sup>5</sup>, ac rationem domus et Collegii Romani inspexisset, vir alioqui maturus ut ad agrum dominicum colendum extruderetur, ad fundamenta ejus novi collegii mitti debuit; cum perpauca eius linguae mitti in Galliam id temporis possent et, propter bella Regis Galliae cum Imperatore, ex aliis nationibus mitti quemquam non expediebat. De successu autem hujus missionis et aliarum alio loco dicetur <sup>6</sup>.

75. Hoc anno Romam venit ex Sicilia Octavius <sup>7</sup> ille, de quo superius mentio facta est <sup>8</sup>; et cum Neapoli transiret, ma-

<sup>1</sup> Sic, sententia, ut patet, non completa. Complenda vero videtur hoc modo: *Cum his autem simul cum P. Natali... Roma tandem profectus est P. Gonzales.*

<sup>2</sup> De his, quae Pater Petrus de Rivadeneira in Belgio hoc et sequentibus annis gessit, videnda quae dilucide et plene enarravit monumentisque antea ineditis confirmavit P. LUDOVICUS DELPLACE in opusculo *L'établissement de la Compagnie de Jésus dans les Pays Bas et la mission du P. Ribadeneira à Bruxelles en 1556.*

<sup>3</sup> Non tamen cum illo, quem unus comitabatur Franciscus Guiraldo. Vide excerpta ex Patris PETRI DE RIVADENEIRA *Soliloquios et Confessiones* in *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 45.

<sup>4</sup> Vide supra, pag. 9, n. 9.

<sup>5</sup> Quatenam hae Patris Hieronymi Bassii, seu *le Bas*, spirituales molestiae fuerint refert P. J. M. PRAT, *Mémoires pour servir à l'histoire du Père Broet et des origines de la Compagnie de Jésus en France*, part. III, lib. 1, ubi fuse exponit quae P. SACCINI, *Hist. Soc. Jes.*, part. II, lib. VI, n. 15, brevissime tantum innuit.—Vide tamen infra dicenda ad n. 875.

<sup>6</sup> Infra, n. 869 et seq.

<sup>7</sup> Octavius, vel Octavianus, Cesari.

<sup>8</sup> Tom. II et III.



trem invisit, quae omnem moverat lapidem, ut a Societate ipsum removeret. Sic autem praesens ei satisfacit, ut omnino placata, et ei gratularetur ingressum in Societatem, et ad perseverantiam hortaretur. Et ipsa coepit nostrorum studiosa fieri, et crebro confiteri et communicare in templo nostro. Immo eius domus nostris, in Siciliam euntibus, benignum hospitium exhibuit.

76. Hoc anno siquidem P. Hieronymus Domenech, cum Romam venisset et professionem in manibus P. Ignatii tandem fecisset <sup>1</sup>, cum fere viginti Societatis nostrae hominibus ipsi adjunctis in Siciliam rediit; nam Collegio Bibonensi, jam a fundamentis erecto, nova colonia mittenda erat; et etiam Siracusano, de quibus inferius agetur <sup>2</sup>.

77. Ad Collegium Lauretanum viginti hoc autumno missi sunt. Cum enim confessariorum numerum augere, et aliquem etiam, qui casus conscientiae praelegeret, mitti; et demum, quadraginta eo in collegio sustentari Cardinalis Carpensius <sup>3</sup> et Gubernator domus Lauretanae <sup>4</sup> postularent, partim ex lectore et confessariis, partim ex scholasticis, numerus jam dictus confectus est. Aliqui etiam coadjutores praeter scholasticos missi sunt.

78. P. Loarte <sup>5</sup>, Rector futurus nostri collegii, Genuam missus est, vel praedicatione vel lectione aliquid etiam praestiturus. P. Jacobus de Guzman Florentiam fuit destinatus, ut aliquo modo Ducissae satisfaceret, quia P. Laynez [facultatem Florentiam eundi] obtinere a Summo Pontifice non potuerat <sup>6</sup>. Ad alia autem Italiae collegia fere 25 alii missi fuerunt; et ita multitudo nostrorum, qui Romae versabantur, ut superius diximus <sup>7</sup>, fuit imminuta; sed ad breve tempus; nam alii atque alii venientes, quos mittere Dominus videbatur, admittendi erant.

79. Duo tamen veteres amici Societatis, jam senes, qui ad

<sup>1</sup> Eam fecit Domenech die 20 Octobris hujus anni 1553, ut, praeter ea, de quibus in *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 15, annot. 2, apparet in ipsa formula Professionis autographa a Domenech subscripta.

<sup>2</sup> N. 618 et seq.

<sup>3</sup> Rodolpho Pio de Carpi.

<sup>4</sup> Gaspar de Dotis.

<sup>5</sup> P. Gaspar Loarte.

<sup>6</sup> Vide Ignatii de hoc litteras ad Eleonoram de Toledo, Florentiae Ducissam, in *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 6.

<sup>7</sup> Pag. 9, n. 10.

Societatem nostram accedere constituerant, judicatum est expedire ad commune bonum, ut non in Societatem admitterentur. Alter eorum erat Dr. Gaspar de Doctis, quem diximus Gubernatorem esse domus Lauretanae, qui cum hoc anno Romam venisset, ingredi Societatem nostram et professionem emitte-  
tere volebat, juxta facultatem quam a Paulo tertio acceperat, professionem scilicet statim emittendi. Sed cum visum esset expedire, ut potius simplicia vota emitteret et Lauretum atque Anconam, habitu suo retento, rediret ad negotia quaedam magni momenti ad universale bonum expedienda, obedivit ille, quamvis magnum desiderium prae se ferret se cito expediendi <sup>1</sup>.

80. Venerat cum eo Dr. Fulvius Androtius, lauretanus canonicus, qui officium Vicarii Camerini egregie obierat, et jam Cardinalis Carpensis in suum episcopatum Agrigentinum Vicarium mittere cupiebat. Cum autem illi spiritualia exercitia fuissent proposita, Dei servitio in Societate se consecrare maluit <sup>2</sup>.

81. Senex ille amicus, quem non fuisse admissum in Societatem diximus <sup>3</sup>, erat dominus Doymus <sup>4</sup>, Amerinus, ab initio Societatis P. Ignatii studiosus; sed cum aliquot diebus in probatione fuisset, judicatum est expedire magis, ut liber ab obedientia Domino inserviret.

82. Sub finem hujus anni in Societatem admissus est Dr. Hieronymus Choloredò, Episcopi Cenetensis <sup>5</sup> ex sorore nepos, qui tunc domus Pontificiae praefectus erat <sup>6</sup>, ad virilem

<sup>1</sup> His non obstantibus duriores nostris Laureti degentibus postea factum affirmat OLIVERIUS MANAREUS, l. c., cap. ix, § 26, ubi etiam subindicat quoniam illa essent negotia, quae bonum Praelatum Anconae subsistere cohebant.—Ejus votum et quasdam ad Ignatium litteras edemus in *Nova Serie litterarum Sancti Ignatii*.—1551. Siendo Pontífice Julio III, el mismo Protector (Rodolphus Pio de Carpi) hizo Gobernador á Gaspar de Doctis, Protonotario Apostólico, que gobernó once años... Y el año siguiente (1563) el Protector hizo Arcipreste de Loreto á Gaspar de Doctis., BURGOS, *Discursos historiales*, lib. III, cap. 28, § IV.

<sup>2</sup> De hujus Fulvii Androtii et duorum fratrum, Hortensii et Curtii, qui eum secuti sunt, in Societatem ingressu, vide OLIVERII MANARRI *De Rebus Societatis Jesu Commentarium*, cap. IX, § 8.

<sup>3</sup> Supra, n. 79.

<sup>4</sup> Hujus cognomen erat *Nascio*, quod etiam scriptum reperimus *Naggio* et *Naggio*. Vide *Cartas de San Ignacio*, passim.

<sup>5</sup> Michaël della Torre (Cardinalis 1583).

<sup>6</sup> Erat hic Cenetensis Episcopus Perusii Prolegatus a Julio III anno 1553 constitutus "donde Paolo IV con un Breve onorificentissimo lo chiamò nel 1555 per suo Maggiordomo; poi Governatore dell' Umbria...," NOVATI, *Elementi della Storia dei Sommi Pontefici*, ann. 1583, t. VIII, pag. 89.

aetatem accedens, et in humanioribus litteris eruditus, oppidi Choloredi in Alpium confinibus dominus <sup>4</sup>; qui, ut strenuum se praeberat in saecularibus rebus cum in saeculo versaretur, ita, cum per sacramenta et orationem ac demum per spiritua- lia exercitia a Domino fuit illustratus, valedicere toti huic sae- culo ac Domino inservire decrevit; et sic ursit avunculum post multa jejunia et orationes, ut ipsius benedictionem impetra- verit.

83. Cum ipso ad Societatem accessit juvenis quidam, in humanioribus litteris eruditus, nomine Josephus Fabricius, qui natu minorem fratrem D. Hieronymi <sup>5</sup> domi instituebat. Prius hoc ipso anno <sup>6</sup> admissus fuerat, praeclaro ingenio et dotibus praeditus, Laurentius Maggus, nobilis Brixiensis, qui abbatis Martinengi, Nuncii Apostolici apud Imperatorem <sup>7</sup>, sanguine conjunctus fuerat et valde charus erat <sup>8</sup>.

84. Alii etiam complures itali, praeclara indole praediti, admissi fuerunt, sed tres aut quatuor germani, qui vel ex Saxo- nia vel Thuringia et aliis locis, in quibus Lutherana pestis regna- bat, ad Societatem nostram accesserunt, non parum consolatio- nis nostris dederunt; et ita, quamvis multi alio mitterentur, nu- merus Romae magnus semper conservabatur.

85. Cum Ratisbonae diaeta celebranda esset mense Martio sequentis anni, ad quam Cardinalis Augustanus <sup>9</sup> a Pontifice mittebatur, hac ipsa hyeme praemonuit D. Olavem <sup>7</sup> idem Pontifex, ut Cardinalem comitaretur, et ita cum quodam alio theologo germano, sub finem hujus anni, ad profectionem se praeparavit <sup>8</sup>.

<sup>4</sup> *Coloredo*, seu, ut ab aliis scribitur, *Collaredo*, oppidulum est et castellum in ea domini olim veneti parte quae Friuli dicitur, situm, unde originem et nomen ducit fa- milia *Coloredo*, quae plures rebus in Austria et in Italia gestis insignes viros edidit. Cf. GUIL. ET JOANNIS BLAEV, *Theatrum Orbis terrarum seu Atlas novus*, part. III.

<sup>5</sup> D. Hieronymi de Cholaredo.

<sup>6</sup> Hic scripsit ad paginae oram Sacchinus: *8 Martii*.

<sup>7</sup> "Hieronymus Martinengus, qui erat abbas, protonotarius apostolicus (\* Breve Julii III, 25 Aprilis 1550 ad Ferdinandum I datum; Viennae in archivo aulae caesariae Romana 1550, Fasc. 2. n. 25).", BRAUNSBERGER, *B. P. Canisii epistolae et acta*, t. 1, pag. 445, annot. 1.—De eo jam saepius mentio facta est in hoc *Chronico*.

<sup>8</sup> Ideo de Laurentii ingressu et de exercitiis ab ipso Abbate Martinengo domi no- strae hoc anno peractis curavit Ignatius Viennenses nostros per Polancum certiores reddere, ut videbitur in *Nova Serie*, etc.

<sup>9</sup> Otto Truchsess, de quo jam saepius.

<sup>7</sup> P. Drem. Martinum de Olave.

<sup>8</sup> Recte Polancus ait *ad profectionem se praeparavit*. Nam "Ferdinandus I 25 Se-

86. Cum P. Bobadilla <sup>1</sup>, qui familiaris alioqui fuerat Pontifici, cum Cardinalis esset, primis mensibus hujus anni Romam redisset, postquam utiliter farfensem Abbatiam et illi oppida subdita lustrasset <sup>2</sup>, cum eo Summus Pontifex quaedam ad reformationem universalem pertinentia tractavit, nec Episcopo Veronensi Lippomano, sicut designatus fuerat, eum misit; nam P. Alphonsus Salmeron sufficere videbatur <sup>3</sup>.

87. Sed Cardinalis quidam, Crispus cognomine <sup>4</sup>, qui cujusdam religionis, quam *Sylvestrinorum* vocant, protector erat, cum commodam rationem invenire non posset ad ejus reformationem, quae valde necessaria dicebatur, rogavit Summum Pontificem ut aliquem de Societate nostra mitteret ad monasteria ejus ordinis visitanda. Idem etiam, Episcopum quemdam amicum ad P. Ignatium misit (nam ipse, qui se adversarium Societati nostrae propter humanos quosdam affectus exhibuerat, per se id facere noluit); et designatus fuit ad hoc ministerium praedictus P. Bobadilla, qui egregie officio suo functus esse dicebatur. Si quid in particulari dicendum erit, alio loco dicetur <sup>5</sup>.

88. Patres Eleutherius Pontanus, Fulvius Cardulus, Emmanuel de Saa et alii hoc anno ad sacerdotium promoti fuerunt.

89. A Priore Carthusiae Coloniensis <sup>6</sup> hoc anno subsidium

ptembris 1555 in comitiis imperii augustanis nova comitia indixerat, Kalendis Martiis 1556 Ratisbonae incipienda, in quibus praecipue de controversia, quae de religione erat, componenda ageretur... At comitia ratisbonensia demum 13 Julii 1556 coepta sunt... BRAUNSBERGER, l. c., pag. 567, annot. 1. Quo tempore autem comitia acta sunt, P. Olave Romani Collegii superintendens erat. ORLANDINI, l. c., lib. xvi, n. 89.

<sup>1</sup> P. Nicolaus Bobadilla.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 89, n. 162, et pag. 143, nn. 285 et 286.—His et sequentibus complenda sunt quae habet in *Vita del servo di Dio Padre Nicolò Bobadiglia*, § x, P. JOSEPHUS BOERO: ibi enim, brevitatis forte gratia, ita eventus compositi sunt, ut videatur P. Bobadilla, postquam Farfa excessit, et Reate, Civitate Ducali, aliisque locis suam aliquantisper operam impendit, Tybur secessisse quin Romam veniret.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 8, n. 8.

<sup>4</sup> "Tiberio Crispi, Romano, fratello naturale di Costanza Farnese, e familiare del Cardinal Farnese, che divenuto Pontefice (Paulo III) lo fece Governatore di Perugia colla presidenza alla fabbrica di quella fortezza, indi Prefetto di Castel S. Angelo, con un canonicato di S. Pietro, poi Vescovo di Sessa nel 1549, e quindi Cardinale Diacono di S. Agatà, donde passò nel 1555 a Vescovo di Sabina, morto nel 1566 in Capranica della diocesi di Sutri e Nepi, di cui fin dall' anno precedente era amministratore, nell' età di anni 69 non compiti, e 22 di Cardinalato, in cui intervenne a cinque conclavi colla riputazione di uomo di fervida immaginazione, di spirito penetrante, di memoria tenace e grande eloquenza... NOVAES, l. c., ann. 1544, § xxix, t. vii, pag. 44.

<sup>5</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 82, 190 et 203.

<sup>6</sup> Gerardo Kalckbrenner seu Hammont, de quo saepius in hoc *Chronico*.

etiam temporale Romanum Collegium accepit. Charitas enim illius cum intellexisset penuriam, quam Romae nostri patiebantur, benedictionem, ut jam semel atque iterum fecerat, Romam transmisit <sup>1</sup>.

90. Ex Collegio Germanico hoc anno non pauci animum ad Societatem nostram adjecerunt <sup>2</sup>. Alii autem aliarum nationum, post spiritualia exercitia confecta, partim ad nostram, partim ad alias religiones se contulerunt, partim in suo statu permanentes ejus reformationi operam dederunt.

91. De his autem, quorum saepius similia scripta sunt, ut de pacificatione discordiarum, morientium et aegrotantium auxiliis, et doctrina christiana explicanda, et aliis pietatis functionibus, satis sit uno verbo dicere, quod hoc etiam anno, sicut et in praeteritis, utiliter nostri sese Romae exercuerunt <sup>3</sup>.

92. Hac aestate Cardinalis Ferrariensis <sup>4</sup> Tybur se contulerat, ad calores aestivos vitandos; petiit autem per litteras a P. Ignatio, ut aliquem ad se mitteret concionatorem, qui jubilaum initio Pontificatus a Paulo IV editum populo promulgaret, et ad illum recipiendum homines hortaretur. Missus est ad id P. Benedictus Palmius, qui quam egregie suo sit functus officio, cum de Tyburtino Collegio agetur, dicemus <sup>5</sup>.

93. Cum Ferrariae Dux Hercules ad salutandum Summum Pontificem Paulum IV venisset <sup>6</sup>, P. Ignatius, eum invisens, amanter eum admonuit quod sancto Inquisitionis officio non probaretur quod *marranos* <sup>7</sup> (ut vocant) (i. e., qui post Baptis-

<sup>1</sup> Vide *Précis historiques*, t. xxxv, pag. 255, et *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 185 et 468.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 26, n. 41.

<sup>3</sup> Ea enucleatius reperies in litteris *historicis seu de nuevas* (Vide supra, t. i, pag. 269, annot. 1), quae in *Nova Serie* edentur.

<sup>4</sup> Hippollitus de Este.

<sup>5</sup> Infra, n. 100 et seq.

<sup>6</sup> "Proximo die..... Ferrariae Dux Paulo clientelare officium detulit, atque in illius fide et potestate semper futurum spondit ut confirmant eadem acta. "*Romae die Jovis XXX mensis Maii MDLV fuit Consistorium publicum in quo Illustrissimus Dominus Dux Ferrariensis, qui antea pro praestanda obedientia felicitis recordationis Marcello II ad Urbem advenerat, eodem Marcello mortuo, huiusmodi obedientiam ei non praestitam, et Joanne Petro divina favente clementia Episcopo Ostiensi ad summi Apostolatus apicem, cum denominatione Pauli Papae IV assumpto, habita prius per suum Oratorem seu Secretarium eleganti oratione, obedientiam devotam eidem Paulo praestitit, a quo benigne exceptus est.*" RAYNALDI, *Annales ecclesiastici*, ann. 1555, n. xxii.

<sup>7</sup> "(Del anatema מִרְיָן מִרְיָן, *Maran atha, Nuestro Señor viene*, usado por San Pablo). m. y f. ant. Persona maldita y descomulgada." *Diccionario de la lengua castellana por la Real Academia Española*, 12.<sup>a</sup> ed. Madrid, 1884.

num susceptum ad iudaismum redirent) Ferrariae, ut dicebatur, admitteret. Dux tamen non ita sese habere respondit, et statim Augustinum Moschum <sup>1</sup>, qui praesens erat coram Patre advocans, ut testem quod ea, quae circumferebantur, falsa esse adduxit; et fieri facile posset, quod suis mendaciis hoc hominum genus Ducem celasset, et eos qui tales erant, meliores esse existimans admisit.

94. N. <sup>2</sup>, quae votum Religionis emiserat, cupiebat illud in Societatis votum commutare, et ejus obedientiae se subicere: quamvis, propter eminentiam ejus status, id intelligi ab aliis non expediebat. Injunctum est autem negotium P. Ignatio, ut commutationem hanc a Summo Pontifice obtineret, et tacito personae nomine obtinuit. Et quia P. Franciscus Borgia dubitabat, an hujusmodi obedientiam admittere deberet (nec enim id Societatis consuetudo ferebat), non solum P. Ignatius ei significavit quod admittere liceret, sed in virtute obedientiae eidem injunxit, ut admitteret. Et satis ostendit, quod in rebus hujusmodi tam raris, dispensatio in constitutionibus Societatis locum habere deberet <sup>3</sup>.

95. Cum hoc anno quies pacis perturbari Romae coepisset, et Summus Pontifex suspicionem, nescio unde, accipiens quod domi nostrae magna vis armorum celaretur <sup>4</sup>, misit Gubernatorem urbis <sup>5</sup> cum fiscali <sup>6</sup> et quibusdam aliis ministris, qui do-

<sup>1</sup> Sic; eritne hic ille, quem Augustinum Musto appellavit idem Polancus, supra, t. II, pag. 186, n. 41?

<sup>2</sup> Hic ad paginae oram scripsit P. SACCHINI: *Opinor hanc esse Principem Lusitaniae Joannam*. Recte quidem; nam sermo est de Joanna, Hispaniarum nunc Gubernatrice, Philippi II sorore, quam ideo Lusitaniae Principem SACCHINUS appellat, quia Joanni, Regis Portugalliae filio regni haeredi, nupta fuerat.

<sup>3</sup> Hic tandem intelligitur quod nos non intellexisse fassi sumus dum ederemus *Cartas de San Ignacio*, ubi vide, quae huc faciunt, in t. IV, pag. 349, et V, pag. 1.—Sed de his plura et scitu vere digna in *Nova Serie litterarum Sancti Ignatii*.

<sup>4</sup> Prohibitum fuerat ne quis, etiamsi legatione pro aliquo Principe Romae fungeretur, arma domi suae teneret. "Ordinarono che ognuno posasse le armi e le portasse in Castello; non permettendoli neppure alli stessi ambasciatori.", PIETRO NORES, *Storia della guerra di Paolo IV, Sommo Pontefice, contro gli Spagnuoli*, lib. I (Archivio Storico Italiano, I.<sup>a</sup> Serie, vol. 12.<sup>o</sup>, pag. 22).

<sup>5</sup> Scipio Rebiba, Mutulensis Episcopus, qui olim nomine Joannis Petri Caraffa Archiepiscopatum Neapolitanum administraverat. De eo jam saepius mentio facta est in hoc *Chronico*.

<sup>6</sup> Erat is, ut paulo infra ipse ait Polancus, Alexander Pallentieri, ille qui sub Pio IV causam egit adversus Pauli IV nepotes et cui sub Pio V "fu mozzata la testa principalmente per aver ingannato il Papa, et aggravati quei miserabili nella testura et nelle relationi del processo.", ALDINARI, *Historia genealogica della famiglia Caraffa*, lib. II, c. 1.—NORES, I. c.—NOVAES, I. c., etc. etc.

num nostram perscrutaretur. Gubernator autem, qui amicus erat alioqui Societatis, relictis militibus extra portam, cum ipso fiscali (*Palantier* dicebatur) domum ingressus, et Patrem Ignatium adiens, secreto Pontificis jussionem ei explicat <sup>1</sup>.

96. Ignatius autem, ut ille semper erat compositus animo ac vultu, Secretarium Societatis <sup>2</sup> vocat, et coram ipso Gubernatore ei praecipit, ut fiscalem cum aliis quibusdam officialibus per totam domum deduceret; quod ille statim fecit: et quamvis ex ipsa compositione vultuum et animorum facile hi homines, alioqui industrii, perciperent vanum fuisse timorem ac suspicionem, diligentissime tamen, etiam infima loca et suprema domus sunt scrutati; et ne gladium quidem unum, nedum hastas et tormenta bellica (*archibustos* vocant) invenerunt, et cum magna aedificatione tum simplicitatis et obedientiae, tum etiam paupertatis, recesserunt.

97. Existimatum est autem ortum habuisse suspicionem hanc quod, cum quidam hospes saecularis, scilicet, D. Petrus de Çarate, per aliquot dies in separata quadam domus parte [esset] <sup>3</sup>, quae eo tempore nondum a nostris habitabatur (*Turris* haec erat *Roscia* <sup>4</sup>), accidit, ut vir quidam in furorem versus, quibusdam vulneratis, ex populi insequentis manibus evadens, domum nostram per ecclesiae portam ingressus esset, et in tecto superioris domus sese absconderit. Cum autem magna hominum multitudo furem hominem istum quaereret, et vulneribus eum confectura aut discerptura videretur, prohibuit charitas ne ostia eis aperirentur; sed admissi sunt magistratus quidam cum paucis, qui hominem quaererent, et, si invenissent, a populi manibus defensum deducerent. Hi ergo ad partem illam domus pervenientes, quam hospes tenebat, in eius cubiculo, quosdam arcus turcicos <sup>5</sup> et forte, pro more saecularium,

<sup>1</sup> Non solum, secreto Ignatium adiens, ejus famae consulebat Gubernator, sed nolebat domum inspicere, solo Ignatii testimonio contentus. "Dijo á Nuestro Padre á lo que había venido pidiéndole le dijese la verdad de lo que había, porque él no quería que se escudriñase la casa sino creer á la simple palabra de Su Paternidad." RIVADENEIRA, *Glorias y triunfos de la Compañía conseguidos en sus persecuciones*, ms.

<sup>2</sup> Ipsum scilicet Polancum.

<sup>3</sup> Sub finem aetatis anni 1554 Romae fuerat Petrus de Zarate. Vide supra, t. iv, pag. 134, n. 269.

<sup>4</sup> Vide supra, pag. 21, n. 33.

<sup>5</sup> Haud facile est decernere quid his verbis intelligi velit Polancus, an arcus sagittis emittendis (*ballestas*), an vero enses (*cimitarras*) qui arcus formam referunt.

unum vel alterum ex his tormentis <sup>1</sup> ibi viderunt: et inde, post aliquot tempus, unum scilicet vel alterum annum, aliquis ex illis huic novo Pontifici [retulit] quod arma ibi visa fuerant. Et facile ex eo confirmari poterit P. Ignatii sententia et constitutio de saecularibus hospitio non admittendis, saltem ultra triduum.

98. Hoc etiam anno injunctum fuit P. Ignatii nomine, ut in singulis provinciis nostri linguam illam addiscere curarent, quae in eadem provincia vernacula esset, ut in Italia italicam et in Gallia gallicam. Et Romae jussit grammaticam italicæ linguae quotidie praelegi, ut multarum nationum homines, praesertim novitii, qui domi nostrae probabantur, hoc idioma facilius addicerent <sup>2</sup>.

99. Omnibus etiam praescriptum fuit, ne quem Principem saecularem, aut ecclesiasticum, vel alium quemvis amicum excitarent ad aliquem de Societate a Praeposito Generali postulandum, nisi prius consulto et approbante eodem Generali; nam occasio dabatur hujusmodi viris offensionem aliquam erga Societatem concipiendi, si hi, quos postulabant ad eos missi non fuissent. Et tamen id saepe accidere poterat, si aliqui postulati fuissent, quorum opera magis esset alibi necessaria <sup>3</sup>.

Et haec de domo et collegiis Romanis ac de ipso Praeposito Generali sint dicta.

## DE TYBURTINO COLLEGIO

100. Praeerat Collegio Tyburtino P. Laurentius Cavalerius, et alter sacerdos P. Petrus Pradene cum tribus fratribus; qui omnes, quinque vel sex numero <sup>4</sup>, variis unusquisque officiis et functionibus occupatus erat. Nam P. Laurentius, partim in con-

<sup>1</sup> Arquebusum, seu arcubusum.

<sup>2</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 94 et 439.

<sup>3</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 85.

<sup>4</sup> Vere duo sacerdotes et tres fratres quinque tantum sunt Tyburtini Collegii incolae. Ait tamen Polacus *quinque vel sex*, quia quandoque uno alterove Roma missos quinque illi juvabantur, ut infra videbitur.



cionibus, partim in doctrina christiana explicanda, partim in ministerio confessionis ac communionis, partim in aliis consuetis pietatis operibus Societatis, praeter domesticam Rectoris curam occupatus erat. Alter sacerdos scholae praeerat fere centum puerorum, qui legere ac scribere discebant. Diebus autem festis, et alioqui, cum res id postulabat, confessionibus etiam audiendis dabat operam. Ex tribus aliis unus erat magister Petrus Sylvius <sup>1</sup>, qui scholae circiter viginti vel viginti quatuor puerorum, qui grammaticae dabant operam, diligenter admodum curam gerebat, quamvis variorum illi ordinum essent, ut assolet. Duo alii, Antoninus <sup>2</sup>, et Antonius <sup>3</sup>, non solum domestica curabant, sed Antoninus in schola dicta puerorum

---

<sup>1</sup> Is valetudinis gratia Roma Tybur missus fuerat. Vide supra, t. III, pag. 20, n. 28. — Atqui nunc tandem aperire valemus quisnam ille sit P. S., de quo eo in loco a Polanco sermo fit. Aperiemus autem verbis Patris Ludovici Gonzalez da Camara: "Soldevilla, Sacerdote Theologo, catelã de naçã, era homẽ que antre os nossos de Roma tinha credito de pessoa espirital e devota. Tomou este Padre hũ particular modo de proceder nas cousas do spiritu e differente do que na Companhia se exercita. O qual clanculum cõmunicava cõ algũs de casa. Erão suas invenções perniciosas não somente pera a alma, porque desunião aos subditos da obediência, mais também pera o corpo. Lembrame de Petro Sylvio, framengo, que então era irmão de rara humildade, obediência, mansidão, e outras muitas virtudes naturaes e acquisitas, e depois grande obreyro e Doutor em Theologia viveo e acabou na Companhia cõ muita edificação. Ao qual chegou este Padre cõ sua doutrina a termos polla muita e continua força que lhe fazia trazer na imaginação, que esteve muito tempo sem fala e *prorsus* insensato sem esperarmos que podesse viver. Informado nosso Padre do que passava, o remediou desta maneyra. Mandou em penitência ao sacerdote que assy na casa como no collegio fosse ao refeytorio nũ de todo da cynta pa cima disciplinandose, e com hũas asas de anjo nos hombros que só pera isso o Padre mandou fazer, repetindo estas palavras: "Não voar sem asas.. ou essas (porque não me affirmo bem): "Peço perdõ a todos porque quis voar sem asas.. E dada esta satisfação, o despedio logo. O qual conhecendo sua culpa e vendose no mundo, come por outra via fosse bom homẽ, determinou de alcançar misericórdia de nosso Padre pera que o tornasse a receber. Foyse em proua de sua emenda a servir nũ hospital e por espaço de 4 ou 5 meses, que nelle andou, deu tal edificação e mostras de arrependimento, que no cabo deste tempo foy admittido; e mostrou nosso Padre tello d' alli por diante por de maior cõfiança que antes 'tanto que poucos dias depois o fez Ministro de casa, e a elle sobcedi eu no mesmo officio, mandandoo nosso Padre ler casos de cõsciencia a Napoles. Pareceome aquí muito de notar o rigor que usou com o culpado e o spiritu de benignidade que exercitou com o emendado.. In Codice *Alguas cousas...*, ms.—Prudenter hujus Patris nomen celatum est a Polanco, quia vivebat adhuc, dum hoc *Chronicon* exarabatur. Vide etiam BARTOLI, *Della Vitã di San Ignazio de Loyola*, lib. III, n. 20; FLUVIA, *Vida de San Ignacio de Loyola*, lib. VII, cap. 4. Quibus emendandus videtur Schinosi, dum ait hunc Soldevilla, qui Neapolim missus est ut conscientiae casus legeret, fuisse "diverso da quell' altro dello stesso cognome, della stessa nazione, licenziato già dalla Compagnia per le sue imperfezioni.. *Istoria della Compagnia de Giesu appartenente al Regno di Napoli*, lib. I, cap. XIII; et complenda narratio Oliverii Manarei et eorum qui ex ipso scripsere, STEWART ROSE, *St. Ignatius Loyola and the early Jesuits*, lib. II, cap. (In corpore libri) X, (In indice, et recte) IX.

<sup>2</sup> Antoninus de Henricis. Vide supra, t. IV, pag. 21, n. 25, annot. 7.

<sup>3</sup> Antonius de Robore. *Ibid.*

P. Petrum juvabat. Antonius autem de Robore necessaria extra domum ad victum curabat, et multa interim pietatis opera exercebat, et exhortationibus utilem operam multis a peccato revocandis et ad bona inducendis navabat.

101. Et crescebat eorum multitudo, qui ad verbum Dei audiendum, vel ad sacramenta percipienda ad nostros accederent; quamvis tenuis erat satis eorum, qui octavo quoque die confiterentur et communicarent: vix enim duodecim aut quindecim accedebant; quamvis festis solemnioribus et aliis etiam non ita solemnibus, duplo plures convenirent.

102. Nec tamen deerat in hac parte, ubi charitatem exercebat P. Laurentius, cum singulis mensibus omnium scholasticorum confessiones audiret. In xenodochio etiam, et in privatis domibus aegrotorum audiebat confessiones: et multi, qui alibi communicabant, eidem nihilominus confitebantur; et multis annis intermissas confessiones quorundam audiebat; quia multi valde in hac parte negligentes id temporis vivebant; et ferebatur, aliquando vix mediam partem hominum in Quadragesima confiteri. Nec mirandum est cum blasphemiiis horrendis, inveteratis discordiis ac inimicitiis et usuris [obnoxii essent], quae fere eodem modo apud christianos quosdam in usu erant atque apud iudaeos. Et ita accidebat, ut decem et quindecim annorum confessiones essent aliquando audiendae, etsi ecclesia minus fuisset commoda (quae primis mensibus antequam instauraretur pluribus in locis erat pluviae obnoxia). Et ita cum coepit P. Laurentius dominicis ac festis nostro in templo concionari, minus multi veniebant, licet pauci non essent, quam postea accesserunt.

103. Christianam autem doctrinam diebus veneris docere coeperat; scholastici tantum, qui fere centum et triginta erant, eum audiebant; id expedire visum est, ut in diem dominicum post meridiem ea lectio transferretur; et post explicationem praedictae doctrinae, Evangelium etiam ejus diei moraliter<sup>1</sup> explicabat; et tunc, praeter scholasticos, complures auditores utriusque sexus eum cum fructu audiebant.

104. Per singulas etiam domos primariorum quorundam P. Laurentius sese hominibus illis insinuabat, ut ab inimicitiis

---

<sup>1</sup> Scilicet, ex Evangelii explicatione quaedam educendo ad bonos mores promovendos opportuna.

et aliis peccatis eos retraheret et ad meliora promoveret; et quamvis saepe id, quod cupiebat, non obtineret, aliquando tamen ejus ministerio Dominus corda hujusmodi hominum movebat; et ita quosdam inter se conciliavit, qui gravibus ex causis inimicitias exercebant. Ex his quatuor Domino reconciliati ex hac vita discesserunt. Alii etiam, valetudine bona fruentes, ab eo et aliis nostris adjuti, odia et vindictae affectus reliquerunt. Et ita a diversorum ordinum hominibus variis de causis ad P. Laurentium concurrebatur; et praesertim qui aegrotabant, ut medicum corpori auxilium allaturum, ita eundem Laurentium ut animis mederetur accersebant; et ita multis in locis civitatis uterque medicus simul invisebatur <sup>1</sup>.

105. Accidit etiam, ut cum virguncula quaedam hebraea a parentibus (erant autem non pauci Tybure hebraeorum domus) ad ludum vel scholam christianae mulieris data esset, vel orationibus piis, quae sunt in alphabetario libello, vel honestioribus moribus, quos observabat, commota, vel potius inspiratione Christi illustrata, christiana fieri magnopere cuperet; sed matrem celare suum consilium, quod magistrae aperuerat, voluit. Maritus autem hujus magistrae consuluit P. Laurentium, quid facere in ea re deberet: Pater autem Laurentius ad Gubernatorem <sup>2</sup> rem deduxit, et cum ejus consilio puella Romam ad catechumenorum domum deducta est. Rediens autem Tybur maritus ab auditore quodam Cardinalis Ferrariensis (quem ferebatur a judaeis vel rationibus vel etiam donis oppugnatum) in carcerem coniectus est. Nondum enim puella eos annos excesserat, quibus a potestate parentum subduci posset, et illi sollicite admodum hoc negotium urgebant. Sed puella eam se praebuit, ut facile a Domino electam fuisse cerneretur. Et ita bonus vir ille opera Patris Laurentii libertati restitutus est.

106. Missus fuit Tybur Joannes Valerius, juvenis eruditus

<sup>1</sup> Sic; forte *inveniebatur*; hoc est, *uterque simul medicus apud aegrotos inveniebatur*.

<sup>2</sup> Urbis Tyburtinae Gubernator proprie erat ipse Cardinalis Ferrariensis, donec hoc ipso anno mense Decembri a Paulo IV eo munere exoneratus est. Veram sermonem hic fieri putamus non de Gubernatore sed de ejus *locumtenente*, seu qui ejus nomine civitatem gubernabat; non enim Cardinalis Auditor contra Cardinalis consilium ire fuisset ausus. Jam vero duo successive *locumtenentes* hoc anno Tybure fuere, primus Petrus Ursinus de Ursinis, secundus Joannes de Savii. GIUSTINIANI, *De Vescovi et Governatori di Tivoli*, pag. 161.—Vide Petri Sylvii litteras, e quibus quae hic narrantur desumpta sunt, in *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 604 607.

ac bonus, qui Mutinae cuidam scholae praefuerat <sup>1</sup>, et Romam vocatus ad ethicam vergere videbatur; nam multum sanguinis evomuerat, et quamvis ad tempus vena illa consolidata videbatur, nihilominus ad vomitum sanguinis rediit, tussi quadam molestissima vexatus, et cum totam aetatem extraxisset multis adjutus remediis, quae Roma mittebantur, 29.<sup>a</sup> Augusti, noctu sacramentis acceptis, et usu sensuum et linguae ac iudicii usque ad extremum spiritum retento, cum aedificatione omnium circumstantium ad Dominum migravit. Cum se videret morti vicinum, aliquot tamen ante mortem hebdomadis, id deplorabat interdum, quod, dum sanus esset, voluntatem suam potius, quam obedientiae praescriptum in hoc sectatus fuisset, quod multa scriberet manu sua, quae ad doctrinam pertinebant; et notabat hanc ejus seram poenitentiam (seram, inquit, quod ad temporalem hanc vitam attinet).

107. Magister Petrus Sylvius, qui aliquando a perfectione obedientiae se alienum fuisse, ut superius meminimus <sup>2</sup>, magnopere dolebat, et dum videret adolescentem latini graecique sermonis et non mediocris expectationis sic dolentem, quod ultra obedientiae limites progressus esset in studiis, et hanc propriam voluntatem etiam morte subsequuta punitam; multo magis in bono proposito ne latum quidem unguem ab obedientia recedendi confirmatus est.

108. Hujus loco dedit Dominus alium juvenem Romanum, Joannem Baptistam Peruscum nomine, nobilem et humanioribus litteris praeditum, et qui jam ab aliquot annis mundi vanitatem cognoscens, de statu vitae mutando cogitabat. Hic ergo cum Tybur pro more suo venisset, cum P. Laurentio, nostri Collegii Rectore, de rebus spiritualibus prius quaedam conferens, demum totum suum animum ei detexit; et eo devenit, ut nullius praeterea consiliis uti volens (nam a quibusdam viris religiosius dissuassum ei fuerat, ne religioni ulli se addiceret, et ita eum a suo bono proposito revocabant), se totum manibus P. Ignatii resignavit, ut si ipsi videretur, in Societate Deo serviret; et ita, cum egregiis Dei donis praeditus esset, in Societatem Romae admissus est <sup>3</sup>.

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 81, n. 154, et pag. 107, n. 203.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iii, pag. 20, n. 28, et in hoc vol. v, pag. 50, n. 100.

<sup>3</sup> De P. Joanne Baptista Perusco ejusque gestis et scriptis videri possunt SCHINOSI,

109. Hoc anno D. Laurentius Virilis <sup>1</sup> suo testamento legavit Collegio quinque loca Montis Fidei <sup>2</sup>, quae quingentos aureos vel paulo amplius valebant; quamvis anno sequenti 11.<sup>a</sup> Julii hoc ipsum legatum ab eo fuit renovatum; nec alios reditus quam hos, qui ad 40 aureos vix ascendebant, Collegio, cujus fundator erat, reliquit.

110. Ecclesia nostra hoc etiam anno refecta est, et aliquid subsidii ad hoc ipsum Roma a nostris missum est, et sacellum quoddam et alia, quae ruinam minabantur, concinnata et stabilita fuerunt.

111. Quod ad expensas victus attinet, ex eleemosynis fere nostri Tyburtini vivebant; nec quidquam illis hoc anno rerum necessariarum defuit, quamvis tanta penuria civitas ea premeretur, ut etiam aliqui ex ditioribus ex hordeo panem conficere domi suae cogerentur, quod frumentum quidem ne pecunia emendum inveniebatur; et tamen ex eleemosynis nostri pane ex frumento confecto usi sunt; et quia solitus erat Antonius tempore vindemiae et quo olivae colligebantur, harum rerum eleemosynam per totum annum quaerere, ut hoc idem tempore messis frumenti faceret Romae injunctum ei est; et hac ratione illud collegiolum alebatur <sup>3</sup>.

112. Cum Cardinalis Ferrariensis hac aestate Tybur venisset <sup>4</sup> et domum nostro Collegio vicinam ejus haberet familia, nec tamen tota commode in ea habitaret, ex Collegio nostro cubiculum quoddam ipsis vicinum obtinere nitebantur: et quia sub ditione Cardinalis civitas erat, timebatur ne hoc incommodum esset subeundum. Sed subvenit nobis in ea parte bonus ille frater Valerius <sup>5</sup>, de quo, cum aulici Cardinalis intellexissent quod

*Istoria della Compagnia di Gesù nel regno di Napoli*, RIBADENEIRA, *Scriptores Societatis*; ALLEGAMBE, SOTWELL, *Bibliotheca Scriptorum Societatis*; DE BACKER, SOMMERVOGEL, *Bibliothèque des écrivains de la Compagnie de Jésus*; NADASI, *Annus dierum memorabilium*, 8 Sept.; ex quo brevis notitia transumpta est in Ms., quod appellamus *Menologium Lololaenum*.

<sup>1</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. iv, pag. 207, annot. 2.

<sup>2</sup> *loca Montis Fidei*, scilicet pignorationis schedulas, quae quingentos aureos valebant, et quibus a Monte Fidei per annos singulos aurei vix quadraginta, ut mox ait ipse Polancus, solvebantur.

<sup>3</sup> Eleemosynae tamen, quibus hoc Collegium alebatur, non aliunde veniebant saepe quam ex domo romana, quae, licet tantis, ut vidimus, premeretur angustiis huic charitatis officio non deerat.

<sup>4</sup> Vide supra, pag. 46, n. 92.

<sup>5</sup> Vide supra, pag. 52, n. 106.

in eo cubiculò fuisset, et tamen phthisica feбри laborasset, contagium timentes, desierunt nostris molesti esse; et tamen id temporis domus nostra Tyburtina satis arcta erat.

113. Rogatus fuit Episcopus Tyburtinus <sup>1</sup>, ut ecclesiam S.<sup>ae</sup> Mariae *del Passo* Collegio nostro Tyburtino uniret, paucos enim habebat redditus; et id litteris commendaverat frater ejus Lucius <sup>2</sup>; et libenter id concessit, et pro arbitrato Societatis se uniturum illam promisit.

114. Erat sub altare ecclesiae nostrae Tyburtinae pars quaedam columnae antiquae, quae depictas habebat antiquas quasdam musarum imagines, et hujusmodi antiquitatum Cardinalis amator, columnam hanc (quae alioquin non videbatur decenter sub altari esse cum gentilicas haberet figuras) habere cupiebat, nec nostri, quod in ipsis erat, negandum illi censuerunt.

115. Est autem intra illa <sup>3</sup>, charta quaedam pergamena inventa, quae haec habebat verba: "ANNO DOMINI MILLESIMO CENTESIMO VIGESIMO TERTIO, INDICTIONE 2.<sup>a</sup>, TEMPORE CALLIXTI PAPAE 2.<sup>i</sup>, FUT DEDICATA ECCLESIA S.<sup>ci</sup> SALVATORIS PER R.<sup>mun</sup> EPISCOPUM N. DE GUIDONIS <sup>4</sup>." Erat enim nomen proprium vetustate consumptum. Hoc autem erat nomen ecclesiae nostrae, *Salvatoris*.

116. Erat inter hanc ecclesiam et domum nostram area

<sup>1</sup> Is nunc erat Joannes Andreas Croce, qui plus Societati favit quam ejus praecessor et patruus Marcus Antonius. Vide supra, t. II, pag. 16, n. 30, et pag. 18, n. 33 et 34.

<sup>2</sup> Lucius Croce, qui Valentiae in Hispania tunc temporis degebat. Vide supra, t. IV, pag. 339, annot. 3.

<sup>3</sup> Sic; rectius forte *infra illam*, scilicet, *columnam*.

<sup>4</sup> Ita perspicue in Ms.; sed difficultas quaedam est in Episcopi nomine, quem tyburtinum praesumimus, licet in inscriptione non exprimitur. Eritne hic Guido de Guidonis, sic appellatus ut Antoninus de Antoninis, Henricus de Henricis, et alii innumer? Est quidem Episcopus quidam Tyburtinus nomine *Guido*, qui bullas subscripsit Honorii II, Callixti II immediate successoris, a 7 Martii 1125 ad 21 Julii 1126, et Innocentii II a 2 Nov. 1130 ad 14 Aprilis 1139 (Vide JAFFE, *Regesta Pontificum Romanorum*, t. I, pag. 823 et 840). Sed hunc, quem *Vido* appellat UGHELLI, *Italia sacra*, t. I, col. 1308, et *Wido*, col. 1554, Episcopum Tyburtinum facit GAMS a die 7 Martii 1125; ubi jure mirari quis posset hunc Guidonem eadem die esse Tyburtinum Episcopum et bullas Pontificis subscribere incoepisse; ni velimus ulcere, quod ita esse credimus, a cl. GAMS hanc diem 7 Martii 1125 huic Episcopo assignatam non quod illa sit dies in qua Tyburtinam Sedem ille primo adiit, sed quod antiquior sit, quae in veteribus monumentis reperitur, in qua certum est illum jam hanc Sedem adiisse; non secus ac FRANCISCUS MARTII, dum in *Historia ampliata di Tivoli* seriem exponit Episcoporum Tyburtinorum, huic Guidoni annum praeposit 1134, quia UGHELLI, quem sequitur, nihil de eo antiquius enarrat quam quod anno 1134 "ab Innocentio II roseo galero condecoratus est."

quaedam publicae viae conjuncta, quam civitas Collegio anno proxime elapso dederat. Cum autem muro claudenda esset area, vicinus quidam, nomine Andreas Piluchi, nobis simul cum aliis adversarius erat <sup>1</sup>; vir aliqui nobis amicus et fundatori Collegii Tyburtini sanguine conjunctus; sed cupiebat ille, propter domus suae ornamentum et commoditatem, viam quamdam publicam per aream illam nobis donatam protendi; quae, cum divideret ecclesiam a domo nostra, gravi incommodo collegium afficiebat. Sequebatur etiam praeter hoc incommodum, ut quaedam domuncula ipsius ecclesiae, cum bona parte ipsius areae nostris adimeretur, ut in publicam illam viam cederet.

117. Nitebantur etiam aliqui ulterius progredi; ut scilicet Cardinali Ferrariensi persuaderent ut nostris domum suam adimeret, et aliam alio loco habitandam nostris emeret, quia familia ipsius Cardinalis commode domum hanc nostram conjungere cum alia poterat, ut minus arcte familia ejus habitaret. Et tamen situs et aër nostrae domus commodissimus ac saluberrimus erat et in ipsius urbis medio; et urgebat fundator D. Laurentius Virilis, ut domus quaedam nostrae conjuncta cum area quadam media, vel emptione vel conductione, a nostris caperetur ne alius eam emeret (erat enim cujusdam medici absentis); et ipse <sup>2</sup> pretium, quo conduceretur, solvere volebat, donec emi posset, ut postea pecunia domus Romanae empta est.

118. Nostri ergo nitebantur litteras a magistratu obtinere (*Caput militiae* <sup>3</sup> vocant), ut a Cardinale Ferrariensi facultas obtineretur ad aream praedictam muro claudendam et domui nostrae jungendam; sed ille ipse militiae caput, qui litteras promiserat, paulo post clare dixit prohibitum fuisse a Cardinale ne id faceret; et potius credebatur, quod vellet aliis gratificari quam nostris.

119. Interim cum Cardinalis Tybur venisset et jubilaum, de quo superius mentio facta est <sup>4</sup>, Tybure esset promulgandum, per litteras rogavit Cardinalis Patrem Ignatium ut aliquem ex nostris ad ejus promulgationem mitteret. Cum ergo P. Bene

<sup>1</sup> Hic in ora paginae scripsit SACCHINI: "Andreas Piluchi adversatur ne claudatur via; caeteroqui amicus. Is deinde etiam domum suam Collegio legavit quae pervenuta est et vocatur hodie *la Piluccha*."

<sup>2</sup> Laurentius Virilis.

<sup>3</sup> *Capomilizia*.

<sup>4</sup> Vide supra, pag. 46, n. 92.

dictum Palmium eo misisset quodam die sabbati sub finem Julii, nunciatum est Cardinali, et voluit ut die dominico sequenti post meridiem concionaretur, et interfuit ipse concioni cum Archiepiscopo Senensi <sup>1</sup> et Episcopis Tyburtino <sup>2</sup>, Caesenati <sup>3</sup> et Jacomello <sup>4</sup>, ac tota familia et frequenti admodum populo. Et ita omnibus haec concio placuit, ut omnibus desiderium excitaverit ejusdem aliam concionem audiendi in eadem ecclesia, scilicet cathedrali.

120. Institit autem Cardinalis ut tota illa hebdomada Tybure maneret, ut concionaretur tribus diebus, quibus jejunandum erat, et die dominica sequenti, qua sanctissimam communionem erant accepturi; et his quatuor vel quinque concionibus commovit et ad sacram confessionem et Eucharistiam suscipiendam inflammavit.

121. Ut autem Cardinalis cum toto suo comitatu semper eum attentissime audierat, ita cum eodem, spectante populo, post solemne Sacrum Episcopi <sup>5</sup> cum amplissima sua familia sanctissimum Christi corpus accepit; cujus exemplum Tyburtinis ad pietatem et religionem acutissimum calcar adjecit, et eos nunquam alias tanta frequentia quanta tunc ad sacramenta venisse compertum fuit.

122. Ipsum porro P. Benedictum singulari benevolentia et humanitate prosequebatur, et illis diebus, quibus praedicaturus non erat, accersebat eum ut apud se pranderet; immo significabat, si non timuisset impedimentum, quod penes se ipsum semper habere vellet, ut de iisdem rebus loqueretur cum eo, de quibus in concionibus disserebat; et magna cum consolatione et spirituali gustu ea audiebat, quae ad renovationem vitae pertinebant necessariam, ut Christi benedictione et gloria christianus frui posset; nam de his tantum in omnibus concionibus agebat. Praeceperat autem Cardinalis, ut nullus esset de familia sua, qui non se ad jubilaeum obtinendum pararet, quos etiam privata exhortatione instruxit. Tam multi autem communicarunt, ut solus Episcopus Jacomellus, qui Missam decantaverat, septin-

<sup>1</sup> Franciscus Bandini. Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 279.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 55, n. 118, annot. 2.

<sup>3</sup> Joannes Baptista Spiriti, coadjutor Christophori Spiriti.

<sup>4</sup> Caesar Jacomelli, Belcastrensis Episcopus.

<sup>5</sup> Vide infra, n. seq.



gentos communicaverit. Omnes etiam aliae ecclesiae in communionibus occupatae fuerunt.

123. Aliquando etiam Cardinalis post prandium volebat in mensa repeti a P. Benedicto quae concionatus fuerat; et eum sequentes, et alii praelati Cardinalis summam benevolentiam ei exhibebant. Cum autem valediceret Cardinali ut Romam rediret, magnopere ipsum retinere apud se nitebatur; sed cum rationes redderet cur redeundum ipsi Romam esset, inter quas obedientia superiorum primum locum habebat, admisit excusationem Cardinalis, et suis litteris ad P. Ignatium P. Benedictum est comitatus; quibus gratias agebat de concionatore misso, valde officiose, et consolationem ac fructum spiritualem ex ejus opera consecuta significabat; et quia P. Ignatius intelligens quod optasset Benedictum apud se retinere, rescripsit Cardinali <sup>1</sup>, et excusando recessum ipsius P. Benedicti, ejus operam offerret, si vellet eum ad se remitti; et haec benevolentiae significatio Cardinali gratissima fuit; et quamvis pergratum ipsi futurum esset penes se P. Benedictum aliquando habere, noluit nostram ecclesiam hoc incommodo afficere, cum Romam esset brevi rediturus; et ex obedientia P. Benedicti, qua Romam redire voluerat, aedificationem se accepisse Cardinalis significabat, cum non ignoraret ea esse praecipua religionum fundamenta.

124. Praeter spiritualem fructum ex praedicatione P. Benedicti provenientem, temporalem etiam sensit Collegium Tyburtinum; nam voluit [Cardinalis] ut nostri murum illum aedificarent, de quo superius egimus <sup>2</sup>, quo area claudebatur et ecclesia domui conjungebatur; et misit suum architectum cum aliis, ut locum designarent, ac filum ducerent ad murum erigendum ut pro suo arbitratu eum nostri aedificarent; et 25 aureos in eleemosynam misit ad aedificii auxilium; et ita 24. <sup>3</sup> Augusti illius fundamenta jecerunt, et ita ad quindecim palmarum altitudinem erexerunt. Postea etiam, adjuti aliunde, altius illum produserunt; nam fundator Collegii subsidium aliquod promisit: et ita ad hoc opus absolvendum et ecclesiam in meliorem formam reducendam, operam magistri Laurentii, fabri caemen-

<sup>1</sup> Vide hoc Ignatii responsum in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 278.

<sup>2</sup> Pag. 55, n. 116.

tarii ac fratris nostri <sup>1</sup>, a P. Ignatio obtinuerunt. Opportune autem hoc favore Cardinalis Ferrariensis nostri tunc usi sunt; nam paulo post, cum Paulo Pontifice Maximo Cardinalis idem, quasdam ob causas, parum gratus esset, ei administrationem civitatis Tyburtinae ademit <sup>2</sup>.

125. In ecclesia nostra S.<sup>tae</sup> Mariae *del Passo* heremita quidam constitutus est, ut apertam ecclesiae portam tenere posset et domum inhabitare, ac sic nostros eo labore levare.

126. Mortua est hoc anno religiosa ac devota foemina Lucia Cynthia <sup>3</sup>, quae hortum cum vinea collegio Tyburtino donaverat; quamvis quidam ejus consanguineus, ut assolet, impedire voluit; sed per compositionem demum res est transacta, et in Collegii potestatem hortus ille devenit, in quo illa thesaurum quemdam jacere suspicabatur; sed vivens locum illum effodiendum curavit, et facile illusionem aut deceptionem fuisse, quod cogitaverat, intellexit.

127. Magnam auctoritatem et quietem etiam a molestiis oblocutorum pepererat nostris Cardinalis Ferrariensis favor; et ita magna in pace nostri agebant, et qui familiaritate nostrorum in spiritu ac virtute progressus aliquos faciebant, statim desiderio alios lucrificandi Christo accendebantur.

128. Archiepiscopus Senensis <sup>4</sup>, qui in familia Cardinalis Ferrariensis erat, occasione concionum P. Benedicti commotus, cujus conciones tantopere probari videbat, P. Ignatio scripsit rogavitque aliquos de Societate nostra Senas mitteret, ubi in bellis atque aliis incommodis ingens numerus sacerdotum ejus dioecesis defecerat, vel moriendo vel alio recedendo; et

<sup>1</sup> Erat is Laurentius Tristan, de quo jam supra, t. iv, pag. 9, annot. 8. Vide FLUVIA, *Vita de San Ignacio*, lib. vii, cap. iii; STEWART ROSE, l. c., lib. iv, cap. iv.

<sup>2</sup> "Doppo dunque il Cardinal Colonna fu Governadore di Tivoli nel 1530 Hercole Gonzaga, Cardinal di Mantova; nel 1535 il Nepote di Papa Paolo Terzo, Alessandro Cardinal Farnese, e poscia nel 1538 Gio Domenico Cardinale de Cupis, et indi nel 1549 Hippolito D'Este, Cardinal di Ferrara; et essendo nel 1555 stata da Paolo Quarto riconceduta la Città al Popolo Romano, fu da esso con grand' honore inviato a Tivoli per il primo Governadore Angelo, padre del Marchese Baldassare Paluzzi Albertini, Patriotto Romano; ma venne in breve la Camera Apostolica reintegrata nel dominio et il Cardinal di Ferrara nel governo della medesima Città...., MARTII, *Historia ampliata di Tivoli*, lib. i.

<sup>3</sup> Vide supra, t. ii, pag. 19, n. 35.

<sup>4</sup> Franciscus Bandini. Antiqua jam cum bono hoc Praelato fuerat Ignatio ejusque sociis consuetudo, ut videre est in *Cartas de San Ignacio*, t. i, pag. 86; et ORLANDINI, *Hist. Soc. Jes.*, lib. ii, n. 92.

hoc sibi desiderium antiquum fuisse scribebat, sed praedictis concionibus inflammatus [magis erat]; et quamvis statim missi nostri non fuerint, significavit tamen P. Ignatius se, cum commode facere posset, aliquos eo missurum <sup>1</sup>.

Et haec de Tyburtino Collegio.

---

<sup>1</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 279 et 397.

## DE PROVINCIA ITALIAE CITRA ROMAM,

### AC PRAECIPUE DE COLLEGIO PERUSINO.

129. P. Everardus <sup>1</sup> hoc etiam anno Collegio Perusino prae-fuit, in quo paupertatem, sed simul etiam Dei providentiam, egregie experiri licuit. Quemdam in Societatem initio hujus anni nomine Antonium, perusinum, admisit: quosdam alios, ibidem ad Societatis institutum sectandum commotos, Romam direxit; et duo bonae indolis adolescentes ex his admissi Romae fuerunt <sup>2</sup>.

130. Erat primis mensibus hujus anni prolegatus Episcopus Cenetensis <sup>3</sup>, et impense Collegio Perusino favebat; et cum initio hujus anni jubilaei gratia Perusii obtineretur, nostro in templo, sicut alias, tunc etiam obtineri voluit, et praeclarae messis causa fuit; multas enim animas divina bonitas illis diebus ad salutis statum, nostrorum opera, reduxit; et quidem cum magna civitatis aedificatione; eleemosynis etiam quibusdam, hac occasione, paupertas nostrorum fuit ex parte sublevata.

131. Spiritualia exercitia quibusdam cum magno fructu proposita fuerunt. Mulier quaedam, parum honeste vivens, nostrorum templum ingressa, a quodam ex nostris ad resipiscendum commota fuit, et dote ex eleemosynis quaesita, nuptui tradita est.

---

<sup>1</sup> P. Everardus Mercurianus.

<sup>2</sup> De his ita Polancus, *ex com.*, Patri Everardo 5 Januarii: "Non ho potuto mancare di accompagnare queste di Mtro. Petronio con una nostra avisando V. R. come oltre a Cincinato, il quale sta in casa, etiam Lanzilotto si è risoluto di far il medesimo, et il medesimo Mtro. Petronio più che tutti. Job solo non è al tutto risoluto; pure anche lui desidera esser accettato nel collegio, il che si farà per servire in quello et non per studiare, et lui si contenta di ciò. Finalmente è da credere che tutti quattro vorranno servire a Dio N. S."

<sup>3</sup> Michael de la Torre. Vide supra, pag. 44, n. 82, annot. 1.

132. Vicarius novus erat Dr. Marcus Antonius Oradinus, qui ab initio Collegii fautor fuerat <sup>1</sup>, et ita, quantum commode potuit, de nostris bene mereri perseveravit.

133. Aliquando, quod pauci essent nostri sacerdotes, usque ad duas noctis horas impransi ad audiendas confessiones perseverabant; el licet P. Joannes Catalanus missus fuerit Genuam, et duo tantum sacerdotes ibi relictis essent, ipse scilicet Rector et Andreas Galvanellus, multorum instar, ob assiduos labores et uberem fructum, esse videbantur; nam P. Andreas pro sua charitate infatigabilis quodammodo esse videbatur, tum in audiendis confessionibus, tum in concionibus habendis, ad quas a compluribus congregationibus piorum <sup>2</sup> hominum Perusii evocabatur; nec domi nostrae et aliis in locis christianae doctrinae et praedicationum usus intermissus est, quamvis magnopere concionatorem aliquem amici nostri, et etiam ipse Rector, expeterent, et auxit hoc desiderium P. Jacobus Laynez, qui Perusio Lauretum, et inde Romam transiit; semel enim Perusii concionatus, summum suum desiderium excitavit.

134. Proponebat autem ipse P. Everardus verbum Dei in templo nostro, quamvis aliis plurimis occupationibus esset districtus.

135. Complures virgines, eorum opera, Christi consiliis obtemperantes, religiosum vitae institutum amplexae sunt. Plerique etiam juvenes ad religionem amplectendam a Deo, nostro ministerio, vocabantur. Quidam etiam, qui extra religionem, quam professus fuerat, vagabatur, spiritualibus exercitiis adjutus et ad meliorem mentem revocatus, cum non illi liceret ad priorem religionem redire, Patris Everardi consilio usus, ad aliam se contulit. Consilii capiendi gratia in conscientiae casibus et aliis in rebus permulti ad P. Everardum conveniebant, et quidem aliquando ab eo responsa accipiebant et sectabantur, ex quibus magnum Dei obsequium et honor consequabatur; nam aliqui se ipsos, domus et rem familiarem omnem

<sup>1</sup> Vide supra, t. n, pag. 438, n. 49.—"Marc' Antonio Oradini si scopri di sì elevato ingegno in ogni genere di virtù, e particolarmente nelle scienze Legali, che non degenerò da Giulio, suo fratello, Auditore della sacra Ruota; hebbe la Lettura prima dell' Ordinario Civile nello studio di Perugia; trasferitosi poi alla Corte, meritò che il santo Pontefice Pio Quinto lo creasse Vescovo di Utica, et anco lo mandasse Suffraganeo nel Vescovato di Mantova al Cardinale Gonzaga; morì con gloriosa fama d'integer, rimò e zelantissimo Pastore nell' anno 1566." CRISPOLTI, *Perugia Augusta*, lib. III, cap. 2.

<sup>2</sup> In Ms. *qui horum*.

ejus arbitrio committebant; et haec ejus auctoritas ad componendas multorum discordias et lites extinguendas multum juvabat. Aliqui enim fatebantur se numquam, nisi per eum, in amicitiam redire potuisse, cum tamen ex eorum similitudinibus magna utrisque pericula impenderent; et quamvis perpauci essent, ut dixi, sacerdotes, tempus aliquando inveniebant, quo aegrotantes invisere et consolari, et etiam in carcere detentos, et alios afflictos sublevare et ad pietatem inducere possent. Nec minus frequens erat eorum numerus, qui crebro nostris confiteri et in ecclesia nostra communicare solebant; immo et augebatur.

136. Utebatur etiam Vicarius opera utriusque sacerdotis <sup>1</sup> ad res plurimas, et praesertim ad monialium vitam recte instituendam.

137. Interamnenses, collegium aliquod nostrae Societatis cupientes <sup>2</sup>, Perusii etiam suum hoc desiderium nostris explicarunt, omnia esse parata, et domum et res ad victum necessarias dicebant; sed neque horum voluntati neque Spoletanae civitatis <sup>3</sup> satisfieri commode poterat.

138. Erat Spoleti, loco Cardinalis Perusini, qui eam ecclesiam obtinuerat, Perusina relicta <sup>4</sup>, Vicarius Dr. Joannes Oliva, qui diu Perusii Vicarius fuerat, cum idem Cardinalis Episcopatum illum teneret; ille scripsit 22.<sup>a</sup> Januarii P. Ignatio civitatem illam, quod esset in itinere <sup>5</sup> et populum haberet docilem et ad religionem propensum, idoneum sibi videri ut collegium in ea institueretur, et se disposuisse cives, ajebat, ut hoc collegium instituerent: jam domum praeparari Cathedrali ecclesiae vicinam, et quae necessaria essent ad victum nostrorum cives daturus esse. Petebat autem ut P. Everardus eo mitteretur, qui locum inspiceret. Cardinalis etiam Fulvius Corneus, Perusinus, ad hoc ipsum nostros sollicitavit <sup>6</sup>.

139. Contulit ergo se Spoletum P. Everardus cum Mag. Ed-

<sup>1</sup> Rectoris, scilicet, et Andreae Galvanelli.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 144, n. 289.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 10, n. 11.

<sup>4</sup> Fulvius Corneus, Cardinalis Perusinus, Perusio Spoletum translatus fuit 26.<sup>a</sup> Martii 1558, cui Perusii successit ejus affinis, Hippolytus item Corneus.

<sup>5</sup> Quod Roma Perusium ducebat.

<sup>6</sup> Ignatii responsum ad has Spoletini Vicarii litteras habes in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 50 et 352.

mundo Augerio post medium Februarium, ut tam Cardinali quam Patri nostro referret quomodo se res haberent. Et quod attinet ad domus situm, laudabat, cum in medio urbis esset, et septem vel octo ex nostris ibidem habitare possent, interim dum alia commodiora cubacula a quibusdam civibus, a communitate deputatis, fierent; qui etiam novum sacellum aedificare volebant, ut Missis dicendis et confessionibus audiendis inserviret; nam ad concionandum conjuncta erat Cathedralis ecclesia.

140. Fecerat autem decretum suo in concilio civitas, ut nostris daretur, loco eleemosynae, salarium illud, quod magistro scholae dari solitum erat; et alia quaedam emolumenta, quae centum aureos non excedebant, ut certa designabant; quatuor etiam cives electi ad ea, quae opportuna essent collegio, providenda; publica auctoritate scholas urbis cum domo praedicta et usum ecclesiae concedebant; et magnopere videbantur nostrorum adventum expectare; nam ludimagistrum dimiserunt, viginti aureos illi donando, ut loco cederet; nec ullus reliquus erat, qui juventutem Spoletanam institueret, dum brevi venturum collegium spectabant; nam Vicarius alteris litteris, ad P. Ignatium datis, satis significabat se promississe non futuram esse nostrorum operam Spoletanis; et se non sine rubore passurum esse repulsam significabat; et Laureto mitti posse Patrem aliquem, qui praeesset collegio; Perusio autem Mag. Edmundum, qui scholis praeesset, mitti posse: alios autem facile Roma mitti posse. Addebat etiam P. Everardus, quod commoverat Vicarius permultos ut frequenter ad sacramenta accederent, et nostri id viderunt cum magna sua aedificatione 17.<sup>a</sup> Februarii, qua fere ducentos in Cathedrali ecclesia communicantes observarunt.

141. Erat nihilominus habitatio domus obnoxia et exposita fenestris vicinorum; declarandum etiam censebat, an praeter illos centum aureos, quatuor deputati necessaria collegio ministraturi essent; neque enim Vicario onus illud relinquendum censebat. Patri Ignatio non magnopere properandum in hoc negotio visum est; constituerat enim collegium non admittere ubi 14 saltem ex nostris sustentari non possent<sup>1</sup>; et hone-

<sup>1</sup> Vide supra, t. III. pag. 78, n. 145, et t. IV. pag. 84, n. 151. annot. 2.

stis verbis civitati et Vicario satisfecit, re in aliud tempus rejecta.

142. Cum autem, mortuo Pontifice Julio, Spoletana ecclesia relinquenda fuit Cardinali Perusino (nam ad illam Cardinalis Farnesius jus habebat <sup>1</sup>), etiam et ipse Vicarius Spoletino, intra paucos menses, dum haec agebantur, recessit; de quo inferius agendum erit <sup>2</sup>.

143. Rediens autem Perusium P. Everardus, ac Fulgino transiens, quaedam confraternitas, quae ibi est, de collegio etiam inducendo in eam urbem se sollicitam ostendebat: sed haec desideria cum aliis multis communia habebant.

144. Quatuor ex nostris, qui Perusii habitabant, Romam missi sunt; sed alii eorum loco excepti, quamvis arctissime nostri habitarent <sup>3</sup>. Unus autem eorum, Antonius Maria nomine, qui duos annos continuos aegritudine laboraverat, quarta die Octobris ad Dominum migravit, paulo postquam Extremam-Uctionem accepisset, diuturnae patientiae praemium, ut sperabat, a Deo accepturus <sup>4</sup>.

145. Cum ante Quadragesimam, et etiam in ipsa Quadragesima, multi sacramentorum ministerio adjuti essent, aliquae peccatrices publicae a turpi vita reductae nostrorum opera fuerunt. Et agebatur de loco aliquo Perusii inveniando, ubi hujusmodi mulieres resipiscentes religiose vivere possent, ut in monasteriis conversarum, ut vocant, fieri solet.

146. Inter ea, quae magno cum fructu ministerio Patris Andreae in monasteriis gesta sunt, illud prae ceteris fuit notatu dignum, quod in praesentia Vicarii et Patris ejusdem Andreae, sine cujusquam contradictione, coram notario promiserunt moniales quidquid proprium habebant relinquere, et ad communem vivendi rationem, quam Episcopus cito venturus eis praescripsisset, [sese accommodare].

<sup>1</sup> "Fulvius Cardinalis Cornaeus Perusinus a Julio III hanc obtinuit ecclesiam 1553 die 26 mensis Martii; eodemque jure ac possessione spoliatus est a Paulo IV in favorem Farnesii, qui cum illam ecclesiam ad annos aliquot administrasset, eo munere libens volensque abivit." UGHELLI, l. c., t. I, col. 1269.

<sup>2</sup> N. 147.

<sup>3</sup> Horum quidam non ideo Romam missi sunt ut studiorum suorum curriculum perficerent, sed potius ut experimentum de eis sumeretur utrum in Societate retineri vel ab ea dimitti eos oporteret, ut Hieronymus quidam et alius Thomas, de quibus fuse Polancus Patri Everardo Mercuriano 12.<sup>a</sup> Januarii hujus anni 1553.

<sup>4</sup> Vide supra, t. IV, pag. 158, n. 320.



147. Vicarius ille Spoletanus <sup>1</sup>, ab officio quod administrabat liberatus, ac Perusium rediens, spiritualia exercitia a Patre Everardo sibi proponi postulavit; in quibus cum non mediocriter profecisset, Societatem nostram ingredi constituit; et quidem satis ferventer se praeparare videbatur ad contradictiones, quas Romae expectabat; et nihil videbatur ipsi accidere posse, quod eum averteret a proposito semel concepto; et ita, rebus suis compositis, Romam venit, ut domi nostrae, quod Dominus inspirabat, exequeretur. Sed quidam ejus frater, qui hanc ejus. deliberationem iniquo animo ferebat, Romam veniens ad eum a suo proposito revocandum, sic se gessit, ut primis in initiis probationis, cum vixdum per pauculos dies domi nostrae fuisset, omnem illam constantiam, quam sibi pollicebatur, superari permiserit; ac Patri Everardo scripsit, se eo animo ad domum Societatis venisse, ut experiretur an se posset ejus institutis accommodare; et his consideratis, quae nostra Societas a suis requirit, et ipsius obligatione ad paternam domum, dicebat se a Societate abduci; quamvis nihil aliud tunc occurreret, quod melius esset.

148. Hic post aliquot annos ad Archiepiscopatum Theatinum assumptus est, quo in munere quomodo se gesserit ipse viderit; sed populi clamores contra ipsum apud Pontificem ejusmodi fuerunt, ut timerent aliqui quod ecclesia illa privandus esset <sup>2</sup>. Frater autem, qui tam sollicite a religioso instituto eum averterat, praemium accepit ab eodem Archiepiscopo, a cujus gratia excidit, et in paupertate et molestiis magnis vitam

<sup>1</sup> Joannes Oliva, de quo supra, pag. 65, n. 142.

<sup>2</sup> Nondum Joannis Olivae causa Romae finita erat, dum haec de eo scribebat Polancus; ideo de ejus innocentia suspensum reliquit judicium. Caeterum haec breviter de eo ait UGHELL: "Joannes Oliva, Perusinus, Juris Utriusque celeberrimus Doctor, ex sua virtutum fama ad Archiepiscopalem Sedem Teantinam evectus est a Pio V. die 12 Januarii 1568. munus consecrationis accepit die 25. ejusdem, pallio insignitus 8. Febr. mox ad Ecclesiam suam profectus, coepit illam sollicite administrare; sed cum in corrigendis moribus, tollendis abusibus, in ecclesiastica jurisdictione tuenda acerrimus index evasisset, invidiorum multorum indignationem incurrit, quamobrem ab eorum lingua dolosa apud Pontificem de quibusdam criminibus insimulatus, canonice suam coactus est probare innocentiam, quam cum eximie fecisset, impios fugavit aemulos, et gratiam Pontificis promeruit locupletiolem. Ea innocentia conspicuus Ecclesiam Clero ad veterem disciplinam ex Tridentini Concilii legibus revocato, ac populo ad Christianam pietatem informato, excultoq. et instituto Clericorum Seminario, eximie annis 9 administravit; laboribus tandem, et senio fessus decessit ex hac lacrymarum valle mense Octobris 1577, sepultus in sua Metropolitana Ecclesia., L. c., t. vi, col. 761.

exegit. Excidit etiam ipse Dr. Oliva in patria sua a magna populi existimatione.

149. Religiosi ordinis camaldulensis monasterium quoddam, decem millibus passuum Perusio distans, habent, cognomine *De la frata*<sup>1</sup>. Hujus monasterii *Major* (sic vocant suum Praepositum) Patrem Everardum rogabat, ut aliquem mitteret ex nostris, qui spiritualia exercitia suis religiosis proponeret; sed paucitas operariorum cum id non permetteret propter magnas occupationes, quas Perusii habebant, potius religiosos Perusium ad hoc ipsum mittendos P. Everardus censuit; neque enim relinquenda videbatur ullo modo messis perusina, cum multae animae, quae periculose admodum et diu aberraverant, cum magno ipsarum profectu et aliorum aedificatione, post generales confessiones, ad Dominum reducebantur.

150. Quod ad scholas attinet, crebro studiosi juvenes in pronuntiandis publicis orationibus et carminibus exercebantur; et cum nobilis cujusdam filius sub initium hujus anni hujusmodi orationem habuisset, et duo alii, ante orationem unus, et alter, ea perorata, apposite versus quosdam recitasset, sic auditoribus satisfactum est, ut quidam doctores dicerent jam cerni fructum scholae nostrae, propter quem gratias Deo maximas civitas ea agere deberet. Et quo magis hujusmodi exercitationes considerabantur a civibus, eo molestius ferebant quod suos filios subtraxerant, et remittere eos cupiebant. Crevit autem numerus ad 130, qui dediti nostrae scholae institutis aequae ad bonos mores ut ad doctrinam informabantur.

151. In Bacchanalibus ante Quadragesimam dialogus contra corruptos ea tempestate hominum mores coram Prolegato et aliis primoribus civitatis est habitus, a quibus pueri actores

---

<sup>1</sup> Sermo est de eremo seu monasterio Camaldulensium dicto *de Monte Corona*. "Fu poscia questo luogo (eremus *de Monte Corona*) deputato per decreto del Capitolo generale de' Padri come Rocca et capo di tutta la Religione, che in esso il Capo de' gli Eremiti, che chiamasi *il Maggiore*, facesse residenza, et che ancora vi risedessero i Visitatori et il Priore del luogo, sopra i quali sia tutto il peso del governo, et da i quali gli altri luoghi et Romitorii tutti traggono consiglio, agiuto et modo di ben governarsi, il che fu determinato non solo per l'alteza del Monte et per la temperie dell'aria, che per questo vogliono sia chiamato Monte Corona, quasi *Corona Montium*, ma etiamdio per essere i luoghi d'intorno ameni et di tutte le cose necessarie abbondanti..... da Mezo giorno si escorge il celebre lago Trasimeno, et l'Augusta Città di Perugia, dalla quale è questo eremo dieci miglia distante; dall'Occidente et dal Settentrione si vede l'ameno territorio del nobile et grosso Castello della Fratta che giace alla riva del Tevere.....", CESARE CRISPOLTI, l. c., lib. II, cap. 5.

valde laudati sunt, et nostrum tam docendi quam vivendi institutum summopere palam est comprobatum. Et incipiebat civitas sic favere nostris, ut in scholis publicis sperarent amici posse facile nostros admitti, ut rhetoricam et graecas litteras profiterentur: nam crebra orationum recitatio (singulis enim diebus sabbati in prima classe, saepius autem multis externis et gravioribus viris spectantibus) habebatur.

152. Vicarius igitur cum quibusdam ex civibus amicis Gubernatorem sunt allocuti (is autem erat Episcopus Chauae<sup>1</sup> qui successerat Cenetensi) ut aliquis ex nostro Collegio, et nominatim magister Antonius Viperanus, in publicis universitatis scholis duas lectiones praelegeret, quas praeparaverat ut in nostris interpretaretur; alteram scilicet rhetorices, et alteram graecarum litterarum; unus enim erat in universitate id temporis, qui has litteras profiteretur, et id civitati futurum honori, et discipulis, qui id saepe postulaverant, pergratum fore affirmabant.

153. Placuit Gubernatori haec audire; sed quia ipse peritus erat artis oratoriae, voluit periculum facere, num melius Viperanus, quam alii duo, qui publice litteras humaniores profitebantur, melius hoc munus obire posset. Tribus ergo jam dictis injunxit ut orationem simul componerent, quae initio studiorum ejus academiae haberi in cathedrali ecclesia solebat, et optimam ex illis se electurum dicebat. Electa fuit ergo ea oratio, quam Joannes Antonius Viperanus concinnaverat, quam eo loco dignam existimavit. Fuit autem illa et ipsi Gubernatori et aliis doctoribus et scholasticis gratissima. Aliqui etiam tam pulchram [nullam] se audivisse ajebant; nec mirum, quia fere eadem singulis annis repetita audire soliti erant. Sed in oratione Viperani nova et materia et forma erat.

154. Consulto autem P. Ignatio an publicam illam lectionem profiteri posset Viperanus, rem aggressus est; et eum habuit successum, ut nullus ex publicis professoribus similem auditorum concursum haberet. Et praeter nobiles Perusinos, quidam etiam externi eum audiebant, ut duo nepotes Marcelli Pontificis<sup>2</sup>, nepos quidam Ducis Atrii et Cardinalis Farnesii,

<sup>1</sup> Sic; est autem *Cavae*, Thomas Caselli, O. P.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 15, n. 17, annot. 1.

cujusdam etiam Marchionis et alterius Comitis et complurium nobilium filii, qui studii gratia ad eam universitatem venerant; et omnes fere centum numero erant, praeter nostrarum scholarum privatarum auditores, quae his publicis conjunctae vel contiguae erant; et cum admiratione adolescentem adhuc magistrum Joannem Antonium audiebant, et ipsi etiam professores humaniorum litterarum magnopere probabant, ac se non existimasse fatebantur tantae eruditionis esse clericos reformatos (sic enim nostros vocabant). Magistratus autem et ipse Gubernator cum canonicis et doctoribus et aliis, qui primam lectionem audierunt, nullum finem laudandi faciebant.

155. P. Petrus Ribadeneyra, Perusio transiens, cum ad Curiam Imperatoris mitteretur simul cum quinque aliis<sup>1</sup>; Pater etiam Natalis, qui in Hispaniam hoc autumno cum sociis (ut superius diximus<sup>2</sup>) missus erat, repraesentari audierunt dialogum quemdam, alterum ab alio, de quo superius memini<sup>3</sup>, sed ab eodem Viperano compositum, qui omnibus magnopere probatus est: et publica ejus actio, paulo post renovationem studiorum, coram Gubernatore, magistratu et aliis primariis viris repraesentata, et ecloga quaedam circa festa natalitia, ad solemnitatem eandem pertinens, magnopere omnibus probabantur et scholis nostris auctoritatem augebant.

156. Quod ad victus rationem attinet, cum Perusii esset Prolegatus, Episcopus Cenedae, magnam nostris charitatem ostendebat, et se procuratorem Collegii esse velle profitebatur, ne in illa communi penuria frumentum nostris deesset. Vicarius etiam Episcopi, Marcus Antonius Oradinus subsidia crebro nostris mittebat, et perinde ac si propria esset, nostrae compatiebatur penuriae. Quidam etiam vir bonus, civis, qui in gratiam unici filii praedium cujusdam abbatae acceperat ad tertiam generationem, demortuo filio, Societati id dare constituit, et coram Vicario dixit Collegii futuros quadringentos vel quingentos aureos ejus praedii, quod ad meliorem formam expenderat<sup>4</sup>; quamvis hoc praesens remedium non fuerit.

---

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 41, n. 73.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 40, n. 72.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 67, n. 151.

<sup>4</sup> Sic; *redegerat?*, *excoluerat?* Postremum hoc magis congruit quibusdam haud satis perspicuis Polanci verbis in epistola mense Februario hujus anni ad Patrem Evc-rardum data.

157. Modus interim, quo nostri eleemosynas accipiebant ex quibusdam confraternitatibus, et difficilis erat, et non sine periculo et detrimento fructus spiritualis. Vix enim fieri poterat ut, quae a nostris ad spirituale hominum auxilium sincere fiebant, sine intentione temporalis commodi fieri crederent; et ita merito aliam rationem illius Collegii fundandi atque alendi [nostri] cupiebant.

158. Cardinalis Fulvius Corneus, Perusinus, ad hoc usque tempus auxilia quaedam nostris subministrari jubebat, sed de suis redditibus Collegium non alebat. Scripsit autem suo Vicario, ut gubernatorem urgeret, ut nostris eleemosynam a quibusdam piis locis curaret subministrari. Qui scholis praeerant saecularium ludimagistrorum, quadraginta aureos, id est, unius praeceptoris stipendium, nostris dederant: sub anni finem 140 florenos, id est, duorum ludimagistrorum stipendia dederunt. Cupiebant nostri a Summo Pontifice Paulo IV aliquid impetrari, et cum sese occasio obtulisset, agri cujusdam insignis (*Chiusi* vocant), cujus media pars in usum civitatis cedere solebat, et a PP. Julio III D. Ascanio Corneo <sup>1</sup> fuerat donata, nobilis quidam scripsit Episcopo Cenedae, qui Perusio revocatus et Praefectus Palatii Pontificii factus erat <sup>2</sup>, ne hanc fundandi Collegii commoditatem praetermitteret. Alii etiam alias litteras scripserunt, et inter caeteros Cardinali Carpensi rem commendarunt; sed effectum res non habuit, et licuit paupertatem perinde atque annis praeteritis, loco reddituum amplecti.

159. Suggestum autem illis fuit ut quo tempore messis et vindemia et oleum colliguntur, jussu Vicarii, aliqui boni viri in usum Collegii eleemosynas colligerent. Novus etiam Gubernator <sup>3</sup> animum adjiciens ad Collegium sublevandum, catalogum sibi dari postulavit piorum locorum et eorum, a quibus pecunia accipi posset; et ex quadringentis ac sexcentis florenis, quos fiscus apostolicus praebebat ad ludimagistrorum salaria, ut superius tetigimus, ducenti floreni in posterum nostris donari confraternitas jam dicta decrevit. Erant aliqui inter eos, qui nullos

---

<sup>1</sup> Ascanius della Corgna. Notus is est iis qui bella per Europam, maxime in Italia, saeculo xvi gesta noverunt.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 43, n. 82, annot. 6.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 68, n. 152.

alios praeter nostros ludimagistros Perusii vellent, ut tota illa summa Collegio posset applicari; sed non omnes ejusdem sententiae erant.

160. Scripsit autem Gubernator et magistratus denuo in Urbem, ut stabile aliquid impetraret; nihil tamen actum est, quamvis et abbatia quaedam vacaverit in agro perusino, nomine Mognano <sup>1</sup>, quae ad dotationem Collegii valde opportuna videbatur, quia nonnulli Praelati jus aliquod sibi competere aiebant, et eis pacificatis prospici Collegio videretur; Cardinalis tamen Perusinus, nostrorum penuriae compatiens, bono animo nostros esse jubebat; et si vel unicum panem haberet, cum nostris divisurum esse pollicebatur.

161. Quarumdam familiarum homines erant fallaciis ac illusionibus hominum <sup>2</sup> decepti, cum quibus crebro loquebantur, et animas mortuorum esse putabant. Hi autem cum P. Everardo confiterentur, a tanto errore liberati fuerunt. Quaedam etiam ad fidem pertinentia, et quidem magni momenti, in ea civitate ab eodem Patre curata sunt. Aliqui etiam apostatae a religionibus, qui cum magno scandalo vivebant, ad meliora consilia saluti viciniora rediere. Aliqui, qui militares ordines duxerant, ejusdem exhortatione vitam in melius commutarunt: et unus ex eis capuccinorum religioni sese dedere decrevit. Quatuor etiam bonae indolis juvenes Societatem ingredi cupiebant, quorum tamen desideria probanda diutius visa sunt. Multi signis satis evidentibus Deum protectionem nostrae Societatis suscepisse sibi persuadebant.

162. Cum autem testimonia civitatum et Universitatum P. Ignatius contra Parisiense decretum, ut superius diximus, postulasset, civitas perusina, id est, priores artium <sup>3</sup> et populi <sup>4</sup>, ejus civitatis nomine, P. Ignatio scripserunt luculentum testimonium de Collegio nostro Perusino reddentes; et inter caetera, quod charitatis et christianae disciplinae numeros omnes ex-

<sup>1</sup> Sic; rectius forte *Mugnano*, non longe ab urbe Perusii ad orientalem oram lacus Trasimeni.

<sup>2</sup> Sic; rectius tamen, ut ex sequentibus colligitur, *daemonum*.

<sup>3</sup> Sic dicti quia "si eleggono delle Arti et Collegii della Città.", C. CRISPOLTI, l. c., lib. II, cap. 8, *De' Magistrati dipendenti dalla Sede Apostolica che sono al reggimento di Perugia*.

<sup>4</sup> "Il terzo Magistrato, ovvero Consiglio, era nominato il Consiglio di trecento Cittadini.", *Id.*, *ibid.*

pleverint testabantur <sup>1</sup>. Ipse etiam Vicelegatus, qui tunc erat Episcopus Cenetensis, scribit eidem Patri Ignatio, Deo ac deinde ipsi Patri ac nostris, qui Perusiae versabantur, cives perusinos admodum devinctos esse, tum propter virtutum exempla, tum propter sanctas ipsorum actiones; sive dum ecclesiasticis Praepositis et saecularibus utilem navant operam, sive dum publicae utilitati diversis officiis inserviunt; et explicat ministeria Societatis: Vicarius etiam Episcopi, Marcus Antonius Oradinus, testimonium reddit eximium, ut ex ejus litteris videri potest.

163. Decem autem viri, qui rempublicam illam administrant <sup>2</sup>, et multi alii optimates, dum ad Summum Pontificem et ad Cardinales scribunt ad obtinendam Collegio nostro aliquam dotationem, et ea in re beneficium toti Societati fieri affirmant, aliud agentes, praeclarum etiam testimonium de Collegio ferunt.

164. Religiosi quorundam ordinum benevolentiam etiam nostris exhibebant, et tam Prior Ordinis D. Dominici, quam Inquisitionis Commissarius, Patri Everardo peramicos se demonstrabant; quamvis Vicarius existimasset ejus Ordinis religiosos minus benevolos nobis esse, quod res Hieronymi Savonarolae improbare videremur <sup>3</sup>. Quidam autem concionator Ordinis Servorum in publica concione aut lectione sua, inter alia pietatis opera, Collegium nostrum Perusinum non mediocriter commendavit.

165. Aliqui tamen Ordinis Sancti Francisci et Augustini religiosi contrarios se nostris praestabant; alii ratione eorum, qui frequenter in templo nostro sacramenta accipiebant; alii ratione studiorum; et quidam etiam Sancti Dominici monachus supra vires nostras hoc studiorum munus esse affirmabat. Longe tamen aliter civitas sentiebat, ut diximus.

166. Fuit capuccinus quidam concionator, qui quinquies eo in populo magno cum applausu concionatus est, et in conjugatis crebrum usum sacramentorum reprehendit, et se admirari dicebat, esse sacerdotes aliquos tam praecipites, ut omne

<sup>1</sup> Idem de hoc testimonio dicendum nobis est ac de Salmantino diximus in *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 548. annot. 1.

<sup>2</sup> "Tra i Magistrati che anno dipendenza dalla Città et ne' templi passati et ne' presenti, tiene il primo luogo il Magistrato de' Priori, i quali sono dieci in numero, onde chiamonsi Decemviri, et sono estratti per sacco..." CRISPOLTI, *ibid.*

<sup>3</sup> *Viderentur* habet ms., sed error est manifestus.—Vide supra, t. III, pag. 24, n. 37.

genus aegrotantium ad eamdem medicinam, id est, Euchari-  
stiam, admitterent; et prudentioribus quibusdam scrupulum in-  
jecit; quosdam etiam a concione removit.

167. Cum ludimagistri a domo Episcopi egredi juberentur,  
in quam, scholis nostris Collegio relictis, admissi fuerant, de  
scholis vel aliqua earum repetendis aliquid agebant. Sed Car-  
dinalis Fulvius facile sua auctoritate remedium adhibuit.

Et haec de Collegio Perusino sint dicta <sup>1</sup>.

## DE COLLEGIO LAURETANO

168. Initio hujus anni 18 de nostra Societate, sub P. Olive-  
rio Manareo Rectore, in Collegio Lauretano agebant: et relictis,  
ut diximus <sup>2</sup>, habitationibus amplioribus, post tres menses alias  
commodiores a Gubernatore <sup>3</sup> impetrarunt in suprema parte  
illius palatii, ubi magna cum quiete suis officiis nostri funge-  
bantur.

169. P. Joannes Laurentius <sup>4</sup> ante Quadragesimam fre-  
quenter concionatus est. Quadragesimae autem tempore una  
cum P. Laurentio Davidico (qui aliquando in familia Patrum  
S.<sup>ti</sup> Barnabae Mediolani fuerat, et non exiguae auctoritatis  
concionator habebatur) <sup>5</sup> alternis hebdomadibus cum multorum  
admiratione hoc praestabat; nec solum conferri cum concio-  
natore, alioqui celebri, sed praeferri multorum judicio videba-  
tur; qua in re facile cernitur quod omnia divinae gratiae sunt  
tribuenda, nam hic Pater Laurentius nec philosophiae nec theo-  
logiae seriam operam dederat <sup>6</sup>.

170. Diebus autem dominicis et festis P. Raphaël Riera

<sup>1</sup> Horum pleraque desumpta sunt a Polanco ex litteris, quas edidimus jam in *Lit-  
terae Quadrimestres*, t. III, pag. 283, 516 et 676.

<sup>2</sup> Vide supra, t. IV, pag. 47, n. 75.

<sup>3</sup> Gaspere de Doctis.

<sup>4</sup> P. Joannes Laurentius Patarinus. Vide supra, t. IV, pag. 46, annot. 3.

<sup>5</sup> Vide supra, t. III, praesertim pag. 51, annot. 1.

<sup>6</sup> Dederat nos scribimus ubi ms. habet *incumbebat*.



christianam doctrinam sic interpretabatur, ut non solum ejus auditio omnibus satisfaceret, sed et puerorum exercitatio, quos, praesente populo, in repetendis his, quae explicabantur, exercebat, non mediocrem fructum ferret, et parentum animos valde commoveret.

171. Initio Januarii, cum jubilaum pro Angliae reductione accepisset Gubernator Lauretanus, nostrorum suasu perutilem orandi modum idem Gubernator instituit: populo enim et clero in ecclesia conjuncto, ante SS<sup>m</sup>um. Sacramentum per unam horam, mane viri, et per aliam a prandio foeminae, in praeparatum ad hoc sacellum et SS<sup>m</sup>i. Sacramenti praesentia decoratum conveniebant; idque per triduum factum est, post celebrem processionem initio factam; et quoad ejus fieri potuit, ut oratio mentalis fieret curatum est; et fructus ex ea non poenitendus provenit.

172. Missae sunt etiam per omnes domos schedulae quaedam, quibus ratio jubilaei obtinendi continebatur, ne cuiquam excusationi aut ignorantiae locus relinqueretur; nam populus ille duriusculae cervicis erat, et his auxiliis egebat; et quia non omnes ad sacrum convivium corporis Christi accesserant, a Rectore missi fuerunt quidam ex nostris per vicos et plateas, ut compellerent multitudinem intrare; quinimmo, et per sepes et vias errantem gregem inquisierunt, nam ad portum Recinatensem, duobus passuum millibus Laureto distantem, nonnulli ex nostris missi sunt, qui ejus incolas ad tam liberale Summi Patrisfamilias convivium invitarent; et sic effectum est, ut multo plures secunda dominica, quam prima, summo beneficio fruerentur: et occasione hujus jubilaei, partim per confessiones, partim aliis mediis, ad pacem inter se ineundam commoti fuerunt. Aliqui etiam, qui in peccatis erant obstinati, vel per ignorantiam ea parvi faciebant, maxima ex parte, illis relictis, ad jubilaei gratiam recipiendam se compararunt.

173. Est oppidum quoddam, Laureto vicinum, Montem Fani <sup>1</sup> vocant, ubi natus erat Cardinalis S.<sup>tae</sup> Crucis, postea Marcellus Pontifex, ubi eques Alexander Cervinus, ejusdem Cardinalis frater, habitabat <sup>2</sup>. Is, accepto ex Urbe jubilaeco, Pa-

<sup>1</sup> Monte Fano.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 15, n. 17, annot. 1.

trem Rectorem Collegii Lauretani rogavit ut ex nostris aliquem ad se mitteret, ut sibi et universo populo jubilaei formam declararet, concionibusque ad illud digne percipiendum praepararet; missusque est eo P. Joannes Laurentius simul cum Patre Raphaële <sup>1</sup>.

174. Publicis autem concionibus et privatis adhortationibus eo perduxit animos oppidanorum divina bonitas, ut pauci remanerent hujus gratiae expertes. Per septem autem continuos dies tantus fuit poenitentium concursus, ut vix aliquid otii superesset ad subministrandum corpori necessaria; nam, toto die in ecclesia in audiendis confessionibus transacto, cgebantur noctu in domo equitis Alexandri usque ad tertiam noctis horam confessiones audire, vel difficultates casuum, quas multi proponebant, dissolvere. Deinde ad multam usque noctem vigilandum erat, ut concio in diem sequentem praepararetur, quam, licet P. Laurentius haberet, ad delectum habendum eorum, quae dicenda erant, industria et etiam cura P. Raphaëlis erat adhibenda <sup>2</sup>. Et tantus erat in his laboribus divinae gratiae influxus, tantaque consolatio, ut quodammodo labores non paterentur <sup>3</sup>.

175. Pacēs ibi aliquot factae sunt, et scandala sublata, et multorum animi ad perfectiorem vitae rationem ineundam adducti; et septuaginta ex eis promiserunt singulis saltem mensibus se ad communionem accessuros. Et virorum curam suscepit D. Alexander, foeminarum, ejus uxor. Alii plurimi hoc ipsum se facere velle significabant, sed nomen ad id dare in scriptis recusabant, quia existimabant id voti vim habere. Sed ubi eos experientia docuit id non ita esse, nomina etiam sua et illi dederunt, et religiose admodum consuetudinem hanc sanctam adservabant; nam prima dominica Martii cum D. Alexander ad sanctam domum Lauretanam indulgentiarum gratia accessisset, retulit nostris se cum omnibus fere sui oppidi hominibus eo die sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpsisse; et hoc ipsum de mulieribus ejus conjux retulit, cum Laureti paulo post, simul cum aliis mulieribus, nostris confiteretur.

<sup>1</sup> P. Raphaële Riera.

<sup>2</sup> Rationem, cur in parandis quae a P. Laurentio dicenda erant, necessaria foret industria et cura Patris Riera, attigit Polancus supra, pag. 73, n. 169.

<sup>3</sup> Scilicet, ut quodammodo e tanto labore exortam defatigationem et molestiam non persentirent.

176. Guardianus etiam ordinis S.<sup>ti</sup> Francisci Maceratensis, qui concionabatur in eo oppido Montis Fani, cum ad nostros venisset, mirum in modum fructum illum commendabat, qui nostrorum opera illo in oppido provenerat, et addebat nunquam tam brevi tempore talem animorum mutationem visam fuisse, qualem per nostros Dominus fecerat.

177. Postquam nostri redierunt, incolae oppidi (quod Castellum Ficardum vocant <sup>1</sup>), tribus passuum millibus Laureto distans, misso parochia a Gubernatore, obtinuerunt ut duo ex nostris eo mitterentur. Missus fuit idem P. Joannes Laurentius cum P. Raphaële; et cum semel et iterum concionatus esset P. Joannes Laurentius, tantus populi concursus ad confessionem accessit, ut noctes diebus cogerentur conjungere; et placuit divinae Bonitati amplissima Spiritus Sancti munera illis hominibus impertiri; nam multi concubinarij suas concubinas reliquerunt; plurimi vitae emendationem et perfectiorem vitae rationem inierunt, et magnam spiritus communicationem se accepisse omnes confitebantur.

178. Paces etiam quinque confectae sunt cum summa illius populi consolatione, quarum una fuit inter duos primarios juvenes, qui decem annorum perpetua inimicitia populum illum in duas factiones divisum tenebant; et multi concionatores et magnae auctoritatis viri frustra tentaverant eos inter se conciliare. Auditis ergo eorum confessionibus (postquam in concionibus ipsorum animi excitati fuissent), nostri utriusque partis consensum facile impetrarunt, postmodum congregatis primoribus, praevia oratione, curatum est ut se mutuo amplecterentur publice et, genibus flexis, alter ab altero veniam peteret; et tanta animorum commotione id peractum est, ut nullus esset qui uberes lacrymas non effunderet. Postea simul cibum capientes, sic se illi diligere coeperunt, ut vix alter ab altero posset separari; et crebro uterque ad sacramenta accedebat.

179. Factae sunt in eodem oppido multae restitutiones, reparatum est templum, quod ruinam minabatur, et corporalibus atque aliis ornamentis, quibus destitutum erat, concinnatum est; et quod summae consolationis loco nostris fuit, totus ille populus in Dei obsequio ferventissimus relictus est.

---

<sup>1</sup> *Castelfidardo.*

180. Tribus ultimis diebus, quibus ibi nostri versati sunt, quod populus ille [aliis] quam nostris confiteri nollet, missus est in subsidium illis P. Joannes Mortagnes <sup>1</sup>. Nongenti ergo a nostris ante suum recessum sanctissimum Christi corpus acceperunt, et major populi pars inflammata fuit desiderio singulis mensibus confitendi et communicandi.

181. Solebant etiam catervatim Lauretum accurrere, tam viri quam mulieres, qui ad haec sacramenta saepius accedebant, postquam inde (ubi decem dies haeserant) nostri domum redierunt: septem quidem dies ibi manere tantum debuerant, sed misso ad id nuntio, trium dierum inducias impetrarunt: et qui hoc tempore ibi non potuerant, subsequuti vestigia nostrorum, Laureti communicarunt; plures etiam in dominica sequenti.

182. Ipsa dominica quinquagesimae, cum populus Lauretanus concionem haberi apud se nollet, quo liberius bacchanalibus indulgere posset, paucis illis diebus carnis privii missus est P. Joannes Laurentius concionator cum Patre Joanne Mortagne in vicinum quoddam oppidum nomine Cirollo <sup>2</sup>, quinque milibus passuum Laureto distans; nec defuit operae pretium huic missioni; nam semen verbi Dei in meliori ac fertiliori agro, quam esset Lauretanus, commendatum est. Aliqui erant ibi discordes, qui, partim audita concione, partim privatis exhortationibus adhibitis, inter se amicitia conciliati sunt.

183. Cum autem vellent nostri, prout ipsis praescriptum erat, habitare hospitale, id facere minime potuerunt; eo enim redactum fuerat, propter eorum, qui administratores erant, malam gubernationem, ut nec panis ibi esset, nec lectus, nec locus etiam, qui ab injuria aëris hospites defenderet. Ad illud ergo instaurandum, primates illius oppidi nostri excitarunt, et illi statim se instauraturos partem unam promiserunt, reliquam autem, messis futurae tempore. Quaedam etiam bona cum optimo Societatis odore acta ibi fuerunt.

184. Sed ne hoc tempore populus Lauretanus sibi ipsi liber relictus est. Quidam enim ex nostris fratribus eo missi sunt dominica quinquagesimae, et sequentibus diebus, qui per viros publicos contra dissolutiones et vanitates ejus temporis, vel

<sup>1</sup> *Dictus Jo. Mortagna.* Ita Sacchinus in margine. Vide supra, t. iv, pag. 48, annot. 4.

<sup>2</sup> *Sirolo.*

concionibus, vel privatis exhortationibus inveci sunt; et eos reprehendebant, quos personatos dissolute bacchari observabant; nec sine fructu, Dei gratia adjuvante, id fecerunt; nam multi, ut postea intellectum est, desierunt cum suis larvis in publicum prodire. Aliqui, qui jam personati incedebant, larvas ipsas sibi ipsis detrahentes, et in terram dejicientes, ac pedibus eas conculcantes comminuebant. Alii autem, qui non sibi eas detrahebant, ne agnoscerentur a nostris, domos redierunt et se numquam amplius his deliramentis usuros promittebant. Cum etiam choreae et comoediae valde profanae paratae essent, ut etiam in ipso refectorio clericorum sanctae domus pro more fierent, impeditum id est, quamvis murmurarent et conquererentur multi nostros Roma venisse ut ipsorum solatia impedirent.

185. Confluebant Quadragesimae tempore ad sanctam illam domum peregrinorum catervae, et quidem ex variis mundi partibus, quorum devotioni pro viribus nostri inserviebant. Non solum autem testimonium peractae confessionis a nostris reportabant, sed laetitiam animi miram interdum referebant, et verbis eam testabantur aliqui. Hic benedicebat Dominum, qui ad nostros ipsum perduxisset; ille quod prius ignorabat quid esset confiteri; alius quod eatenus christianus non fuerat et ejusmodi.

186. Confluunt autem ad eum locum multi, qui gravissima sentina peccatorum gravati sunt, qui decem et viginti et plurimum annorum peccata confitentes, cum lacrymis multis ea diluebant; et cum non essent aliqui ausi sua peccata aliis manifestare, non solum libere confitebantur nostris, sed generales etiam confessiones sponte sua facere volebant, ut puritate et pace conscientiae frui possent; et si res exigebat, publicas etiam poenitentias, flagellis se caedendo, aut alias poenitentias subeundo perlibenter. Multi etiam expectare diu malebant quam aliis confiterentur; immo qui ex vicinis erant oppidis aut civitatibus, sine confessione domum redibant, ut denuo Lauretum nostris peccata confessuri venirent; hanc enim consolationem a nostris omnino habere cupiebant.

187. Cum etiam aliqui clariores viri dignitate aut litteris Lauretum venissent, ipsimet Lauretani ad nostros eos deducebant, et ipsimet etiam libenter nostris confitebantur.

188. Bruziorum Pro-rex <sup>1</sup> magno equitum et ministrorum equitatu hac Quadragesima sanctam domum invisit, et tanta animi consolatione Rectori Collegii confessus est, ut jusserit, suis omnibus (nemine excepto usque ad infimum equorum ministrum) ut eadem benedictione Domini fruerentur. Nec solum hoc illi fecerunt, sed vivendi normam aliqui eorum, ut in posterum Deo melius inservirent, petebant et impetrabant.

189. Ipse vero Pro-rex se totum suamque operam Rectori [et] Societati plenissime obtulit; et Rectorem, quantumvis renitentem, usque ad domum nostram voluit comitari; et optimum eo in loco sui odorem reliquit, cum, praeter confessionem, assiduus esset in divinis officiis cum omnibus suis; et sigillatim ab omnibus suis intelligere volebat an sacramenta suscepissent, et negligentiores reprehendens, ut sine ulla mora id efficere curarent, urgebat.

190. Venit Lauretum, ut superius tetigimus <sup>2</sup>, Cardinalis Sanctae Crucis hac eadem Quadragesima, post mortem Julii III Romam profecturus, ubi ipsemet in Pontificem est electus. Quem cum nostri omnes, officii gratia, salutassent, voluit Patri Oliverio Rectori, quem Eugubii noverat et dilectione prosequeretur, confiteri; et in sacello Dominicae Incarnationis fratribus nostris sua manu SSimum Sacramentum ministravit; et quantum Societatem nostram diligeret, quantumque laetitiae recepisset ex nostrorum in sanctam domum Lauretanam adventu, abunde declaravit; cum praesertim opinioni, quam de nostris conceperat, respondere ea intelligeret, quae a Gubernatore et ab aliis audierat, inter quos erat frater ejus, eques Alexander <sup>3</sup>. Ejus autem familia bis nostris confessa est.

191. Venerunt et matronae quaedam nobiles, inter quas erat soror Cardinalis Sancti Angeli <sup>4</sup>, quae aliis quam nostris confiteri noluerunt; licet ob id expectare ad secundam noctis horam cogerentur, antequam omnes expedirentur. De totius etiam vitae decursu cum nostris conferre et certam aliquam bene vivendi rationem ab eis accipere postridie voluerunt. Et de collegio Maceratae instituendo agere coeperunt.

<sup>1</sup> *Il Governatore dell' Abruzzo.*

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 15 et 16, n. 18.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 74 n. 173.

<sup>4</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 323.

192. Invaluerat consuetudo in oppido Lauretano ut primo die Quadragesimae, summo mane, procederent viri ac mulieres cum tympanis et aliis musicis instrumentis, choros ducentes usque ad portum Recinatensem. Solebant ibi piscationibus et saltationibus totum diem consumere, et deinde eodem ordine usque ad ecclesiam Lauretanam redire; ex quo abusu et dissolutione multae Dei offensae consequi poterant. Ut autem impediretur huiusmodi mala consuetudo, constitutus est in medio plateae, summo mane, Collegii concionator; nam ad eam omnes convenire solebant; et ne alia via elaberentur, octo de nostris missi sunt bini, ut partim ad oppidi portas, partim in medio itinere, partim in ipso portu eos exciperent exhortationibus suis; et ab inconditis et profanis saltationibus deterrerent. Hoc itaque praesentientes multi, vel domo egressi non sunt, vel post egressum domos redierunt. Evaserunt autem per aliam viam concionatoris manus nonnullae foeminae, quas in ipso portu nostri deprehendentes, hoc saltem effecerunt, ut promitterent nihil indecorum commissuras, quod non sine intuentium admiratione praestiterunt.

193. Augebatur peregrinorum Lauretum venientium multitudo, non solum ex Italiae, sed etiam Flandriae, Galliae, Germaniae, Hispaniae locis, cum intelligeretur nostros in huiusmodi linguis posse eorum confessiones audire. Cogebantur itaque nostri aliquando, cum numero pauci essent sacerdotes, Missae consolatione et consuetarum orationum privari, et quo tempore prandendum erat, in ecclesia manere; nec ante secundam aut tertiam noctis horam domum redire, ut poenitentium devotioni ac necessitati satisfaceret; nec sine consolatione is labor confessionibus impendebatur; fructus enim animarum uberrimus proveniebat. Inter alios autem multi apostatae, ut ad suam religiosam vocationem redirent adjuti fuerunt; multi etiam, qui in gravibus peccatis diu obdormierant, ad vitae mutationem, multi etiam imperfecti, ad viciniore salutis ac perfectioni sectanda promoti fuerunt; et crescebat in dies nostrorum existimatio.

194. A Gubernatore impetratum est ut prima quaque dominica mensis processio fieret cum SSmo. Sacramento, et ejusdem divinum officium diceretur; ex quo frequentia communantium singulis mensibus magnopere crevit.

195. Tres juvenes (praeter quinque alios initio in Societatem admissos) cum Romam essent destinati, Societati se dedere constituerunt, inter quos nobilis sculus fuit.

196. Die quadam dominica mensis Aprilis, quinque vel sex millia peregrinorum in sacra domo Lauretana versabantur, ex urbibus Longobardiae, Mantua, Verona et Cremona et aliis locis, quorum fervor et beneficia, quae referebant se accepisse per Beatam Virginem, magnae spectantibus et audientibus aedificationi et devotioni erant. Miracula autem plurima a quibusdam ex eis referebantur. Duo tantum refert ipse Rector, quae illis acciderunt, quorum ipsemet confessiones audivit. Prius fuit cujusdam mulieris, quam ipsius maritus cum fratre in sylvam deductam, gula abscisa, sine vitae signo nudam reliquerant. Commendaverat illa se Beatae Virgini, Dei Genitrici, quae Laureti colitur, cum illam jugulare vellent. Postquam ergo duodecim dies eo in loco jacuisset, velut expergefata a somno surrexit, et paulatim quinque millia confecit, donec inventa et Ravennam deducta est, ubi adjuta Beatae Virginis patrocinio, a plaga sua sanata est.

197. Alter, bononiensis, crura perdita habebat, et in uno eorum quindecim plagas profundas. Votum fecit B. Virgini, nec alia usus medicina, se in iter dedit, et simul atque peregrinationem inchoavit, melius habere coepit; et cum ecclesiam ingressus est, jam omnino sanus baculum, cui innitebatur, in altum erexit cum magna omnium admiratione; et uterque eorum, ut dixi, Rectori confessus est.

198. Sed de miraculis, quia tractatum peculiarem requirunt, P. Raphaël Riera tractatum singillatim confecit <sup>1</sup>; et ideo ab eis enarrandis in posterum supersedebo.

199. Lauretani paulatim affici nostris incipiebant, et ad aegrotantium confessiones audiendas et eorundem consolationem eos evocabant.

200. Ex oppidis Cinguli et Montecii <sup>2</sup> confessionis gratia

<sup>1</sup> "2 De' miracoli della B. V. M. di Loreto. Macerata, Martellini 1573, 8.º—Ibid. 1575, fol.—D'après le P. Possevino cet ouvrage est en Italien; d'après Sotwell il semble être en latin., SOMMERVOGEL, *Bibliothèque des écrivains de la Compagnie de Jésus*, t. VI, col. 1843.—RIVADENEIRA in suo illo *Catalogo Scriptorum*, qui basis est et fundamentum posteriorum Allegambe, Sotwell. Backer et Sommervogel operum, hoc tantum habet: "RAPHAEL Riera, natione Hispanus, patria Barcinonensis, scripsit italice *De anno Jubilaei MDLXXV*. Item, *De Miraculis B. MARIAE Virginis Lauretanae*.

<sup>2</sup> Cingoli et Montechio.



non pauci ad nostros Lauretanos veniebant; et cum spiritua-  
lem et corporalem consolationem eorum opera acciperent,  
novum nomen Societati, non perfecte cognitae, dederunt, *Socie-  
tatem Spiritus Sancti* eam vocantes.

201. Inter paces complures factas, una notatu digna fuit,  
quam nec alii, nec Rector Collegii Lauretani conficere potuerant;  
et cum unus ex his, qui dissidebant, se obstinatiores praeberet,  
ipso die jovis aut veneris sancti, cum eum in ecclesia Rector  
invenisset, et multa verba frustra dixisset; dixit ei Rector ut ca-  
veret ne Dominum irritaret, ne facti post paucos dies poenite-  
ret. Quamvis autem ipse parum adverteret quae dicebat, Deus  
tamen, ut id eveniret, ut dixerat, effecit; nam postridie ille in  
morbum tam gravem incidit, ut ex eo mortem sibi imminere ti-  
meret; et recordatus verborum Patris Oliverii, statim eum ac-  
cersit, peccata confessus est, et communicavit ipso in lecto die  
Paschatis, cum prius [cum] suis inimicis, coram ipso P. Oliverio,  
cum abundantibus lachrymis et adstantium aedificatione pa-  
cem fecisset; et tanto affectu dilectionis charitatem prosequi  
coepit, ut cum nullis aliis familiaritatem se habere velle diceret.  
Alius simul atque uni de nostris confessus fuisset, suum inimi-  
cum quaerens et inveniens, ad ejus pedes se projecit, cum ma-  
gna humilitate et aedificatione, eidem[que] reconciliatus est. Sic  
alia hujusmodi dici possent.

202. Hoc omnino nostris accidebat, ut cum aliquid majoris  
momenti hominibus contigisset, etiam extra oppidum Laureta-  
num, ad nostros consilii et auxilii spiritualis gratia venirent,  
Collegii fama latius in dies patente; et aderat divinae gratiae  
copiosus influxus, B. Virginis Matris [ope] impetratus, ad ea fe-  
liciter conficienda, quibus manum admovebant. Et hoc observa-  
bant tam in confessionibus quam in exhortationibus, ut paucis  
verbis ad aliquos inter se conciliandos dictis, sic moverentur  
dissidentium animi, ut in mutuos amplexus et oscula pacis cum  
suavibus lacrymis ruerent; ita ut etiam adstantes ubertim ad eas  
effundendas moverent.

203. Et quamvis plurimis modis charitas exerceretur, sa-  
cramentum confessionis ad omnia conficienda primas in ea san-  
cta domo obtinebat; nam multitudo poenitentium ingens ex va-  
riis provinciis erat, et molestissimas peccatorum sarcinas cum  
inexplicabili conscientiae defaecatae laetitia deponebant; et

accipiebant melioris vitae monita salutaria. Singulis autem dominicis et festis diebus, non tantum peregrinationis piae gratia, sed ut generales vitae confessiones instituerent, multi ex vicinis oppidis ac civitatibus veniebant. Et hoc nomen generalium confessionum, prius fere inauditum, scilicet, de tota vita anteacta, celebre in Marchia (quam *Picenum* olim vocabant) esse coepit. Cum enim plurimi singulare remedium morborum suorum spiritualium in ea invenissent, alii alios invitabant; et vix sibi satisfaciebat, qui non id obtinebat, ut generalis ipsius confessio audiretur; et deinde puriore vitae ratione in posterum Deo deserviebant.

204. Non pauci viri et mulieres, praesertim virgines, relictis saeculi blandimentis, Deo se consecrabant, et qui acrioribus poenitentiis carnem suam et honoris affectum attriverant, post hanc sui victoriam, eam consolationem a Domino accipiebant, ut aliquando cum lachrymis ad gratias agendas nostris venirent, quod tam salutaribus mediis ipsorum paci et consolationi spirituali consulissent; et fuit qui singulis annis, in talis beneficii memoriam, proponeret sacram communionem accipere.

205. Erant inter hos nobiles aliqui; et fama est quod ne ad poenitentiarios quidem urbis Romae tam multi poenitentes, tamque indigentes spirituali medicina, confluere soleant.

206. Soliti erant nostri hospitale invisere, et consolari aegrotantes, atque horum audire confessiones, et publicis ac privatis exhortationibus eos animare: sed propter confessionum concursum copiosum, existimavit Gubernator, nostros hac cura liberandos esse, ut sic ecclesiae copiosius assisterent; et ea cura demandata est quatuor sacerdotibus Lauretanis.

207. In templo B. Virginis habitae sunt conciones quotquot ipsi Gubernatori visae sunt expedire. Cum autem P. Jacobus Laynez, ut superius diximus <sup>1</sup>, Lauretum venisset, tres habuit ejusdem Gubernatoris rogatu conciones tribus continuis diebus, qui magna sui spiritus ac doctrinae admiratione populum illum et clerum affecit et plurimum eorum profectum promovit. At P. Joannes Laurentius, non solum in templo, sed etiam alibi cum oportebat concionabatur; et fratres nostri tum in platea,

<sup>1</sup> Pag. 62, n. 133

tum in porticu palatii contra histriones et circultores, et contra saltantium mulierum catervas, suas habuerunt conciones. Solitus enim est daemon in magnis peregrinorum concursibus, saltatrices mulieres ad choreas sic inflammare ut in tripudiis, cantibus et cithararum pulsibus noctes insomnes traducant; et is abusus scandali materiam multis subministrabat; quibus nostri, quoad ejus fieri poterat, impedimentum praestare nitebantur.

208. Schola hoc anno, tum propter librorum defectum, tum propter sedem Pontificis bis vacantem, non eum fructum produxit, quem nostri cupiebant erga pueros lauretanos. Non tamen defuit clericis nostrorum opera. Interrupit etiam hujusmodi studia externorum migratio Collegii in civitatem Recinatensem. Tribus passuum millibus Laureto illa distat, et cum in aestate temperies coeli Lauretani insalubris esset, domus nostris a Gubernatore lauretano data est, quo nostri, exceptis duobus aut tribus sacerdotibus, se contulerunt; nam cum pauci eo tempore peregrini Lauretum veniant, pauci ad eorum consolationem et aedificationem satis erant.

209. In urbe ergo Recinatensi singulis festis ac dominicis diebus in eo templo praedicatum est, in quo solent in Quadragesima conciones haberi, et multo commodius quam in ecclesia Lauretana hoc officio concionator fungebatur, quia strepitus peregrinorum ingredientium non ibi, sicut Laureti, attentionem auditorum impendebat.

210. In quatuor autem aliis locis, partim in ecclesiis, partim in platea, conciones sunt habitae, et christiana doctrina post Sacrum explicabatur, et bis pueris singulis hebdomadis praelegebatur publice; sed utilitatem, quam multi ex hujusmodi exercitationibus percipiebant, interrupit gratia jubilaei a Paulo IV concessi, quae Laureti promulganda erat, sed prius Recinati promulgata a nostris est <sup>1</sup>, et tanta poenitentium multitudo ad nostros confluit, ut vix mediae parti nostri sacerdotes possent satisfacere; non tamen prius inde recesserunt, quam plurimorum audissent confessiones, et dissidentes non paucos pacificassent. Quinque etiam a concubinato separati fuerunt, et inducta sancta illa consuetudo frequenter ad confessionem et

---

<sup>1</sup> Haec, a verbis quae Laureti, ad oram paginae, signo ut hic inserantur apposito, addidit manu propria Polancus.

communione accedendi. Et aliqui singulis mensibus, aliqui etiam singulis hebdomadis id facere in ea civitate coeperunt; quamvis non deessent aliqui, et quidem religiosi, qui contra frequentem usum sacramentorum latrarent. Et ita demum civitatem illam, cum fructu non poenitendo eam excolere incoepissent, relinquentes, Lauretum se receperunt.

211. Duo ex nostris Patribus, P. Raphaël et P. Joannes Laurentius in oppidum quod Cingulum <sup>1</sup> vocant missi, novem ibi dies exegerunt, ubi continuis concionibus, adhortationibus et confessionibus totum illum populum et adjacentes villas, sexdecim milliariibus Laureto distantes, ad Dei cultum excitarunt. In reditu vero, in aliud oppidum nomine Montecii (vulgo *Montecchio*) iter habuerant, ubi, ab amicis Societatis retenti, jubilaum publicarunt; concionibus etiam et adhortationibus ad confessionem et bene vivendi rationem induxerunt. Et his omnibus diebus (nam quatuor Montecii substituerunt) vix illis tempus supererat, quod corporis necessitati possent impertiri.

212. Cum autem publicatum fuit jubilaum Laureti, omnes jam eo convenerant, et ita plurium devotioni potuit satisfieri. In ipso oppido Lauretano, ubi erubescabant aliqui bis singulis annis confiteri, paulatim adducti sunt ut etiam singulis diebus dominicis non pauci eorum confiterentur et communicarent, et ipso initio hujus anni viginti jam erant utriusque sexus; et obtinuit Rector a Gubernatore partem ecclesiae, ubi solebant aestivis temporibus canonici divinas persolvere preces, ut in ea nostri christianam doctrinam explicarent, Missas dicerent et SSmam. Eucharistiam administrarent, et breves exhortationes ad communicantium consolationem et spirituale auxilium eorum, qui spiritualiter viverent, facere possent; qui tamen locus, sic a distractionibus et populi rumoribus esset remotus, ut tamen undecumque apertus, et oculis omnium expositus esset.

213. Patri autem Raphaëli quindecim mulierum, quae spirituales vitam agere coeperant in eo oppidulo, cura data est; ut scilicet earum audiret confessiones; nec enim plures erant in toto illo oppido qui sacramenta frequentarent.

214. Satisfactum est etiam desiderio Cardinalis protectoris <sup>2</sup>, efficiendo ut Quadragesimae tempore, quotidie praedica-

<sup>1</sup> *Cingoli*, ut supra, pag. 81, n. 200.

<sup>2</sup> Rodulphi Pii de Carpi.

retur; reliquo anni tempore dominicis et festis diebus id fiebat in ecclesia, cum a praelatis vel claris aliis viris nostrorum opera requirebatur. Et cum Episcopus Bertinorae <sup>1</sup> hoc officium a nostris praestari optasset, id praestitit P. Joannes Laurentius foeliciter, si unquam alias. Deinde 2.<sup>o</sup> die Emmanuel de Montemajori <sup>2</sup>, cujus solidissimam memoriam in plurimis scripturae locis citandis, quae ad rem pertinebant, sunt homines admirati. Tertio die Joannes Ricasoli <sup>3</sup>, adolescens, qui litteris humanioribus operam dabat, orationem habuit latinam de laudibus B. Virginis, quae gratissima etiam loco concionis fuit.

215. In quodam loco, fere duorum dierum itinere Laureto distante, intellexit quidam ex nostris sacerdotibus, esse fere viginti plus minus personas, quae in mortalibus peccatis jam multis annis insorduerant, et emergere quidem ab illo coeno cupiebant, et facti eas poenitebat; sed mori potius, quam suo paracho confiteri, constituerant. Consultus itaque fuit P. Ignatius, et eo consentiente curatum est ut aliquis ex nostris eo charitatis officio fungeretur.

216. Hoc autumnno duo ex nostris ad Castellum Fichardum superius nominatum <sup>4</sup> missi fuerunt, quorum unus erat Magister Emmanuel <sup>5</sup>, qui post aliquot dies redeuntes, partim confessionibus, quae plurimae fuerunt, partim concionibus, partim doctrinae christianae explicatione, quae coram Magistratu et magno concursu fiebant, oppidum illud sicut ineunte ita etiam vertente anno consolati sunt; et curatum est ab eis ut hospitale illud, quod pene desolatum diximus <sup>6</sup>, restitueretur.

217. In aliud oppidum (*Montem Sanctum* vocant) duo ex nostris hoc etiam autumnno missi fuerunt, qui decem dies ibidem commorantes, quotidie concionando et catechismum docendo, populum illum magnopere adjuverunt. Paces multae confectae sunt, multae restitutiones factae, multi qui annos plurimos in peccatorum consuetudine sepulti fuerant, sacramentorum me-

<sup>1</sup> Ludovicus Vannini de Theodulis, Forojuliensis.

<sup>2</sup> P. Emmanuel Gomez de Montemayor, qui socius Patris Sylvestri Landini in Corsica fuerat. Vide supra, t. II, III et IV, ubi de rebus Corsicae sermo factus est, et in hoc t. V, infra, n. 306.

<sup>3</sup> De hoc nobili Florentino jam mentio facta est saepius in t. III et IV, et in *Cartas de San Ignacio*, t. IV et V.

<sup>4</sup> Pag. 76, n. 177.

<sup>5</sup> Idem, qui supra, n. 214.

<sup>6</sup> Supra, pag. 77, n. 183.

dicina privati, ad medicinam redierunt. Reditus etiam quidam (*Montem* vocant) ad indigentes juvandos institutus est. Curarunt etiam nostri, ut quaedam monasteria, quae tam in spiritualibus quam in corporalibus hoc auxilio indigebant, concurrentibus ad idem pium opus primoribus ejus oppidi, sublevarentur. Hospitale etiam, quod magna premebatur penuria rerum necessariarum ad fovendos pauperes, subsidium accepit. Ad sacramenta vero confessionis et communionis, prout alibi diximus, ita etiam ibi frequentes confluebant. Exceperat nostros hic populus cum magna aviditate; et ita cum primum eo appulerant, Magistratus classicum per oppidum insonare jusserat, ut populus intelligeret nostros advenisse, et ut admonerentur ut prompte ad verbum Dei audiendum et ad sacramenta accederent. In recessu etiam nostrorum, eo usque Magistratus comitari eos voluit, donec sancta domus Lauretana cerneretur. Cingulum etiam, ut satisfaceret D. Christophoro Madridio <sup>1</sup>, qui parochiam ejus oppidi etiam tunc habebat, quamvis jam ad ingressum in Societatem et omnia relinquenda aspiraret, hoc eodem autumno missi ex nostris aliqui fuerunt, et cum simili fructu ei, quem paulo ante diximus, domum redierunt.

218. Anconam cum ivisset ob quaedam negotia P. Oliverius, Rector, simul atque id intellectum est, complures pii homines ac devoti in ecclesiam quamdam convenerunt, ac ad eum miserunt, qui id ipsum omnium nomine rogaret, ut ad se accederet, aliquid ad ipsorum profectum spiritualem dicturus; quod et fecit P. Oliverius; nec in eo tantum, sed in aliis quibusdam piis operibus, piam operam eis navavit.

219. Haec nostrorum existimatio, in totam Marchiam sparsa, in causa erat ut ex multis locis, etiam unius et duorum dierum itinere, nostri rogarentur ut ipsorum civitates vel oppida inviserent: ut Tolentini, apud S. Severinum, Fermi, Jesi, Ghiezi, Offidi et Ascoli atque aliis locis, quibus initio hujus Collegii satis fieri non poterat; sed postea, numero aucto, latius eorum opera patere ad multorum auxilium potuit. Interim autem ex praedictis locis, dum nostros praesentes habere non poterant in suis locis, Lauretum ipsi veniebant, ut consilium et spirituale auxilium a nostris peterent; et hoc omnibus fere com-

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 85, n. 211. Saepius toto hoc anno per litteras actum est de modo qui a P. Christophoro de Madrid in hujus beneficii resignatione teneri deberet.

mune erat, ut in re quavis magni momenti, quae eos affligeret, venirent aut mitterent ad nostros, ut orationibus ipsorum se et res suas commendarent; et hoc praelati et temporales domini ac alii nobiles, sicut etiam plebeji, faciebant.

220. Illud autem notatu dignum fuit, quod a triginta fere millibus passuum, quadraginta simul venerunt, ut se Societati nostrae dederent, inter quos unus erat monachus, qui a tribus vel quatuor sociis ad nostros destinatus erat, ut viderent et ipsi num possent in Societatem nostram admitti. Cum autem intellexisset eos, qui aliis in religionibus Deo servire coepissent, non posse juxta nostra instituta in Societatem admitti, moestus ad suos rediit, non tamen sine spirituali fructu.

221. Unus ex eo numero doctor, qui 29 annos natus erat, et philosophiae seriam operam dederat, in exercitiis spiritualibus Societatem ingredi decrevit. Alius qui sacerdos erat, rediit ad suos, ut de rebus suis disponderet, et sic liberius Deo inservire posset. Multi autem ad religionem non inepti, extra eam in saeculo relinquebantur; quod nec ad eos excipiendos nec in rebus spiritualibus exercendos nostri locum haberent.

222. Maceratenses bis litteris suis nostros rogarunt, ut saltem ad decem vel quindecim dies aliquos ad se mitterent, quibus propter occupationes cum hoc anno satisfieri non posset, spes illis data est quod primo quoque tempore commodo nostri eos essent invisuri.

223. Oppidum Lauretanum, in universum loquendo, proficiebat, et numerus eorum augebatur, qui ad sacramenta crebro accedebant; et tam ex eis, quam ex externis, aliqui ad statum vitae perfectiorem suscipiendum commoti fuerunt, ex quibus constabat his diebus quinque bonum hoc propositum fuisse exequutos; complures autem alii, ac praecipue virgines, propter dotis penuriam tantumdem non faciebant; et quia oppidum illud exiguum est, non facile nostri poterant eis subvenire. Circa peccatrices foeminas aliquid non dissimile accidebat; nam cum vellent a peccato recedere, quod nullam vitae conditionem honestam habere possent, non paucae ad vomitum redibant. Tres tamen, ex hujusmodi mulieribus, eisdem viris matrimonio conjunctae fuerunt, quibus in concubinato conjunctae fuerant. Aliqui etiam in poenitentiam suorum peccatorum decreverunt in uxores admittere aliquas ex illis.

224. Aliqui haeretici, et a malis etiam spiritibus obsessi, adjuti a Domino per nostros fuerunt; et compluribus spiritualia exercitia proposita; visitati etiam in vicinis castellis vel pagis, a quibus nostri interdum accersebantur. Inter multas autem paces, quae hoc autumno confectae fuerunt, cujusdam foeminae fervor peculiaris fuit, quae cum diu odium suum retinuisset, compuncta cujusdam ex nostris ministerio, ad adversariam inveniendam sollicita fuit, et coram trecentis vel quadringentis hominibus ad illius pedes se projecit, et veniam tanta cum ubertate lacrymarum ab ea postulavit, ut non solum adversariam commoveret, sed omnes etiam circumstantes et quidem magna cum aedificatione.

225. Multae restitutiones magni momenti factae sunt, quae fiebant etiam a tenuis fortunae hominibus, non mediocris summae. Adhibito autem favore Gubernatoris, inviserunt nostri omnes indigentes, tam qui in oppido Lauretano, quam qui circa illud erant; et omnium nomina in catalogum redacta sunt ut omnium necessitatibus ex facultatibus sanctae domus subveniretur.

226. Praetermisso tempore paschali ac festis natalitiis et jubilaeis, observatum est ex his, qui ad sanctam domum venerant, octo millia et septingentos, tribus aut quatuor hebdomadis, communicasse. Aliis etiam quibusdam diebus undecim millia et eo amplius hoc vitae cibo refecti fuerunt; tanta erat enim interdum peregrinorum frequentia, ut sub finem Maji octo diebus fere viginti millia hominum ad sanctam illam domum convenerint, qui, quamvis non omnes confiteri possent nec communicare, plurimi tamen nostris, multi etiam canonicis confitebantur.

227. Quod ad scholas attinet, initio quidem aperiri non potuerunt, ut superius tetigimus<sup>1</sup>; nostri tamen domi in conscientiae casibus, uno proponente et aliis respondentibus, et demum eo qui praeest constituente quid tenendum esset, se diligenter exercebant. Alii etiam nostri fratres, dum libri expectantur, in compositionibus se exercebant; et uno tantum libro graecae grammaticae invento eo in oppido, praelegi ea grammatica coepta est, aliis manu sua describentibus praecepta, quae

---

<sup>1</sup> Supra, t. iv, pag. 49, n. 82.



magis erant necessaria. In spiritualibus etiam libris se exercebant; sed [quia] paulatim libri haberi poterant, eis nostri utebantur et non inutiliter etiam tempus in hac parte humaniorum litterarum contriverunt. Duae postea facultates susceptae fuerunt hujusmodi litterarum.

228. Adveniente autem Quadragesima intermissae fuerunt usque ad pascha, quod clerici in divinis officiis valde essent occupati. Rogaverunt etiam canonici ut usque ad idem tempus lectiones etiam casuum conscientiae differrentur; sed eodem tempore christianae doctrinae lectio fuit intermissa a P. Raphaële, ne confessionum occupatio ingens tempus aliis piis functionibus adimeret. Singulis diebus feriatis P. Montoya <sup>1</sup>, qui hoc autumno Lauretum cum aliis multis missus est, lectionem casuum conscientiae publice praelegebat in ecclesia, et quidem cum satisfactione auditorum, licet canonici ne ad horam integram lectio produceretur, sed tantum ad tres quartos <sup>2</sup> horae, impetrarunt. Aliis quippe occupationibus distinebantur.

229. Schola autem litterarum humaniorum in tres classes erat distributa; sed tamen fere nostri soli auditores erant; et eo magis proficiebant; disputationibus etiam et compositionibus more Societatis consueto se exercebant; et 15.<sup>o</sup> quoque die aliquis eorum publicam orationem latinam habebat, quae ad aliquam virtutem sectandam, vel ad aliquod vitium fugiendum commovebat.

230. Concesserat etiam P. Ignatius, rogatu Gubernatoris, et ad ipsius Rectoris consolationem, [ut] lectio aliqua Sacrae Scripturae legeretur, et ita priorem epistolam Pauli ad Corinthios idem Rector explicandam hoc autumno suscepit; et dominicis ac festis diebus post vespertinum officium, cum audientium fructu, lectionem hanc est prosequutus.

231. Cum primum nostri Lauretum accesserunt, cupiebat Gubernator ut communi cum canonicis refectorio nostri uterentur <sup>3</sup>; sed cum varias esse rationes Rector ei proposuisset, quibus id minime convenire facile ostendebatur, illis facile acquievit. Non defuit tamen satis magna occasio, nec tunc nec

<sup>1</sup> P. Joannes de Montoya.

<sup>2</sup> Sic; scilicet *tres quartas horae partes seu quadrantes*.

<sup>3</sup> Vide supra, t. iv, pag. 47, n. 75.

annis sequentibus, patientiae exercendae; minor tamen ea fuit postquam ea ratio inita est, ut non singula essent ab officialibus ejus domus petenda. Et ne contra aedificationem facerent ipsis in initiis, tum in his quae ad victum, praesertim infirmorum, tum etiam in his quae ad vestitum pertinebant, non exigua incommoda patienter ferenda fuerunt.

232. Quatuordecim vel quindecim initio missi sunt, sed intra paucos menses ad viginti ascenderunt praeter eos, qui Roma mittebantur. Crevit brevi numerus usque ad viginti quatuor. Sed cum Romam venisset Gubernator, et majorem sacerdotum numerum, crescente in dies messe lauretana, postulasset, et lectiones illas, de quibus paulo ante egimus, casuum conscientiae et Sacrae Scripturae, expeteret, fundatio Lauretani Collegii mutata fuit, et tredecim vel quatuordecim sacerdotes ex nostris ibidem teneri, quadraginta autem numero omnes nostros esse constitutum est. Et ita Cardinali Carpensì, protectori, placuit id fieri, et fundatio atque dotatio Lauretani Collegii in hunc modum aucta est. Et P. Montoya, theologiae Doctor, qui ex Hispania non ita pridem venerat, ut hos conscientiae casus legeret et Superintendens esset Collegii Lauretani missus est. Collegii enim magnitudo et varietas faciebat ut Rector hoc auxilium valde opportunum existimaret, quamvis gubernationis labor ipsi relictus est sicut prius.

233. Vigesima prima ergo die Octobris, cum undecim sociis Lauretum ille 'pervenit, et postridie P. Joannes Gambarus ' cum septem aliis, et quidem omnes incolumes peregrinationem suam absolverunt. Alii etiam postea missi. Volebat autem P. Oliverius quadraginta ex nostris ibi alii, praeter coadjutores, qui Collegio inserviebant; sed Gubernator minime acquievit huic interpretationi, quamvis habitationibus omnibus abunde providit; et ab aliis clericis saecularibus separatas habitationes dedit, quibusdam ostiis clausis aditum aliarum habitationum occludendo.

234. Dederat quidem primo vere in superiori parte palatii Lauretani tria cubicula satis magna et quaedam alia loca non pauca, quae pro officinis necessariis et commoditate nostrorum deservirent. Sed hoc autumno auxit cum habitatoribus etiam

<sup>1</sup> Ipse scilicet P. Joannes de Montoya. -

<sup>2</sup> De hoc jam saepius mentio facta est praecedentibus t. III et IV, dum de rebus Venerabilium agitur.

habitationum numerum. Censebatur autem ea pars illius palatii quo editior eo salubrior et aëris minus impuri, et quia aquae et lignorum commoditas minor hac ratione futura erat, prospectum est huic etiam incommodo, cum scala quaedam ad supremas usque habitationes sensim ascenderet, quam jumenta onerata conscendere poterant et res necessarias usque ad habitationes nostrorum ferre.

235. Videbatur autem in animo habere Gubernator anno sequenti novum Collegium erigere; sed partim quod multis annis non fuisset absolutum, partim alias ob causas, nostri ad hoc usque tempus, in jam dicta parte palatii perseverant.

236. De supellectilibus autem, paulatim quidem, sed tamen providit, ut etiam hospites, qui saepissime eo conveniunt de ipsa Societate devotionis ergo, excipere posset. Et ipse quidem Gubernator eximio affectu nostros prosequabatur, sed aliis rebus impeditus, interdum patientiam exercere nostros permittebat.

237. Inter peregrinos, qui per Collegium Lauretanum transibant, fuit P. Hieronymus Bassius, qui mense Martio Lauretum ex Gallia pervenit cum socio, et inde Romam progressus, et aliquot menses ibi versatus, ut diximus <sup>1</sup>, hoc eodem anno in Galliam rediit.

238. Cum autem aliquos prius non consulto P. Ignatio Romam misisset, hoc autumno P. Oliverius admonitus est, ne id in posterum faceret, sed expectaret responsum a Generali; et sic demum mitteret, quos mittendos censebat, si Generalis approbasset.

239. Exercitia spiritualia proposita quibusdam fuerunt, qui Societatem ingredi constituerunt, sed experientia docuit delectum habendum esse eorum, qui eo in loco Societati se adiacere constituebant. Quidam enim vel inconstanti animo vel ficto esse deprehensi sunt, cum ad eum locum varia hominum genera et varias ob causas conveniant. Ex his etiam, quos P. Oliverius admiserat, brevi etiam [quosdam] dimisit, postquam eos perspectos habuit. Aliqui tamen idonei ad nostrum institutum ibi manserunt et Romae etiam perseverarunt.

240. Hoc autem de nostris ab initio hujus anni fatetur

---

<sup>1</sup> Supra, pag. 41, n. 74.

Rector, quod ipsius cor jubilabat in actione gratiarum, cum sensibilem Domini gratiam ac affluentem misericordiam in illis observaret, tum in his, quae ad proprium profectum, tum in his, quae ad aliorum aedificationem pertinebant; et ita omnes stupebant spiritum ac fervorem eorum, qui clarissime in sanitate et aegritudine, vita et morte quorundam, resplendebat.

241. Invidens tamen illis daemon, quosdam eorum seducere variis phantasmis tentabat, et aliquando in forma pueri eis apparebat circa S.<sup>mum</sup> Sacramentum, aliquando inter orandum in aliis formis, et cum hac ratione nihil obtineret, ad terrores incutiendos et ad affligendos aliquos sese convertit die noctuque, hunc percutiendo, super alium tota nocte incedendo et conculcando, et singulis noctibus, post lucernam extinctam, quemdam alium brachio trahendo, et strepitum in ejus cubiculo excitando. Sed demum confusus eorum constantia, a Deo adjuta, non est permissus a Domino amplius nostros molestare <sup>1</sup>.

242. Cum autem Gubernator Lauretanus de nostris testimonium reddit, plurima brevibus ad Dei gloriam narrat, et optimam eorum vitam ait efficere ut luceat locus ille, et hanc esse publicam hominum vocem <sup>2</sup>.

243. Venerunt hoc autumno magnates non pauci ad sanctam domum, inter quos fuit Cardinalis Urbini <sup>3</sup>, quem nostri inviserunt; et cum eclogam quamdam de festis natalitiis (quae tunc vicinae erant) coram ipso recitarent, tantopere fuit delectatus, ut omnino ejus exemplum habere voluerit.

244. Uxor etiam D.<sup>ni</sup> Ferdinandi de Gonzaga <sup>4</sup> cum primogenito suo Rectori confessa est; et ab eo obtinere omnino voluit rationem vitae bene instituendae; et voluit ab eo promissionem exigere, quod ipsam in filiam spiritualem admitteret, et principem ejus filium, qui eidem erat confessus.

<sup>1</sup> Vide OLIVERII MANAREI *De rebus Societatis Jesu Commentarium* cap. ix, § 19 24.

<sup>2</sup> Hoc testimonium nec recenset inter alia P. PINA, l. c., nec nos vidimus.

<sup>3</sup> Julius Feltre de la Rovere, Guidobaldi, Urbini Ducis, frater.—“Venit et peregrinorum more pedes illius. Cardinalis Urbinas, frater Ducis Urbinatis, ecclesiae Lauretanae protector, cum magno comitatu, tempore quadragesimae, qui locum exornavit muneribus sacris, pauperes eleemosynis variis refecit, populum universum sua pietate et suae aulae disciplina ac modestia in Domino aedificavit.” OLIVERIUS MANAREUS, l. c., § 6.

<sup>4</sup> “Isabella da Capoua, unica figliuola del Duca di Thermoli, Principessa di Molfetta, donna certamente saggia e molto valorosa.” ALFONSO ULLOA, *Vita del valorosissimo Don Ferrante Gonzaga*.

245. Archiepiscopus etiam Ragusii <sup>1</sup> et Legatus ejus Reipublicae de collegio in illa civitate instituendo serio agebant, quamvis hucusque res non maturuit. Conquerebantur etiam Maceratenses, quod non eo aliqui essent missi a P. Ignatio ad collegium inchoandum.

Et haec de Lauretano Collegio sint dicta <sup>2</sup>.

## DE COLLEGIO FLORENTINO

246. Hoc anno P. Ludovicus <sup>3</sup> praefuit, ut etiam praecedentibus, Collegio Florentino. Accedere autem ad Societatis institutum duo aut tres ex nostris scholasticis constituerunt, quorum major natione hispanus Ducissae in officio nobilium inserviebat, Christophorus Trusillus <sup>4</sup> nomine; et quamvis ejus consaguinei lacrymis et promissis eum oppugnarent, nihil tamen profecerunt. Et primo quoque tempore cupiebat admitti. Ex his autem tribus <sup>5</sup> morae impatiens vota Domino nuncupavit, quod, cum primum occasionem nactus esset, Societatem ingressurus erat.

247. Confessionum messis semper abundantem fructum attulit. Foemina quaedam, quae primo nostris confessa tunc fuerat, sic compuncta fuit, ut ex se alios metiens, diceret saxo duriores esse qui nostra in ecclesia peccata confitendo non converteretur ad Dominum. Aliquae, quae viris nondum nupserant, hortatu nostrorum se Dei servitio in religione manciparunt, inter quas nobilis quaedam et Duci consanguinea erat, quae magnopere in via spirituali profecerat, postquam nostris

---

<sup>1</sup> Dum de mense certo non constat (nobis autem nondum constitit), quo haec egere Ragusini, affirmari certo non potest quisnam hic fuerit Archiepiscopus, qui Societatis collegium apud se hoc anno habere voluit, an Joannes Angelus Medicis, an vero Ludovicus Beccatelli, qui Joanni successit hujus anni mense Septembri die decima octava.

<sup>2</sup> Horum maxima pars deprompta est ex litteris Patrum Oliverii Manarei et Raphaelis Riera, jam editis in *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 317, 326, 374, 556 et 655.

<sup>3</sup> P. Ludovicus du Coudrey seu de Condreto.

<sup>4</sup> *Truxillo, Trujillo?*

<sup>5</sup> Sic; deesse autem videtur vox *unus*; ni forte haec intelligenda sint de uno eodemque Christophoro Trujillo.

coeperat confiteri. Meretrix etiam quaedam post confessionem generalem factam, praeteritae vitae renuntiando, suadente eodem P. Ludovico, monasterium conversarum est ingressa.

248. Quamvis autem semper haec occupatio nostros utiliter distineret postquam Florentiam venerunt, sub finem tamen hujus anni uberiores proventus reddiderunt, multis nostros adeuntibus, qui vulnera, multis annis contexta, et ita numquam curata, eis ut fidei meritis detexerunt, ut a Domino per eos curarentur. Quidam disciplinae ignarus, facto divortio, uxorem deseruerat, et quasi vinculo dissoluto pro sua voluntate uterque conjugum seorsum vivebat; sed quidam ex nostris hominem peccati sui commonefaciens, effecit ut in sanctum illud foedus et cohabitationem de integro redirent.

249. Cum Quadragesima hujus anni monachus parum catholice concionaretur, admonitus fuit a P. Ludovico; et cum admonitio non sufficeret, rem ad ejus superiorem detulit, a quo fuit coactus monachus, quae dubia dixerat, declarare, et quae falsa recantare <sup>1</sup>.

250. In quosdam incidit idem, qui chartis ludebant numero multi, et sua exhortatione sic eos commovit, ut omnes ab hujusce ludi genere abstinere, vitamque in melius commutare pollicerentur: idque nonnulli lacrymarum testimonio confirmantes fidem meruerunt.

251. Nobilis quidam Florentinus, qui duodecim annos in militia varia stipendia sequutus fuerat, et supra quinquaginta homicidia perpetraverat, hic in quemdam ex nostris sacerdotibus incidens, sic ab eo commotus discessit, ut coram ipso constituerit, et quodammodo voverit, aliquam ingredi religionem, in qua peccata commissa, dum viveret, deploraret.

252. Idem P. Ludovicus dominicis ac festis diebus priore parte hujus anni canticum B. Virginis explicavit. Erat ibidem P. Jacobus Laynez, Provincialis, et pietatis operibus suo more vacabat; sed [ne diu maneret obstitit] praeceptum Pontificis Julii III, qui ad diaetam Germanicam cum P. Natali, ut diximus <sup>2</sup>, eum mittebat, ut uterque comitaretur Cardinalem Moronum

---

<sup>1</sup> De hac re, nomine tamen concionatoris suppresso, plures intercessere litterae Ignatii inter et Florentini Collegii Rectorem.

<sup>2</sup> Supra, pag. 8, n. 8.

Legatum. Secundo die Quadragesimae <sup>1</sup> inde profectus est; et quamvis Ducissa non adduci posset ut aequo animo ferret ejus absentiam, et per dispositos equos Romam ea de causa mitteret, tamen facultatem ei tandem dedit. Sic concionandi munus apud S. Laurentium, quod hac Quadragesima suscepit, omittendum fuit.

253. Spiritualia exercitia multis proposita fuerunt.

254. Nobilis quaedam matrona ac dives ex alieno viro filium suscepit, eumque quasi mariti proprium educaverat. Maritus itaque nescius, hunc, quem credebat filium, haeredem facere constituerat, et alterum, qui vere ipsius erat, ordinibus ecclesiasticis initiari cupiebat; sed mulier, quemdam ex nostris sacerdotibus adiens, didicit quod divino et humano juri congruebat, et ejusdem edocta consilio, marito persuasit ut filium legitimum bonorum suorum haeredem relinqueret, alterum autem, qui vere spurcius erat, ut religioni addicerent. Et ita conscientiae uxoris consultum est et illis incommodis obviatum.

255. Quidam uxorem in adulterio deprehensam occidere constituerat; sed, in eundem incidens sacerdotem, mitiori animo factus, illatam sibi injuriam oblivioni tradidit.

256. Praeter consueta in carceribus pietatis officia et confessiones ibi detentorum auditas, unus ex nostris crebro congregatos alloqui solitus erat et de his, quae ad eorum pertinebant salutem, commonefacere. Crebro autem praeter nostrum templum in monialium coenobiis praedicatum est.

257. Pater autem Jacobus de Guzman, Florentiam missus <sup>2</sup>, postquam exposuerat christianam doctrinam, dum a discipulis rationem ejus reposcebat, viri ac mulieres, eadem audiendo et retractando, addiscebant. Idem Pater duobus nobilibus hispanis cum exercitia tradidisset, uterque ad Societatem propensum animum habebat. Erant autem in litteris sacris versati et probis moribus ornati.

258. Cum hoc anno sicut et praecedenti gravis penuria populum premeret, multum negotii nostris pauperes exhibuerunt, et charitatem exercendi occasionem praebuerunt; conveniebant

<sup>1</sup> Intellige non secundam feriam post Dominicam quadragesimae, sed, pro vulgi more quadragesimae dies recensendi, alteram post feriam quartam Cinerum diem, quae fuit Februarii postrema seu 28.<sup>a</sup>

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 42, n. 78.

Florentiam tam multi pauperes et egeni. Dux, egregia usus benignitate, magnam vim frumenti contulit, ex quo panes, sex unciarum singuli, conficerentur et pauperibus singulis singuli donarentur <sup>1</sup>. Quatuor autem loca constituta fuerant ad hanc eleemosynam distribuendam, ad quam accipiendam terna fere hominum millia in singula loca constipari solebant.

259. Ac haec igitur loca ex nostris aliqui crebro se conferbant, ut rudiores in christiana pietate, signare se cruce, et orationem dominicam cum salutatione angelica et symbolo apostolico, et alia christianae religionis rudimenta docerent, et omnes ad vitam bonam ac piam hortarentur. Saepe etiam illis, cum magna auditorum attentione et fructu concionabantur. Sic enim commoveri auditis verbis videbantur, ut ne a lacrymis quidem interdum temperarent. Accidit autem ut inter alios, mulier quaedam, verbi Dei gladio icta, se continere non potuit quin palam se peccatum grave admisisse exclamaret, ideoque se indignam misericordia Dei. Sed ille ipse qui concionabatur, et docuit et consolatus est eam; et ita, ad confessionem eodem die se conferens, a morbo spirituali curata est.

260. Erant fere duodecim hominum millia, qui ad hanc eleemosynam accipiendam confluebant. Cum praeterea P. Ludovicus Rector recordatus esset quod, cum Romae fames multos vexaret, romana nostra domus multos sublevabat, rapas et quaedam alia coquendo, quae in pauperum usum cedebant, ad portam convenientium <sup>2</sup>, acceptis aliquot aureis nummis a Ducissa in hunc usum, coeperunt et ipsi multos pauperes ad templum nostrum convenientes pascere, et eadem ratione eos docendi domi nostrae utebantur; cum non mediocri eorumdem pauperum admiratione, cum ad sui consolationem etiam spiritualem tam propensos esse nostros viderent.

261. Magnae annonae caritati adjuncta fuit gravis quaedam et late patens aegritudo ac lues, ex qua initio pauci mortem

<sup>1</sup> "Nè l' Duca di Firenze haueua modo senza gran danno del suo paese per la lunga guerra e per le magre ricolte di mala maniera affamato a riempierla (Siena) hauendo già poco meno che due anni nutrito continuamente un essercito grosso di forestieri in campagna. Per lo qual pericolo conuenne che di Cicilia e di Puglia si facesse prouedimento di molto grano a Liorno....." ADRIANI, *Della storia dei suoi tempi*, lib. XIII, ad an. 1555.

<sup>2</sup> Vide supra, t. I, pag. 65 et 66, et RIVADENSIS, *Vida de San Ignacio*, lib. II, cap. XV.



evadebant. Sex autem ex nostris usque ad mortem ex eodem genere morbi, quod facile ex consuetudine cum hujusmodi pauperibus adhaerere ipsis potuit, pervenerunt; et miraculum quoddam visum est quod omnibus sanitatem Deus restituerit, praeter unicum fratrem nostrum Paulum, cui dederat Dominus ante aliquot dies, antequam in morbum incideret, gratiam dissolutionis petendae ut esset cum Christo, immo et praevidendae.

262. Alius ex nostris fratribus, nomine Bartholomaeus Bedula, helvetius, mortem spiritualem eodem tempore evasit. Cum enim ejus pater, qui Bononiae miles praesidiarius erat, Florentiam ad id venisset, ut a religione nostra, cui se per votum consecraverat, ipsum averteret; cum ei filius responderet constanter, quod paratus esset potius mortem oppetere, quam patris voluntati in hac parte acquiescere, indignatus ille, ac maledictionem filio imprecans (quam tamen in benedictionem convertendam esse merito sperabatur), Bononiam rediit.

263. Archipresbyter ille Pratensis <sup>1</sup>, quem admissum esse sub finem anni praeteriti diximus, ad suum Archipresbyteratum resignandum statim promptum se obtulit.

264. Genuae versabatur initio hujus anni P. Jacobus Laynez, et Florentiam jam venturus erat, cum accepit litteras P. Ignatii ut juxta Pontificis obedientiam Florentiam veniret, ut ibi aut Bononiae Cardinali Morono sese conjungeret, et ita ultima die<sup>2</sup> Januarii Florentiam pervenit, et simul salutavit Ducissam, ac simul ei valedixit <sup>3</sup>. Et quidem suggestum jam fuerat Ducissae, ut concionatorem, qui apud Sanctum Laurentium concionaretur, provideri juberet, quandoquidem alium ipsa dimitti jusserat, omnino volens ut ibi P. Laynez concionaretur. Sed illa aegre admodum ferens hanc ipsius absentiam, serio dicebat quod civitatis portas ipsi claudi jussura erat. Addebat etiam dubitari de profectione Legati, quia Principes Germa-

<sup>1</sup> Philippus Guazalotri, vel Guazalotti. Vide supra, t. iv, pag. 170, n. 357, et infra, in hoc vol., n. 283.— De ejus tamen admissione nonnisi 5 Januarii 1555 Roma Florentiam scriptum est. "... si farà risposta particolarmente sopra Mtro. Filippo Guazzalotre, et prima quanto al accettare nella Compagnia, Nostro Padre si contenta et l'abbraccia nel Signor Nostro, perseverando lui nella buona dispositione sua et resignatione di sua voluntà. Circa l'archipresbiterato...." Polancus, *ex com.*, Patri Ludovico du Condrey, 5 Januarii 1555.

<sup>2</sup> Volens, scilicet, Florentiae non subsistere, sed ulterius, juxta Ignatii litteras, Bononiam usque progredi.

niae ad diaetam non conveniebant, et omnino Florentiam trans-  
iturum esse illum <sup>1</sup> affirmabat, si hoc iter germanicum factu-  
rus esset; et interim urgebat ut conciones apud Sanctum Lau-  
rentium inchoaret; et ita 12.<sup>a</sup> <sup>2</sup> die Februarii, quae dominica  
erat, apud S. Laurentium concionatus est. Prius tamen est  
protestatus quod, omnibus relictis, cum Legato profecturus erat  
simul atque Legatus eo venisset. Et quidem frequens admodum  
auditorium habuit.

265. Pervenit autem Florentiam Legatus Moronus 26.<sup>a</sup> Fe-  
bruarii et cum eo P. Natalis, et contendit aliquandiu idem Le-  
gatus cum Ducissa, quae omnino cupiebat Patrem Laynez re-  
tinere, propter suae valetudinis debilitatem, quamvis Quadra-  
gesimae conciones praetexeret; sed sua dexteritate Legatus et  
Ducissae satisfecit, et secum Patrem Laynez adduxit 2.<sup>o</sup> die  
Quadragesimae, ut superius diximus <sup>3</sup>.

266. Admonuit autem P. Ignatium ante recessum, quod in  
illo opere suo, compendio scilicet theologiae, ulterius progredi  
non potuerat, tum propter occupationes crebras, quales in no-  
vis collegiis accidere solent, tum ob amanuensis defectum. Et  
si quando Dominus inspiraret P. Ignatio ut ipsi tempus et lo-  
cum ad scribendum idoneum designaret, ubi libri et scriptor  
suppeterent, libenter se hunc laborem scribendi suscepturum.  
Donec autem id fieret, crediturum se parum idoneum ad scriben-  
dum et quod Dominus ejus opera uti noluit in hac parte; salva  
tamen in omnibus obedientia <sup>4</sup>.

267. Cum Ducissa etiam aperte egit quod salva conscientia  
non poterat nec debebat majus Dei servitium [impedire], Flo-  
rentiae ipsum retinendo, quandoquidem ipsa parum ipsius opera  
proficiebat, et interim Collegium Florentinum fere nullum pro-  
gressum fecerat, quod ad ejus attinet foundationem; et objicie-  
bat ei quam multa impedita fuissent Dei obsequia, si ipsi per-  
missum non fuisset Florentia egredi. Et narrabat collegia alibi  
inchoata, quae jam melius stabilita erant quam hoc florentinum  
prius coeptum; sed Ducissa si quid sibi accidisset (nam mortem

<sup>1</sup> Legatum videlicet Cardinalem Moronem.

<sup>2</sup> Sic perspicue in Ms.; sed error est, non enim dominica fuit dies ista; et fortassis  
scribendum 10.<sup>a</sup>, quae fuit hoc anno dominica Septuagesimae.

<sup>3</sup> Pag. 96 et 96, n. 252.

<sup>4</sup> Vide supra, t. III, pag. 257, n. 574. et t. IV, pag. 163, n. 334.

timebat), vicinum habere Patrem Laynez cupiebat; Collegii cura non ita eam premebat.

268. Antequam Florentia recederet, litteras a Ducissa obtinuit in favorem Mudarrae (quem fuisse olim magnum Societatis adversarium diximus <sup>1</sup>) quibus curabat ut Summus Pontifex a tribunali Inquisitionis causam ad se advocaret; et ad suum Legatum <sup>2</sup> in Urbem litteras direxit, quas P. Ignatius, ut bonum pro malo redderet, postulaverat <sup>3</sup>.

269. Cum autem a Domino Francisco de Toledo postulasset juxta P. Antonii de Cordoba litteras ut pingue quoddam beneficium, quod *de Pedroche* vocabant, cum alio quodam non minus pingui commutaret in gratiam Collegii Cordubensis <sup>4</sup>, D. Franciscus de Toledo, re bene considerata, permutationem quidem negavit, sed ipsum beneficium libere Societati obtulit, ut Collegium in ipso oppido Pedroche institueretur, et se anno sequenti fructus liberos relicturum promisit. Et cum P. Laynez non posse tam multa collegia a nostris admitti diceret, propter operariorum paucitatem, respondit ille, cum paucis posse illud Collegium inchoari. Itaque satis significavit, si daturus esset beneficium, se Collegii fundatorem esse velle.

270. Quia vero protectionem P. Ludovici <sup>5</sup> in Sabaudiam P. Ignatius arbitrio Patris Laynez Provincialis commiserat, judicavit ille non expedire ut eo proficisceretur, sed ut litteris negotia sua transigeret.

271. In renovatione studiorum hoc anno disputationibus accesserunt dialogi latine compositi, quibus auditores plurimum delectati fuerunt. Unus tamen ex his dialogis, vernacula lingua confectus, tantum utilitatis habere visus est (nam de christiana doctrina agebat), ut multi ejus exemplar expetiverint, et ad illum publice edendum ad communem utilitatem nostros hortarentur. Praeter ipsos autem Ducis liberos et complures nobiles, numquam frequentior convenerat spectantium multitudo. Pro-

<sup>1</sup> Vide supra, t. I, pag. 67.

<sup>2</sup> Erat is eo tempore Averardus Serristori.

<sup>3</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 47 et 48.—Plures autem de hac re litteras Ignatii dabimus in *Nova serie*, etc.

<sup>4</sup> Vide supra, t. IV, pag. 162, n. 332.

<sup>5</sup> Patris Ludovici du Coudrey, Collegii Florentini Rectoris, nati in oppido *Sallanches* (*Haute Savoie*). Cf. PRAT, *La Compagnie de Jésus en France du temps du Père Colton*, t. v, pag. 83.

vocati autem felici exitu hujus dialogi in vernacula lingua pronuntiati, simile spectaculum ipso die Conceptionis Immaculae Virginis Mariae ediderunt, ad eandem sine originali peccato Conceptionem approbandam. Ipsi deinde feriis S.<sup>ti</sup> Joannis Evangelistae de mundi contemptu dialogus tertius habitus est, discipulis inter se jucunde et magno applausu de hoc argumento disputantibus, et tanta multitudo conveniebat, ut eam templum non caperet.

272. Scholasticorum numerus ad 130 accedebat hujus anni primis mensibus; sed aestate ineunte decrescere coepit, partim propter aegritudinem nostrorum, quam videbantur contraxisse ex consuetudine, quam habebant cum pauperibus, et forte ne contagiosa esset hujusmodi infirmitas timebant, partim quod ipsi praeceptores eandem ob causam, scilicet morbi, ex parte deficerent; immo medicus nostris suasit ut desinerent eleemosynam illam, quam domi nostrae solebant pauperibus distribuere, illis egenis eo modo dare; et ita curatum est, ut aliis ' pauperibus subministraretur, ne ea colluvies mendicorum domum inficeret, ubi tam multi, ut diximus \*, periculose et ad mortem usque aegrotaverant.

273. Qui deinde veniebant scholastici externi, praesertim qui inter eos minus erant modesti, negotium nostris facessebant, cum nec corrector inveniretur aut sustentari posset, nec alii ab aliis castigari commode possent. Quamvis autem timeret P. Ludovicus quod ex horum insolentia aliquid detrimenti scholae paterentur, quod ad bonam earum existimationem attinet, non censuit tamen P. Ignatius per nostros castigari eos debere.

274. Hoc anno curatum est Florentiae ut domus quaedam ei similis, quae sub invocatione S.<sup>tae</sup> Marthae Romae facta est, institueretur, et fere octoginta foeminae, bona ex parte puellae, eo redactae fuerunt. Quae autem hujus pii operis promotrix fuerat et de nobis etiam optime merita, cupiebat aliquem ex nostris curam suscipere confessionum audiendarum hujusmodi mulierum; quia tamen nostri non poterant juxta instituti sui rationem huic oneri [se] subicere, id solum obtentum est ut in festo Pentecostes earum confessiones audirent.

\* Sic; rectius fortassis *alibi*.

\* Supra, pag. 97 et 98, n. 261.

275. Cum P. Jacobus Laynez ex Germania Florentiam rediisset, redeunde Legato Morono, retinere eum sollicite Ducissa curabat. Impetrata tamen est ab ea facultas ut Lauretum et inde Romam ire posset, brevi Florentiam rediturus, et eo libentius Ducissa id permisit, quod domum sanctam Lauretanam suo nomine eum invisere cuperet; et quia gravida erat et habitudine corporis imbecilla, primo quoque tempore eum redire omnino cupiebat.

276. Cum autem, sicut diximus <sup>1</sup>, Paulus IV eum Romae in virtute obedientiae [prae]scripsisset manere, indignari omnino Ducissa coepit ac minari quod dissolutura esset Collegium, nisi ille venisset; et cum significaretur ei libenter P. Ignatium misurum esse illum, sed obedientiae Pontificis non posse nec debere a nobis obsisti; "si, inquit illa, Pontifex jusserit eum manere, et ego hoc faciam quod dico".

277. Scripsit tamen litteras ad Cardinalem Compostellatum, ipsius patruum <sup>2</sup>, et ad Cardinalem Carpensensem, ut id a Summo Pontifice impetrarent; sed id non obtinuerunt; nam quam illis concesserat facultatem <sup>3</sup>, postea revocavit; et haec erat vox aulicorum <sup>4</sup>, quod magna ingratitudine uteretur Societas erga Ducissam, quod ejus tam honesto desiderio non satisfaceret. Cum autem P. Ignatius misisset Patrem Didacum de Guzman, aperte dicebat Ducissa neminem alium quam Patrem Laynez velle, et cum saepius ad palatium ivisset, nunquam eum alloqui voluit toto hoc anno; et sentiebant nostri in magna annonae caritate <sup>5</sup> non exiguum incommodum quod ex parte auxilium illud subtraheretur, quod augendum fuerat.

278. Hoc eodem anno P. Gaspar Loarte Florentia Genuam transivit cum sociis ipsi adjunctis <sup>6</sup>. Pater etiam Natalis, qui Commissarius erat in Italia, a P. Ignatio institutus <sup>7</sup>, sua prae-

<sup>1</sup> Supra, pag. 33 et 34, n. 59.

<sup>2</sup> Joannem Alvarez de Toledo, O. S. D.

<sup>3</sup> Hoc est, facultatem quam Cardinalium rogatu concesserat Paulus IV ut P. Laynez Florentiam iret.

<sup>4</sup> In aula Ducum Florentiae.

<sup>5</sup> Vide supra, pag. 96 et 97, n. 258.

<sup>6</sup> Vide supra, pag. 42, n. 78.

<sup>7</sup> Subrogatus est in eo munere P. Natalis Patri Joanni Baptistae Viola, qui tamen propter fractam valetudinem aliasque causas parum in ejus muneris functionibus se exercuerat.

sentia nostros florentinos est consolatus; non vidit tamen Ducissam, quae, dum ibi esset, filium pepererat.

279. Exercuit nostros hoc anno Florentiae Vitalis quidam <sup>1</sup>, qui, cum Societate semel egressus fuisset, secundo eundem admitti P. Ignatius permisit: [hic] non solum male se gerebat, sed alios etiam seducere et a Societate avellere nitebatur, et velut pestem quamdam nostri fovebant, dum illum retinent; sed recedens secundo, hospite etiam insalutato, magno incommodo, licet occulto, Societatem liberavit.

280. Antequam Florentia recederet Lauretum et Romam versus P. Laynez <sup>2</sup>, commiserat ei Dux Florentiae Cosmus ut Papam Marcellum (nam, dum ille viveret, Florentia recessit) suo nomine rogaret ut reformationi fratrum conventualium in dominio florentino daret operam. Deinde cum assumptus esset ad Pontificatum Paulus IV, Ducissa significavit pergratum esse Duci si cum eodem de hoc negotio ageret. Alloquutus est autem Pontificem, et propensum valde ad hanc reformationem invenit, quod cum Duci significatum esset per Patrem Salmemonem, qui Florentia Germaniam versus transibat, et quaedam capita ad hanc reformationem pertinentia explicata fuissent, gratissima res ea accidit Duci; et scripsit Summo Pontifici ac Patri Laynez, omnia ea magnopere probans, quae ei fuerant explicata; et si placeret Suae Sanctitati, non expectata generali reformatione omnium conventualium, quae forte non perinde grata futura erat omnibus principibus atque ipsi, pro exemplo fore aliis, quod in florentino dominio factum esset, allegabat. Secundas etiam litteras ad hoc ipsum negotium mense Septembri addidit, et facultate obtenta a Pontifice rem egregie executus est, et conventuales suis monasteriis exuit ac observantibus ejusdem ordinis ea tradidit.

281. Cum ad nostros exemplum jubilaei a Paulo IV concessi missum esset, Vicario Florentino <sup>3</sup> id ostensum est, et sub festum Assumptionis B. Virginis id publicari fecit.

282. Militibus arcis florentinae concionari coepit P. Didacus de Guzman et christianam doctrinam tum eos, tum filios,

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 164, n. 337.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 102, n. 275.

<sup>3</sup> Dno. Antonio de Pretis de Consilice, J. V. Doctori. Cf. *Acta Sanctorum*, mense Julio, t. vii, n. 500.

[et] uxores, docebat, ut etiam nostrae scholae pueros diebus sabati; et omnium hispanorum, qui Societati amici erant, brevi tempore omnes cognovit.

283. Hac aestate P. Ludovicus Pratum, decem millibus passuum distans oppidum, venerat, et bis aut ter in summo templo et in aliis concionatus, non sine fructu ac satisfactione et commotione, et quorundam confessionibus auditis, quaedam loca vidit, quae ad Collegium Societatis instituendum ipsi ostendebantur, et facile, ratione permutationis cum P. Philippo Guazaloto, qui Archipresbyter erat, haberi poterant <sup>1</sup>. Agebatur etiam de centum aureis annui redditus applicandis, quos illud oppidum ludimagistro solvere solitum erat; sed non facile huiusmodi collegiola admittenda esse videbantur.

284. Senis etiam, cum, expulsis inde Gallis, hoc anno D. Franciscus de Toledo <sup>2</sup>, Gubernator mitteretur <sup>3</sup>; domum Societati nostrae offerebant <sup>4</sup>, et Patrem ipsum Laynez vel alium eo mitti idem D. Franciscus de Toledo peroptabat; sed paucis post diebus, eodem a vivis recedente <sup>5</sup>, res est in aliud tempus rejecta.

285. Postulatum fuit a Duce Cosmo, sicut ab aliis principibus, testimonium Societatis nostrae, et illud libenter dedit, sicut et Vicarius Archiepiscopi (nam ipse Archiepiscopus <sup>6</sup> Florentiae non residebat), et idem testimonium subscripserunt Commissarius Inquisitionis et ejus socii <sup>7</sup>.

286. Cum quidam milites hispani, qui in carcere retinebantur, aegrotarent, impetrarunt nostri ut statim liberarentur ut possent suae valetudini consulere; et quamvis indignata fuit

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 98, n. 268.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 100, n. 269.

<sup>3</sup> "Al governo della Città (Senarum), havendone il Duca (Florentiae), poiche l'ebble dato forma, richiamato Mtro. Agnolo Niccolini, rimase con l' autorità il Conte di Santaflore, aspettandosi che Don Francesco di Toledo, secondo l'ordine che n' havea dall' Imperadore, vi andasse a risiedere, essendovi bisogno di governo sovrano." JOANNES BAPTISTA ADRIANI, *Istoria de' suoi tempi*, lib. XIII.

<sup>4</sup> Vide supra, pag. 59, n. 128.

<sup>5</sup> "Era morto in questo tempo stesso in quella Città (Senis) Don Francesco di Toledo, il quale haveva indiritto il governo tutto ad ubidienza del Re Filippo, e confortato quei cittadini a volerli esser buoni vassalli, e l' universale ne haveva presa buona speranza...." ADRIANI, *ibid.*

<sup>6</sup> Antonius de Altoviti.

<sup>7</sup> Vicarii et Inquisitorum Florentiae testimonium edidit PINIUS, *Acta S. nctorum*, mense Julio, t. VII, part. II, Comm. praev. de S. Ignatio, § XLVII, n. 500-502, qui Ducis testimonium, 24 Maii hujus anni datum, habuit quidem prae manibus sed non edidit.

postea Ducissa, ut diximus, nihilominus sub anni finem placata est, et nostrorum necessitatibus se consulturam promisit. Dederat etiam auxilium aliquod ad Collegii aedificium, quod coeptum erat, proseguendum; quia tamen non mediocri subsidio in tanta caritate opus erat, licuit per ipsam nostris paupertatem hoc anno experiri ac patientiam exercere.

Et haec de Florentino Collegio sint dicta.

## DE COLLEGIO GENUENSI

287. Initio hujus anni P. Jacobus Laynez Genuae versabatur, et ejus opera praecipue, sed aliis etiam pro virili parte commune bonum promoventibus, primaria nobilitas ejus civitatis magna dilectione Collegium nostrum prosequebatur; cujus argumentum erat frequens ad idem Collegium eorum adventus, et quod multi eorum, nostrorum colloquiis ad virtutem ac Dei amorem accendebantur. Multi etiam usuram (quod vitium in ea urbe latissime patebat) relinquebant ac repudiabant. Ex his autem, qui totius vitae generalem confessionem P. Jacobo Laynez fecerant, vir quidam magna integritate praeditus, hoc anno Dux urbis communi omnium consensu creatus est <sup>1</sup>. Multi ad frugem meliorem se receperunt, et ipso initio anni tres erant (inter quos quidam Dr. utriusque juris, [qui] officio judicisungebatur), [qui] Societati sese adiacere cupiebant.

288. Cum autem ex concionibus Adventus commoti cives genuenses, in Quadragesima hujus anni eundem retinere litteris Romam missis curarent, mense Januario litteras accepit P. Laynez, quibus in Germaniam ire cum Legato, ut diximus <sup>2</sup>, debebat, et aequiori animo propter commune bonum tulerunt genuenses quod ab eis recederet in Germaniam quam si Florentiam se contulisset. Habuit autem concionem ante suum recessum ad scholasticos, cui Episcopus suffraganeus <sup>3</sup>, multique

<sup>1</sup> Dux hoc anno Reipublicae Genuensis electus fuit Augustinus Pinello, Philippi filius. RIVAROLA, *Descriptio historica... de Génova*, cap. xxv.—"a 4 di Gennajo fu eletto Doge Agostino Pinello, del fu Filippo." CASONI, *Annali di Genova*, an. MDLV.

<sup>2</sup> *Supra*, pag. 8, n. 8.

<sup>3</sup> Vide *supra*, t. IV, pag. 33, annot. 3.



nobiles cives interfuerunt; qua finita, Episcopus in Collegium cum ipso Patre Laynez venit, et cum nostris pransus est, et cum ei Collegium P. Laynez commendaret, omnem suam operam est pollicitus.

289. Senex quidam, vir gravis et in civitate primarius, nec minus pius, tam tenere P. Laynez diligebat, ut, licet vellet taciturnitatē dolorem suum celare, lacrymis tamen erumpentibus et singultibus illum indicare cogeretur. Sub finem ergo Januarii inde Florentiam versus recessit.

290. Locus, in quo nostri habitabant, satis incommodus erat ad poenitentium concursus; et nihilominus tam multi confluebant, ut, non solum festis diebus, sed nec feriatis, eorum multitudini posset satisfieri. In bellorum autem tumultibus et classis turcarum metu ablato, praesertim occasione sacri jubilaei, tam multi confessionis gratia nostros adierunt, ut vix liceret sacerdotibus etiam operariis diebus a templo abesse. Complures, qui non nisi semel in anno confiteri sua peccata soliti erant, ad frequentem usum confessionis et Eucharistiae per nostros reducti sunt; sed generalem confessionem totius vitae qui instituebant, et deinde crebro ad Eucharistiam accedebant, Genuae, sicut et alibi, progressus in pietate faciebant, multique, revocati a libera admodum vivendi ratione, moribusque perditis, ad magnam puritatem ac in Deum devotionem, sacramentorum auxilio promoti, octavo quoque die ad mensam Domini accedebant.

291. Non deerant aliqui detractores, qui despicerent quae alii et probabant et perutilia experiebantur; sed nec expediebat hujusmodi exercitationem deesse, quae ad profectum virtutis ac meriti non parum momenti habere solet.

292. Ne scholis quidem commodus erat locus; et tamen scholasticorum numerus ducentessimum ac trigesimum excedebat hujus anni initio, et non solum magistrum, sed etiam locum tam multis accedentibus defuturum videbatur. Et quamvis quinque classes essent, quod ultima numerosa nimis esset, dividi eam oportuit; et sex classibus sex praeceptores dabant operam<sup>1</sup>. Pueri autem non solum in litteris ac christiana do-

<sup>1</sup> Praeceptorum nomina singulis his scholis praefectorum habes in *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 295.

ctrina, sed etiam in moribus egregie proticiebant, et tam libenter confitebantur, ut, cum semel singulis mensibus juxta nostrae scholae instituta id facere tenerentur, certatim tamen ad crebriores confessiones se offerrent, et quis prior accederet nonnumquam contenderent, et magnum candoris ac puritatis testimonium a nostris prorsus habebant. Si quis tamen in tanta multitudine, ut fieri solet, rudior ingenio inveniebatur quam ut studiis dare operam inutilem deberet, advocatis parentibus, ut ad alia munera obeunda eos applicarent hortabantur; et ita sub anni finem, quamvis multi accessissent, ad ducentos numerus redactus est; et ita melius poterant praeceptores quinque, cum uno adjutore, eis satisfacere.

293. Proponebatur autem eis diebus veneris christiana doctrina, et qui inventi sunt idonei per aetatem, ad sanctissimum Eucharistiae sacramentum admissi, ea cum modestia se gerebant ac devotione, ut aliqui dicerent propensiores jam pueros ad virtutem quam senes videri. Aliqui ex illis tam ferventer quae Dei sunt percipiebant, ut fratres, sorores, immo et parentes, ad honorem et cultum Dei, vel exemplo, vel verbo hortarentur; et constabat aliquem, jam provectae aetatis virum, admonitum a fratre adolescentulo, quod chartarum ludo nimis vacaret, ludum omisisse. Gloriabantur autem parentes quod liberi ipsorum in bonam frugem se recepissent; et ut miraculum quoddam id amplificabant in quibusdam, quos cum prius non bene se gererent, novam et studiosam vivendi rationem sumpsisse videbant.

294. Quaedam autem exercitationes scholasticae habitae fuerunt in studiorum renovatione mense Octobri, quae magnopere scholarum bonum nomen auxerunt. Defensae sunt enim a quodam scholastico, in aede D. Laurentii, quaedam ex humanioribus litteris theses, quae triduo ante disputationem in publicis locis urbis affixae fuerant, ut cuivis liceret eas oppugnare. Cumque dies designatus advenisset, propter rei novitatem (nihil enim simile Genuae visum fuisse dicebatur), magnus adfuit hominum concursus. Interfuit etiam Episcopus suffraganeus<sup>1</sup>, et Senatus cum ipso Duce<sup>2</sup>, qui maxima cum atten-

---

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 105, n. 288.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 105 n. 287.

tione et praefationem audierunt, quam primae classis praecceptor <sup>1</sup> habuit, et alteram ejus adolescentis, qui praedictas theses tuebatur. Sequutum deinde est certamen, et duodecim ex nostris scholasticis, qui instructi accesserant, suis argumentis velut telis adolescentem praedictum oppugnarunt, et vix credi posset quanta cum admiratione audientium, audacia ac promptitudo puerorum in suis argumentis perspicue declarandis, et propugnatorum in eis profligandis, per tres horas spectata fuerit; quia ne verbum quidem unum extra rem proferre videbantur, et a tota civitate, et praesertim a Senatu, magno cum gaudio haec disputatio cepta est; qua absoluta, Dux ipse civitatis, cupidus cognoscendi juvenem, qui positiones defenderat, et nostris gratulandi bonam institutionem, illum simul cum praecceptore accersivit, et animavit ad studia majora capessenda, gratissimas sibi fuisse disputationes ostendens; postridie autem, eodem in loco, habita fuit oratio in laudem eloquentiae a quodam ex discipulis. Recitata etiam fuere quaedam carmina in laudem urbis Genuae, quae non minori applausu vel frequentia, quam hesternae, audita fuerunt; nam et Dux ipse cum Senatu et Episcopus interfuit, et multi, ad quos certaminis fama pervenerat; et cum prius quodammodo videretur latere in tenebris Collegii fama, latissime per totam urbem pervagata est.

295. Eo autem die, quo studia fuere renovata, convenere omnes scholastici in aedem D. Mariae, et solemnem sacro audito, et oblati offertorii tempore cereolis, quos accensos in manibus ferebant, quidam ex discipulis, suggestum ascendens, orationem tam praeclaram habuit, ut Episcopus et alii cives nullum laudandi finem facerent, et alta voce dixit Episcopus se aegre ferre quod non fuisset frequenti Senatu habita. Eodem die singuli praeceptores suas lectiones sunt aggressi, praefatiunculis praemisissis; et multi ex his, qui scholas non frequentabant, his lectionibus interfuere.

296. Postridie Natalis Domini habita fuit oratio de paupertate Christi, quam a teneris annis ut filiam amplexus est. Et auditores tam frequentes erant, ut supra quatuor millia numerus eorum ascenderet; et civitas, magno studio accensa erga nostros, adfuit die sequenti ad audiendam eclogam de Natali

<sup>1</sup> Is erat Fr. Alphonsus Fernandez. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. 111, pag. 295.

Domini cum aliis carminibus; et tam avide audita sunt omnia, ut ne minimus quidem tumultus audiretur; et omnibus absolutis, adhuc permanserunt aliquandiu aliquid aliud expectantes; et tam conferti erant auditores, ut Episcopus interesse cupiens, aditum non invenerit. Multi ex civibus ad liberos suos sub disciplina nostrorum tradendos commoti fuerunt. Nec deerat qui cum praeceptorem domi haberet ad suos liberos erudiendos, ad nostros nihilominus majorem natu filium quotidie mitteret; et arguebant alios ludimagistros, a quibus nihil unquam simile fieri viderant; quamvis ex eis nonnulli ordinem nostrorum imitari studerent, praesertim precibus, quae post absolutas lectiones fieri a nostris consueverant; et quamvis clanculum nostros morderent, diligentiores tamen effecti sunt, ut nova diligentia adhibita suos discipulos possent retinere.

297. Tres juvenes, ac deinde totidem alii, vel plures, exercitiis quibusdam spiritualibus susceptis, se religioni nostrae dedicare voluerunt, et quidem tres eorum id voto confirmarunt; sed non facile aditus ad Societatem patebat, ut melius eorum constantia probaretur. Unus ex his, a suis impediabatur ne suo satisfaceret desiderio ac vocationi, quam a Spiritu Sancto esse existimabat; sed P. Baptista Violaëus (qui Superintendentis curam gerebat, Rector autem erat P. Antonius Soldevilla) ei significavit, quod assequi non posset quod optabat, nisi prius matris suae, et aliorum, qui ejus curam habebant, voluntatem ad hoc ipsum diserneret; nam ejus aetas id postulabat; at ille matrem aggressus, levi negotio ei, quod volebat, persuasit: immo, illa Deo gratias agere coepit genibus provoluta, quod eam mentem filio donasset; sed jussit ut avum suum consuleret, qui, postquam intellexisset quod nulla nostrorum suasio intercessisset, promisit et ille se nunquam deducturum esse juvenem de sua sententia; at patruus, sub cujus erat tutela, ubi rem cognovit, ne ad scholas nostrorum veniret prohibuit, sic aversum iri pueri animum a nostris existimans; sed falebatur, nam clanculum ad nostros se aliquando conferebat, et eorum implorabat auxilium. Quia tamen adhuc tenerae aetatis erat, P. Violaëus differendam ejus admissionem censuit, ne patruus ejus, qui ex primoribus urbis erat, aegre id ferret et fama spargeretur pueros familiaritate nostrorum allici ad religionem; quae res non parum detrimenti scholis erat allatura.

298. Alter ex his sic patrem suum ad sua desideria flexit, ut pro filio rogaturus ut, scilicet, in Societatem admitteretur, ad Collegium veniret; sed et dilationem aequo animo ipsum ferre oportuit.

299. In festo Corporis Christi quaedam carmina, a nostris composita, a quatuor pueris coram SS.<sup>mo</sup> Sacramento, praesente Duce et Senatu, Episcopo et caetera nobilium ac civium caterva, in altari, quod pro foribus Collegii struxerant (quae res, ut nova, et admirationis et aedificationis plurimum toti civitati attulit, in qua nihil hujusmodi unquam visum fuerat); [pronuntiata sunt]; et plerique carmina postulabant, et erant qui etiam ea excudere vellent.

300. Post profectionem P. Jacobi Laynez, nullus relictus erat Genuae, qui ecclesiastes officio serio fungeretur: aliquae tamen conciones a nostris fiebant in quodam xenodochio: doctrina etiam christiana et scholasticis et aliis etiam de populo explicabatur. Variae etiam exhortationes et colloquia non sine fructu.

301. Postquam autem P. Loarte <sup>1</sup> Genuam pervenit, loco Patris Antonii Soldevillae, qui Romam revocatus est, ei Collegio Rector praefectus, coepit Evangelium Sancti Matthaei in cathedrali ecclesia pomeridianis horis praelegere, quamvis ea lectio, nomine tantum a concione videbatur differre; nam in lingua italica fiebat, in qua magnos progressus brevi tempore idem Pater fecit, et magno cum applausu eo munere functus est, quamvis et alia vitia acriter insectabatur, ac nominatim usuram, et ad morum probitatem ac spiritualem profectum hortabatur et dirigebat.

302. Idem diebus veneris christianam doctrinam in Collegio nostro scholasticis declarabat; sed, quorundam civium rogatu, in templum D. Mariae eam lectionem transtulit, quod vicinum erat, ut sic non solum scholasticorum, verum et aliorum, qui venire vellent, profectui consuleretur. Aliquando etiam ad triremes nostri se conferebant, ut semen verbi Dei illorum hominum in cordibus jacerent. Cum etiam aliqui chartis ludentes a nostris essent deprehensi, et id factum improbarent, omisso

---

<sup>1</sup> P. Gaspar Loarte. Vide supra, pag. 42, n. 78.

illi ludo, chartas dilacerarunt, in mare projecerunt, et in Collegium se ad peccata confitenda venturos promiserunt.

303. Testimonium illud publicum Episcopus (locum is Archiepiscopi absentis Genuae tenebat) de Societate egregium tulit, quam summis laudibus prosequabatur <sup>1</sup>, et aliud simile, Ducis ac Senatus, Romam missum est, quibus, quam bene nostri de ea Republica benemeriti essent, abunde testabantur <sup>2</sup>.

304. Nihilominus aliqui ex primoribus conquerebantur primis mensibus hujus anni, quod P. Jacobus Laynez tam cito inde fuisset remotus nec deinde remissus, vel ipse, vel alius vir egregie doctus, qui dubia circa eorum contractus occurrentia dispiceret; et protectores Collegii <sup>3</sup> ea de re Patri Ignatio scripserunt <sup>4</sup>. Dicebant etiam quidam eorum, nimium juvenes esse praeceptores, et suos pueros a pueris magistris non sperabant ea cum auctoritate posse gubernari quae par erat. Sed adventus P. Gasparis Loarte, et deinde in renovatione studiorum specimen eruditionis, de quo mentionem fecimus, ab eorum filiis editum, huic eorum querelae bona ex parte satisfecerunt.

305. Aliqui etiam, ex ludimagistris, nostris obloquebantur, qui satis eruditi alioqui erant ad eos instituendos, qui ad nostras scholas conveniebant, quamvis forte alii eruditiores venissent <sup>5</sup>, nisi <sup>6</sup> relatum fuisset a quibusdam exploratoribus, nescio quam aequis, quod praeceptores aliqui non magna doctrina praediti erant. P. Antonius Soldevilla, qui graecam grammaticam explicabat, ultra Pascha dicebat se non posse progredi, propterea quod non satis ipse in graecis litteris profecisset; sed missus Genuam P. Joannes Catalanus <sup>7</sup>, qui versatus erat in graecis litteris, hanc lectionem prosequutus est.

306. P. Emmanuel, qui non satis in concionibus securus

<sup>1</sup> Testimonium tamen quod exhibet PINUS, l. c., n. 499, non ab Episcopo suffraganeo, seu Coadjutore, sed ab ipso Archiepiscopo, Hieronymo Sauli, Bononiae, ubi Vicelegatum agebat, datum est die 31 Maji 1555.

<sup>2</sup> Hoc Ducis et Gubernatorum Reipublicae Genuensis testimonium datum 24 Octobris ejusdem anni 1555 prae manibus quidem habuit PINUS, sed non edidit.

<sup>3</sup> Quinam hi essent habes supra, t. iv, pag. 30, annot. 3.

<sup>4</sup> Vide Ignatii responsum, 20.<sup>a</sup> Junii datum, in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 886 et 226.

<sup>5</sup> Hoc ita intelligendum videtur: *quamvis forte qui explorare venerant, nostris praeceptoribus eruditiores fuissent.*

<sup>6</sup> Rectius forte, pro *nisi*, et *sic*.

<sup>7</sup> Idem, qui alias etiam *castellanus* dicitur. Is graecas litteras professus erat Perusii. Vide supra, t. iii, pag. 45, annot. 1, et t. iv, pag. 147, n. 295.

erat <sup>1</sup>, et negotium facessebat aliis in rebus, inde alio missus est <sup>2</sup>.

307. Quidam Balthasar Melo, qui inter alios recesserat a Societate in Portugallia, magnopere institit ut denuo in Societatem admitteretur, et Genuae a P. Baptista Violaeco admissus est. Et quamvis tunc bene se gessit, postea tamen temporis successu satis docuit quod inter eos, qui semel recedunt a Societate, pauci denuo recepti in Societate proficiunt, et eidem ad Dei gloriam utile ministerium impendunt.

308. Inter Superintendentem <sup>3</sup> et Rectorem P. Antonium Soldevillam non bene conveniebat, quod etiam documento fuit, in exiguis praesertim collegiis, non feliciter succedere gubernationem, ubi tam Rector quam Superintendens eidem vacant. Cum autem Rector quasdam litteras scripsisset Patri Generali contra Superintendentem Patrem Violaecum, nec tamen misset, inciderunt illae in manus P. Violaeci, et non solum cum suis responsis eas Romam misit, sed etiam coram omnibus collegialibus <sup>4</sup> contulit; qui manu sua litteras subscriptas P. Ignatio miserunt, quibus testabantur partim falsa, partim male intellecta, partim ob animi perturbationem in malum sensum detorta fuisse, quae Pater ille de Superintendente scripserat; immo et ipsemet, qui scripserat, eo adductus fuit ut P. Ignatio scriberet se scripsisse quidem quae vera putaverat; tamen jam se agnoscere et confiteri quod dicta erant quaedam contra Superintendentem et duos alios false, calumniose et scandalosa (haec enim sunt ipsius verba) et quae non bene intellexerat nec interpretatus fuerat. Demum visum est Genua removendum

<sup>1</sup> P. Emmanuel Gomez de Montemayor. Vide supra, t. iv, pag. 43, n. 68.

<sup>2</sup> Ad id, quod subobscure hic innuit Polancus, referenda videntur ea, quae ipse, *ex com.*, scribebat Patri Laynez: "Saria etiam bene che la R. V. facesse un scrutinio de gli libri e scritti d' ognuno per levargli quello che non conviene a tutti; e trovando qualche breve per la visitatione di Corsica, come non necessario nè utile più, dica di volerlo mandare a Roma, e così lo potrà fare con sua commodità, perche non dessi qualche occasione di vanità, etc.", 6.<sup>a</sup> Decembris 1554.—P. Emmanuel Gomez de Montemayor visitator fuerat cum P. Sylvestro Landini in insula Corsica. Vide supra, t. iii et iv.—Gravius aliquid huic Patri Emmanuelli exciderat, quod Genuensem Vicarium offensum reddidit, ut videre est in Polanci, *ex com.*, litteris Patri Joanni Baptistae Violaecis datis 21 Februarii hujus anni 1555.—Missus est autem Genua Lauretum. Vide supra, pag. 86, n. 214.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 109, n. 297.

<sup>4</sup> Iis videlicet, qui de Societate erant et in Collegio Genuensi debebant.

esse Patrem hunc Antonium, et ita id factum est, et ejus loco, ut diximus <sup>1</sup>, P. Loarte missus.

309. Quamvis et de ipso <sup>2</sup> scripsit P. Natalis quod expedire judicabat ut vacaret addiscendae linguae italicae et concionibus vel lectionibus, nec exerceret Superioris officium. Alioqui sentiebat ipse quod nec ipsi cum P. Violaero convenire facile posset; et ipsemet D. Loarte, quem alloquutus erat P. Natalis, scripsit se libentissime totum gubernandi negotium Superintendenti relicturum, et lectioni ac praedicationi vacaturum, quod in ipso esset, cum praesertim quaedam, quae ipse Romae observari viderat, de poenitentiis, scilicet, injungendis propter defectus, cum vellet ea Genuae exercere, intellexit quod Patri Violaero minime id placeret, quia se poenitencias nunquam injunxisse [dicebat], nec ad id ejus animum inclinari; et observasse se alioqui, scribit, quod libentius praeerat solus quam cum alio <sup>3</sup>.

310. Patri tamen Ignatio visum est, ut suum officium, scilicet Rectoris, Pater Loarte exerceret, et ita id fecit, post-[quam] aliquot hebdomadas in addiscenda italica lingua consumpsit. Nam is pervenerat Genuam sub initium Octobris, simul cum Julio Fatio, et aliis sociis, inter quos erat P. Hieronymus Bassius, qui cum Genuae se conjunxisset cum magistro Petro Canali, hoc eodem autumno in Galliam profecti sunt. Invenit autem Collegium eo tempore non multos habens fautores, quamvis paulatim alii atque alii majorem benevolentiam exhibere coeperunt.

311. Profectus fuerat Roma P. Loarte cum aliqua animi afflictione; sed cum Pisis in mari perturbato aliquandiu substitisset (biduum scilicet aut triduum), dum legeret librum quemdam Joannis Climaci, placuit Domino ejus oculos sic aperire, ut quod nunquam in ejus mentem venerat, de obedientiae ratione sic sentiret, ut omnes illas tristitiae nubes et praeteritas afflictiones in gaudium eximium converteret; et clare intelligeret P. Ignatii animum erga ipsum, quod prius assequutus non fuerat; et hoc beneficium, quod in mari accepit, si Dominus con-

<sup>1</sup> Supra, pag. 110, n. 301.

<sup>2</sup> Patre Loarte.

<sup>3</sup> De his quaedam in *Nova Serie litterarum Sancti Ignatii*.



servare dignaretur, pluris se facere scribit quam ea omnia, quae in mari vel in terra essent; et ita magna cum pace et animi consolatione centum et viginti milliaria, Genuam usque, commoda navigatione 24 horis confecit; et biduum tantum ab urbe Pisarum Genuam usque in itinere consumpsit.

312. Cum autem aliqui ex amicis audire ipsius lectiones, quas de doctrina christiana in Collegio praelegebat, voluissent, sic eis fuit satisfactum, ut urserint eum ad publicas in cathedrali ecclesia lectiones Evangelii inchoandas; quod et fecit sub initium Novembris et, ut diximus superius <sup>1</sup>, pergratus civitati ejus labor esse coepit.

313. Ex his adolescentibus, qui Societatem ingredi cupiebant, aliqui, civium nobiliorum filii, ob hoc ipsum a scholis remoti sunt; quamvis P. Viola certiores redderet parentes quod sine ipsorum bona venia neminem esset in Societatem admissurus; et ita inferebat ille quod, partim ob hujusmodi parentum affectum, partim quod, postquam aliquantulum profecerant, ad mercaturae exercitationem filios transferre volebant, vix aliquem genuensem juvenem, praesertim ex nobilioribus, admitendum fore, si semper cum facultate parentum id fieri deberet.

314. Cum etiam P. Natalis, Genuam veniens Septembri mense, aliquos ex hujusmodi et aliis juvenibus nollet admittere, aliqui eorum de alia religione cogitare coeperunt, quamvis alii ex melioribus et provectionioribus, tam in litteris quam in virtute, etiam post adventum P. Loarte ut admitterentur instarent.

315. Vicarius etiam magistratus saecularis <sup>2</sup>, Dr. Joannes Baptista Filiarcus, vir in jurisprudentia non mediocriter eruditus, qui, cum Pater Laynez Genuae versaretur, ad Societatem nostram animum adjecerat, contulit cum eodem Patre Loarte de vitae suae statu, cui dedit hoc consilium, ut Romam veniens, arbitrio Patris Ignatii rem hanc totam committeret; et ita cum primis triremibus, quae, Neapolim versus, Ducem Al-

<sup>1</sup> Pag. 110, n. 301.

<sup>2</sup> Haud facile est certo statuere quid his vocibus *Vicarius magistratus saecularis* significatum voluerit Polancus. P. quidem Laynez, dum hujus Filiarchi Romam versus profectionem nuntiat, ait eum esse *Doctor en leyes y Juen in civilibus de esta tierra*. fuisseque olim *Auditor del Cardenal de Cesis*. Genua 4.<sup>a</sup> Januarii 1535.

banum <sup>1</sup> deducturae erant, Romam venire constituit, ubi anno sequenti in Societatem est admissus.

316. Hoc anno scripsit P. Ignatius Genuam P. Laynez Provinciali, qui nondum inde recesserat, ut neminem in Societatem admitteret, nisi re cum Patribus Viola et Soldevila, qui tunc Superiores erant, collata; quod tamen ipse sponte sua facere solitus erat.

317. Scripsit etiam de non inducendis novis ritibus aut consuetudinibus in collegia, et de non praelegendis altioris facultatis, quam humaniorum litterarum, lectionibus; et ne soli confessarii, sed cum socio, ad mulierum confessiones audendas, vel aliquid cum eis agendum, nec sine Superioris licentia, se conferrent; quae bona ex parte deinde in regulas redacta sunt. Et quia Superiores jam dicti genuenses sigillo Societatis consueto aliquid adderent ut litteris vel signis cognosci posset cujus esset sigillum, injunxit ut simplici et communi uterentur, nec aliud nomen, quam Jesu, cum sigillo contineretur <sup>2</sup>.

318. Qui nostris confitebantur, numero plurimi erant; sed ex civibus nobilioribus pauci; externi tamen aliqui nobiles, ex hujusmodi civibus quidam confitebantur nostris; foeminae autem paucissimae, quia domus erat valde incommoda.

319. Matrona quaedam cuidam congregationi puellarum ac mulierum praeerat, nomine Manué <sup>3</sup>, quae nostros urgebat ut mulierum illarum confessiones audirent semel singulis mensibus; et quamvis religiosae non erant, quia tamen formam quamdam religiosarum servabant, et in communi ac sub obedientia vivebant, non est visum Patri Ignatio, juxta Instituti nostri rationem, eas audire; quod nuntium non mediocriter Manué afflixit, et saltem ad tres vel quatuor menses id sibi concedi, dum aliquis idoneus confessarius concederetur, postulavit.

<sup>1</sup> "Don Ferdinando Alvarez de Toledo, Duca d' Alba, che allora essendo governador di Milano, avea il comando supremo delle armi spagnuole in Italia... giunto in Napoli in qualità di vicerè nella fine di quest' anno 1555."—PIETRO GIANNONE, *Istoria civile del Regno di Napoli*, lib. xxxiii, cap. 1.

<sup>2</sup> Non semel de hoc sigillo per totum hunc annum Roma Genuam scriptum est, et ratio data "que la Compañía no quiere más armas que el nombre de Jesus."

<sup>3</sup> Sic, existimamus autem legendum esse *Manuel*. Erat quidem hujus cognominis nobilis Genuae familia, cujus stemma seu, ut vocant, arma affert RIVAROLA, l. c., cap. xvi, *Discurso 1.º Casa Doria*.

320. Morientibus adesse, cum nostri vocabantur, soliti erant, et cum P. Violaus quasi triduum in quodam doctore juvando in eo transitu consumpsisset, aliquot matronae, quae ibi praesentes erant, eundem rogaverunt ut, cum audisset eas morti vicinas, simili opera juvare vellet.

321. In exercitiis spiritualibus tradendis idem aliquando occupabatur, et explicaturus erat sermonem Domini *in monte* ante adventum Doctoris Loarte; sed religiosus quidam ordinis S.<sup>ti</sup> Dominici, eandem lectionem paulo ante quam ipse constituerat legere aggressus, effecit ut lectionem illam in doctrinae christianae explicationem converteret.

322. Cum Pater Natalis hoc autumno Romam venisset ex variis Germaniae et Italiae locis, eodem autumno, cum paucos dies Romae conquievisset, in Hispaniam, ut diximus <sup>1</sup>, missus fuit, sicut et P. Ludovicus Gonzalez cum tredecim fratribus. Secunda die Novembris Lericem <sup>2</sup> cum sociis pervenit, et propter tempsetatem, decem dies Genuam usque consumpsit; et quia nulla commoda navigatio sese obtulit, ibi duos fere menses exegerunt, non quidem in Collegio Genuensi, quod capere tantam hospitem multitudinem non poterat, sed in quadam domo Charignani, quam D. Nicolaus Sauli in usum omnium horum hospitem dedit <sup>3</sup>; et aliqui amici lectos et omnia necessaria dederunt, et quibusdam ex fratribus, ut lectio aliqua praelegeretur, curatum est; nec enim ad Collegii lectiones accedere poterant. Et pergratum fuit P. Natali hoc tempus, ut sibi ipsi vacare liberius posset, qui tamdiu peregrinatus erat, et adhuc novam instituebat peregrinationem. Profecturi quidem erant sub initium Decembris, sed partim triremium Regis Galliae, qui tunc cum Caesare bellum gerebat, certum nuntium, partim orta tempestas, eos a navigando revocavit.

323. Domus Collegii nostri summis erat incommodis obnoxia; sed et scholae sic aestu vexabantur, ut aliqui scholastici in aegritudinem inciderent, et a suis parentibus ab eis revocarentur. Ecclesia vero, quam quaedam confraternitas mutuo dederat ad usum divinarum officiorum et sacramentorum, relinquenda a nostris omnino fuit; illi enim confratres tam molesti

<sup>1</sup> Pag. 80, n. 52.

<sup>2</sup> *Lerici*, Erycis portus, Liguria oppidum.

<sup>3</sup> Vide supra, t. III, pag. 74, n. 135.

nostris erant, ut etiam aliquando eos, qui ad confessionem et communionem conveniebant, magno impetu averterent <sup>1</sup>. Itaque nostri ad parochiam quamdam vicinam, priori hac ecclesia confratribus relicta, se contulerunt, sed non perinde facile fuit domum invenire; cum illa propter maris strepitum et aestum vehementem ob furnos suppositos, ubi panis perpetuo coquebatur, aut certe ignis habebatur, vix tolerabilis erat. Minabatur praeterea ruinam; itaque serio significatum est protectori Collegii, domum aliquam esse quaerendam, ubi et ad habitationem nostrorum et etiam ad commoditatem scholarum et ecclesiae considerationem (*sic*) adhiberent.

324. Civitas quidem hucusque monasterium S.<sup>ti</sup> Syri cum ecclesia obtineri in usum Collegii curaverat; sed Cardinalis Ferrariensis omnino significavit nolle se futuris abbatibus hoc incommodum relinquere, ut scilicet domum illam in alium usum conversam invenirent <sup>2</sup>. Et ita partim, quod difficile erat in comoda parte civitatis locum aliquem invenire, partim quia bellis et imminente periculo classis turcarum tenebantur et solliciti erant genuenses, aliam domum invenire nec facile poterant nec admodum curabant. Et tamen cum eo venit ex urbe P. Natalis, et propter periculum ruinae non esse ibi manendum ullo modo censeret, [in] difficultatem non exiguam nostri conjecti videbantur, nec habitationis tantum, sed etiam rerum ad expensas necessariarum difficultatem sentiebant <sup>3</sup>.

325. Multi enim, praesente P. Jacobo Laynez, auxilium certum promiserant, et, eo recedente, illud subtraxerant, et ad paucos cives res erat redacta; et cum non haberent in hujus anni progressu virum aliquem doctrina tam insignem quam ipsi optabant, videbantur frigescere, et onus illud expensarum paucis amicis, qui ex privato patrimonio necessaria haec sub-

<sup>1</sup> Nondum hujus confraternitatis mentionem fecerat Polancus, nec factam reperiimus in litteris Patris Laynez. Orlandini autem nihil de Genuensi Collegio habet hoc anno ut et sequenti.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 44, n. 70.

<sup>3</sup> Creverant adeo hae difficultates Patris Laynez absentia ut cogitaret Ignatius de collegio Genua removendo. "Ntro. Padre m' ha ordinato mandi a V. R., oltra di quella che lui scrive, alcune lettere di Genua de Don Baptista Viola, per le quali habiamo informatione delle cose di la; et in effetto Ntro. Padre mostra animo di rimuovere quel collegio di Genua, se altra provisione non fanno quelli Signori delle cose necessarie et opportune per il fine che si pretende nelli collegii nostri.", Polancus, *ea com.*, Patri Laynez, 1.<sup>a</sup> Aprilis 1555.—Ut hic innuit Polancus, scripsit eadem die Ignatius Patri Laynez graves admodum litteras, quas dabimus in *Nova Serie*.

ministrabant, [haud] leve videbatur, cum praesertim et viaticum alio proficiscentibus et aegrotantibus subsidia opportuna daturi essent.

326. Intellectum est autem quod D. Nicolaus Sauli parentes aliquorum scholasticorum, qui ad nostras veniebant scholas, urgebat ut aliquid ad Collegii sustentationem contribuerent, et hoc obmurmurandi causam quibusdam praebebat; dicebant enim quod nostri stipendium quidem pro institutione juventutis non admitterent, et tamen per alios quaererent a scholasticorum patribus subsidium; et merito nostris displicebat quod huic infamiae causa daretur, dum necessaria eo modo, quem diximus, quaerebantur; et ideo quotquot potuerunt remedia adhibuere.

327. Cum P. Natalis Genuae fuit Septembri mense, antequam Genuam iret <sup>1</sup>, duas rationes hujus Collegii fundandi tantum inveniebat: altera erat ut civitas Genuensis ad Summum Pontificem scriberet de loco S.<sup>ti</sup> Syri obtinendo; litteras etiam ad Archiepiscopum Genuensem, qui Pontifici inserviebat <sup>2</sup>, daret. Et has ipsemet Romam tulit, nec successum, quem optabant, habuerunt. Alterum erat ut Collegium familiae Saulorum admitteretur; nulla enim difficultas ei occurrebat, quae superari non posse videretur.

328. Interim autem dum haec tractabantur, hac aestate Collegium transferre in villam Charignani, ubi Collegium praedictae familiae erigebatur <sup>3</sup>, Dominus Nicolaus Saulus volebat, etiamsi hyeme ad eundem locum, quem nostri hactenus tenebant, esset redeundum; sed hoc expedire non videbatur. Et scholae fuissent bona ex parte dissolutae, et frequentia accedentium ad confessionem et communionem impedita; nam ea pars urbis, quae Charignanum dicitur, procul admodum a civium frequenti habitatione sita est.

329. Cum autem ex Urbe Genuam secundo venisset P. Natalis mense Novembri, jam mortuus erat quidam D. Vincentius Sauli, pater Archiepiscopi Genuensis, qui foundationi Collegii nostri non acquieverat; et ita quidam D. Stephanus Sauli, ut

<sup>1</sup> Sic; opinamur autem mendum librarii esse pro *antequam Romam veniret*. Cf. n. seq.

<sup>2</sup> Genuensis Archiepiscopus erat Prolegatus Bononiae. Vide *Acta Sanctorum*, mense Julio, t. vi, n. 499.

<sup>3</sup> Vide supra, t. iii, pag. 74 76, nn. 135-142.

ejus familiae antiquissimus (et tamen penes antiquissimum ea auctoritas a testatore Bendinello Sauli <sup>1</sup> relicta erat, cum Collegium illud olim institui jussit), non solum se propensum exhibebat, sed huic fundationi adjungere volebat trecentos alios aureos annui redditus; et interim, dum haec cum aliis de eadem familia tractabantur, architecti nostram domum denuo viderunt, et non imminere periculum ruinae, quibusdam trabibus suppositis, affirmarunt.

330. De Collegio ergo Charignani sic P. Natalis cum Dominis Nicolao et Stephano Sauli agebat, et in eo convenire videbantur, ut scilicet, conjungeretur, ut diximus, redditus ille Stephani <sup>2</sup>, et septingentorum annuorum ducatorum redditus ex dotatione Charignani acciperentur; ut ita mille aurei annui conficerentur.

331. Et ut nostri in suis scholis curam haberent duodecim capellanorum, qui juxta fundatoris intentionem, ibidem esse debebant <sup>3</sup>, domum etiam et scholas nostris daturi erant; et inchoari posse videbatur Collegium, quatuor millia ducatorum accipiendo ex fundatione praedicta, quibus emerentur redditus Bononiae, et statim assignatis illis trecentis D. Stephani, posse Collegium expectare aliquandiu, donec ex redditibus in monte S.<sup>ti</sup> Georgii collocatis, ad mille aureos annui redditus fundatio paulatim promoveretur; et ad id, Breve Apostolicum exhortatorium ad familiam Saulorum mitti cupiebant praedicti amici; nam ex quatuor capitibus familiarum tria hujus erant sententiae, et quartum facile adduci posse sperabant; et hoc in statu P. Natalis res Collegii Genuensis reliquit, cum in Hispaniam proficisceretur sub initium anni sequentis.

332. Et quatuor vel quinque diebus intellectum est eos in Hispaniam pervenisse, brevissima et prospera navigatione expectationem longam <sup>4</sup> compensando.

Et hactenus de Genuensi Collegio.

<sup>1</sup> Bendinellus Sauli, Cardinalis. Ejus elogium texit Ciacconius, *Vitae et res gestae Pontificum*, t. II, pag. 1061.

<sup>2</sup> Scilicet redditus, quos addere ex suo volebat Stephanus Sauli supra dictus.

<sup>3</sup> Hoc est, ut nostri ea munia ibi exercerent, quae juxta fundatoris intentionem, per duodecim capellanos inibi residentes exerceri debebant. Vide supra, t. III, pag. 75, n. 139.

<sup>4</sup> Vide supra, pag. 116, n. 321.

## DE COLLEGIO BONONIENSI

333. P. Franciscus Palmius hoc, sicut etiam sequentibus annis, Bononiensi Collegio praefuit. Scholae, quae jacere aliquantulum videbantur, opera magistri Francisci Scipionis vel Bordonis, ac magistri Sebastiani <sup>1</sup>, erectae sunt; quamvis et alii praeceptores pro virili parte quisque officio suo fungi curaverit. Et quod ad mores attinet, curabant diligenter commissos sibi discipulos ad virtutem et Dei timorem instruere, et ad id accommodatos libros eis praelegebant; praeterea, festis diebus provectionibus graecum testamentum novum, rudioribus Michaëlem Verinum <sup>2</sup> explicabant. Et cum auctores antiquos enarrabant, si quid conducere [videretur] ad puerorum disciplinam, et stimulum addendum ad virtutem, plenius explicabant. Breves etiam precatiunculae et hymni, antequam lectiones inchoarentur, et eis absolutis, antequam a scholis dimitterentur, proponebantur, quas simul dicerent, et ad pietatem melius se disponerent. Catechismus autem diebus sabbati explicabatur, quamvis quotidie aliquid ex eo libello pueris inculcatur.

334. Sub initium anni, eclogam quamdam a Magistro Sebastiano compositam, quasdam etiam orationes ac versus, ipso die Epiphaniae, sic pronuntiarunt, ut auditores non consolatione solum, sed admiratione etiam affecti fuerint; et cum puer quidam undecim fere annorum orationem de puero Jesu magna cum energia et gratia pronuntiasset, laetitiae lacrymas multis excussit, et multi nobiles, qui eum audierant, impetrarunt ut die sequenti haec eadem repeterentur, et magnus nobilium concursus ad haec audienda factus est, et canonicorum et aliorum magnae auctoritatis et eruditionis virorum; et tantopere omnia eis probata sunt, ut sparso rumore per urbem complures ex nobilibus filios suos ad Collegium mittere decerne-

<sup>1</sup> Is Eugubio, cum illud Collegium dissolutum est, Bononiam missus fuit. Vide supra. t. iv, pag. 55. annot. 2, et *Litterae Quadrimestres*, t. iii, pag. 174.

<sup>2</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. iii, pag. 174, annot. 6.

rent. Nec solum pios, sed bonos poëtas et oratores, magistros esse dicebant, qui humanas artes et disciplinas ad juventutis ingenuae virtutem et Christi gloriam converterent. Ipsi etiam pueri, honestis his actionibus ab aliis blanditiis avocati, libenter ad scholas nostras veniebant, et Christi mysteria simul cum poësi audiebant. Et cum ipsi, a magistro Sebastiano instituti, in poësi proficerent, eo majori erant aliis admirationi, quo pauciores reperiebantur Bononiae, qui hac arte praediti essent.

335. In festo Pentecostes discipuli duo duas orationes, alteram graecam, alteram latinam, habuerunt. Deinde alii discipuli egerunt Christi Domini Ascensionem in coelum, S.<sup>a</sup> Spiritus Adventum in discipulos, linguarum varietatem, et apostolorum in varias mundi partes distributionem; quae mysteria salutis nostrae a Magistro Sebastiano carmine comprehensa, tanta venustate acta sunt a discipulis, ut non solum viros gravissimos et doctissimos et alios multos, qui audiebant, laetitia perfunderent, sed ad uberes etiam lacrymas commoverent; qui nunquam se res hujusmodi vidisse aut accepiisse affirmabant; quamvis inter eos essent doctores et professores litterarum humaniorum, et sacerdotes ac monachi multi, qui per totam urbem non cessabant laudibus multis haec, quae viderant, celebrare.

336. In festis autem natalitiis, puer quidam patritius orationem quamdam de Christo nato tanta dignitate peroravit in magna virorum frequentia, ut praeter eruditissimi cujusque commotionem usque ad lacrymas, admirationi etiam cunctis esset. Cui orationi successit Caesaris Augusti descriptio <sup>1</sup>, Nativitas Christi, veneratio Pastorum, adventus Regum Hierosolymam, et Pueri Jesu adoratio; quae omnia idem auctor carmine complexus fuerat, et expectatores magna spiritali consolatione affecerunt; et tanta frequentia fuit auditorum, ut oportuerit satellites praesidii Bononiensis pro foribus stare, ne quisquam, nisi eruditus, introiret. Et ter eandem actionem edi necesse fuit, cui Rector universitatis, et omnium facultatum Professores non pauci, et multi etiam senatores et canonici, atque alii viri docti interfuerunt. In tertia autem actione omnes auditores et expectatores sacerdotes et monachi ex omnibus

<sup>1</sup> Hoc est: "edictum a Caesare Augusto ut describeretur universus orbis", Luc., II, 1.



ordinibus erant; qui sic delectati [sunt] piis ac doctis exercitationibus, ut ubique ea se praedicaturos dicerent.

337. Hujusmodi ergo rebus existimatio scholarum hoc anno valde aucta est; et illi, qui prius irridebant, amare et laudare hanc institutionem coeperunt. Sed et pueri, in litteris egregie proficientes, etiam in spirituali profectu, suo officio functi sunt; nec omittebant lectionem christianae doctrinae, aut etiam evangelicam, quae a Rectore Collegii festis diebus habebatur.

338. Quod attinet ad sacramentorum ministerium, cum initio hujus anni jubilaum pro Angliae reductione, et in aestate, secundum a Paulo IV concessum, acceperint, aucta fuit messis haec spiritualis, quae alioqui, non tantum in solemnioribus festis, sed etiam singulis dominicis diebus ac festivis magna erat in templo nostro D. Luciae sacro; quamvis singulis mensibus concursus esset major civium nobilium, et doctorum non exiguus numerus, simul cum popularibus augebatur.

339. Concionabatur autem P. Franciscus Palmius, tum in templo nostro, solito cum fructu, sed etiam in compluribus virginum monasteriis; nam ad tria vel quatuor quotidie, rogatu Episcopi<sup>1</sup>, accedebat et religiosas illas foeminas instituebat, et ad observationem suorum institutorum diligenter hortabatur, a qua plurimum aberrabant. Ex laboribus tamen semel atque iterum in morbum incidit P. Franciscus, a quo tamen Dei auxilio convaluit. Idem autem in anni progressu D. Matthaei Evangelium, in magna hominum utriusque sexus frequentia, nostro in templo enarrabat. Ab ipso autem festo Omnium Sanctorum haec lectio exordium habuit; et sublevatus a P. Francisco Brunello in quibusdam concionibus, enarrare etiam coepit summam Sancti Antonini<sup>2</sup>, rogatu Episcopi, in aede Sancti Petri. Auditores autem erant sacerdotes bononienses.

340. Exercebantur nihilominus nostri domi in casibus vel controversiis ad conscientiam pertinentibus, dum quolibet sacerdote lectionem aliquam inter coenandum praelegente, (alii aliis succedebant per vices), deinde disputationes de eisdem causis sequebantur.

341. Utebatur plurimum Episcopus Bononiensis opera P. Francisci Palmii, et quidem in rebus maximi momenti, non so-

<sup>1</sup> Joannis Campeggi.

<sup>2</sup> Sancti Antonii, Archiepiscopi Florentini, O. P., *Summa theologiae*.

lum ad consilium eum adhibebat, sed ad res exequendas pro dextero brachio eum habebat <sup>1</sup>. Initio hujus anni ad visitationem episcopatus egredi eum oportuit, et magnam habuit occasionem compatiendi tum pastorum, tum etiam ovium ignorantiae et morum perversitati, quibus remedium quod potuit diligenter adhibuit, hos monendo, illos dirigendo, illis rationem recte vivendi ac procedendi praescribendo, impios etiam ac facinorosos suis muneribus privari aut etiam notari curando. Conciones habebat frequentes, quibus universos a vitiis et erroribus revocaret, et ad vitam christianis dignam excitare nitebatur. Curabat etiam quae ad sanctissimae Eucharistiae sacraria et ad decentem Dei cultum et usum pertinebant. Tempia semel diruta instauranda, et immunda ad decorem et decentiam reduci, studebat.

342. Ubi rediit ex hac lustratione dioecesis, Episcopum comitari debuit, qui et ipse pagos et oppida urbi proxima circumivit, et utilem ei operam in gregis Domini et pastorum ejus censura praebuit; et coram ipso Episcopo, ad populum concionabatur, et longe ipsius Episcopi expectationem in hoc munere superavit. Secundo ad visitationem dioecesis hoc anno profectus est Episcopi hortatu, nam in paroeciis, examinatione et parochorum ac aedium sacrarum, ejus industriam valde probatam habebat. Invenit autem templa non solum immunda, et decentibus ornamentis ad Dei cultum privata, sed vitiosa et labefactata. Et in multis sanctissima Eucharistia non asservabatur. Curavit itaque ut haec omnia incommoda, vel aedificandis ecclesiis, vel rebus necessariis ornandis, remedium haberent.

343. Plurimi sacerdotes, ejus opera et consilio, animum a vitiis gravissimis ad pietatis studia transtulerunt, caeteri polliciti sunt in viam [salutis] se redituros. Fuerunt nonnulli tam serio compuncti, ut inter sacrificandum uberrime flentes, a suis paroeciis veniam sui male gesti muneris humiliter peterent.

344. Explorata autem et morum perditissimorum ratione et modo ejus cleri reformandi, omnia ad Episcopum retulit, et quaedam praecepta et instituta ad sacerdotum reformationem Episcopo obtulit, cui omnia vehementer probata fuerunt. Ut autem hujusmodi institutiones observarentur, creati sunt in

---

<sup>1</sup> Vide supra t. iv, pag. 111, n. 212.

universa dioecesi multi vicarii, et unicuique eorum certus quidam sacerdotum numerus est assignatus, quibus praeesset, quos instrueret et etiam eorum vitia notaret; et singulis mensibus bis quilibet horum praefectorum suos congregabat, et de his, quae ad eorum officium spectabant, edocebat.

345. Ratio autem, quam tenuit has leges promulgandi, haec fuit. Sex vel septem loca frequentiora in tota dioecesi elegit: ad haec universum sacerdotum coetum convenire iussit, cuique suum locum designans; et cum quisque Missam mature celebrasset, foribus templi clausis, apud solos sacerdotes de rebus ad eorum officium pertinentibus concionem habebat; et tantum virium verbo suo dabat Dominus, ut inter concionandum flere viderentur, et post concionem ipsum lacrymantes adibant, ut auxilium ab eo acciperent. Voluit intelligere quam quisque formam absolvendi teneret, ut Episcopus intelligeret cujusmodi pastores ipsius gregi praeessent; et eorum plerique nullam prorsus absolvendi formam tenebant. Et nonnulli portenta quaedam verborum pro sacra absolutione usurpabant. Fuit qui 40 annos curam animarum gesserat, et nunquam absolvendi formam didicerat; et tamen omnes conscientiae casus, quamvis Episcopo aut Summo Pontifici reservarentur, nullo discrimine habito, expediebat atque absolvebat. Et erant sacerdotes aliqui, natura bona praediti, et qui auctoritatem apud populos habebant, ut theologi credi potuissent, qui tamen absolutionis formam ignorabant.

346. Cum autem oves pastorum sequerentur doctrinam et exemplum, plurimi inveniebantur blasphemi, aleatores, adulteri, foeneratores, immo et haeretici. Aliqui totis decem et viginti annis confessi peccata non fuerant, nec Eucharistiam perceperant, quibus divina gratia sic illuxit, ut, post salutarem confessionem et communionem, vitam in melius commutarent; qui concionibus et privatis exhortationibus Patris Francisci Palmii compuncti, ad se redierunt. Concubinarii plurimi suas concubinas abjecerunt. Et cum in die dedicationis templorum bibere, ludere, saltare et alia inhoneste agere consuevissent, id P. Franciscus videre, et solemnitatibus huiusmodi interesse voluit; et ita quaecumque indecora erant, ut saltationes, aleas et huiusmodi, partim suis concionibus, partim Episcopi auctoritate sustulit.

347. Inter eos, qui per sacramentorum frequentiam Bononiae profecerunt, civis quidam fuit honoratus et dives, qui spiritualibus etiam Exercitiis excultus, et statuit se rebus externis et mundi negotiis abducere, et se totum ad pietatis officia transferre. Alii etiam peccatores insignes a peccatorum coeno, in quo multis annis immersi fuerant, extracti sunt et vitam in melius commutarunt. Quidam etiam juvenis hebraeus, in christiano catechismo instructus est, nec solum ad Baptismum sed ad Societatis etiam nostrae institutum, his mensibus, quibus domi instituebatur, aspirabat.

348. P. Joannes Augustinus de Riva, praeter confessiones, quas in templo nostro audiebat, operibus <sup>1</sup> in xenodochio et in carceribus invisendis et consolandis operam dabat.

349. Multorum monasteriorum religiosae Patri Francisco Palmio generaliter de tota vita anteacta confiteri cupiebant, paratae, quod in ipsis erat, ad observationem suae regulae; quia tamen in ipsis monasteriis paupertas perfecte non observabatur (quamvis enim concionaretur in eisdem monasteriis P. Franciscus et multae compungerentur et vitam mutare cuperent, non tamen ad eam reformationem venerant, quam ipsae optabant), nec tamen omnino institutum hoc relinquebat, partim quod aliis multis, partim quod ipsi Episcopo, ea ipsius opera gratissima erat, et aliquando fructum uberiores ac universaliorem sperabat.

350. Hoc tempore, ineunte scilicet Martio, P. Laynez, Provincialis, ac P. Natalis, qui cum Cardinali Morono in Germaniam proficiscebantur, res nostrorum bononiensium non mediocriter juverunt, quamvis non integro biduo ibidem fuerint, et bonam ejus temporis partem Legatus ipse eos occupaverit, dum ea, quae in Diaeta tractanda erant, negotia magni momenti cum eisdem communicabat.

351. Testimonia Episcopi Bononiensis <sup>2</sup> ac Vicelegati <sup>3</sup>, quae, decreti Parisiensis gratia, petebantur in locis ubi erant collegia, satis ampla misit P. Franciscus Palmius. Et omnino bene sentiebant omnes ordines de rebus Societatis nostrae, tum

<sup>1</sup> Sic; *pauperibus*?

<sup>2</sup> Hoc insertum est in *Acta Sanctorum*, mense Julio, t. vii, *De Sancto Ignatio Comm. praev.*, n. 498.

<sup>3</sup> De hoc, quod ibidem insertum est, vide supra, pag. 111, n. 303, annot. 1.

propter spirituales exercitationes jam dictas, tum propter scholarum reforescentem existimationem, in quibus, licet tantum essent octoginta scholastici, hi nobiliores et studiosiores erant, et difficile et cum delectu omnes admittebant, immo Collegium ab illis exonerabant, qui se parum idoneos ad litterarum studia ostendebant.

352. In octava Pentecostes latinam orationem vel concionem habuit P. Franciscus, praesente Episcopo et clero, in quo examinando et instituendo operam suam Episcopo aegre negare poterat, quorum concubinas omnes, numero non paucas ab eis separaverat, et multis modis de eis benemereri studuerat.

353. De concordii plurimis, quas fieri curavit, singillatim nihil scribam.

354. Hoc anno Bononiae Societatem ingressus est Georgius Passio, sardus, vel potius, dum confitetur P. Augustino de Riva, animum ad Societatem applicans, Romae deinde admissus est.

355. Quemdam flandrum squalidum et pannosum, qui petebat in Societatem se admitti, P. Franciscus Palmius ut adjuvaret coquum, commiseratione motus, admisit; qui cum strenue et prudenter se gereret ac devotionem ac pietatem prae se ferret, plus ei quam par erat confidendo, non solum induerunt vestibus hyemi congruentibus (erat enim hyems), sed solum etiam domi relinquebant, dum alii in ecclesia, alii aliis in rebus erant occupati. Reliquerat Rector claves scrinii, ubi pecuniam habebat, abditas intra quemdam librum: dum autem ille lectum ejusdem Patris sternit, cunctis exploratis, claves invenit et aperto scrinio, crumenam [reperit], ubi totus thesaurus Rectoris erat, qui tamen octo vel novem aureos non excedebat; at ille ne obolum quidem reliquit, et ocreas quasdam, quae ibi commode<sup>1</sup> videbantur, etiam abstulit et recessit. Et frustra eum persecuti sunt duo ex nostris, quia de via deflexerat. Suis itaque expensis quomodo ignotis hominibus esset fidendum [diderunt].

356. Coeperat P. Augustinus jam dictus conscientiae casus publice in ecclesia, satis magna, ut satisfaceret voluntati Episcopi, explicare; sed cum non posset progredi in hujusmodi in-

<sup>1</sup> Sic; rectius fortassis *sibi commodae*.

choata lectione, necesse fuit ut Rector id etiam muneris subiret.

357. Spiritualia exercitia multis utriusque sexus hominibus cum fructu proposita fuerunt.

358. Hujus anni initio serio actum est de Collegii migratione in ecclesiam Sancti Andreae. Romae etenim unio hujus beneficii in usum Collegii a Julio III concessa fuit et supplicatio ab eodem subscripta, et agebatur de expediendis litteris Apostolicis; id tamen expensis cathedralis ecclesiae fiebat, quibus ejus ecclesiae redditus simul cum oneribus applicabantur. In usum autem Collegii ecclesia et domus cedebant. Curarunt autem nostri ut domum quamdam vicinam ecclesiae S.<sup>ti</sup> Andreae viderent, quae illis magnopere placuit, nam viginti duo ad habitandum cubicula vel aulas habebat et alias officinas et loca commoda ad scholas conficiendas, et sacristiam, quae ecclesiae conjungeretur. Hortum etiam habebat et in medio urbis ac nobilitatis sita erat, et mille ac centum aureis domus indicabatur, quos quinque annis nostri erant soluturi. Itaque mense Maio eo commigraturi nostri erant.

359. De loco autem in quo nostri erant, prope templum S.<sup>tae</sup> Luciae, omnino relinquendo agebatur; quamvis ex amicis aliqui, ut D. Hieronymus Casalini, ecclesiae S.<sup>tae</sup> Luciae Rector, et domina Violante Gozzadina ac domina Margarita Gilia et Fantuccia, litteris ad P. Ignatium scriptis, enixe rogabant ut saltem duos ex nostris ibidem relinquerent, quod tamen factum difficile videbatur, tum propter operariorum penuriam, tum propter alias causas. Haec mense Martio agebantur <sup>1</sup>.

360. Interim moritur Papa Julius III, antequam unio illa effectum sortiretur et nostri ad Sanctum Andream migrarent. Aliqui interim facessere negotium nostris coeperunt; et cum tempore Pauli IV negotia nostra cursum admodum expeditum non haberent, ne litibus interminatis vacandum esset, judicavit P. Natalis, qui, ex Germania rediens, Commissarii officio fungebatur <sup>2</sup>, omissa tractatione S.<sup>ti</sup> Andreae, ut nostri apud Sanctam Luciam manerent, quod et P. Ignatio placuit, ut admitteretur ea conditio, quam vicini offerebant, libere, scilicet,

<sup>1</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. II, pag. 320, annot. 1, et t. V, pag. 148, 184 et 284.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 102, n. 278.

emendi domos illas, quas nostri ad suam habitationem et scholarum commoditatem tenebant.

361. Admonuit idem P. Natalis ut quaedam alia domus contigua emeretur, ut commodius nostri habitarent. Constituit autem ne aedificarent quidquam novi, sed tantum scholas in inferiori parte hujusmodi domorum concinnarent. Sed ecce dum id facere moliuntur, parietes antiqui et tectum ipsum sic motum est, ut omnino aedificationi manus fuerit admovenda; et ita, architecto advocato, area quaedam domus major facta est, et refectorium cum culina et scholis, quae omnino ab habitatione domus nostrae separatae fuerunt; et septingentis aureis opus habuit P. Franciscus, partim ad novam illam domunculam emendam, quae ducentis aureis constitit, et ut aedificarentur et concinnarentur caetera. Statim autem quadringentos invenit, et Episcopus Bononiensis centum, et D. Thomas Lilius, postea Episcopus Soranus <sup>1</sup>, totidem; alii amici ducentos alios contulerunt. Et quod reliquum erat, paulatim se habiturum P. Franciscus Palmius sperabat.

Et haec de Bononiensi Collegio.

## DE COLLEGIO FERRARIENSI

362. Initio hujus anni sexdeim ex nostris sub P. Joanne Pelletario Ferrariiae versabantur; nam primo ipso anni die sacerdos quidam fere triginta annorum, U. J. Doctor, patria anconitanus, ac praeclaris dotibus praeditus, domum eo animo venit, ut se Societati perpetuo daret quamvis exercitia spiritualia aggressus est <sup>2</sup>. Alius etiam sacerdos Argentae Societati se dederat <sup>3</sup>.

<sup>1</sup> Is frater erat Margaritae supradictae et antiquus Ignatii amicus. Vide supra, t. I pag. 361, n. 332.

<sup>2</sup> "Del Dottor sacerdote Nostro Padre lo riceve et la R. V. potrà mandarlo a Roma quando li parerà.", Polaucus. *ex com.* Patri Joanni Pelletario, 26.º Januarii 1555.

<sup>3</sup> "L'altro sacerdote di Argenta, essendo di tanto poche lettere, non pare sia conveniente accettarlo, massime per Roma. Di due cose una potria farsi, o accettarlo di là, se paresse utile alla Compagnia, o vero trattenerlo nel stato suo con questi buoni propositi che ha, animandolo a perseverare et studiar; perche in Roma non è decente fare studiar grammatica li sacerdoti della Compagnia.", Idem, *ibid.*

Tres autem alii juvenes vel quatuor bonae indolis, hoc ipsum facturi, responsum P. Ignatii expectabant; quorum pars a P. Andrea Bonainsegna Christo Domino geniti fuerant. Et cum P. Ignatius juvenes, (inter quos erat Gabriel Bisolius, et Lelius ejus frater <sup>1</sup>), alibi excipi et non mitti Romam censuisset, molestum admodum utrisque ex his Patribus <sup>2</sup> id accidebat, et nec ad eos alendos nec ad probandos collegiola illa idonea erant. Et sic tandem Patri Ignatio placuit ut Romam venirent, quamvis anconitanum sacerdotem, ut perutilem sibi futurum, P. Pelletarius Ferrariae retinere optavit.

363. Quidam etiam sacerdos, Sanctus nomine, qui puellarum orphanarum curam gesserat, admissus est, jam aetate provector. Fuit et doctor quidam medicus, Vincentius Capri-  
lis nomine <sup>3</sup>, vir valde bonus ac pius, qui in aetate pene decrepita se totum Societati dare cupiebat, immo se jam dedicaverat. Sed cum ejus aetas non videretur ad religiosum institutum idonea, bonae voluntatis suae merito fuit contentus, et quo poterat modo, in rebus scilicet artis medicinae, Societati inser-  
viebat.

364. Initio hujus anni rogatus fuit P. Joannes Pelletarius ut in cathedrali templo ferrariensi concionaretur usque ad Quadragesimam; nam jam concionator quidam (cum non sperarent obtinere posse, ut ipsi optabant) ad Quadragesimae tempus adventurus erat. Ipso ergo die Epiphaniae concionari aggressus est; et cum de Christo quaerendo, inveniando et adorando et de muneribus ei offerendis disseruisset, supra omnem expectationem placuit, cum feré duo auditorum millia habuisset. Voluit autem Vicarius ut etiam ipso die S.<sup>ti</sup> Christophori <sup>4</sup> concionaretur, et jubilaei gratiam promulgaret. Et, ut spem totam in Dominum conjecerat, ita ab ipso adjutus est, et crevit ejus auditorium ad tria millia, ut ferebatur <sup>5</sup>.

<sup>1</sup> Vide supra, t. II, pag. 454, annot. 1, et t. IV, pag. 90, n. 165.

<sup>2</sup> Scilicet, Patri Joanni Pelletario, Ferrariensi Collegii Rectori, et Patri Andrea Bonainsegna, qui Argentae collegiolo praerat.

<sup>3</sup> Eorum, qui Universitatis Ferrariensis testimonium in Societatis favorem 20.\* Aprilis hujus anni signarunt, unus, et quidem secundo loco nominatus, fuit Vincentius Caprili. Vide *Acta Sanctorum*, mense Julio, t. VII, part. II, n. 494.

<sup>4</sup> 23.\* Januarii? Vide *Acta Sanctorum*, t. II, ad hunc diem.

<sup>5</sup> "Del predicare della R. V. al Domo ci rallegriamo in Domino che pigli tanto buon animo, confidandosi in colui che *linguas infantium facit dissertas*. A lui piaccla fare



365. Cum nostri mutinenses a quibusdam vexarentur, protectorem illis curavit P. Pelletarius, Ducis Ferrariæ nomine, Comitem scilicet Herculem Rangonem <sup>1</sup>, et ita melius a molestiis multorum hominum se illi tueri potuerunt.

366. Occupatus valde erat P. Pelletarius, qui præter curam Collegii Ferrariensis, Mutinensis etiam et Argentensis sollicitus erat, et utrique superintendere ex præscripto P. Ignatii debebat <sup>2</sup>. In palatio etiam Ducissæ <sup>3</sup> non parum occupabatur. Sed nulla forte molestior occupatio illi erat, quam officii dicendi cum D. Aloysio, Episcopo Ferrariensi <sup>4</sup>; horis enim incertis ab eo vocabatur, et accidebat aliquando ut paulo ante concionem in cathedrali templo habendam vocaretur, et statim ab ejus domo ad suggestum eundum erat; ut clarius cerni posset Dei auxilium in hujusmodi concionibus, cum præsertim tempus illud ante Quadragesimam omnia Ferrariæ larvis plena esse soleant, et ille acriter vitia reprehenderet, et haereses confutaret et privatim et publice pro concione, non tamen sine fructu, et quidem valde grato; complures enim homines resipiscentes haereticos libros ad eum attulerunt, et ingens pyra ad eos comburendos accensa est. Fuit enim aliquis ex his, qui sexaginta volumina ad eum adferret, in quorum singulis multi libri, et variorum auctorum, erant.

367. Quidam inter alios juvenis, natione gallus, qui Genævæ seductus fuerat, magno cum dolore resipuit, et Societati etiam nostræ sese dedere optabat, et cum octo idiomata calleret, quod in variis provinciis fuisset, et nullae in ejus animo reliquiae haeresis manerent, nec ullibi damnatus vel notus fuisset, ob hoc impedimentum a Societate exclusus non fuit <sup>5</sup>.

---

instrumento di molto servitio suo la R. V., Polancus, *ex com.*, Patri Pelletario 26.<sup>a</sup> Januarii 1555.

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 93, n. 170, et pag. 103, n. 193 et 194.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 85, n. 155, et pag. 101, annot. 1.

<sup>3</sup> Renatae de France, Herculis de Este, Ferrariæ Ducis, uxoris.

<sup>4</sup> Vide supra, t. iv, pag. 55, n. 95.—Intepuit adeo Aloysius, ut quaereret an sibi liceret officii recitandi obligationi satisfacere per alium, cui hoc munus committeretur. Ita in Pelletarii litteris, quibus respondet, *ex com.*, Polancus 9.<sup>a</sup> Martii 1555.

<sup>5</sup> "Quel giovane francese, non ostanti li casi passati, se non si trova nell' animo di esso et conversazioni che li restino reliquie delle opinioni passate, non essendo anche pericolo che sia per darvi da fare la Inquisitione, nè lui essendo stato penitenziato o condannato di quella pel passato, può accettarsi, nè ci è impedimento alcuno di questa parte, che sia substantiale. Se sia espediente o no, V. R. lo vederà, a cui iudicio si rimette etiam lo accettarlo in casa come hospite, intanto che ci avisi, o no., Polancus, *ex com.*, Patri Joanni Pelletario, initio hujus anni 1555.

368. Cogitabat de praedicatione singulis diebus Quadragesimae in nostro templo habenda, sed quia usitatum id non fuerat eatenus nostro in templo, inconsulto P. Ignatio id faciendum non censuit: et propter multas ejus occupationes hoc anno consuetudo ista mutari non debere visa est. Quidam etiam alii in nostro templo ex obedientia concionati fuerunt, nec infelicitate eo munere functi sunt. Pater autem Pelletarius S.<sup>ti</sup> Pauli lectionem hoc anno prosequutus est, ex qua non parum fructus et consolationis spiritualis ad auditores proveniebat. Et quamvis tempore gravioris aestus ea fuerit intermissa, postquam illi defervuerunt, resumpta est; sed et mane diebus festis idem persaepe concionatus est.

369. Quod ad confessiones attinet, hoc brevibus dicam, nostrorum opera multos a gravissimis sceleribus avocatos fuisse. Quaedam etiam mulier, primis mensibus hujus anni, publicis peccatis, in quibus vixerat, relictis, conversarum religionem ingressa est: alia ingredi brevi constituit. Ex his autem, qui nostro ministerio in sacramentis confessionis et communionis utebantur, complures utriusque sexus homines ad ingressum in religionem aspirabant. Et ex eis aliqui alios a peccatis retrahere, et ad confessionem adducere nitebantur.

370. Insignis autem fuit virtus cujusdam juvenculae, cujus castitatem cum quidam precibus, muneribus et pollicitationibus frustra oppugnasset, quamdam impudicae vitae mulierem excitavit, ut per eam aditum sibi ad juvenculam pararet. Illa vero, quae saepius sacramentis sanctis muniebatur, non solum restitit pravis consiliis, et insidiis daemonis, sed illam daemonis satellitem ad Christi obsequium adduxit; et ad confessionem et ipsa accedens, dum rete capere nitebatur, bene capta fuit, et in servitutem Christi redacta.

371. Variis occasionibus aliqui ad Collegium nostrum accedebant, vel fabri murarii ut aliquid fabricarent, vel pauperes ut eleemosynas peterent, vel alii demum ut aliud agerent; sed fere nullus recedebat quin fere <sup>1</sup> ad confessionem adduceretur.

372. Quidam falsis daemonum imaginibus illusos atque aliis fallacibus cogitationibus, quandiu vixerat nunquam integre confessus, suae conscientiae, Deo adjuvante, satisfecit.

---

<sup>1</sup> Sic; sed alterum ex his *fere* redundare videtur.

373. Ducissa ipsa in festo Assumptionis B. Virginis et confessa est, et sanctissimo Eucharistiae sacramento refecta. Filiae Ducis eidem Patri Pelletario confessae sunt; atque eisdem et earum fratri, D. Aloysio, et Ducis Herculis sorori, cum domesticis mulieribus, postero die sanctissimam Eucharistiam ministravit, eisdemque apud monasterium religiosarum, de quo anno superiori memini <sup>1</sup>, concionatus est; et cum de gratia jubilai ageretur, occasionem de indulgentiis disserendi opportunam habuit.

374. Quatuor sacerdotes confessionum messi colligendae sufficere non poterant. Inter alios, quidam accedebant ad nostros, quos proprii pastores audire nolebant; aliqui a lupis, haereticis scilicet, exagitati; inter alios, nobilis quidam, qui a recto itinere catholicae fidei deflexerat et [cum] in haeresim simul cum aliis vitiis, ut assolet, incidisset, Patrem Pelletarium Rectorem adivit, et ab eo peccatorum absolutionem postulavit. Cum autem ejus salutem Rector quam maxime cuperet, tanta consolatione et animi laetitia perfusum remisit domum, ut facile in eo vis divinae gratiae luceret, et vitam omnem sub vexillo sanctae Romanae Ecclesiae transigere omnino decrevit, et libros plurimos comburendos eidem attulit, egregie compactos, sed haeresibus foetidissimos; et observatum est quod quaedam ex hujusmodi volumina per integram fere horam cum in flammis essent, cremari non videbantur, ut nonnullis visum fuerit quod spiritus ille nequam, qui ad ea lucubranda doctores compulerat, ibi lateret; sed tandem omnia combusta fuerunt. Aliquae etiam mulieres, quae eodem morbo haeresis laboraverant compluribus annis, per sacramentum confessionis Ecclesiae restitutae sunt. Una earum, quae octo annos erraverat extra Christi ovile, confessionem frequentare coepit cum magna animi sui consolatione.

375. Fuerunt et nonnulli ex his poenitentibus, qui plurimos annos ab hoc sacramento abstinerant. Quidam inter alios juvenis concubinam ex suis aedibus deturbavit, cui triennio adhaeserat. Mulier autem quaedam recessit a cujusdam consuetudine et cohabitatione, cum quo per septennium inhoneste vixerat. A superstitionibus multi revocati, qui chartulas in collo

<sup>1</sup> Tom. iv, pag. 70, n. 123, et pag. 74, n. 130.

contra arma inimicorum gestabant, nec daemonis vulnera timebant. Mater quaedam propriam filiam in turpi vita similem effecerat. Sed ipsa ad poenitentiam adducta et constanter variis oppugnationibus resistens, ad filiae restitutionem in honestum vitae statum sollicitè se convertit.

376. Plurimi in palatio his sacramentis expiati et refecti sunt; sed duarum sororum casus insignis fuit: hae geminae uno partu editae fuerant; tanto se amore diligebant, ut idem velle et idem nolle ipsis esset, nec mortem altera recusabat, si sorori placuisset, immo, nec manus in alteram injicere, si ea postularet. Has rudes suis insidiis diabolus sic cribraverat, ut altera earum, conscia sorore, laqueo se in cella vinaria suspenderit, et cum fere duas horas suspensa fuisset, a domesticis inventa est, et a laqueo deposita, ubi jam speciem propriam, corrupto sanguine ad vultum congregato, amiserat. Expedita ergo a laqueo revixit; sed paulo post ejus soror ab hac, quae se suspenderat, postulavit ut in se manus violentas injiceret, nam et ipsa mortem sibi consciscere volebat. Haec autem cum nollet negare quod rogabatur, sororis pectus tribus vulneribus graviter laesit, nec tamen occidit, forte amore sororis impediente. Hae duae igitur ad quemdam ex nostris deductae, eidemque confesae, cavere daemonis fraudes ab eo didicerunt, et purissimam vitam, cum magna voluntate Deo inserviendi, in posterum instituerunt.

377. Duo judaei compluribus diebus a nostris instituti sunt in christiana doctrina, quorum alter baptizatus fuit, et sancta sacramenta post baptismum frequentare coepit; alter eorum, quod institutione majori indigeret, nondum adeptus fuerat baptismum.

378. Aliqui parentes discipulorum Collegii nostri, dum filios praeceptoribus commendant, de propria conscientia expurganda commonefacti ab eis, et crebro ad confessionem accedebant, et uxores et domesticos ad hoc ipsum alliciebant. Ex his autem qui frequentabant sacramenta, quidam, saeculi bonis se abdicantes, Christi jugum in religione subierunt; quaedam aliae mulieres horum sequi vestigia proposuerunt.

379. Aliqui ex nostris etiam adversa valetudine utentes, nihilominus charitate accensi, et ad xenodochia et ad privatas quorundam aegrotantium domos accedebant, nec solum con-

fessiones audire, sed cum morituris vigilare noctes integras cupiebant.

380. Non omittam simplicitatem foeminae cujusdam, quae cum in magna annonae caritate nec sibi nec filiae, quam domi habebat, panem ad victum haberet, confessarium suum consuluit quid facere deberet. Ille ad spem suam in Domino constituendam et paupertatem amplectendam libenter hortatus est. Quod illa sic intelligens exercendam esse fidem et spem, non tamen curam adhibendam ut cibus quaereretur, domum se contulit et aliquandiu sine ullo cibo manens, cum filia fame conficiebatur, donec intellexit non imminui confidentiae in Deum virtutem, ad quam confessarius hortatus merito fuerat, quod daret operam, qua ratione honeste posset ad necessaria sibi suo labore et industria paranda.

381. Valde animatus fuit P. Pelletarius, cum successum suae praedicationis tempore carnis privii vidisset; sed valde ipsi molestum erat quod exiguo cum fructu ad D. Aloysium, Episcopum, officii dicendi gratia ire debebat <sup>1</sup>. Cum enim ille in dubium adductus esset num in statu ecclesiastico, an potius in saeculari, vitam esset acturus <sup>2</sup>, dum rebus saecularibus se libenter dedebat, sic in spiritualibus frigebat, ut tempus sibi terere videretur P. Pelletarius, quod cum eo expendebat; quia tamen consultus P. Ignatius non censebat sine Ducis consensu onus illud esse deponendum, et ille videretur non consensurus, oportuit ut quomodo poterat pergeret.

382. Sub medium mensis Februarii P. Joannes Niger, natione gallus, qui Perusii, ut diximus <sup>3</sup>, fideliter Domino serviebat, et Romam studii gratia revocatus, in adversam inciderat valetudinem, propter quam in Galliam remittendus videbatur, et Ferrariae, propter vim aegritudinis, substiterat, et aliquandiu cum ea luctatus fuerat, in meliorem vitam migravit; et ab initio noctis sabbati, duodecim integras horas in transitu vel agonia sic certavit, ut spectaculum nostris valde admirandum fuerit. Cernebatur quod disputabat cum daemone et quod viriliter in praelio stabat, manibus et vultu disputantium in modum

---

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 130, n. 366.

<sup>2</sup> Vide supra, t. IV, pag. 69, n. 103.

<sup>3</sup> Vide supra, t. III, pag. 42, 44 et 45, et t. IV, pag. 55, annot. 2, et pag. 146-152.

compositis; sed exitus dulcis et tranquillus fuit; et ejus corpus ac vultus, post animae separationem, devotior ac pulchrior videbatur; adeo ut cum in ecclesiam deductus esset ut sepulturae daretur, omnes admirarentur, et inde aedificationem acciperent. Nostri vero, qui ejus virtutem ac patientiam, potissimum in aegritudine, viderant, cum aliquando martyria gravia, capite candenti ferro aperto, passus est, cum mortem ejus in tanto conflictu notassent, serio Deo servire in timore ac tremore et in sancta obedientia decreverunt, illud <sup>1</sup> apostoli quasi experimento discentes quod *justus vix salvabitur; impius et peccator ubi parebunt?* <sup>2</sup>.

383. Ipso die Purificationis magnum scandali periculum in templo nostro fuit; cum Dux Ferrariae, multis nobilibus comitatus, eo ingressus esset, et quidam P. Joannes Jordanus <sup>3</sup>, natione gallus, zelo quodam commotus quod larvae tam multae eo tempore Ferrariae fieret, surgens voluit Ducem cum aliis e templo ejicere, et edita voce dicebat: "Eggrediantur foras larvae." Accidit autem ut cum ipso Duce esset P. Pelletarius; et ita, partim ob tumultum multitudinis, partim quia divertebat Ducem alio P. Pelletarius, aut non intellexit Dux, aut dissimulavit. Aliqui tamen ex aulicis ea verba audierunt; sed reprehensus graviter P. Jordanus promisit in posterum nihil nisi ex obedientia se facturum.

384. Quinque juvenes, de quibus superius mentio facta est <sup>4</sup>, Romam a Patre Pelletario missi sunt, inter quos erat Prosper Malavolta et Hercules, deinde Franciscus dictus, ex Finali <sup>5</sup>. Horum loco, quatuor scholasticos Roma missos accepit; sacerdotem illum argentinum <sup>6</sup> Patavium misit, et Doctorem illum anconitanum, nomine Franciscum <sup>7</sup>, Ferrariae retinendum censuit, ut ejus opera uteretur; nam ad omnia utilem se ille praebebat; quamvis experientia docuit, ut paulo inferius <sup>8</sup> dicemus,

<sup>1</sup> *ubi* habet ms., sed error videtur.

<sup>2</sup> 1 Pet. iv, 18.

<sup>3</sup> Alius, ut videtur, ab illo, cujus jam mentio incidit supra, t. iv, pag. 292, n. 624, et in *Litterae Quadrimestres*, t. iii, pag. 142, quique hoc anno Romam ex Belgio venit et a suo proposito defecit. Vide infra, n. 808.

<sup>4</sup> Pag. 128 et 129, n. 362.

<sup>5</sup> Horum jam meminit Polancus supra, t. iv pag. 99-91, n. 165.

<sup>6</sup> Vide supra, n. 362.

<sup>7</sup> Ibid.

<sup>8</sup> Num. seq.

probandos esse prius novitios quam in nostris functionibus occupandos. In Castellum <sup>1</sup> etiam Ducissae eum vel mittebat, vel secum ducebat, ubi plus quam centum et viginti sanctissimam communionem susceperunt ipsius Ducissae exemplo. Alios etiam, nobiles plerosque, in ecclesia nostra audiebat.

385. Accepit interim <sup>2</sup> litteras a matre illius doctoris Francisci, quas et Romam misit. Illae autem hoc continebant: placere sibi jam accedenti ad mortem, ut Collegium Anconae fieret ex bonis Doctoris Francisci, quae ille dicebat ad sex vel septem millia ducatorum ascendere; haereditatem etiam amplam ad eum devenituram esse; et omnia arbitrio Societatis ille subiciebat, et vota emittere properabat, quae ipso die Paschae emisit, et omnino cum aedificatione magna quatuor menses in Collegio Ferrariensi versatus est; magno cum fervore confessiones audiebat, et quidem ad eum fiebat concursus non mediocris; praedicabat, studebat et verum se religiosum ostendebat; sed haec omnia per hypocrisim et fictionem esse facta res ipsa docuit, et litteras confictas et demum omnia commentitia, etiam quae in exercitiis spiritualibus fecerat; et mirum in modum ejus ingenium ac devotionem P. Joannes Niger, quem diximus paulo ante <sup>3</sup> defunctum, commendabat. Sed ille, sexta die Maji, cum P. Pelletarius ad Episcopum Ferrariae, D. Aloysium, se contulisset, cum ea, quae potuit corradere, praemisisset, domo recessit. Mantua autem litteras ad nostros scripsit. Et cum a capuccinis intellectum esset quod se tanquam de Societate vendicaret, eo missus est magister Ambrosius Pollicinus, ut saltem libros <sup>4</sup> recuperaret, et eum non esse de Societate declararet; sed non invenit. Videbatur autem verisimile quod apostata ab aliqua Religione hic esset et quod libros, concionandi gratia, secum ferret; nam ad concionandum idoneos elegerat et abstulerat.

386. Hoc anno Ferrariae Joannes Baptista de Monte, nobilis Ferrariensis, Societati se addixit, qui postea in Indiam et Japonem missus est <sup>5</sup>. Hoc eodem, magister Joannes Tristanus,

<sup>1</sup> Consandolo. Vide supra, t. iv, pag. 69, annot. 1.

<sup>2</sup> P. Pelletarius.

<sup>3</sup> Pag. 184, n. 382.

<sup>4</sup> Scilicet libros, quos cum aliis rebus corraserant et Mantuam praemisserat.

<sup>5</sup> Vide SACCHINI, *Hist. Soc. Jes.*, part. II, lib. v, n. 179, lib. vii, nn. 146 et 148.

cum anno praecedenti uxorem, et hoc ipso anno unicum filium amisisset, Societatem ingredi constituit; quamvis adventum in Urbem in sequentem distulit: prius enim Mutinae aedificium Collegii inchoare voluit et quaedam sua negotia expedire.

387. Laborabant nostri Mutinenses in loco inveniendo, ubi Collegium institueretur. Impetravit autem litteras P. Pelletarius a Duce Ferrariæ ad Comitem Herculem Rangonem, quibus significabat valde gratum sibi futurum, si commodus Societati nostrae locus inveniretur; et quia Dux Mutinam venturus erat, voluit etiam eo P. Pelletarius ire, ut aliqua inspiceret loca, et ad aliquem eorum obtinendum Ducis favore uteretur; et cum ecclesia S.<sup>ti</sup> Michaëlis ei valde placuisset, et id ad Ducem retulisset, Mutinensem Gubernatorem ille accersivit et negotium hoc ei commisit cum Comite Hercule tractandum <sup>1</sup>, et si res non succederet, ut alium quaererent; erat etenim quaedam alia ecclesia S.<sup>ti</sup> Joannis Baptistae, ad milites melitenses ordinis S.<sup>ti</sup> Joannis pertinens, quae etiam idonea videbatur; et quamvis primores mutinenses parum faverent Societati, amici tamen, licet pauperes, ad ducentos aureos ad concinnandam domum obtulerant; et cum P. Natalis, ex Germania rediens, Mutinam ad hoc ipsum cum Patre Pelletario accessisset, hanc ipsam S.<sup>ti</sup> Joannis videlicet [ecclesiam] priori praetulit.

388. Idem Episcopo <sup>2</sup> videbatur, qui et animarum curam alio transferre paratus erat; quod in aliis ecclesiis non perinde facile extitisset. Nec novae litterae Ducis defuerant ad Gubernatorem et Episcopum; sed res successum non habuit, quamvis hoc anno, ut infra <sup>3</sup> dicetur, locus firmus habitus sit; et D.<sup>a</sup> Maria del Jesse, Collegii Ferrariensis fundatrix <sup>4</sup>, centum aureos ad hoc opus Collegii Mutinensis contulit.

389. Postulavit autem P. Pelletarius ab ipso Duce partem quamdam veteris fossae, ut eam cum quibusdam monachis permutaret, et ab eis hortum quemdam idoneum ad Collegium erigendum obtineret. Ille autem iturum se Mutinam brevi dixit et curaturum ut satisfaceret nostrorum desiderio. Cum autem

<sup>1</sup> Anno praecedenti Gubernator fuerat ipse Rangone. Vide supra, t. iv, pag. 108, n. 194.

<sup>2</sup> Aegidio Foscarari, O. S. D.

<sup>3</sup> Num. 389 et 432-437.

<sup>4</sup> Vide supra, praesertim t. iii, pag. 140, n. 282, et t. iv, pag. 66, n. 119.



ab eo 40 perticas (mensura ea est, qua in ditione ferrariensi et in Longobardia utuntur <sup>1</sup>), aut amplius, in longitudinem postu-  
lasset, loco inspecto, viginti perticas Dux concessit; et quam-  
vis constituerant hunc locum permutare cum praedictis mona-  
chis ordinis S.<sup>ti</sup> Dominici, quia situs ille nostris valde placuit,  
ibidem instituere Collegium decreverunt, et fundamenta effo-  
dere coeperunt, et quamvis initio, civitas Mutinensis, non re-  
pugnaret, postea tamen sese adversariam ostendit, et ad se jus  
fossae illius pertinere dicebat; et in ipsis fundamentis et fossis  
magna vis lapidum inveniebatur ad ipsum aedificium con-  
struendum. Fuit etiam aliquis, qui fundamenti locum effossum  
replere coepit, quod cum P. Pelletarius ad Ducem retulisset, qui  
jam Ferrariam redierat, ille bono animo eum esse jussit, et se  
idoneum esse ad protectionem nostrae Societatis et Ferrariæ  
et Mutinæ dicebat; et velle se validam esse gratiam nostris a  
se concessam. Quamvis autem civitas Mutinensis quemdam  
misit, ut a Duce impetraret ne ille locus Societati daretur, mi-  
nime tamen eum de sua sententia removit; immo ut ipsa civitas  
locum quemdam daret illi conjunctum, qui Collegio datus fue-  
rat, D. Aloysius <sup>2</sup>, Ducis filius, diligenter admodum et officiose  
ad eos scripsit.

390. Cum nostri ferrarienses debitis quadringentorum au-  
reorum premerentur, et collegiola Mutinæ et Argentæ, quibus  
idem P. Pelletarius ut Superintendens praeerat <sup>3</sup>, auxilio etiam  
indigerent, D. Maria del Jesse, agrum quem habebat in Aemi-  
lia, quam Romaniam <sup>4</sup> vocant, et Ferrariensi Collegio post vi-  
tam suam reliquerat, vendere voluit; sed et nostris, qui Romæ  
versabantur, aliquid etiam subsidii dare voluit.

<sup>1</sup> Sermo esse videtur de "pertica 12 pedum, quæ dicitur Luitprandi, et pertica legitima de pedes duodecim ad extensis bractis mensurata, vel ad extensionem bractii, in Chartis Longobardicis apud Ughell. to. 3. Italiae sacrae, p. 289. to. 5. p. 669, to. 7. p. 1442. et to. 9. p. 121. Chronicon Novalicense c. 1. de Luitprando Rege Longobardorum: *Qui tantæ longitudinis fertur pedes habuisse, ut ad cubitum humanum metirentur. Horum vero pedum mensura pro consuetudine inter Longobardos tene-  
tur in metiendis arvis usque in præsentem diem, ita ut pedes ejus in Pertica func  
duodecim fiat tabula.* Statuta Mediolanensia part. 2. cap. 350. *Mensura pedis Lipran-  
di sit et esse intelligitur de uncis novem ad brachium lignaminis.* Vide Tristandum  
Calchum lib. 4. Histor. Mediolan. ubi de Luitprando., Du Cange, Glossarium.

<sup>2</sup> Ms. sic habet: *immo, ut ipsa civitas locum quemdam daret illi conjunxit, qui  
collegio datus fuerat. D. Aloysius;* sed emendandum videtur ut nos fecimus.

<sup>3</sup> Vide supra, t. iv, pag. 84 n. 151, et seq. atque pag. 101, n. 188, annot. 1.

<sup>4</sup> Romagna.

391. Inter cetera autem, quae eam moverunt ut agrum praedictum venderet, illud erat, quod merito timeri poterat ne post ipsius vitam difficile ex consanguineorum vel affinium manibus, aut ipsum agrum, aut fructus ejus percipere nostri possent; et ita ex vendito agro pretium convertere in alia bona stabilia Collegii decrevit, quod et fecit.

392. Inter alias occupationes, hanc etiam suscepit P. Pelletarius ut theologiam et conscientiae casus nostris praelegeret. Tres etiam ex eis in templo nostro concionari voluit, ex quibus magister Ambrosius Pollicinus maxime placuit; et secundo loco Fabricius Vignes, qui et nostrorum et populi expectationem longe superavit.

393. Hic Fabricius hernia gravi laborabat, et Septembri mense in manibus medicorum relictus, scissione remedium ipsi adhibendum esse judicarunt, et admiranda ejus patientia visa fuit, qui cum acerbissime cruciaretur in ea scissione et aliis remediis, tantum in eo nomen Jesu submissa voce audiebatur, a quo auxilium petebat, et quinque medici, qui aderant et chirurgus ipse talem animum juvenis obstupescabant, qui nec in juvene ullo, nec sene talem vidisse patientiam affirmabant. Intra paucos autem dies febris cessante, extra periculum constitutus est, et paulo post sanus e lecto surrexit, quamvis tota hyeme domi se, ac fere in cubiculo, continere debuit et aliquando dolores aliqui eum retentabant.

394. Charitas P. Pelletarii ad subveniendum Romano Collegio, magna penuria pecuniae in gravissimis expensis laboranti, in eo cerni potuit, quod cum magister Joannes Tristanus<sup>1</sup> centum aureos, ex venditis quibusdam suis rebus, Ferrariensi Collegio applicare cogitasset, et ab ipso consilium peteret, hortatus est ut Romam potius mitteret, et ita simul cum aliis ducentis ex bonis ejusdem, brevi in subsidium Romani Collegii mittendos scripsit.

395. In jubileo sub initium Septembris Ferrariae publicato operarii Collegii nostri, tam in ecclesia, quam in arce, ubi erat Ducissa, messem uberem habuerunt; nam in hujusmodi occasionibus fere in praedicta arce P. Pelletarius occupabatur, non solum in ministerio sacramentorum confessionis et com-

---

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 136 et 137, n. 386.

munionis, sed etiam in concionibus in vicino monasterio habitis, ex quibus et ipsae moniales spirituale auxilium percipiebant. Adiit et ipsum Ducem Herculem, qui dubitabat, propter causas nescio quas, de jubilaei gratia obtinenda, sed rebus cum eodem Patre Pelletario communicatis, ejus acquievit consilio, ac monitis, et ad jubilaum obtinendum se disposuit; et ut quietius devotioni operam daret, Ferraria recessit in locum quemdam Episcopatus Ferrariensis, ubi, simul cum sua curia, sacramenta percepit. Sed ad festum etiam Omnium Sanctorum ejus uxor Ducissa et confessa est et communicavit.

396. Cum P. Natalis haec collegia visitaret, in quibus nec correctores sustentari poterant, nec inveniebantur ad pueros in scholis castigandos, observavit hoc incommodi accidere, quod parum illi reverentiae atque obedientiae suis praeceptoribus exhibebant; et quamvis alii per alios puniebantur, id tamen ipsorum parentibus minime placebat, nec magnopere eos, qui puniebantur, juvabat. Nihil tamen immutare voluit idem Pater, sed rem consideratione valde dignam esse Patri Ignatio scripsit.

397. Ferrariensibus et aliis hoc anno missa est a P. Ignatio formula aut ratio negotia gerendi cum aedificatione <sup>1</sup>.

398. In dioecesi Mutinensi oppidum quoddam est nomine Berseli <sup>2</sup>, in quo monasterium erat monialium, quod cum invenisset, in lustratione suae dioecesis, magnopere reformatione indigere, venit Episcopus <sup>3</sup> Ferrariam ut Ducem alloqueretur, et rem totam cum P. Pelletario contulit, ac Patrem Philippum <sup>4</sup>, Rectorem Mutinensem, ad aliquot dies, ut monialium reformationi vacaret, postulavit. Et quamvis aliquo modo ei concesser-

<sup>1</sup> Eritne haec formula illa, quae edita est in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 206-209? Verum illa solum de modo negotia cum *Superioribus Societatis* tractandi agit.

<sup>2</sup> Sic; existimamus tamen sermonem fieri de *Bressello*, quod oppidum est in Ducatu Mutinensi prope adjacens confiniis Parmensis.—Nec mirum quod hujus oppidi specialem habendam curam optaret Ferrariae Dux; illud enim magno sumptu instauraverat. "Anzi per mostrarsi così Hercole (II) in edificar le città, come honoratamente lo somiglia in tutte le altre sue virtù, ha realmente ridotto Brescello, il quale era un poco nobil Castello, in una bellissima forma di città, et l'ha armata di fortissime et sicure mura, et circondata di così profondissime fosse, che in tutta Italia non si truova città più forte di Brescello.", JOANNES BAPTISTA GIRALDI, *Commentario delle cose di Ferrara et de' Principi da Este*, pag. 180.

<sup>3</sup> Aegidius Foscari, O. S. D.

<sup>4</sup> Philippum Fabrum, olim Lecrum.

rat, quia ejusdem opera Mutinae valde necessaria erat, potius ad P. Stephanum Baroëllum mittendum inclinabat; quamvis Dux ipse, cui res cordi erat, ipsum P. Pelletarium ad hoc negotium misisset, si Ducissae confessio, in natalitiis festis secutura, non impedisset.

399. Magnum sane favorem Dux rebus nostrae Societatis impendebat. Quum autem de Parisiensi decreto intellexisset, quae P. Pelletarius ei retulerat, litteras ad suum Legatum <sup>1</sup> apud Regem christianissimum <sup>2</sup>, eidem de verbo ad verbum legendas scripsit. Sic enim solitus erat ille Legatus Ducis sui litteras Regi ostendere. Injunxit autem Secretario <sup>3</sup> Dux, ut ab ipso P. Pelletario intelligeret quae scribenda erant. Eisdem litteris inter alia continebatur quod a multis annis Societatem cognoverat, et aliquo ex ipsis confessario usus aliquando fuerat, et nunc uxori suae et filio Episcopo ex eadem Societate confessarium dederat; quod tria collegia in suo dominio erigi curaverat; quod alii principes Italiae in suis civitatibus Societatem habebant, et eam magni faciebant; nec quicquam nisi bonum de Societate intelligi, et alia hujusmodi.

400. Dominus etiam Aloysius, Ducis filius, Duci Guisano in eandem sententiam scripsit. Curavit etiam idem P. Pelletarius ut litterae patentes a Vicario <sup>4</sup> et ab Inquisitore <sup>5</sup> scriberentur et ab ipsa etiam universitate Ferrariensi <sup>6</sup>; sed et ipsa Ducissa Ferrariæ scripsit ad Cardinalem Ferrariensem, ut et D. Augustinus de Mosti <sup>7</sup> verbo etiam commendaturus erat Cardinali Ferrariensi negotium nostrum ipsius nomine. Itaque ex hujusmodi litteris, occasione decreti Parisiensis scriptis, facile intelligi poterat quid de nostris Ferrariæ optimi quique maximae auctoritatis homines sentirent.

401. Schola tamen potius numero scholasticorum decrevit quam aucta sit; fortassis in causa fuit corrigendi difficultas, et

<sup>1</sup> Julium Alvarotti. Vide FONTANA, *Renata di Francia, Duchessa di Ferrara*, t. II, pag. 364.

<sup>2</sup> Henricum II.

<sup>3</sup> Augustino Musto, vel Moscho. Vide supra, pag. 46, annot. 6.

<sup>4</sup> Hujus testimonium desideratur in *Acta Sanctorum*, l. c.

<sup>5</sup> Is erat Hieronymus Papinus Laudensis, O. S. D. Vide supra, t. IV, pag. 79, annot. 3, et *Acta Sanctorum*, l. c., n. 492.

<sup>6</sup> Hujus testimonium vide in *Acta Sanctorum*, l. c., n. 493 496

<sup>7</sup> Vide supra, n. precedenti.

timor ille, de quo jam anno superiori mentio facta est <sup>1</sup>, parentum, ne filii ad Societatis institutum afficerentur.

Et haec de Ferrariensi Collegio.

## DE MUTINENSI

### ET ARGENTINO COLLEGIOLIO

402 Praeerat nostris Mutinensibus P. Philippus Lerneus, quamvis sub P. Pelletario esset, cum quo unicus erat sacerdos P. Stephanus Baroëllus, et non defuit hoc anno illis vel patientiae vel charitatis exercendae occasio; et in confessionibus audiendis et concionibus pro more sedulam operam proximis impendebant.

403. Sed ut quaedam minus communia referam, cum quidam eorum virum quemdam gravi et diuturno morbo confectum, et tamen pertinaciter salutiferam confessionem recusantem, inviseret, nec ejus cor emollire ulla ratione posset, tempori tunc cessit, sed timens mortem huic homini imminere, et, ut verisimile est, instinctu Domini id praesentiens, rursus ad eum se contulit, et, quae Dominus dederat, cum eo loquutus [est, et] ad magnam contritionem peccatorum aegrotus deductus est; et eidem peccata sua confessus, postridie Sanctissimum Eucharistiae Viaticum accepit et Extremam unctionem, et eodem die cum magna sua alacritate et astantium consolatione spiritum Domino reddidit.

404. Quidam alius, jureconsultus, nimio studio eo deductus fuerat ut, corporis et animae salute privatus, execranda convitia in Deum profunderet, et de utriusque hominis salute desperans, neminem jam alium, praeter unicum ministrum, in suum cubiculum ingredi patiebatur. Hoc ergo cum unus ex nostris sacerdotibus resciret, orationibus Collegii praemissis, per aliquem curavit ut sibi aditus ad hunc hominem pateret, et

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 58, n. 99.

quidem aegrotus, qui complures annos sine confessione transegerat, consensum praebuit, ut ad ipsum sacerdos ille veniret; et demum sic motus fuit a Domino ut magna cum contritione confessionem apud eum institueret, et cum eo reverteretur, ut, sacro celebrato, eundem Christi Corpore reficeret, sic jam in alium virum mutatus ille erat, ut nihil quodammodo aliud quam Dei laudes ex ejus ore audiretur; et ita paulo post quam ab eo recessit expiravit.

405. Alios aegrotantes, et in xenodochio, et in privatis domibus, iidem sacerdotes invisebant, instruebant, et consolabantur, et confessionis sacramento reficiebant, per quae multi etiam ex sanis a gravibus peccatis revocabantur.

406. Perseverabant etiam nostri monialibus, quas conversas vocant, spiritualia auxilia et consolationem conferre, et quidem cum magno ipsarum profectu, qui vel in eo cerni potuit, quod, cum quibusdam ex eis aegrotantibus medici nullam salutis spem praeberent, nisi ex habitatione illa egrederentur ut animum apud consanguineos exhilararent, illae omnes uno ore responderunt in Dei potestate esse vitam ipsis dare, et si ea expediret, ab eo sperandam esse; nec adduci potuerunt ut medicis acquiescerent, arduum et difficile esse existimantes, inter regulos et dracones habitando, se integras Christo conservare; malueruntque inter religiosas sorores morbi afflictionem perferre. Et ita earum una brevi ad Dominum migravit, et aliquae aliarum consequutur videbantur.

407. Cum quaedam excommunicatio Mutinae promulgata esset contra eos, qui scirent aliquem haeresi infectum, et eum statim apud judicem [non] deferrent aut denuntiarent, nostri non exiguum poenitentium numerum ad Episcopum et Inquisitorem miserunt, ut aliquos denuntiarent, quos hoc morbo laborare sciebant, qui plus quam mediocriter eo tempore Mutinae grassabatur. Plurimi autem Mutinae maluerunt in hujusmodi excommunicationem incidere et ab Ecclesiae gremio recedere, quam ab hominum gratia, qui deferendi erant, excidere. Id<sup>1</sup> nostris, adhortantibus ut suum officium facerent, aperte respondebant<sup>2</sup>.

408. Pax inter non paucos conciliata est, qui inimicitia gra-

<sup>1</sup> In habet Ms.

<sup>2</sup> Vide CESARE CANTÙ. *Gli eretici d' Italia*, disc. xxviii, t. II, pag. 168.

vi dissidebant, sed de uno singillatim referam, qui gravissime a socru dissentiens, ut ab eo et filia sua recederet et ad quosdam consanguineos migraret in causa fuerat; immo et testamento filiam haereditate legitima privaverat. Hic ipse, qui juvenis alioqui ex primariis urbis erat, lethale vulnus a quodam acceperat, nec ulla ratione induci poterat ut ei injuriam condonaret, sed sanitatem se expectare ad ultionem accipiendam affirmabat. Hunc cum quidam ex nostris sacerdotibus piis exhortationibus ad pacem cum Deo et proximis faciendam excitaret, dixit ille juvenis tandem velle se quidem sed non posse hoc sibi imperare ut condonaret: proinde ut rogaret Deum pro ipso; quod cum fecisset et fratribus <sup>1</sup> eundem commendasset, post biduum ab eodem accersitus, et rogatus ut Missam celebraret ut ea audita ad confessionem melius se disposeret, id factum est. Ille autem cum magna contritione suis inimicis noxam omnem condonavit. Visum est autem Patri Philippo ut scandalo satisfaceret, et, si ille convalesceret, ut melius in officio contineretur, coram testibus hanc injuriae condonationem faciendam esse, quam cum fecisset, curavit, ut cum bona ipsius venia, socrus ipsius in cubiculum aegrotantis induceretur, cum qua duos vel tres fere annos in litibus et inimicitia, ut diximus, vixerat; et gener cum lacrymis ab ea veniam postulavit, quae, ejus humilitate visa, de proprio etiam errore exhaeredatae filiae se poenitere affirmans, sponte sua promisit genero se testamentum aliud, rescisso priori, facturam. Cum autem postridie ab eodem <sup>2</sup> post Sacrum celebratum communicasset, et sequenti testamentum condidisset, is, qui vulneratus erat, quarto demum die, Extrema Unctione accepta, et bene dispositus ad Dominum migravit. Ejus autem uxor, quae octo liberos ab eo susceperat, simul cum suis confessa est nostris, et mater ejus domum rediens, ut cum filia et nepotibus habitaret, justum, ut promiserat, testamentum condidit; et ita multa simul bona ex pace priori sunt consequuta.

409. Inter alios aegrotantes, qui nostrorum opera ante mortem adjuti fuerunt, quidam fuit Stephanus Cardelus, romanus, nec pauci fuerunt illi, qui, gravissimis peccatis relictis et injuriis condonatis, in salutis statum per nostros redire curarunt,

---

<sup>1</sup> In Collegio degenti us.

<sup>2</sup> Patre Philippo Lcerno.

inter quos, aliqui, non sine labore, ad confessionem adducti sunt. Quidam etiam alius in uxorem duxit, quam novem annis in concubinam habuerat, et ita demum uterque uni ex nostris confessus est.

410. Non tacebo opus magnae charitatis, quod per unum ex his Patribus Deus operatus est. Mulier quaedam in quodam Italiae populo quibusdam, matrimonio conjunctis, serviebat; quae spiritu pessimo acta, uxori dixit secreto quod maritus eam veneno necare decreverat; et cum illa ad patris sui domum fugisset, eadem dixit marito quod ipsius uxor veneficium ei propinare constituerat; et confecit ex gypso et cinere nescio quid, quod ut venenum feli domesticae coram marito dedit; et ut videretur felis mortua ex veneno illo, eam praefocavit. In iudicium adducta et bis torta, semper perstitit in hac commentitia innocentium accusatione, et uxor a marito separata fuerat, a quo gravida erat. Recedens illa foemina calumniatrix ab eo populo, et Mutinam veniens, omnia cum P. Philippo contulit, quae scelerate confinxerat, [et] remedium animae suae postulavit, cum etiam multos annos, sacrilega temeritate in peccato huiusmodi perseverans, ad sacramenta accessisset. Persuasit ergo ei ut famam, quoquomodo posset, restitueret; et coram Vicario ac notario Episcopi ac testibus veritatem rei totius et suam calumniam contestata est. Curavit autem P. Philippus ut ad magistratus illius populi, qui valde remotus inde erat, hoc testimonium perferretur, ut non solum fama, sed et quies ac benevolentia innocentibus illis conjugatis, cum aedificatione proximorum, restitueretur: calumniatricem autem ut per poenitentiam sibi consuleret hortatus est, in qua illa, peracta generali confessione, diligenter perseveravit.

411. P. Stephanus <sup>1</sup> dominicis et festis diebus concionabatur, et aleatores aliquando, non solum verbis, sed etiam chartis laceratis, a lusu revocavit, quamvis aliqua ei occasio <sup>2</sup> a quodam eorum data est, nam unus ex lusoribus reprehensus, quamdam ex chartis illi ostendens, "vide, inquit, sanctum istum," quam ille accipiens et discerpens, hortari coepit ut et alias ipsemet discerneret, quod et fecit.

---

<sup>1</sup> P. Stephanus Baroëllus.

<sup>2</sup> Ut chartas laceraret.



412. Cum autem mitteretur in oppidum, de quo superius memini <sup>1</sup>, nomine Berselum, in gratiam Episcopi <sup>2</sup> ac Ducis <sup>3</sup>, equus quo vehebatur cecidit, et crus boni Patris confregit, ut timebatur; et ita oportuit ut curationi daret operam et exercendae patientiae in magnis doloribus, in qua non parum aedificationis nostris praestitit.

413. Scholae nostrae Mutinenses hoc anno non parum declinarunt, cujus causa fuit, praeter loci incommoditatem, quod magister Joannes Valerius (quem Tybure diximus superius <sup>4</sup> mortem sub autumnum hujus anni obiisse) qui primae scholae praeerat, praeter catarrhum et pectoris <sup>5</sup> dolorem, sanguinem evomere denuo coeperat hoc anno ineunte, et venam pectoris abruptam medicus dubitabat, et ita Romam missus est. Praecipui autem ejus scholastici, qui Ferraria eo venerant, Gabriel, Prosper et Hercules, Argentam inde missi sunt; immo et Laelius; qui omnes, ut diximus <sup>6</sup>, postea Romam venerunt; et ita Joannes Ignatius <sup>7</sup> cum earum scholarum cura Mutinae mansit.

414. Alii etiam ex peritioribus scholam deseruerunt, cujus etiam existimatio in populo, alioqui parum benevolo, non conservata est. Et cum nec domum haberent nostri, nec ecclesiam vel mediocriter commodam ad usum nostrae Societatis, et necessaria ad victum arcte suppeditarentur, P. Ignatius non facile magistros magis idoneos cum vitae periculo <sup>8</sup> censebat [mittendos]; et ita occasionem habuerunt, qui libenter contra nos obmurmurabant, dicendi quod praeceptores non haberemus Mutinae, quodque conducibilius futurum erat institutionem juventutis non profiteri, quam huic muneri suscepto parum satisfacere; nec interim de loco et aliis necessariis ad haec litteraria exercitia commode tractanda nostris prospiciebant.

415. Diligentissime quidem a nostris locus aliquis quaerebatur; sed ut superius intellectum est <sup>9</sup>, successum perexi-

<sup>1</sup> Pag. 140, n. 398.

<sup>2</sup> Mutinensis, in cujus dioecesi est *Bressello*. Vide supra, pag. 140, n. 398.

<sup>3</sup> Ducis Ferrariae, qui et Mutinensem ducatum tenebat. Vide supra, t. iv, pag. 90, n. 163, annot. 4.

<sup>4</sup> Pag. 63, n. 106.

<sup>5</sup> Ms. habet *sanguinis*.

<sup>6</sup> Supra, pag. 135, n. 384.

<sup>7</sup> Vide supra, t. iv, pag. 97. annot. 4.

<sup>8</sup> Vide praesertim supra, t. iii, pag. 153, n. 309.

<sup>9</sup> Pag. 137 et 138, n. 387-390.

guum diligentia habuit. Facile erat conjicere fructum non mediocrem consecuturum si proprium habuissent templum, cum sacellum quoddam exiguum, in quo domesticis sacrum dicebatur, simulatque porta quaedam ad publicam viam est aperta, frequentari, et quidem ab hominibus non infimae notae, coepit. Postquam autem Dux locum illum, de quo superius mentio facta est<sup>1</sup>, dedisset, et nostrorum opera fundamenti locus effoderetur, ac a quibusdam repletus fuisset, opus illud hoc anno ulterius progressum non est; nam de jure videri voluit Dux num ad Principem an ad populum situs ille pertineret. Et haec sententia expectanda erat, quamvis interim necessaria ad aedificium amici praepararent.

416. Eorum autem, qui nostrorum piis conatibus se opponebant, mirum prorsus erat studium. Et erat quidam sacerdos, qui ne peccato quidem mortali eos vacare affirmabat, qui relicta sua parochia ad nostros venirent. Immo excommunicatos, obstinatos et schismaticos eos vocabat, nec privilegia nostra curabat. Curam is parochiae S.<sup>ti</sup> Vincentii gerebat. Aliqui, contra pii homines tanto cum affectu institutionem Collegii optabant, ut orationem 40 horarum ad hanc gratiam a Deo obtinendam inter se instituerint, ut, scilicet, Deus locum aliquem nostris ad sua ministeria exercenda provideret.

417. Episcopus misit ad Patrem Philippum aliquem, qui ab eo disceret utrum hospitalis cujusdam, ad sacramenta scilicet ministranda et corpora sepulturae tradenda, curam vellent suscipere; sed intellexit nos charitatis officia ex nostro Instituto et non cum similibus officiis, cum quibus libertas Societati non constaret, admittere.

418. Cum sacramenta apud nostros crebro admodum piaae aliquae personae frequentarent, sed timeretur quod non responderet fructus huic frequentiae, moderationem quamdam adhibere tentarunt, prout Romae fieri intelligebant. Haec autem moderatio experientia docebat quod aliquos juvaret, alios non perinde.

419. Quidam, qui abstinuerat ipso in Paschate a confessione, propterea quod vindictam de inimico suo sumere constituerat, in gravem incidens morbum et cuidam ex nostris confes-

---

<sup>1</sup> Ibid.

sus, ac postea Sanctissimam Eucharistiam sumens (facta prius ipso in lecto cum inimico suo pace) statim melius, quod ad corporis infirmitatem attinet, habere coepit.

420. In exercitiis spiritualibus juvenis non ignobilis, Hieronymus Fontana, Societatem ingredi constituit, et quamvis initio quaedam loca excipiebat, in quibus admitti recusabat, postea tamen omnino obedientiae se, sine ulla exceptione, subjecit.

421. Episcopus Mutinensis litteras etiam suo sigillo signatas et manu subscriptas <sup>1</sup> dedit, quibus testabatur quam bene de Societate sentiret, et hoc, ob jam dictum decretum Parisiense, sicut ab aliis, ita ab illo testimonium postulatum est. Cupiebat idem Episcopus in visitatione sui episcopatus opera Patris Philippi uti; sed cum essent tam pauci sacerdotes ex nostris, non libere id facere poterat, quamvis non mediocrem fructum speraret.

422. Consultus fuit P. Ignatius an pueri, qui non bene scient scribere ac legere, in scholam essent admittendi, nam magna multitudo hujusmodi puerorum admitti poterat, quae compensaret imminutum scholasticorum numerum et ad tam paucos redactum ut aliquando ad viginti vix ascenderent. Sed quia hujusmodi pueri parum proficere soliti erant, et alioqui, cum parum didicissent, a parentibus vocabantur ut mechanicis artibus operam darent, visum est P. Ignatio non esse eos admittendos; et ita prorsus schola frigebat et ad dissolutionem properabat, partim, ipso Patre Ignatio praeceptorem subtrahente, (nam post magistrum Valerium etiam Joannem Ignatium <sup>2</sup>, qui variis afflictionibus vexabatur, subtrahere voluit), partim ipsis scholasticis ad alias scholas, quae Mutinae abundabant <sup>3</sup>, se conferentibus.

423. Protector tamen Collegii, Comes Hercules Rangonus, cupiebat scholas bonum progressum facere; et cum aderat magister Andreas Bonainsegna, qui idoneus praeceptor erat, cuiusque idioma proprium italum erat, bene se schola gerebat, et aliquot bono ingenio juvenes Societati se addixerant <sup>4</sup>. Sed cum

<sup>1</sup> Eas vide in *Acta Sanctorum*, l. c., n. 497.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 146. n. 413.

<sup>3</sup> Vide supra, t. III, pag. 156, annot. 1.

<sup>4</sup> Vide supra, t. IV, pag. 90, n. 165.

locum idoneum nostri non haberent, non existimabat P. Ignatius expedire ut bonus aliquis praeceptor mitteretur, et Episcopus non videbatur de scholis sollicitus esse, de quibus ab initio dicebat se parum sperasse, cum praecipue missi non fuissent in initio praeceptores itali, et qui auctores, gratos in Italia, interpretarentur <sup>1</sup>. Immo dicebat se in domo Episcopali, si scholae relinquerentur, nostros excepturum ut praedicationi et confessionibus et aliis pietatis operibus vacarent. Sed illud perinde fuisset atque Collegium dissolvere; quod tamen potius in aliquo loco proprio collocandum videbatur, si nostri Mutinae futuri erant.

424. Nullus tamen serio, praeter unum Herculem Purinum <sup>2</sup>, hoc negotium loci inveniendi suscipiebat, immo ex amicis aliqui adversarii esse taciti credebantur, quia timebant, si locum proprium nostri haberent, quod spirituales conversarum curam relicturi essent, et ita nostri cogebantur, cum magno incommodo, in conductitiis domibus, et quidem saepius mutatis, habitare; et ex illis centum aureis, quos partim Cardinalis Moronus, partim Dux Ferrariae, singulis annis Collegio solvi jubebant, pars non minima in conducenda domo expendebatur. Et quamvis P. Ignatius admonuerat ut hortum aut vineam alicujus amici [habere curarent], ut eo recreationis et salutis gratia irent, ne ad id quidem commoditas inveniebatur. Sed nihil pejus nostros habebat, quam quod fructus spiritualis impediatur, dum nec domum nec ecclesiam ad nostra ministeria exercenda habere poterant, et quamvis audiebant confessiones in sacello conversarum, aliqui egregiae indolis juvenes, qui nostris confitebantur et eorum familiaritem cupiebant, non libenter ad ejusmodi locum veniebant propter nomen ipsum conversarum, quod nec ipsis nec parentibus eorum placebat.

425. In jubileo, sub initium autumnii Mutinae promulgato, messem adhuc copiosiore habuerunt; sed cum vicinis morti utilius omnino occupati fuerunt; et cum cujusdam, qui in inimicitia versabatur, confessionem unus nostrorum audisset et ad reconciliationem cum inimico adduxisset, et sic demum, ac-

<sup>1</sup> Vide supra, t. III, pag. 150, annot. 1.

<sup>2</sup> Vide supra, t. III, pag. 206, n. 88.

ceptis sacramentis, foeliciter migrasset, quidam ejus frater, qui, eadem inimicitia flagrans, in Paschate a Sacramentis abstinerat, visa fratris sui reductione ad Dominum, et morte, imitari eum et ipse sanus voluit.

426. Quod ad scholam attinet, cum ex duabus una confecta fuisset, et adhuc dilaberentur [discipuli] forte propter aestum ex parte, ita ut ad 14 essent reducti, hac accepta occasione, temporis scilicet aestivi et dierum canicularium, scholasticos omnes dimiserunt ut eorum saluti consuleretur, nam eo anno gravissimi fuerunt aestus: postea vero se denuo ludum litterarium aperturos [promittebant], si tamen locum commodum ad scholas tenendas haberent: hanc enim formulam scholas dimittendi, Roma scriptam a Patre Ignatio, acceperant. Et hic fuit finis scholarum Mutinensium.

427. Primo die Augusti P. Natalis, cui commissum id fuerat a Patre Ignatio, Mutinam perveniens et difficultate animadversa obtinendi locum aliquem ex his de quibus agebatur, eo quod animarum curam haberent, potius animum esse adjiciendum censuit ad alicujus domus emptionem; et jam ea de re amici aliquot spirituales agebant, immo de domo quadam emenda inter ipsos convenerat; et licet nostris ea non placeret, et minime omnium Patri Natali, quod pretium esset commodum eam emerunt; nam si nostri nollent eam admittere, aliquis eorum \* sibi eam erat retenturus.

428. Judicabat autem P. Natalis, statu hujus collegioli considerato, vel curandum esse Societati ut illud erigeret, missis operariis ac praesertim lectoribus, vel reducendum esse ad duos tantum sacerdotes, vel unum tantum, scholis prorsus sublati.

429. De cura autem conversarum relinquenda agendum eo tempore non censuit, quia Societatis amici magna ex parte hac ratione supersessuri videbantur a rebus Collegii promovendis; nam bona pars eorum ad monasterium conversarum juvandum erant propensi.

430. Rediit autem P. Natalis Ferrariam, ut cum Duce videret quid posset fieri; et cum nollet omnino Dux relinquere Mutinense Collegium, et scripsisset ad Gubernatorem ut nostris lo-

---

\* Amicorum?

cum omnino curaret, ut optime fieri posset <sup>1</sup>; sed dum emere domum quamdam volunt, nullo modo duci potuit ejus dominus ut eam venderet; nam prior illa a nostris admissa non est <sup>2</sup>.

431. Quinque tantum Mutinae relictis sunt, et unus eorum famulus externus erat; et difficultas rei pecuniariae efficiebat ut exiguus numerus ibi alendus esset, ne debita crescerent. Quia vero civitas ipsa communi consensu Societatem amplexa non erat, nec inter opera pia civitatis nostrum Collegium retulerat, timebatur quod parum favoris nostris esset allatura; et ideo nomine alicujus amici domum esse quaerendam, potius quam Collegii, judicabant.

432. Religiosi S.<sup>ti</sup> Dominici hortum quemdam satis amplum et a monasterio suo sejunctum vendere volebant; et cum Prior monasterii significasset se libentius nostris quam aliis venditurum, commodum videbatur nostris partem illam veteris fossae, de qua superius mentio facta est <sup>3</sup>, a Duce obtinere, ut eam praedictis monachis darent, qui magnopere eam optabant ut conjunctam suo situi, ut sic hortum ab eis obtinerent.

433. Sed postea mutasse videntur sententiam nec hortum nostris dare se velle significabant, et ita in ipso loco a Duce donato aedificare constituerunt; jam enim litteras ejus donationis acceperant sub finem Octobris. Et hanc conditionem aut onus continebant, ut per modum recognitionis quicumque ex nostris Mutinae versarentur, ipso die donationis, singulis annis, devote dicerent septem psalmos cum litanis, pro Duce et ejus successoribus Deum rogando, et post ejus <sup>4</sup> mortem ut anniversarium officium in dicto die more Societatis dicerent sub poena dupli.

434. Cum ergo confines delineati fuissent et agendum esset de initio operis hujus, ad quod magister Joannes Tristanus <sup>5</sup> Ferraria venturus erat, devotae illae mulieres <sup>6</sup> trecentas libras illius monetae inter se collegerunt et D. Hercules Purinus

<sup>1</sup> Sic; verum aut redundat proxime sequens *sed*, aut non est completa sententia.

<sup>2</sup> Dormitavit hic Polanci librarius, nec proinde ex his quae ex litteris, ut verisimile est, huc transcripsit, quas reperire nos non valuimus, erui facile potest quamnam tandem domum mutinenses nostri retinere, quamnam rejecere.

<sup>3</sup> Pag. 137, n. 399.

<sup>4</sup> Ducis, scilicet, tunc viventis.

<sup>5</sup> Vide supra, pag. 386 et 387, n. 386.

<sup>6</sup> Hieronyma et Barbara Pezzana. Vide supra, t. iv, pag. 106 et 107.

cum sua uxore quingentas promisit. Nostri etiam conductitiam domum prope situm hunc acceperunt, ad commoditatem aedificii; sed interim civitas Mutinensis, quae jus ad fossam illam veterem habere se dicebat, totam ipsam fossam cuidam locavit, ut nomine ipsius civitatis possessionem ejus caperet, ne ad Ducis dominium transiret; et cum nostri aperuissent, ut superius dictum est <sup>1</sup>, fundamenta, civis quidam, operariis quibusdam acceptis, noctu replevit ac solo aequavit, quod non exiguo labore nostri effoderant: quod cum Gubernator urbis retulisset Duci Ferrariae, qui Carpi tunc agebat, iratus ille fuit, et jussit bene puniri civem illum; quamvis quorundam precibus punitionem evasit.

435. Conservatores autem urbis, cum intelligerent succensere ipsis Ducem propter injuriam, quam ei fecissent in loco nostris donato, consilium congregarunt, et nostris accersitis, mirari sese dixerunt, quod cum essent externi et ad civitatem juvandam venissent, quod sine benevolentia civium fieri non poterat, praesumpsissent situm communitatis sine ejus consensu occupare et possessionem ejus propria auctoritate et cum inimicitia totius communitatis capere. Et licet aedificarent ibi Collegium, quod numquam civitas Mutinensis favorem esset praestitura, immo inimica nostris futura. Tunc respondit P. Philippus, praesente P. Stephano, nostros quidem ad Dei obsequium et animarum auxilium venisse, nec cujusquam, etiam privati, inimicitiam se velle incidere, nedum civitatis, quam ut patronam et matrem esset Collegium habiturum, et in cujus utilitatem et aedificium conficiendum et opera collegialium cedere debebat. Sed illos recte scire quod toto triennio nostri cum magna incommoditate Mutinae habitaverant, quodque Dux ad Dei servitium partem illam fossae dederat, et in ejus possessionem induxerat. Si civitas jus aliquod haberet, ut Duci illud commonstraret; et si ille jussisset relinqui donatum situm, nostros statim esse relicturos et accepturos quaecumque dedissent.

436. Cum autem illi urgerent ut nostri renunciarent Duci nolle se illum locum cum offensione civitatis perpetua, respondit illis P. Philippus: "Si nos relinquimus situm illum, dabitisne alium?," Hic illi tacuerunt et tandem postularunt inducias octo

<sup>1</sup> Pag. 137 et 138, n. 369.

dierum, ne scilicet in situ quidquam novi operis inchoarent, donec illi Ducem adirent. Et re communicata cum Episcopo et Gubernatore, id concessum est civitati.

437. Monachi etiam S.<sup>ti</sup> Dominici nostris serio repugnabant, quod nollent in eo loco aedificari, et sua privilegia ostendentes, civitatem commovebant, et se potius quidquid habebant velle expendere dicebant, quam ut nostris permitteretur ibi aedificare <sup>1</sup>. Itaque undecumque angustiae et afflictiones magnae nostros exercebant. Interim Ferrariae nihil obtinuerunt a Duce qui missi fuerant a civitate Mutinensi, quia originalia suarum concessionum secum non tulerant, quae Dux videre volebat; et interim, ut nostri supersederent ab opere fuit contentus. Itaque nostris et verba et facta multorum ferenda erant; nec tamen ob id desinebant confessionibus dare operam, quae potius crescere hoc tempore quam imminui videbantur.

Et haec de Mutinensi Collegiolo.

438. Argentae hoc anno praefuit nostris P. Andreas Bonainsegna, qui cum unum tantum haberet socium <sup>2</sup>, duos Roma missos accepit. Itaque, quatuor ibidem versabantur in conductitia domo, in qua cum oratorium quoddam fecissent, et suggestum ac campana ibi ponenda diceretur, Vicarius Cardinalis S.<sup>ti</sup> Angeli <sup>3</sup> cuidam, a quo relatum illi est, dixit se utrumque impediturum, si fieret. Sed cum illum <sup>4</sup> adiisset P. Andreas et contulisset [quod] tam de suggestu, quam de campana ipsi faciendum videretur (non autem significabat se quidquam intellexisse de contraria ipsius voluntate), dissuadebat ille, eo quod privata domus esset, et videbatur eo modo sacra reddi. Sed res ad Suffraganeum, brevi Argentam venturum, rejecta est; qui cum

<sup>1</sup> Meminisse oportet partem fossae, nostris a Duce concessam, conjunctam esse loco fratrum Ordinis Sancti Dominici (Vide supra, pag. 137 et 138, n. 389); ideo sua privilegia ii proferebant.

<sup>2</sup> Lazarum. Vide supra, t. iv, pag. 86, n. 157.

<sup>3</sup> Subjacebat Argenta Ravennatensi Archiepiscopo, Ranuccio Farnese, Cardinali Sancti Angeli.

<sup>4</sup> Vicarium Cardinalis.



venisset, campanam quidem ponendam esse censuit intra domum, ut scholis deserviret et ordini domestico, et quod eadem etiam ad Missam dicendam dari signum poterat <sup>1</sup>. Domus quidem capax erat et honesta ac commoda et plateae civitatis exposita et ad omnia ministeria nostra satis accommoda. Quae autem Vicarius contra privilegia nostra notaverat, Suffraganeus nihili ducenda esse censuit.

439. Venit autem <sup>2</sup> ad Collegium, quarta Februarii, ut Sacrum audiret, comitante Vicario (qui amicitiam semper prae se ferebat in vultu, non ita tamen in factis) et multis aliis sacerdotibus, et exceptus est cum carminibus a puero quodam discipulo recitatis. Sacro autem absoluto, Laelius Bisolius, qui hoc ipso anno in Societatem est admissus <sup>3</sup>, cum magna venustate quaedam alia pronuntiavit. Cum deinde domum vidissent et ut nostro Instituto accommodam laudassent, antequam ex ea egrederentur, ab eodem Laelio oratione latina excepti sunt, cujus actio et vox ac tota pronuntiatio (nam ipsam orationem praeceptor composuerat, scilicet, P. Andreas) in magnam admirationem Suffraganeum et Vicarium cum aliis convertit. Cupiebat autem P. Andreas obtinere hoc a P. Ignatio, ut ibi collegium tanquam stabile admitteretur. Non tamen prorsus quod petebat obtinuit, quamvis in gratiam Ducis nostros ibi manere juberet.

440. Admisit ibi in Societatem sacerdotem illum Argentinensem, de quo superius facta est mentio <sup>4</sup>, et Patavium usque ipse P. Andreas deduxit, et inde progressus est Venetias, ut Cardinalem S.<sup>ti</sup> Angeli, qui ibidem versabatur, conveniret. Nec enim Suffraganeus executus erat, quae anno praecedenti Cardinalis promiserat <sup>5</sup>, de nostrorum debitis dissolvendis. Dedit

---

<sup>1</sup> Gravis (!) haec questio de campana ad Ignatium quoque perlata est, ex cuius com., haec Andreae Bonainsegna rescripsit Polancus: "Circa il mettere campana, pare ben cosa alquanto strana in casa privata et prophana, massime per la predicatione et messe, et non essendo risolta la Compagnia di restarvi in Argenta, nè manco havendo casa propria; et tanto manco è da procurarsi questo, essendo il Vicario poco propitio. Potrà adunque la R. V. dire che ha consultato a Roma, etc., et non è parso conveniente che in casa aliena et non essendo la Compagnia risolta di fermarsi, si metta campana.", 26.<sup>a</sup> Januarii 1555.

<sup>2</sup> Suffraganeus.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 146, n. 413.

<sup>4</sup> Pag. 128, n. 362, et pag. 135, n. 384.

<sup>5</sup> Vide supra, t. IV. pag. 90, n. 164.

autem illi Venetiis 12 aureos, et totidem, aut etiam plures, Argentae dari jussit, et ita rediens Argentam P. Andreas, in coepto opere progrediebatur et Argentensium animi, quos graviter irritatos contra nostros diximus <sup>1</sup>, paulatim mitigari incipiebant. In fine autem Quadragesimae, cum multorum confessiones audissent, latius benevolentia hominum erga nostros patere coepit, et magna mutatio in moribus cernebatur in illis, qui confessi fuerant.

441. Coepit etiam post Pascha in sacello vel oratorio domestico concionari, nec infrequens erat auditorium, immo totus ille locus <sup>2</sup> implebatur.

442. Venit autem Argentam P. Pelletarius, et meliorem rerum faciem, quam expectaverat, invenit, et coadjutorem sacerdotem, quem expetebat P. Andreas, dandum illi esse, si fieri posset, censebat, quia messis in dies crescere videbatur. Cum autem domum conductitiam vidisset, quae pulchra et commoda illi visa est, consensum et ipse Patris Ignatii per litteras obtinere nitebatur, ut collegiolum Argentense firmum maneret, quod bona cum venia Ducis et aedificatione removeri non posse judicabat. Petebatur autem facultas ad domum propriam ibi habendam, quam eatenus P. Ignatius non concesserat. Sed tandem non abnuit ut domus acciperetur. Et D. Alexander Fieschi Ducem habitare posse in perpetuum 62 aureos <sup>3</sup>, quos communitas Argentae ludimagistro dare solita erat.

443. Creverat jam usque adeo confluentium ad concionem multitudo, ut sacellum eos capere non posset, et cum multam ipsam ob causam non venirent, quod locus capax non esset, agebatur de concionibus in aliam ecclesiam transferendis; sed quia Vicarius et Parochi parum erant benevoli, non id tentare voluit P. Andreas; quamvis non pauci in ipsa via publica subsisterent, cum jam oratorium auditoribus plenum esset. Et quamvis res prorsus esset nova Argentae, multi crebro confiteri et communicare incipiebant, et a peccatis gravissimis multi emergebant.

<sup>1</sup> Vide supra, t. IV, pag. 87 et 88, nn. 158-160.

<sup>2</sup> Scilicet, sacellum.

<sup>3</sup> Sic perspicue in Ms.; sed nec sententia nec syntaxis constant. Unde emendandum videtur hoc modo: *D. Alexander Fieschi Ducem persuasit ut haberi possent in perpetuum 62 aurei*, aut alio simili, quem statuere certo non possumus, quia antiqua de hac re monumenta non vidimus.

444. Schola etiam prospere procedebat; quinquaginta scholasticos habebat, qui sic proficiebant, ut etiam aetate tenelli admirationi populo essent, quod ad litteras attinet; nec minor erat spiritualis eorum fructus. Et ita scholastici quidam, qui cum ludimagistro, qui Argentae fuerat anno praecedenti, alio extra Argentam concesserant, ne unquam ad nostros veniendi occasionem haberent, ab eisdem parentibus, qui eos miserant, revocati sunt; qui jam dolebant quod eo fructu privatos liberos viderent, quem discipulos Patris Andreae excipere videbant. Dabant autem illi litteris operam cum magna alacritate; intererant quotidie Sacro, diebus festis concioni, et singulis mensibus confitebantur. Itaque nullus jam ex illis ferocissimis hominibus relictus videbatur, qui non conquiesceret, et nostros dilectione ac veneratione prosequeretur; ut facile esset manum Domini, protectricem nostrorum, in hac tanta cordium mutatione, agnoscere.

445. Ad Sacrum etiam audiendum ad oratorium nostrorum frequentes veniebant, et quia solus ipse P. Andreas sacerdos ibi erat, mittere ad eum solebant, ut quota hora id esset celebraturus intelligerent, ut ei interessent. Ex his erat Praetor urbis, qui magna cum devotione ad id audiendum accedere solitus erat. Singulis autem diebus dominicis, et praecipue in solemnioribus festis, Paschae speciem multitudo confitentium et communicantium in hoc oratorio referebat.

446. Auxit autem messem et hic, sicut alibi, Jubilaei gratia; et prorsus P. Andreas strenuum [se] operarium praestabat cum et scholae satisfaceret, in qua tamen socium habebat, et praedicationibus ac confessionibus tam multis operam daret; nec recusabant ejus discipuli, quem praeceptorem habebant, eundem etiam habere confessarium.

447. Venit etiam P. Natalis Argentam, et jam facultate obtenta a P. Ignatio ut illud collegiolum firmaretur, agebat de domo illa emenda, quae ipsi etiam valde commoda videbatur, etiam ad majus collegium quam illud futurum erat. Et ecclesiam etiam ibidem commode fieri [posse] observavit.

448. Dedit autem ad integrum fere annum quantum frumenti et vini nostris opus erat Cardinalis S.<sup>ti</sup> Angeli; et ita in temporalibus utcumque bene se habebant nostri Argentenses. Populus autem, qui gustare coeperat praedicationis fructum,

cum de oratione dominica, symbolo apostolico et decem praeceptis ea diceret <sup>1</sup>, quae valde ad rem faciebant, urgere pergebat ut in locum ampliorem se concionaturum transferret; quia tamen Roma admonitus fuerat ne in locis celebribus concionaretur, libenter perrexit in oratorio domestico concionari; nam occupato in aliis rebus compluribus commodius id erat. Ibi autem, licet confertissimi essent, summa cum attentione eum audiebant, ut ipsi seipsos valde mirarentur et in aedificatione crescerent. In emenda tamen domo Argentensi impedimenta a daemone, cui opus illud displicebat, inventa sunt, et ita hoc anno transigi emptio non potuit.

Et haec de Argentensi collegiolo.

## DE COLLEGIO PATAVINO

449. Initio hujus anni praeerat Collegio Patavino P. Joannes Baptista Tavonus. Gravi et exitiali morbo laboravit hoc anno Patavium, et eam ob causam maxima pars hominum ad alias civitates aut villas, pestem fugiendo, se recipiebant, et a publicis negotiis, mortis terrore perculsi, illi etiam abstinebant, qui Patavii remanserant, et domi se plerique continebant. Nihilominus nostri in templo in audiendis confessionibus eo tempore occupati erant, vel in sanctissimo Christi Corpore ministrando. Alii enim nolebant id temporis haec sacramenta ministrare. Multi ergo ad ecclesiam nostram concurrebant trepidantes, perinde ac si mors illis impenderet, et in suis afflictionibus solatium a nostris et auxilium quaerebant. Consilii etiam capiendi gratia frequenter accedebant. Multas confessiones non solum decem, aut viginti annorum, sed generales vitae totius, nostri audierunt cum magna poenitentium consolatione ac fructu.

450. Ante vero quam pestis saeviret, qui soliti erant ad ecclesiam nostram crebro accedere, in confessione et communionem octavo quoque die frequentanda ferventer persevera-

---

<sup>1</sup> P. Andreas Bonainsegna.

bant. Et hoc experientia ipsa docebat quod hujusmodi homines, qui ad Dei cognitionem et gustum per ministerium nostrorum pervenerant, mirabiles in spiritu progressus facerent. Qui etiam rarius confiteri soliti erant, promiserunt se crebrius id facturos. Aliqui ad confessiones accesserant desperabundi, qui confirmati ac bono animo recesserunt. Aliqui, quibus grave periculum imminebat in gravissima peccata prolabendi, consilio et auxilio eorundem propositum ac vitae rationem mutant; sicut et alii emergerunt eorum ministerio, a Deo adjuti, qui in gravissimis peccatis immersi erant. Pax inter multos, etiam domesticos, ut maritum et uxorem, matrem et filiam, conciliata est.

451. Tres erant, qui de Societate obmurmurare et eidem detrahere non cessabant, et eo usque odium excreverat, ut mortem etiam minarentur. Horum autem corda sic commovit Deus, ut tanquam agni mansueti ad nostros sacerdotes venerint, ut ipsorum audirent confessiones, qui eosdem amanter in via Domini instruxerunt; nec parum consolationis nostris hoc praebebat, cum animos illorum, qui tam aversi fuerant, sic immutatos cernerent ad consilium et salutis documenta postulanda <sup>1</sup>.

452. Multi a gravibus calamitatibus, dum nostrorum consilium sequuntur, sublevati sunt. Nobilis quaedam matrona inter alios fuit, quae hujusmodi consiliis acquiescens forti animo parata erat impii et crudelis mariti gladio potius interfici, quam contra Deum aliquid, prout ille volebat, perpetrare; quam placuit divinae Bonitati mirandum in modum ab his afflictionibus eripere. Hujus autem et aliorum, qui magnis afflictionibus horum Patrum opera fuerant liberati, praeconia nomen Societatis inter multos optimo cum odore propagabant, quo illi excitati ad nostros confessionis gratia accedebant.

453. In scholis idem ordo, qui prius, servabatur, et scholastici egregie in spiritu et litteris proficiebant; sed hi numero pauci erant et paulo amplius quam quinquaginta numerabantur; sed pestis calamitate cessante <sup>2</sup>, augendus numerus sperabatur.

<sup>1</sup> Quae a n. 449 hucusque narrata sunt, continentur in Mag. Hemerii seu Emerii (de Bonis?) litteris, quas habes in *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 406-408.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 157, n. 449.

454. Ex his, qui hoc anno primae classis praeceptori operam dederant, quinque vel sex publicas lectiones universitatis audire coeperunt, et alii juri civili, et alii philosophiae operam dabant; sed qui philosophiae studebant, quotidie ad Collegium, ut lectionem rhetorices audirent, vel humaniorum litterarum, veniebant. Immo cum non tenerentur, disputabant simul cum aliis et compositiones corrigendas praeceptori trahebant. Afficiebantur autem omnes admiratione, ac praecipue scholasticorum quorundam parentes, qui brevi temporis spatium tantum filios in litteris profecisse viderent, et ita aliqui liberos, qui logicae dabant operam, ad scholas Collegii, ut in humanioribus litteris solidiorem eruditionem acciperent, [mittebant].

455. Excitabantur autem plurimum scholastici crebris orationibus, quas singulis diebus dominicis aliquis ex rhetoricis habebat, qua absoluta, reliquos ad disputandum provocabant. Has autem disputationes perutiles esse ad scholasticorum profectum experientia docuit. In aliis etiam classibus non exiguus profectus cernebatur, et ita ex classe secunda aliqui optimae spei adolescentes ad primam transmissi sunt.

456. Tempore jubilaei utriusque, scilicet, mense Januario et Augusto a Julio III et Paulo IV concessi, tres confessarii ex nostris, qui Patavii confessionibus vacabant, poenitentibus satisfacere non poterant; et propter bonum Societatis odorem veteres confessarios aliqui relinquebant et ad nostros veniebant. Et quamvis satis remotum sit Collegium a frequentia urbis, multo plures quam soliti erant, etiam ad Sacra audienda, conveniebant.

457. Inter pia opera non pauca, quae per Rectorem hujus Collegii Dominus confecit, illud fuit, quod pauper quaedam mulier, vidua et filiis onerata, in eas angustias propter egestatem redacta erat, ut quaedam ejus filia, jam nubilis, ipsam vellet deserere et viro cuidam adhaerere, [qui] eam secum adducere volebat et largis pollicitationibus seducere puellam tentabat; sed cum ad hunc Patrem esset reducta, egestatem aequo animo ferre et a Dei servitio et honestate non recedere decrevit.

458. Rogatus est idem ut in quodam monasterio monialium, quod S.<sup>4</sup> Matthiae dicitur, concionari vellet, et id coepit diebus festis facere, et cum id coepisset, etiam ut aliquo ex fe-

riatis diebus eas verbo Dei consolaretur rogarunt; et cum eis acquievisset, alterius etiam monasterii praefectus ut tantumdem ibi faceret obtinuit. Itaque quater singulis hebdomadis concionari eum oportebat; et placuit Deo sic ejus uti opera, ut omnes illae religiosae proprio se privaverint etiam rebus exigui momenti, et in commune, paupertate observata, vivere ac mori decreverint.

459. Ipse autem Rector, cum et valetudinarius esset valde, et studiis ea ipsa de causa operam dare non potuisset, non parum admirabatur quod hi, qui confitebantur ipsi, vel consilio et exhortatione juvabantur, sic proficerent; nam accidit, aliquot ejus verbis auditis, maritum et uxorem, qui novem annis separati fuerant, ad mutuam cohabitationem et concordiam redire; aliquas etiam mulieres turpi vitae deditas resipiscere; quae ipse prorsus ad Deum referebat, qui inutiles admodum instrumento adhibito, sua esse opera hujusmodi vellet ostendere; sed tamen hoc curare scribit ut prius ipse faceret id, ad quod alios hortabatur.

460. Nostri Patavii primis mensibus hujus anni undecim fuerunt, qui magna cum quiete vivebant. Tres eorum Sacerdotes erant; sed posterioribus mensibus anni auctus est sacerdotum numerus, et quatuor jam erant, et totidem alii fratres.

461. Aliquando extra Collegium accersebatur ad confessiones audiendas, et accidit ut ad unam nobilem matronam, quae non poterat ad nostram ecclesiam venire, quod procul admodum abesset et male valeret, [cum accessisset], non prius ab ecclesia, ubi eam audierat, recederet, quam quatuordecim audiret. Magister Emerius <sup>1</sup> et nostros domesticos, et scholasticos etiam, non parum hoc anno in Domino adjuvit.

462. Rogatus <sup>2</sup> a capellano cujusdam monasterii monialium, qui nostris erat familiaris, ut omnes sui monasterii moniales semel sacramento confessionis consolaretur, id cum singulari earum fructu fecit, et aliquas generales confessiones earum au-

---

<sup>1</sup> Supra, pag. 158, n. 451, annot. 1, huc Emerio, vel Hemerio, subdubitantes adscripsimus cognomen *de Bonis*. Is enim esse videtur qui anno 1561 Roma in Calabriam missus (Vide SOMMERVOGEL, *Les Jésuites de Rome et de Vienne, en MDLXI*), "rem praeclare gessit Lauelli", SACCHINI, *Hist. Soc. Jes.*, pars II, lib. V, n. 78.

<sup>2</sup> Sermo hic et in toto hoc numero est non de Magistro Emerio, sed de Rectore, Joanne Baptista Tavono.

divit, et prorsus Dei fuisse inspirationem iudicavit ut ad eas audiendas vocaretur. Inter confessiones multorum primae notae hominum, qui alii quam ipsi confiteri nolebant, male admodum aliquando valebat; sed ne fructus ille periret, valetudini suae non parcebat. Accidit autem ut confessionem alicujus audiret, qui triginta annis nunquam communicaverat nec vere confessus fuerat, et tamen aliis eadem reductionis causa futura<sup>1</sup> erat, qui in eodem errore versabantur.

463. Ipso die Pentecostes magister Emerius in ecclesia nostra, quae fere plena erat, de christiana doctrina sermonem habere coepit, et cum summa attentione sequentibus diebus festis, et, augescente in dies numero, donec omnino plena esset ecclesia, has lectiones vel conciones est prosecutus. Et ex hac parte fructus etiam augendus in posterum videbatur.

464. Mense Junio propter pestem, quae jam pullulare coeperat, scholae nostrae clausae fuerunt, nam edicto publico omnes scholae fuerunt prohibitae. Sed ante hoc tempus imminutus satis erat numerus; nam initio anni septuaginta quatuor erant scholastici, deinde ad sexaginta descenderant; cujus imminutionis causa erat, non quidem praeceptorum defectus, nam officio suo illi bene fungebantur, sed quod locus esset valde remotus et scholastici maxima ex parte pauperes, qui, postquam mediocrem fecissent progressum, vel ad mercaturam exercendam, vel ad officium notariorum, vel ad lectiones publicas audiendas se conferebant. Illud etiam accedebat quod quidam ludimagistri, qui Patavii non pauci erant, totis suis viribus nitebantur a schola nostra discipulos abducere, et ita parentibus eorum persuadebant ut vel ad publicas lectiones mitterent vel ipsismet erudiendos traderent. Qui autem in scholis perseverabant, et in litteris et in moribus bene admodum proficiebant.

465. Pars quaedam Collegii, quae ruinam minabatur, quod pluviis esset exposita, cura Rectoris sarta et tecta est; et duo quaedam cubicula addita, ut cum externis inferius loqui possent; prius enim mediam domum penetrabant. Majorem partem fenestrarum, quae viam respiciebant, ad majorem securitatem

---

<sup>1</sup> Sic; sed aut superius *qui et confessus* mutanda in *quae et confessa*, aut dicendum hic *idem reductionis causa futurus erat*. In Ms. vox *confessus* emendata est, at non satis apparet quid tandem emergere debeat, *confessus* an vero *confessa*.



collegialium et aliorum aedificationem clausa est. Suggestum etiam et alia quaedam confecit expensis D. Prioris <sup>1</sup>. Sub finem autem Octobris, quod in primis conveniebat, externus quidam, cui hortus Collegii locatus erat, bona cum venia ejusdem domini Prioris dimissus est, et horti porta, quae ad viam publicam ferebat, fuit oclusa; et ita in formam domus religiosae Collegium illud magis redactum est.

466. Ipso die veneris sancti, ventus ingens magnam lanae quantitatem, quae in edito quodam loco posita erat ut assiccaretur, et pannos etiam procul ultra mille passus detulit, et lana ipsa in modum pluviae in minutissimas partes incisa descendebat; tecta etiam domorum evertit <sup>2</sup> et arbores a radicibus convulsit.

467. Julio mense P. Natalis Patavium venit, et ibidem octo vel decem dies est commoratus, et suo, Visitatoris scilicet, vel Commissarii officio <sup>3</sup> functus, multas exhortationes hoc tempore apud ipsos habuit; et ea, quae ad Institutum Societatis pertinent, declaravit. Nec enim ad hoc usque tempus constitutiones acceperant. Et cum alia multa utiliter constituisset, alio concessit.

468. Tam Patavii, quam Venetiis declarabat ea potissimum, quae in examine et constitutionibus ad praxim pertinent, ac nominatim quae ad obedientiam et orationem spectant. Tempus autem orationis sic ad unam horam reduxit, ut mane mediam horam; ante prandium quartam horae partem; et antequam cubitum irent, aliam quartam partem post examen orationi tribuerent. Haec enim erat Patris Ignatii mens ut a scholasticis, praeter examina duo, tantum media hora mane orationi daretur, praeter id tempus, quod audiendae missae tribuebatur. Docerebat etiam quem fructum ex frequentia sacramentorum reportare deberent. Et postquam singulos esset seorsum alloquutus et intellexisset quaecumque ipsi conferre cum ipso volebant, vel e contrario quae ipse ab eis percontari statuerat, studia ordinabat; renovationem votorum et eorundem emissionem, si quis prius statuto tempore a constitutionibus non emisisset, secundum illas praescribebat.

<sup>1</sup> Andæae Lipomani, Prioris Sanctissimae Trinitatis.

<sup>2</sup> Ventus

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 30, n. 53

469. Videbat autem regulas, quibus utebantur, et emendabat, quae ipsi videbantur; relinquebat autem eis generales regulas et quasdam in usum scholasticorum ex 4.<sup>a</sup> parte <sup>1</sup>eductas; officium magistri novitiorum et quae ad ipsosmet novitios pertinebant; regulas praeterea Rectoris, censoris mensae, syndici, emptoris, et ejus, qui penum curat et refectorio servit, coqui et janitoris. Videbat etiam omnes libros, et haereticos, si qui essent, comburebat. Quosdam alios, ut Erasmi et Vives, separabat <sup>2</sup>. In reliquis, prout in Domino ipsi videbatur, se gerebat; et, quae ad collegiorum foundationem juvare poterant, suggererat, et quae ad distributionem patrimonii juxta constitutiones pertinebant.

470. Cum autem collegialis quidam externus, ex concessione D. Prioris, cum nostris pranderet, et in vicina domo dormiret, opportune curavit ut non admitteretur ad Collegium bona cum venia Prioris, sed Venetias iret; nam parum abfuit quin ille in causa esset tempore pestis, quae tum vigebat, [ut] domus nostra et ecclesiae porta clauderetur, prout in aliis quibusdam monasteriis clausa fuerat; nam in morbum scholasticus ille incidit; sed cum persuasum ei esset ut iret Venetias, hoc periculum cessavit, et multis Collegium nostrum solatio et auxilio esse potuit. Constituit autem, tam Venetiis, quam Patavii, ne nostri ad eorum confessiones audiendas irent, qui peste laborarent, propter jam dictum periculum ne portas nostras occluderent; et tamen ad ecclesiam nostram aliqui confessionis gratia veniebant, quorum postea domus claudebantur <sup>3</sup>.

471. Cum prohibitaе fuerunt scholae, missus fuit magister Emerius Venetias, ut loco magistri Arnoldi <sup>4</sup>, in peregrinatio-

<sup>1</sup> Constitutionum Societatis.

<sup>2</sup> Vide supra, t. III, pag. 165, n. 334, et t. IV, pag. 204, n. 45; quibus addere lubet sequentia: "QUAE VISA SUNT OBSERVANDA CIRCA USUM LIBRORUM PROHIBITORUM ET ALIORUM QUORUMDAM... Cum autem constet quo loco habita sint a patre nostro Ignatio, sanctae memoriae, scripta Erasmi et Ludovici Vives (licet fortasse nondum eo tempore prohibita essent) propterea nec nobis videntur alio loco in societate nostra esse habenda, quamvis alloqui illis uti liceret. Atque ita ab illis nostri abstinebunt, nisi siquibus interdum eorum usus ad maiorem gloriam Dei videretur esse necessarius, idque praepositorum provincialium iudicio atque permissu, quem in finem ibi separati aliquo in loco servari poterunt." *Livro das Obediencias dos Geraes*, qui olim Collegii Contimbricensis fuit, et nunc editur in lusitana ephemeride *O Instituto*, vol. XLIII, n. IX, pag. 671.

<sup>3</sup> De hac peste ita MAUROCENT, *Historiarum venetarum*, lib. VII, an. MDLIV, in fine: "Pestifera vero lues per Histriam grassata, Justinopolim invasit, funeribusque pene consumpsit."

<sup>4</sup> M. Arnoldi Conchi. Vide infra, n. 490.

nem missi, scholae praeesset. Misit praeterea P. Aloysium <sup>1</sup> cum duobus aliis fratribus; et ita eo tempore, quo pestis saeviebat, tantum ipsemet Rector cum alio sacerdote et tribus vel quatuor fratribus Patavii mansit.

472. Haec autem pestis corporum non paucis causa fuit ut a peste animarum sanarentur; accidit enim ut confessiones 30 vel 40 annorum audirentur, et cum lacrymis auxilium orationum aliquando a nostris petebatur, ut a peccatis recedere, Deo adjuvante, possent. Mense autem Novembri, cum jam pestis cessasset, et nostri, qui Venetias iverant, revocati et scholae apertae sunt, ad quas, ultra quadraginta et deinde quinquaginta, pauci admodum, ut diximus, veniebant.

Et haec de Patavino Collegio.

473. Nam de Bassanensi loco non est quod multa dicantur, qui in eodem statu fuit, quo anno praecedenti diximus. Eo se contulerat P. Simon Rodriguez, cum Venetiis male haberet, et ibidem valetudinem corporis bona ex parte refecit, et P. Gaspar Gropillus charitatem ei impendebat. Eo etiam venit 20.<sup>a</sup> Julii P. Natalis, jussu Patris Ignatii, non solum ut locum illum dispiceret, sed etiam ut cum P. Simone loqueretur. Et satis intellectum est quod temporalis commoditas ad Collegium instituendum tunc non erat; quamvis tres aut quatuor in ipso heremitorio aliquo modo, id est, parum civili sustentari poterant.

474. Quod ad P. Simonem attinet, memorem invenit illum sententiae trium illorum, qui a P. Ignatio designati fuerant <sup>2</sup>; sed id effecit, ut ad P. Ignatium scriberet, promptum animum suum ad obediendum offerendo, et plenariam indulgentiam cum remissione culpae et poenae ab eo postulando. Et redegit in memoriam suis litteris P. Ignatio, quod circa idem tempus scilicet mensis Septembris, octodecim annos antea, P. Ignatius

<sup>1</sup> P. Aloysium Napi. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 661.

<sup>2</sup> Vide supra, t. IV, pag. 7, n. 6.

Bassani eumdem morti proximum invisisset <sup>1</sup>; et, ut tunc dedit illi Dominus vitam corporis, postulat ut orationibus ejusdem Patris Ignatii vitam etiam animae impetret. Sub finem anni idem Patavium venit.

## DE COLLEGIO VENETO

475. P. Caesar Helmus Collegio Veneto praeerat et Patavino etiam superintendebat, et quamvis locorum qualitas, juxta sententiam Patris Natalis, Visitoris, alios Rectores exposceret, habita tamen ratione subsidii temporalis, quod a D. Priore nostris subministrabatur, hi potius quam alii convenire videbantur. Quamvis enim optima esset Prioris erga nostros voluntas et animi propensio, vires aliquando exiguae admodum erant, nam accidit aliquando ut nostris in coenam melonem tantum cum sex panibus mitteret, et necesse fuit ut Patri Caesari concederet idem P. Natalis ut secretas aliquas eleemosynas accipere posset, et aliquid domi ad hujusmodi penuriam sublevandam esculentum haberent <sup>2</sup>. Putabat autem, si fieri posset, idem P. Natalis ut certi aliquid constitueretur ab ipso Priore tam Patavino quam Veneto Collegio; sed id impetrare non facile erat.

476. Domus etiam incommodis magnis erat exposita, nam ex domo D. Prioris ad Collegium aditus patebat, et cuilibet externo ingredi in Collegium facile fuisset. Immo accidit etiam ut mulieres ad hortum Collegii Veneti, ad pannos lineos extendendos et assiccandos, venirent; et ita cum P. Natalis haec toleranda esse non censuisset, bona cum venia Prioris et portas occludi jussit, per quas ex domo ipsius aditus in Collegium patebat, et duos saeculares, qui intra Collegium habitabant, inde egredi jussit; quamvis, post recessum Patris Natalis, portam, quae ad hortum ducebat, claudi D. Prior vetuit.

<sup>1</sup> Vide supra, t. I, pag. 60.

<sup>2</sup> Facultas haec facta jam fuerat ab Ignatio Collegiorum Patavini et Veneti Rectoribus, ut videre est supra, t. IV, pag. 121, n. 238, et pag. 126, n. 147, annot. 1.

477. Haec ergo causa fuit cur nec alios Rectores, nec selectiores operarios in tam insignibus urbibus Societas eo tempore habuerit; nullus enim erat theologus nec concionator, quamvis illi, qui Venetiis agebant, sicuti et qui Patavii, multa Deo grata et proximis utilia pietatis opera exercerent.

478. Nam in primis quod ad ministerium attinet sacramentorum, non pauci singulis hebdomadis sacramenta frequentabant, inter quos erant honestissimae quaedam ac nobilissimae matronae, quae suae devotionis exemplo alios utriusque sexus ad sui imitationem, tam in confessione et communione, quam in devota oratione invitabant et ad vitae melioris institutionem. Eaedem autem, prout a confessariis suggerebatur, pauperes suis facultatibus sublevabant, et ad aliquos, propter debita in carceribus detentos, liberandos pecuniam contribuebant. Aliqui etiam, qui non frequenter confitebantur, a pelago peccatorum, quo submersi fuerant, per confessiones generales emergebant. Hic septem, ille quindecim et pluribus etiam annis, sine confessionis medicina in suis peccatis insordescens, ad poenitentiam et vitae mutationem a Dei misericordia trahebatur. Sed haec et hujusmodi, quia similia sunt aliis saepius dictis, [praetermittens], hoc tantum dicam, quod spirituales fructum non poenitendum in horrea Domini nostri referebant; et ex lacrymis peccatorum resipiscentium et ad Deum redeuntium, non modicam consolationem nostri recipiebant; sicut frequentantium sacramenta fervor, gemitus et lacrymae eosdem suae negligentiae meminisse compellebant.

479. His tamen temporibus, quibus vel celebriora festa, vel aliquae indulgentiae homines invitabant, confessarios nostros oportebat in vesperam refectionem corporis relinquere, et ne sic quidem satisfacere advenientibus poterant. Consequabantur restitutiones, eleemosynae et alia pietatis opera; et aliqui tam erant obedientes patribus spiritualibus, ut multis religiosis in hac parte non cederent. Paces fiebant inter multos et ab offensis Dei plurimi revocabantur.

480. Hebraeus quidam in Collegio institutus est (donec baptizaretur) in doctrina et vita christiana, et maxime in utroque profecit.

481. P. Caesar, pro suo more, festis diebus evangelium populo satis frequenti explicabat.

482. Schola frequens non erat: vix ad quinquaginta vel sexaginta scholasticorum numerus ascendebat. Sed illi in pietate ac moribus egregie proficiebant, et tam obedientes erant majores natu, ut si quem verbo aut facto offendissent, ad veniam ab eo petendam, genibus flexis, etiam ad pedes osculandos, si opus esset, parati erant. In litteris etiam bene proficiebant; et cum aestatis tempore in more habeant Veneti ad villas continentis, animi causa, egredi, ubi facile erat oblivisci quae prius in scholis didicissent, pauci ex nostri Collegii scholasticis ad hujusmodi villas recedebant; vel tantum uno aut altero die, cito redituri, id sibi ipsis indulgebant. Ipso die S.<sup>ci</sup> Marci tam bene ac modeste duas orationes in ecclesia nostra pronunciarunt, ut spectatoribus essent admirationi.

483. Juvenis quidam, qui graece legere ac loqui noverat, in Societatem admissus est. Alii duo vel tres magno desiderio ingrediendi nostros pulsabant, quamvis id eis non concederetur.

484. Octo vel novem ex nostris erant, praeter hospites Patavinos, de quibus superius mentio facta est <sup>1</sup>; et tamen domus nondum stabilita erat, nec ipsa ecclesia. Immo duo Societatis amici, scilicet, D. Dominicus Loredanus ac D. Annibal Grisonius <sup>2</sup>, Patri Caesari significarunt quod diligenter curaverant D. Priorem inducere ad donationem ecclesiae ac domus in usum Collegii faciendam; nec tamen id impetrare potuerant. Addebat et Grisonius, si aliquis ex primariis Societatis Patribus, cujusmodi erat P. Laynez aut P. Salmeron, vel ei similes Venetias venissent, facile fore ut aliquis alius moveretur ad locum aliquem idoneum in ipsa frequentia urbis in usum Collegii donandum: quem enim nostri tenebant, valde remotum esse et incommodum ad hujusmodi frequentiam censebant.

485. Redierat Venetias D. Michaël Surianus, qui apud Regem Romanorum suae Reipublicae Legatus fuerat, et cum ille Viennae nostris significasset se Venetiis facturum in executione testamenti sui ac nostri fratris, Angeli Suriani, quod ratio postulabat <sup>3</sup>, invisit eum P. Caesar, et redegit ei in memoriam

<sup>1</sup> Patavinos hospites hic vocat Polancus eos, qui dum Patavii pestis saeviebat., ideoque scholae clausae erant, Venetias se contulerunt. Vide supra, pag. 163, n. 471.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 126, n. 250.

<sup>3</sup> Vide supra, t. iii, pag. 264, n. 538, et t. iv, pag. 263, annot. 2.

quod Viennae promiserat <sup>1</sup>. Sed ille respondit discutiendas sibi esse difficultates rei domesticae, antequam id fieret, nec id temporis sibi vacare, quod Respublica ei nescio quod officium promississet <sup>2</sup>. Colligebat itaque P. Caesar quod, si alia ratio illius legati exequendi non iniretur, quam amanter hoc ipsi suggerere, nunquam testatoris voluntas esset implenda.

486. Sed cum idem P. Caesar D. Aloysium de Garzonis ea de re alloquutus fuisset, qui necessitudine et affinitate quadam conjunctus erat huic familiae Surianorum, obtulit ille suam operam ut quiete ac pacifice ad executionem testamenti illos induceret. Tandem D. Michaël Surianus respondit, se non obligari, ut ipse quidem putabat, ut illi legato satisfaceret propter testamentum patris, qui rogat filios et praecipit eis ut qui clericus fuerit et aliunde reditus habuerit, aliis fratribus relinquat paterna bona: 200 tamen vel 300 aureos se daturum significabat ad pias causas; et ita res indecisa relicta est. Et quia non erat clericus nec reditus habebat Angelus Surianus <sup>3</sup>, non videbatur eo testamento ligari Patri Natali; quod et clausula testamenti ibi missa satis indicat.

487. Cum autem P. Ignatius eidem D. Michaëli scripsisset se vix posse suae conscientiae satisfacere, si non peteret executionem testamenti fratris ipsorum et nostri, Angeli, si sponte sua illud non exequeretur, etiam in iudicio <sup>4</sup>, commotus est non parum D. Michaël, et quidem acerbius locutus est coram fratribus suis, ac nihil se velle dissolvere de legato affirmavit; sed postridie Rectorem adiens, se ipsum accusabat quod acerbius esset locutus, et P. Ignatio litteris respondit humaniter. Si autem res tota libere ipsis relinquebatur, et eorum conscientiae committebatur, satis apparebat nihil eos esse datuos. Et consulti duo advocati a nostris, significarunt quod prorsus non te-

<sup>1</sup> Saepius jam duobus praecedentibus annis scripserat ad nostros Viennenses, Rectorem praesertim, Patrem Nicolaum de Lanoy, *ex com.*, Polancus, rogans ut negotium hoc fratris Angeli Suriani conficiendum curarent. Vide supra, t. iv, pag. 268, n. 576, annot. 2.

<sup>2</sup> Hoc anno a Republica Veneta missus est Surianus legatus ad Regem Philippum, "per congratularsi seco delle sue assumptioni e per fermarglisi in Corte.", VERDIZZOTTI, *De' fatti Veneti*, lib. xvii.

<sup>3</sup> Hic erat Michaelis frater, qui Societatem ingressus oblerat. Vide supra, t. ii, pag. 474, n. 138.

<sup>4</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 333 et 410; sed cf. supra in hoc POLANCI *Chronico*, t. ii, pag. 210, annot. 1.

nerentur juxta leges Venetas; immo ne legitimae quidem tribulianicae <sup>1</sup> locum esse, et tantum de dote materna agi posse.

488. Plures foeminarum confessiones nostri audivissent, nisi prohibitum fuisset ab Inquisitoribus et auctoritate etiam Legati apostolici <sup>2</sup>, ne illi audirent confessiones foeminarum, qui trigesimum sextum annum non excederent. Ipsi quidem Patri Caesari data fuit facultas ab ipso Legato, Inquisitoribus consentientibus, ut quasdam nobiles matronas ex familia Cornariorum, quae solitae erant ipsi confiteri, audiret; nam ipsaemet magno studio id impetrare conatae fuerant: et cum nostra privilegia obtenderet P. Caesar, Auditor Legati respondit nulla privilegia religiosorum in hoc casu admitti <sup>3</sup>.

489. Mense Aprili P. Simon cum socio ipsi assignato <sup>4</sup> Venetiis Bassanum se contulit; et forte eum movit quod de peste non exiguus rumor erat, immo ipse suis litteris id significat.

490. Nostrorum numerus, qui Venetiis erant, imminutus est; nam magistrum Arnoldum Conchum <sup>5</sup>, cum saepius se Superiori inobedientem et irreverentem exhibuisset, visum est P. Natali post aliquas poenitentias, quas ipse subiit, in peregrinationem sic mittere, ut non amplius Venetias rediret, sed Romam progrediretur. Ejus autem loco ipsemet Rector aliquandiu [scholae] praeesse debuit, donec Patavio magister Emerius adveniens, eum sublevavit <sup>6</sup>. Quidam etiam Petrus <sup>7</sup> dimissus est, qui manifestavit constituisse se duos tantum annos in Societate manere, donec aliquid didicisset.

491. Venerat autem P. Natalis Venetias quarta die Julii, cum magistro Lamberto Auer et P. Ambrosio, germano, quem

<sup>1</sup> Sic; est autem quarta haereditatis pars certis conditionibus a jure statutis detracta, quae olim *Pegasiana*, nunc *Trebellianica* dicitur.

<sup>2</sup> Legatus Apostolicus Venetiis ad finem usque Octobris hujus anni 1555, fuit Joannes de la Casa. MAUROCENT, *Historiarum venetarum*, lib. vii. an. MDLV.—“Non molto dopo (diem 28 Octobris 1555) il S. P. chiamò a Palazzo per suoi Segretarii straordinarii il Casa, il Guarenghi, il Bini, ed il Fiorabelli, uomini dei più eloquenti di quel tempo.” NOVAES, *Elementi di storia dei Sommi Pontefici*, t. vii, Paolo IV, n. iv.

<sup>3</sup> Meminisse oportet, quo haec recte intelligantur, quatenus turbae Venetis proxime elapsis annis excitatae fuerint occasione Barnabitarum Mediolanensium. Vide supra, t. ii, pag. 208, n. 91 et pag. 429, n. 25.

<sup>4</sup> Vide supra, t. iv, pag. 8, annot. 6.

<sup>5</sup> Ms. habet *magister Arnoldus Conchus*.

<sup>6</sup> Vide supra, pag. 163, n. 471.

<sup>7</sup> Estne hic ille Petrus neapolitanus, de quo supra, t. iv, pag. 125, annot. 2?



scriptorem adungere Patri Laynez cogitabat <sup>1</sup>. Missus est etiam Venetiis, versus Siciliam, Bonifacius, sculus, medicorum consilio; sed et P. Sanctus, bononiensis, ut satisfaceret Domino Priori, in villam Astiani <sup>2</sup> missus est, cum fratre nostro Petro Atriensi <sup>3</sup>, ut puerorum in christiana doctrina instituendorum curam haberet, et alia charitatis opera, cum illis exerceret, qui eo, ex villis vicinis, convenire solent. Sed et litteras in schola eos docturus erat Petrus Atriensis.

492. Cum sub ingressum Octobris Bassano, propter nives decedentes, rediisset Venetias P. Simon <sup>4</sup>, qui frigoris incommodum ibi sentiebat, inde etiam Patavium, ut commodius valetudini consuleret, approbante id suo judicio Domino Priore, venit; ubi ad expensas ejus Roma P. Ignatius pecuniam mittendam censuit, ne pauperum collegiorum incommoda sentiret. Sed ursit etiam pestis in hac postrema parte anni, nec enim extincta erat Venetiis, et complures adhuc domus claudiebantur et ipsum adhuc hospitale S.<sup>ti</sup> Joannis et Pauli; et praeter eos, qui peste laborabant, decem et octo millia aegrotantium eo tempore Venetiis esse ferebantur.

493. Cum occasione decreti parisiensis scriptum esset ad nostros venetos ut testimonium Legati <sup>5</sup> et Reipublicae postularent, ut ab aliis Principibus ac Praelatis postulatum erat, re collata cum Domino Priore, judicavit ille et quidem prudenter Venetiis non esse testimonium hujusmodi requirendum, non quod de nostris non optime sentirent plurimi, sed quia in tanta multitudine illius senatus, alii aliter fortassis sentire poterant, nec ad eorum cognitionem decretum ipsi <sup>6</sup> parisiense deferendum videbatur.

494. Quam bene autem de institutione juventutis (utl omit-tam spiritualia munia, in quibus latius nostrorum opera patebat) etiam religiosi sentirent, ex concione cujusdam religiosi

<sup>1</sup> Hos secum adducebat ex Germania in Italiam rediens P. Natalis. Ambrosii cognomen nobis ignotum est; ejus tamen dotes et animi et corporis, quibus optimus videbatur futurus Patris Laynez amanuensis, describit ipse Natalis litteris ad Ignatium datis Venetiis 6 Julii 1555.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 129, n. 256, ubi scripsit Polancus *Hastiani*.

<sup>3</sup> Vide ibidem, pag. 125, annot. 2.

<sup>4</sup> P. Simon Rodriguez. Vide supra, t. iv, pag. 134, n. 268, annot. 2.

<sup>5</sup> Apostolici. Vide supra, n. 488.

<sup>6</sup> Ms. habet *ipse* pro *ipsi* (*Domino Priori*) aut forte *ipsum* (*decretum*).

Sancti Francisci colligi potest, qui cum in ecclesia, quam Vineae vocant <sup>1</sup>, mentionem faceret de quodam hebraeo ibi baptizando, populo dixit non esse dubitandum quod bene dispositus is esset, quandoquidem in Collegio nostrae Societatis erat institutus <sup>2</sup>; quam, hac occasione sumpta, non mediocriter coepit laudare.

495. Crescebat autem aliquantulum in schola nostra horum scholasticorum numerus sub anni finem, ut sexaginta vel eo amplius essent; et cum nostri munus docendi legere ac scribere non susciperent, D. tamen Prior aliquot sibi commendatos pueros doceri etiam haec elementa cupiebat. Aliqui etiam alii, ut bonos mores discerent, mittebantur ut ab aliis pueris non a nostris docerentur, quamvis nostri eos admonerent quod tempus inutiliter, quod ad litteras attinet, tererent; et ita esse res ipsa docebat in quibusdam eorum, immo et oblivisci quodammodo videbantur eorum, quae didicerant, cum a nostris non exercebantur.

496. Sub finem hujus anni quidam frater Antonius, Ordinis Sancti Bernardi, qui Hierosolymas cum P. Simone Roma profectus erat, et, subsistente eodem Patre Simone Venetiis, nihilominus ille peregrinatione sua perfunctus erat, Venetias rediit; ac retulit cum quibusdam se primariis viris egisse ut Societas nostra in Cypro et in Terra Sancta admitteretur, et ad id litteras Vicarii Generalis Cypri ac Prolegati adferebat, quibus locum quemdam a Summo Pontifice in hunc usum postulabat; sed res immatura etiam tunc visa est <sup>3</sup>.

497. Cum de numero, quem vellet D. Prior Venetiis ac Patavii sustentare, P. Ignatius eundem consuli jussisset <sup>4</sup>, cupiens ut aliquid certi eis assignaret, quos alendos suscepisset, omnia ille arbitrio P. Ignatii referebat; sed postea declaravit octo Venetiis teneri posse; nec tacenda interim est charitas ejusdem, qui cum intellexisset nostros Romae septem millia ducatorum fere aeris alieni contraxisse <sup>5</sup>, suggessit posse quosdam agros aut campos prioratus Patavini, qui disjuncti erant ab aliis, et

<sup>1</sup> Sancti Francisci *della Vigna*.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 166, n. 490.

<sup>3</sup> Vide supra, t. iv, pag. 131, n. 262.

<sup>4</sup> Vide supra, t. iv, pag. 116, n. 223, et in hoc t. v, pag. 166, n. 475.

<sup>5</sup> Vide supra, pag. 29, n. 50.

difficile exigi poterant et cum magno incommodo, et tamen vendi poterant his, qui agros vicinos habebant, hos, inquam, agros vendi et pecuniam Romam mitti posse suggessit. Quia tamen ad Collegium Patavinum vel quodvis aliud pertinentia alienari juxta constitutiones nostras non poterant, charitas tantum ab ipso Priore admissa est; cum praesertim consensus a Senatu esset impetrandus, quod ipsum non facile erat.

Et haec de Collegio Veneto et de tota Provincia Italiae citra Romam.

---

## DE COLLEGIO NEAPOLITANO

498. Praeerat Collegio Neapolitano P. Alphonsus Salmeron initio hujus anni et sub eo P. Christophorus de Mendoza. Acce-  
debant autem alii atque alii subinde, qui ad Societatis Institutum  
animum adjiciebant. Et ipso anni initio missi fuerunt Romam, ut  
in Societatem ibi admitterentur, Joannes Dominicus Fasciar-  
dus et <sup>1</sup> Julius Facius <sup>2</sup>. Deinde aliorum desideria fere singulis  
hebdomadis significabantur, quamvis non omnes admitterentur.

499. Agebat autem Episcopus Veronensis Lipomanus <sup>3</sup> de  
P. Salmerone secum in sua Legatione adducendo <sup>4</sup>, cum ad-  
huc Julius III viveret <sup>5</sup>. Judicabat nihilominus idem P. Salme-  
ron impedimentum id maximum fore foundationi illius Collegii,  
quod adhuc in flore vel potius in herba erat; cum promissiones  
multorum ab ejus praesentia penderent, et ne domus quidem  
ipsa suo tempore solvi posse videbatur, si ipse in Germaniam <sup>6</sup>  
et Poloniam cum Episcopo Veronensi recessisset. Salernita-  
num etiam Collegium, de quo agebatur <sup>7</sup>, manifeste etiam, eo

---

<sup>1</sup> *Fajardo, Faxardo?* Hujus non meminit inter admissos hoc anno SCHINOSI.

<sup>2</sup> Notus is est ille, qui Societatis historiam norunt. Ejus vitae compendiarium narra-  
tionem texit P. PATRIGNANI, *Menologio*, t. 1, pag. 57.

<sup>3</sup> Aloysius Lipomanus, Andreae, Trinitatis Prioris, frater.

<sup>4</sup> Vide supra, pag. 8, n. 8.

<sup>5</sup> Hoc si verum est, tunc verum etiam erit actum jam fuisse tempore Julii III de  
Aloysio Lipomano in Poloniam mittendo.

<sup>6</sup> De Aloysio Lipomano in Germaniam *cum officio Legati* mittendo agi coeptum  
est Pauli IV tempore cum Zacharias Delfinus nuntius petit e Germania Roman  
avocari. "Il Nunzio Delfino, udita l' elezione di Paolo IV, chiese d' haver successore;  
come si fa per usar modestia e per sottrarsi al rischio di manco onorevole rimovimen-  
to, non per desiderio dell' impetrazione, e gli fu risposto che venisse in Roma per infor-  
mare il Pontefice di quelle faccende, e frattanto raccomandasse i negozii a Luigi Lip-  
pomani, Vescovo di Verona, il quale di là passerebbe essendo inviato dal Pontefice per  
Nunzio in Pollonia.", SFORZA PALLAVICINO, *Istoria del Concilio di Trento*, lib. XIII, cap.  
13, n. 2.

<sup>7</sup> Vide supra, t. IV, pag. 185, n. 394, et in hoc t. V, pag. 11, n. 11.

recedente, refrigescerebat. Effectum est itaque ut saltem per aliquot menses, nec in hoc Pontificatu aut Marcelli, loco moveretur, quamvis sub Paulo IV, ut dicemus <sup>1</sup>, inde recesserit.

500. Concionatus est ipso die Epiphaniae in templo nostro perpulchre, et consecuta est magna communicantium multitudo; et jubilaeum pro reductione Angliae usque ad duas horas noctis nostros confessarios detinebat.

501. Christianae doctrinae exercitatio in dies crescebat, et praeter priorem <sup>2</sup>, altero jam in loco tradebatur; et cum scholastici ad 200 ascenderent, non parum occupationis nostris praebebant. Societates illae tam virorum, quam mulierum, de quibus anno praeterito facta est mentio <sup>3</sup>, crescebant cum egregio progressu, ac praecipue congregatio foeminarum, in quam cum nulla admitteretur, quae non valediceret vanitati cultus ac praesertim abusui depingendi vultum albo et rubro colore, hac ratione et exemplo, non minus forte quam concionibus effici posse ad mulierum reformationem videbatur.

502. Marchionissa Vasti <sup>4</sup> rogaverat P. Salmeronem ut in ipsius gratiam Quadragesima sequenti, in templo quodam ipsius domui vicino, concionaretur; et quamvis ex aliis ecclesiis ejus opera desiderabatur, propensus erat ad ei satisfaciendum P. Salmeron; nam magna nobilitas ad eundem locum videbatur accessura; sed cum propter adversam valetudinem Puteolos Marchionissa itura esset, in ecclesia parochiali S.<sup>ti</sup> Georgii, quae longe capacior erat et in frequentia urbis sita <sup>5</sup>, concionari decreverat.

503. Vicarius <sup>6</sup> nihilominus Archiepiscopi et Cardinalis Theatini <sup>7</sup> famam sparserat per urbem quod in Cathedrali ecclesia P. Salmeron esset concionaturus, et ita eidem Patri Sal-

<sup>1</sup> Infra, n. 508.

<sup>2</sup> Voce hac *priorem* (*locum*) intelligenda videtur ecclesia vel potius sacellum Neapolitani Collegii, in quo coepta est anno praecedenti exponi doctrina christiana. Cf. supra, t. iv, pag. 190, n. 409, et *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 57.

<sup>3</sup> Tom. iv, pag. 174, nn. 365-368.

<sup>4</sup> Elisabeth Gonzaga. Vide supra, t. iv, pag. 178, n. 374.

<sup>5</sup> Sermonem esse putamus de ecclesia quae dicebatur "Santo Giorgio ad forum; è una chiesa delle quattro Parrocchie grandi; è situata nella strada, per la quale si va dalla porta della città chiamata Nolana al Seggio de Nido, e stà a man sinistra.", *SERRANO, Descrittione dei luoghi sacri di Napoli*, fol. 17 v. — Vide etiam n. seq.

<sup>6</sup> Scipio Rebiba, Motulensis Episcopus.

<sup>7</sup> Joannis Petri Caraffa, qui hoc ipso anno in Summum Pontificatum assumptus est.

meroni significavit; quia tamen propensior erat ad concionandum in templo S.<sup>ti</sup> Georgii, Vicarius usus est auctoritate sua et interdixit ei ne in parochiali ecclesia illa praedicaret, ut in Cathedrali eodem officio fungeretur. Erat tunc Vicarius D. Scipio Rebiba, Episcopus Motulensis, postea [Urbis] Gubernator <sup>1</sup> et Cardinalis Pisanus factus <sup>2</sup>. Is scripsit Patri Ignatio se, temporis augustiis exclusum ne responsum ex Urbe posset expectare, interdixisse concionem illam Patri Salmeroni in parochia praedicta, ut in summo templo concionaretur, sperans Patrem Ignatium boni consulturum; nam admirationi fuisset populo si alium concionatorem non vocassent, si P. Salmeron hoc officio non fungeretur <sup>3</sup>.

504. Curavit etiam Pro-rex, Cardinalis Paciechus <sup>4</sup>, hoc ipsum illi injungere; et ita ipso die cinerum cum numeroso admodum auditorio Quadragesimae conciones inchoavit, sicut duobus praecedentibus annis in eadem civitate fecerat. Coepit autem Christi parabolas explicare, et tota Quadragesima hanc rationem est prosequutus, quae non parum consolationis auditoribus et simul eruditionis praestabat. Et adjuvit eum Dominus ut integra voce ac valetudine hunc laborem quadragesimalem prosequeretur, quem fructus etiam copiosus est consequutus.

505. Ante Quadragesimam accersitus fuit a Pro-rege, Cardinali, qui Episcopus erat Siguntinus <sup>5</sup>, qui ei significavit Societatis operam illa in civitate propter ignorantiam sacerdotum <sup>6</sup> valde esse necessariam, quodque Decanus illius ecclesiae Collegium nostrae Societatis ibidem vellet erigere, quodque vellet suis litteris eum exhortari ad pium hoc propositum exequendum; quodque ad aedificium domus vellet ipsemet Cardinalis auxilium conferre, et aliquos etiam redditus ecclesiasticos applicare, et ea de re velle se scribere ad Patrem Ignatium dixit; quod et fecit; sed res eo tempore ad effectum deducta non

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 47, n. 93.

<sup>2</sup> Ad Cardinalatum tit. Sanctae Pudencianae promotus est hoc ipso anno 1553 die 20 Decembris.

<sup>3</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 110.

<sup>4</sup> Vide supra, t. iv, pag. 32, n. 45, et annot. 5.

<sup>5</sup> Is Giennensis Episcopus fuerat et in Siguntinam sedem anno 1554 translatus.

<sup>6</sup> Haud tamen haec cohaerent cum iis, quae S. Franciscus Borgia Sancto Ignatio narrabat hoc ipso anno 1553, 19 Octobris, ut videre est in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 476-478.

fuit. Et timebat P. Salmeron ne frigidiuscule Cardinalis hoc opus promoveret, sicuti et Neapolitanum Collegium frigidius quam ipse voluisset promoverat <sup>1</sup>.

506. Ad sacerdotium promotus est hac Quadragesima P. Laurentius Schorzinus et P. Joannes Nicolaus [Petrella] de Itro <sup>2</sup>. Venit etiam Romam novitius Alphonsus Fernandez <sup>3</sup> et alii quidam. Alii autem Neapoli admissi fuerunt, non tamen omnes perseverarunt. Et potius mediocris notae homines quam ex nobilitate ad Societatem nostram accedebant, quia juvenus nobilis ea in civitate nimia vitae licentia uti dicebatur, et ideo difficilius ad consilia Christi sequenda accedebant.

507. Sed ad Patrem Salmeronem redeundo, ipso die Annuntiationis <sup>4</sup> Beatae Virginis coram Pro-rege et primoribus urbis deinde ipso die jovis sancti, vel nocte potius cum die sequente <sup>5</sup>, satis a plurimis laudatam de *Passione Domini* concionem habuit, et demum cursum concionum quadragesimalium peregit foeliciter; et hoc anno frequentius et nobilius auditorium habuit, quam praecedenti; in quo fructus egregius haud dubie provenit, si satisfactioni quam prae se illi ferebant et animorum consolationi fuit consentaneus. Etiam ab eo tempore in sequentem annum ejus operam ad concionandum postulabant, et praecipue Vicarius Archiepiscopi, qui ea de re se scripsisse ajebat ad Cardinalem, qui paulo post Pontifex fuit Paulus IV, ut mature id a P. Ignatio obtinere curaret. Delectavit autem novum argumentum praedicationum, omnium, scilicet, parabolarum Evangelii, quarum unam quotidie Evangelio, de quo agendum erat, applicabat. Est autem egressus ab his laboribus sano ac valido corpore, et obtinere a Patre Ignatio curavit ut Romam

<sup>1</sup> Vide Patris Alphonsi Salmeron litteras ad S. Ignatium in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 475; Ignatii responsum ad Cardinalem Pacheco, *ibid.*, pag. 107, et ad P. Salmeron, pag. 109.

<sup>2</sup> In Laurentii Schorzini nomen nunc primum incidimus; non enim ejus meminit SCHINOSI, *Istoria della Compagnia di Gesù n. l. regno di Napoli*.—Joannis Petrella jam mentiofacta est supra, t. III et IV.

<sup>3</sup> Alius ab Alphonso Hernandez, qui et Fernandez aliquando dicitur, quique ab autumno praecedentis anni humaniores litteras Genuae profitebatur. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 291 et supra in hoc t. v, pag. 103. n. 294.

<sup>4</sup> Ms. habet *Assumptionis*; sed emendatum est, et recte, a Sacchino in margine scribente *Annuntiationis*.

<sup>5</sup> Sic perspicue in Ms.; putamus tamen rectius fore si scriberetur *hunc diem*, vel *illum diem (jovis sancti) sequente*. Concio enim haec de *Passione Domini* noctu plerumque etiam nunc haberi solet, nec ac diem usque sequentem protrahi verisimile est.

ad aliquot dies animi causa venire posset, ut etiam Pontificis, qui tunc erat, Marcelli II, benedictionem acciperet, cui familiariter notus erat jam inde a Concilii Tridentini inchoati tempore, quo hic Pontifex Legatus apostolicus eidem praeerat.

508. Habebat etiam in animo quamdam abbatiam, Capellam nomine, quam idem Pontifex, dum esset Cardinalis, Neapoli habuerat, quae mille ducatos et eo amplius annui redditus haberet, ad dotationem Collegii Neapolitani postulare, quam aliquando dare Societati ipsemet voluerat <sup>1</sup>. Et postquam quindecim vel viginti dies Romae egisset <sup>2</sup>, redire Neapolim cogitabat. Multa enim, quae promissa fuerant ad ejusdem Collegii dotationem et domus jam emptae solutionem, evanescebant. Et ejus opera ad hoc erat valde necessaria.

509. Cum ergo facultatem obtinuisset veniendi Romam, tam Hieronymus Vignes quam Dux Montisleonis <sup>3</sup> celerem esse oportere ipsius redditum P. Ignatio scripserunt <sup>4</sup>. Sed omnia haec longe aliter evenerunt, quam fuerant cogitata; nam Pontifex Marcellus, cum Romam pervenit P. Salmeron, jam male habebat, et brevi ad Dominum migravit; et creatus deinde Pontifex Paulus IV Roma eundem Patrem Salmeronem in Germaniam ac Poloniam misit; et Collegii Neapolitani curam, ut Rector, gessit P. Christophorus de Mendoza.

510. Urgebat litteris P. Ignatium D. Joannes de Mendoza, praefectus arcis Castelli novi <sup>5</sup>, ut facultatem a Rege Philippo obtineret per Patrem Bernardum Oliverium ut posset ipse, re-

---

<sup>1</sup> "Cappella è una chiesa situata fuor la città, quando si esce dala porta del Castello per andar alla Piaggia a man sinistra. L' officiano se dici Canonici Regolari riformati de li sopra detti che sono in la chiesa di santo Anello, et certo danno buono odore di loro, quanto qual si uoglia religione di Monaci siano in questa città. Di detta chiesa di Cappella non si puo hauere certa noticia del fundatore, ma si intende per certo fu magnificata, et ampliata dal tempo del Magnifico e Reuerendo Fabritio de Nobil Famiglia, de Gennaro del Seggio di Porto al' hora Abbate, et nel presente è posseduta dal Reuerendissimo Cardinal Giouan Michele Sarracino nobil Napolitano, et haue d'intrata circa ducati quattro milia; et auante fu posseduta per il Reuerendissimo Cardinal Sanseuerino, qual accordò li sopradetti Canonici con breue del summo Pontefice che li donaua ciaschun anno ducati quattro cento per loro uitto e uestito, e loro prometteuano tenere sedici Canonici con li Diaconi per officiare detta chiesa, et in uero è bene ufficiata.", PISTRO DE STEPHANO, *Descrittione de' luoghi sacri di Napoli*, libro II, Delle chiese claustrali, fol. 103.

<sup>2</sup> P. Salmeron.

<sup>3</sup> Hector Pignatelli.

<sup>4</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. V, pag. 178 et 263.

<sup>5</sup> Vide supra, t. IV, pag. 176, n. 371, et in hoc. t. V, pag. 26, n. 45.



licto fratri Castello, Societati se dedere. Quamvis autem de bono Regis animo constaret, qui bonam spem fecerat hujus negotii brevi ac bene expediendi, tamen hoc anno non potuit ab arce sua recedere.

511. Dominus autem Franciscus de Villanova, qui unus erat ex praecipuis Consiliariis, quos Regentes vocant <sup>1</sup>, P. Ignatio scripsit similes aliquos Patri Salmeroni ac Patri Andreae de Oviedo necessarios esse Neapoli, tum ut fructus ex eorum vita et doctrina proveniens augeretur, tum etiam, ut qui jam provenerat conservaretur; et eos, qui id temporis residebant Neapoli, absentium locum non supplere aperte monuit <sup>2</sup>. Missus est autem a Patre Ignatio P. Soldevilla <sup>3</sup>, qui utcumque in his, quae ad conscientiae casus pertinent, Patris Andreae <sup>4</sup> locum implere studuit, nec ingratus fuit Neapolitanis.

512. Cum autem essent nostri numero undecim <sup>5</sup>, et admoneret novus Rector, quod alii septem praeter hos mitti poterant, fecit illud P. Ignatius, quod ad numerum attinet; quia tamen ex variis erant nationibus, et in litteris parum proVecti, potius sublevarunt Romanam domum quam Collegium Neapolitanum juverunt; cum praesertim in aegritudinem tam multi inciderint eo in Collegio, ut vix scholae apertae teneri potuerint, et velut hospitale quoddam Collegium illud effectum est. Et ut major esset occasio fidei ac spei in Domino exercendae, premebatur magna penuria rerum necessariarum et annonae caritate nimia et difficultate eleemosynas exigendi etiam ad victum, nedum ad solutionem trium millium et quadringentorum ducatorum, quae hoc anno mense Augusto solvi oportebat.

513. Migravit autem, ex aegrotantibus, ex hac vita mense Decembri Michaël Vignes <sup>6</sup> magna cum aedificatione astantium, quamvis non sine gravi doloris sensu in suis parentibus.

514. Quamvis autem nostrorum patientiam exercebat Dominus variis modis, multi tamen ad sacramenta confessionis et

<sup>1</sup>. Vide supra, t. iv, pag. 179, n. 377.

<sup>2</sup> Ignatii responsum habes in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 309.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 50, n. 100, annot. 1.

<sup>4</sup> Patris Andreae de Oviedo.

<sup>5</sup> Ms. habet *ii. m.*

<sup>6</sup> Vide supra, t. iv, pag. 55, annot. 2, et pag. 181, annot. 1.

communione in ecclesia nostra accedebant, praesertim festis solemnioribus; quamvis aliqui, nomine et vulgi existimatione spirituales, oppugnabant huiusmodi sacramentorum frequentationem, et non paucos ab ea frivolis rationibus retrahebant, et ideo de libello, quem Dr. Madridius conscripsit de frequenti usu Communionis, imprimendo serio agebant nostri neapolitani, et huius impressionis curam susceperunt <sup>1</sup>.

515. Nihilominus cum postulatum fuisset testimonium publicum, sicut ab aliis locis, propter Parisiense decretum, testimonium quidem Vicarii <sup>2</sup> missum est; et etiam civitatis approbationem D. Hieronymus Vignes curavit; sed tamen ipsum decretum Parisiense non existimavit esse Neapoli videndum, ne pusilli et qui occasionem obmurmurandi quaerebant, telum hoc contra Societatem intorquerent.

516. Cum autem recessisset Cardinalis Pasciechus ab ea gubernatione, et successisset D. Bernardinus de Mendoza, novus Pro-rex <sup>3</sup>, favor in eo pene nullus ad res Societatis promovendas inveniebatur: ut major esset confidentiae in Deum erigendae occasio.

517. Accedebant autem homines frequentiores, quam soliti essent, etiam profestis diebus, cum accessione duorum sacerdotum, plures etiam missae dicerentur. Coepit etiam ut potuit de christiana doctrina P. Christophorus <sup>4</sup> lectiones habere, sed propter linguae italicae defectum prima lectio parum placuit. In secunda vero, majori studio adhibito, nostris et externis multo magis satisfecit, adeo ut etiam in Adventu existimave-

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 13, n. 13, et pag. 28, n. 35, et pag. 182, n. 385.

<sup>2</sup> Vicarius Joannis Petri Caraffa, Neapolitani Archiepiscopi, dioecesim administravit Scipio Rebiba, Motulensis Episcopus. Archiepiscopo autem ad Summum Pontificatum evecto, et Scipione Romam evocato ut esset Urbis Gubernator (Vide supra, pag. 173, n. 503), dioecesim loco Pontificis, qui sedem retinuit, administravit Julius Pavesius, Episcopus Vestanus. Vide UGHELLI, *Italia Sacra*, t. 6, col. 157.—Uter autem horum testimonium, de quo hic est sermo, in favorem Societatis dederit, nobis est ignotum, quia testimonium non vidimus, quod prae manibus habuisse ait Pine, *Acta Sanctorum*, mense Julio, t. vii, *Comm. praev. de Sancto Ignatio*, n. 502, et datum die septima Septembris huius anni 1555. Verum, si diem et mensem, quo datum est, spectemus, verosimilius videtur a Julio Pavesio datum fuisse.

<sup>3</sup> Vide supra, t. iv, pag. 180, annot. 2.—Is jam anno praecedenti, cum hispanae classis in Mediterraneo mari praeesset, difficile se praebuerat in admittendis in suis triremibus Sociis, qui ex Hispania in Italiam cum Patre Hieronymo Natali navigare volebant. Vide supra, in eodem t. iv, pag. 41, n. 61.

<sup>4</sup> P. Christophorus de Mendoza, novus Collegii Neapolitani Rector.

rint ipsi concionandum esse; quod et fecit diebus dominicis et festis; spiritualia etiam exercitia quibusdam proposuit.

518. Adjuvit etiam divina Bonitas per industriam ac laborem D. Hieronymi Vignes et aliorum charitatem, ut domus in usum Collegii empta et Augusto mense solvenda <sup>1</sup>, solvi posset, ita ut duo millia ducatorum in numerata pecunia statim darentur. De reliqua autem summa, quae solvenda erat, census, supra eadem domo impositum, domino domus dederunt, donec paulatim temporis successu hoc onere Collegium liberaretur. Particula autem ejusdem situs, qui Collegio nostro non erat necessarius, ducentis et quinquaginta ducatis vendita fuit, et cum ad id Breve apostolicum peteretur ab emptore, non existimavit P. Ignatius illud esse mittendum, sed facultate illa utendum, quam Litterae apostolicae et Constitutiones nostrae Societatis Praeposito generali tribuunt.

519. Acceptae fuerunt his diebus litterae Regis <sup>2</sup> ad Ducem Albanum <sup>3</sup>, et, eodem absente, ad D. Bernardinum de Mendoza, a quo ne id quidem impetrari potuit multis diebus ut diceret quid litterae continerent. Id autem credebatur, quod de vacuis illis locis a Carolo V donatis Collegio applicandis <sup>4</sup> agerent. Et quamvis initio diffideret Hieronymus Vignes quidquam ex hujusmodi vacuis obtineri posse, cum novus Prorex nollet de hoc negotio tractari interim dum classis, quae id temporis instruebatur, profecta inde non erat, partem quamdam hujusmodi locorum vacuorum, quam mille et ducentis aureis cuidam nobili viro vendendam constituerant, ducentos amittendo vel paulo amplius, eidem nobili vendiderunt; nam resilire ille a promissis volebat, et tamen Hieronymus Vignes, qui mutuo pecuniam acceptam ex hac summa soluturus erat, ursit negotium, quamvis ei nobilis ille minaretur; et demum cum bona venia Patris Ignatii, jactura illa facta ducentorum aureorum, reliqua summa recuperata multis necessitatibus nostrorum opem tulit.

Et haec de Collegio Neapolitano.

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 179, n. 377, et pag. 187, n. 399.

<sup>2</sup> Philippi II.

<sup>3</sup> Ferdinandum Alvarez de Toledo, qui pervenit "in Napoli in qualità di vicerè nella fine di quest' anno 1555.", GIANNONE, *Istoria civile del Regno di Napoli*, lib. xxxiii, cap. 1.—Cf. etiam supra, t. iv, pag. 180, annot. 2.

<sup>4</sup> Vide supra, t. iv, pag. 180, n. 379, et pag. 187, n. 399.

## DE PROVINCIA SICILIAE

### AC PRIMO DE COLLEGIO MESSANENSI.

520. Hujus Collegii in civitate Messanensi auctoritas, Deo juvante, conservabatur; nam et exempla collegialium, in quibus charitas magna elucebat, et confessoriorum patientia et zelus ac professorum in instituenda juventute pervigil cura et assiduus concionum perutilium usus, efficiebat ut etiam viri primarii de Collegio optime sentirent et loquerentur <sup>1</sup>. Alii autem de mutatione urbis post nostrorum adventum, ac profectu in omni hominum genere ac conditione plurima dicebant; quorum omnium soli Deo honor et gloria.

521. Episcopus Papiensis, Inquisitor <sup>2</sup>, ut etiam alii ejus collegae libenter nostrorum opera, sive libri essent castigandi, sive propositiones aliquae theologicae aut philosophicae expendendae essent, utebantur <sup>3</sup>. Et ut hoc sigillatim referam, cum in publico quodam et solemni judicio, inter alios reos, quidam in haeretica pravitae obstinatus, brachio saeculari esset tradendus et morti adjudicandus, quatuor religiosos ex quodam monasterio Episcopus ille Inquisitor adesse jusserat ut eum juvare niterentur; et cum videret id eos aegre ferre, postquam eos increpasset, duos ex nostris accersiri jubet et ait: "En hos non

---

<sup>1</sup> Huic Collegio praeerat hujus anni initio, ut Rector, P. Annibal du Coudrey. Erant autem in collegio, praeter eos, quorum supra, t. iv, pag. 195, n. 420, mentio facta est, fr. Angelus Labaco, romani architecti Antonii Labaco, filius (Vide RIBADENEIRA, *Vida de San Ignacio*, lib. v, cap. 9.), et fr. Joannes Sabaudus, qui in monasterio seu Abbatia Italiae aliquandiu versatus est (Polanci litterae ad P. Annibalem, sine die, sed certo 18.º Januarii 1555).

<sup>2</sup> Joannes Hieronymus Rossis. Vide supra, t. ii, pag. 35 et 36.

<sup>3</sup> Ms. habet *mittebantur*.

pudet hujusmodi operum; et voluit nihilominus ut illi quatuor etiam sequerentur, quamvis duo illi nostri adstarent morituro.

522. Non deerant qui Collegii existimationi ac bono nomini obstreperent et maledictis etiam incesserent; sed hujusmodi ad humilitatis custodiam servis Dei sunt pernecessaria ut temperarent populi laudes. Aliqui tamen ex his obtrectatoribus, rei veritate perspecta, contumeliis finem etiam imposuerunt.

523. Confitentium numerus et communicantium non solum non est imminutus, sed etiam auctus est. Concionum vero fructus novus et copiosus in dies cernebatur; et illis, simul cum sacramentorum usu, palam homines fatebantur plurimorum hominum mores corruptos in bonos ac pios esse mutatos, et civitatem, quam olim plurimorum praedonum tamquam asylum existimabant, jam ob studia pietatis sanctam Messanam nuncupabant.

524. Aliqui armati nostrum templum aliquando adiere, et fraternal sanguinem sitientes, qui, concionibus emolliti, agnorum induisse mansuetudinem viderentur, ut non solum neminem ipsi laederent, sed illatas ab aliis contumelias aequissimo animo ferrent. Multorum etiam fastus depositus et in suspiria et gemitus commutatus est. Et erant aliqui, qui prae nimio cordis ardore clamorem vix prohibere poterant; et post quadragésimales dies, non minor hominum frequentia quam in ipsa Quadragésima ad verbum Dei audiendum confluebat. Erat autem concionator ordinarius P. Hieronymus Otellus, qui cum die quadam de ira divina in peccatores ageret (eo enim tempore extrema prope fames Messanam, sicuti et totam pene Italiam, oppresserat) <sup>1</sup> eo lacrymarum processum est, ut etiam nobilissimi quique inter auditores genibus provoluti pectora tunderent ut viderentur se tantae afflictionis causam agnoscere ac confiteri. Absoluta jam fuerat concio, jamque domum se receperat concionator, at illi flexis adhuc genibus, et multi eorum extensis manibus, nec precibus nec lacrymis finem imponebant.

525. Eodem die de re non admodum dissimili, a quibusdam impulsus, sermonem alio in templo habuit, quo tantopere audientium animos permovit, ut ne a clamoribus quidem absti-

<sup>1</sup> Vide supra. pag. 22, n. 34, annot. 3, et pag. 96, n. 258.

nere potuerint. Quaedam autem nobilissima matrona et nostrae Societati in primis addicta, apud virum suum curavit, ut impetraret a summi templi praeside ac Senatoribus ut Patrem Hieronymum exorarent ut ad idem cathedrale templum concionaturus veniret; quod cum obtinuissent, tam ferventer ibidem verbum Dei concionatus est, ut spem omnium superaverit; et cum inde ad nostrum templum, S.<sup>ti</sup> Nicolai scilicet, rediisset, nova multorum hominum frequentia, qui nunquam eo venire soliti erant, secuta est.

526. Cum 40 horarum oratio, pro more, nostro in templo fieret <sup>1</sup>, P. Hieronymus, cum socio templum ingressus intempesta fere nocte, ante altare constitit, ac diu ibi flexis genibus orans, ac deinde Christi crucifixi vexillum manibus attollens, ita orantium animos verbis inflammavit, ut ex illis aliqui ante diei ortum corpora sua verberibus graviter ac diu caederent, omnia autem lacrymis ac fervore orantium plena essent.

527. Sub autumnno venerant, concionem auditurae, impudicae quaedam mulieres et, ut conjici poterat, non bono animo, cum vestibus auro gemmisque distinctis essent succinctae, ac torquibus magna arte fabrefactis ornatae. Sed harum egressus longe ab ingressu diversus fuit, nam praeter uberes lacrymas, vultum operientes, gemitus ac suspiria et pectoris tunsiones, comas vellebant, quas antea tam diligenter composuerant, et torques sibi detraxerunt, ac demum publicae poenitentiae exemplo alios ad eandem sunt adhortatae, et quidem hoc ante absolutam concionem.

528. Pro-regis filia <sup>2</sup> cum aliis plurimis matronis templum nostrum tam frequenter ac sollicite concionum audiendarum gratia adibat, ut perpaucas et eas minime libenter omitteret. Eadem ipsa confessionis et communionis gratia ad templum crebro accedebat, quod prius domi suae in privato sacello facere solita erat.

529. Hac aestate, idem P. Hieronymus Otellus in aede B. Virginis epistolas B. Pauli dominicis ac festis diebus explicavit. Una autem sic exposita, aggressus est decalogi interpretationem, cum frequenti admodum auditorum numero, nam ad

<sup>1</sup> Vide supra, t. III, pag. 198, n. 420, annot. 1, et infra in hoc t. V, n. 547.

<sup>2</sup> Elisabeth de Vega, Bibonae Ducissa, Joannis de Vega, Sicillae Proregis, filia.

quinque millia et eo amplius ascendere credebantur. Quae lectio, cum ad alia multa, tum ad extirpandas superstitiones plurimas, quibus erat illa civitas infecta, non mediocriter utilis fuit, a quibus multi respiscere coeperunt.

530. Floruit hoc anno Messanae doctrinae christianae explicatio; cum enim ea in urbe decem essent parocciae, in eas edicto Pro-regis, pueri omnes, intra sextum et duodecimum aetatis annum, convenire debebant (alioqui parentes ipsorum multandi erant) ut doctrinam hanc a praelegentibus audirent; siquidem honesta in institutione puerorum spem reipublicae bene gerendae constitutam esse Pro-rex arbitrabatur. Commisit autem hoc praelegendi munus Patri Provinciali <sup>1</sup> nostrae Societatis, qui singulis paroeciis duos ex nostris praefecit, quibus hujusmodi doctrinae tradendae munus incumberet. Nec res haec frigide instituta est atque suscepta; dominicis enim ac festis diebus pulsu campanae, quae in summo templo signum hujus rei dabat, paroeciae omnes officii sui praemonitae, circumlatis per vicos tintinnabulis, pueros omnes advocabant. In hanc trecenti, in illam quingenti, in illam multo plures cogebantur.

531. Admirabatur populus inusitatam hanc institutionem, et felicem existimabat puerorum aetatem, quae in talia tempora incidisset, et hujusmodi institutionem vitae ac doctrinae christianae a talibus magistris hauriret, et quodammodo ipsi repuerascere cupiebant; nec exiguus hominum numerus eadem elementa christianae doctrinae audiebat. Et si quid minus intellexissent, lectione absoluta sibi declarari petebant.

532. Communis fere vox erat, quasi a tenebris eductam, fidei veritatem hominum coetibus illuxisse. Impressus est libellus hujus doctrinae carmine italico comprehensae, ut teneris puerorum mentibus facilius et firmiter haerent ea, quae ad christianam doctrinam spectant <sup>2</sup>. Postquam ad templum ventum erat, uno ex provectioribus alta voce recitante, caeteri si-

<sup>1</sup> Patri Hieronymo Domenech.

<sup>2</sup> Nullam hujus libelli notitiam reperimus apud Rivadeneira, Allegambe, Sotwell, Backer, Sommervogel nec in libro Patris Gusta, *Sui catechismi moderni*. Meminit hic quidem, pag. 320, "Catechismo del P. Girolamo Domenech Gesuita pubblicato di ordine del Vice Re di Sicilia 1547", qui idem esse videtur ac "Catechismus in toto Siciliae regno auctoritate Proregis usurpatus anno 1547", quem memorat SOMMERVOGEL, t. III, col. 126; verum noster hic, cujus meminit Polancus, non anno 1547 sed 1555 editus asseritur.

mul leni jucundoque concentu respondebant; postmodum, aliqui sigillatim, prout in tanto numero fieri poterat, interrogabantur; quibus peractis, lectionem magister, ordine illius libelli servato, praelegebat. Quam tam attente audiebat tumultuosa illa et clamosa aetas, ut in sexcentorum discipulorum numero vix ullus strepitus audiretur: aderant enim, ut eos in officio continerent, in singulis templis aliqui sacerdotes, praeter nostros, qui apud pueros correctorum officio fungebantur. At pueri tam hilari animo doctrinam hanc imbibebant ut antiquas cantilenas in piam hanc melodiam converterent; nec aliud diu noctuque per vicos et plateas praeter hos sacros hymnos personarent. Qua de re parentes eorum cum summa laetitia Dei benignitatem summo opere laudabant.

533. Hoc autem informandorum puerorum studium coeperat jam in quibusdam Siciliae civitatibus, ita Pro-rege per litteras jubente, institui, et latius in dies in alias atque alias urbes extendendum est.

534. Ex his fratribus, quibus christianam doctrinam praelegendi cura est demandata, quatuor aut quinque pio affectu commoti, cum animadverterent in quibusdam publicis urbis locis ingentem esse hominum numerum, qui, loco cibi verbi Dei, falsa circulorum quorundam doctrina et erroribus imbuebantur, impetrarunt a P. Provinciali ut per ipsum liceret illis in locis verbum Dei praedicare. Obtenta ergo facultate, in ripam maris venerunt, qui locus latissimus est, et [in eo] praestigiatores quidam festis diebus in frequentissima hominum turba nugas suas venditare, adhibitis verborum lenociniis pro more suo, studebant. Coeperunt ergo nostri, sese ex adverso opposcentes his circulatoribus, de rebus ad salutem pertinentibus disserere; et ita, vanis illis hominibus relictis, accurrebant undique homines ad nostros audiendos; ac primo rei novitatem, postmodum etiam suam stultitiam et errorem mirabantur ac deflebant, quod perditos illos homines sequerentur. Cum autem P. Provincialis hoc Pro-regi narrasset; "utinam, inquit ille, vestri isti fratres tantam ab hac urbe pestem depellerent.,

535. Nostri ergo non vi aut maledictis ullis, sed sanam doctrinam praedicando id praestare nitebantur, et sine vulnere corda verbo Dei salubriter sauciare studebant. Inter alias autem conciones ibi habitas, cum quidam ex nostris acerrime re-



prehenderet die quodam, ac defferet simul, tantam hominum ignorantiam in rebus ad salutem suam pertinentibus, ut ne prima quidem christianae doctrinae rudimenta nossent, ita sunt permoti, ut, licet sub dio essent et locus esset luto plenus et tunc etiam plueret, in terram tamen omnes (qui, ut fertur, plures erant quam bis mille) procidentes et utrumque genu flectentes uno clamore in coelum se et coram Domino peccasse confiterentur.

536. Haec charitas et in carceres et in triremes sese protendebat, ad quas saepius nostri veniebant, ut multi, qui christianae doctrinae magna ignoratione laborabant, instituerentur. A ludis interim blasphemisque abstinere admonebantur. Accidit autem ut, cum in quamdam triremem quidam ex nostris conscenderet, humanissime ab illius praefecto susciperetur, et cum ille quaereret num aliqui essent qui luderent, qui id faciebant, dicto ejus obedientes, chartas lusorias et tesseras sua sponte ad ipsum detulere; et rogabant ut in mare projiceret; et cum eos verbo Dei refecisset, rogabat praefectus ut eo frequenter rediret; et cum commode fieri potuit, ei satisfactum est.

537. Qui frequenter ad templum Collegii accedebant, magnum suae charitatis et patientiae specimen, cum occasio dabatur, praebebant. Et ut paucula quaedam singillatim referam, cum in magna annonae inopia reipublicae administratores timerent ne, si panis publice divenderetur, in Calabriam efferretur, certos huic muneri viros destinarunt, ad quos ex mercede, sine ulla reipublicae laesione, quingenti fere coronati in singulis mensibus redibant, quod lucrum cum animadvertissent pii quidam homines ex his, qui frequenter nostro in templo versabantur, posse in pauperes distribui, ipsi se ferendo illi labori, ut panem tota urbe divenderent, promptissimo animo obtulerunt ea lege ut illam omnem pecuniam, quam in laboris praemium essent accepturi, pauperibus prorsus erogarent: quod pietatis studium, cum aliis plurimis, tum praecipue Pro-regi, maxime placuit; et fideliter ac magna cum charitate eo munere functi sunt. Quidam etiam alii sua pecunia multos panes emptos in vicinos pagos et oppida asportabant, eosque gratis pauperibus dispensabant, et a corporis simul et animae interitu non paucos vindicabant.

538. Ipse autem Pro-rex et ejus filia exemplo etiam charitatem hanc docebant; nam eo famis tempore, victus partem familiae suae subtrahebant, quam pauperibus largirentur; et ita horum et aliorum virorum nobilium opera multorum pauperum non tantum messanensium, sed etiam eorum, qui ex Calabria Messanam confluebant, egestati quotidie subventum est; cui pio ministerio praeter quemdam sacerdotem Pro-regis <sup>1</sup>, duo etiam ex nostris fratribus, dabant operam. Sed antequam corporali cibo pauperes reficerent, spirituali eosdem cibo reficiebant, nam christianam doctrinam, praeunte uno ex nostris, alta voce omnes simul dicebant.

539. De patientia vero piorum hujusmodi hominum, [qui] nostris addicti erant, unum etiam vel alterum exemplum referam. Nobilis quidam vir, plus satis elatus, in unius ex his domum, nescio quas empturus merces, venit, a quo cum pretium interrogasset, et quam potuit ille verbis humilibus respondisset, nobilis ille, vix ferendis injuriis eum affecit, et turpiter ejus vultum conspuat; quod tantum abest ut moleste ille et graviter ferret, ut nihil aliud praeter haec verba responderet: "Libenter haec et multo majora Domini mei Jesu Christi amore suffero.,".

540. Non dissimile fuit quod quidam alius, templo nostro addictissimus, passus est; cui cum esset in judicio decertandum cum nobili quodam viro, antequam ad judicem se conferrent, spectantibus plurimis, interrogavit eum an Nicolinus esset (sic enim eos appellabant, qui ad nostrum templum D. Nicolai conveniebant). Respondit ille: "Utinam vere Nicolinus essem.,". At ille: "Tu hujusmodi cum sis, ¿nonne quos impingam colaphos aut pugnos aequo animo feres?,. Ille vero submisce respondit, cum divina gratia, sperare se his plura pati posse. Vix ea dixerat, ut nobilis ille manus in eum iniecit ac pugnibus graviter cecidit. Ille autem sic injuria lacessitus, mansuete respondit: „¿Quidni haec levissima pro Christo patiar, qui pro me maxima sustinuit?.,".

541. Superiori anno mons pietatis ad pauperum subventionem inchoatus fuerat <sup>2</sup>; hoc autem anno, Praepositi Provincia-

<sup>1</sup> Scilicet a Prorege designatum.

<sup>2</sup> Vide supra, t. III, pag. 225, n. 494.

lis cura et Pro-regis favore, a primariis civibus auctus est, et pauperibus subvenire coepit <sup>1</sup>.

542. Accessit huic operi pio, mense Augusto, aliud non minus pium opus, quod [ut] novum, ita novo voluerunt appellari vocabulo scilicet: "Consilium Charitatis," vel "Officium Charitatis," quia nihil eorum, quae ad charitatem ac pietatem exercendam pertinent, excludit. Scopus hujus operis est spiritualibus rebus ac praecipue charitatis operibus consulere et ad hoc excogitatum est hujusmodi Institutum. Et quemadmodum in regno Siciliae institutum erat consilium, in quo de rebus, quae ad bellicam artem faciunt, ageretur, ita et hoc instituendum consilium vel officium visum est, ut de rebus ad charitatem pertinentibus in toto regno, sed praecipue Messanae, ageretur. Nec putandum est eandem esse rationem hujus officii ac montis pietatis jam dicti <sup>2</sup>, in illo enim pauperibus dumtaxat de temporali auxilio providetur; ad hoc autem charitatis officium spectat illud et alia pia opera conservare; pauperibus enim prospicitur, ablata illis restituuntur, cavetur ne quid viduae et pupilli injuriae patiantur, templa, monasteria, hospitalia aut lapsa instaurantur, aut ruinam minantia confirmantur, et alia hujusmodi multa non pauci momenti ad Dei honorem futura. Et inter alia hoc jam pium opus effecit hoc consilium seu officium charitatis, ut edicto publico statueretur ut notarii, si quae sciant legata ab aliquo relicta in pios usus, etiam haeredibus recusantibus ea aperiant, et his, qui praesunt huic charitatis officio, quam primum referant, et ita paucis diebus magna pecuniarum summa indicata fuit in pauperes eroganda aut piis operibus insumenda, quae eatenus latuerat.

543. Sunt autem electi viri sex ad hujusmodi consilium: duo, scilicet, theologi, quorum alter fuit P. Hieronymus Domenech, Provincialis; alter celebris quidam Ordinis S.<sup>ti</sup> Domini religiosus <sup>3</sup>; tertius fuit unus ex iudicibus magnae curiae;

<sup>1</sup> De hoc tamen Pietatis Monte, seu potius de appellatione pauperibus impicta, qui per hunc Montem sublevabantur, haec Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Domenech: "l'opera del monte della Pietà è molto buona; ma non piace a Nostro Padre il nome di *poveri vergognosi*, perche non doveriano vergognarsi d'esser poveri e come tali essere subvenuti; più presto li par doveria dirsi *bisognosi* o altra cosa simile., 5 Decembris 1554.

<sup>2</sup> N. praecedenti.

<sup>3</sup> P. Vincentius a Myrto. AGUILERA, *Provinciae Siculae Societatis Jesu Ortus et res gestae*, part. I, cap. IV, n. xxx.

quartus et quintus duo messanenses, nobilis prior, alter vero civis; sextus autem unus ex secretariis regiis; qui omnes quindecimo quoque die referre ad Pro-regem debebant, quidquid faciendum decrevissent.

544. Est etiam ab eodem Pro-rege diligenter curatum ut in omnibus Siciliae civitatibus duo eligerentur, alter civis, alter vero ecclesiasticus, uterque pius, qui singulis quibusque mensibus significant praefectis Officii Charitatis sintne aliqua in suis urbibus, quibus consuli oporteat. Voluit autem idem Pro-rex eos, qui in hoc Consilium adscripti essent, in nostrum Collegium convenire, et ipsemet, cum sex designatis, in Collegium venit quinto decimo quoque die postquam fuit tale officium constitutum; ubi et concionem audivit, et deinde pransus etiam est. Suntque non pauca eo die a fratribus nostris in laudem hujus operis composita carmina, quae, licet valetudinarius esset, libenter audiebat memoriter pronuntiata et legebat sibi oblata.

545. De aliis consuetis Societati ministeriis, cujusmodi est illis praesto esse, qui in custodia publica retinentur, crebro infirmis ac morituris subvenire, et hujusmodi, ea dicta intelligantur, quae superioribus annis fusius dicta sunt.

546. Litteras apostolicas Summi Pontificis Pauli IV, quae jubilaee gratiam continebant, Roma a nostris missas P. Provincialis Messanae imprimendas curavit, et rogatu magistratum (quos *juratos* vocant) P. Hieronymus Ottellus illas in summo templo promulgavit. Dies fuit in quo <sup>1</sup> plus minus nostro in templo sanctissimam Eucharistiam sumpserunt. Sed in priori jubileo, mense Februario promulgato, non minor fuit, immo major fuit concursus ac fervor, et supra septingentos ac viginti, uno die sanctissimo Christi Corpore refecerunt, et multo plurium confessiones ea hebdomada audierunt.

547. Adjuvit etiam fervorem oratio 40 horarum, de qua superius mentio facta est <sup>2</sup>. Hoc tantum addam, quod propter electionem bonam Summi Pontificis est facta, et quod tantus fuit fervor Patris Ottelli, dum ad congregatos sermonem exhortatorium habebat, ut ipse in deliquium inciderit, usu loquendi

<sup>1</sup> Desideratur hic accedentium ad sacram mensam numerus. Eum autem esse sexcenti novimus ex Francisci Stephani litteris 17.<sup>a</sup> Septembris hujus anni datis. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 634.

<sup>2</sup> Pag. 183, n. 526.

amisso, et hoc in initio orationis, forte propter jejunium praecedentis diei. Sed recuperatis viribus in fine orationis, secundam habuit concionem tanta cum frequentia, commotione et lacrymis populi; ut aliqui ex auditoribus in simile deliquium, quod ipse passus fuerat, inciderint, et civitas in admirationem suspensa fuerit; multae autem puellae ex his, quae templum nostrum frequentabant, suam Deo virginitatem consecraverunt.

548. Quod ad scholas attinet, nunquam fuit frequentior auditorum numerus, quam hoc anno post renovationem studiorum, et eo plures accessisse creditum est, quod praeter orationem et trium linguarum carmina, pro more in instauratione studiorum pronuntiata, dialogus quidam fuit exhibitus, tam venuste a pueris actus (cum alioqui esset et jucundus et non mediocri artificio compositus), ut a doctissimis et nobilissimis quibusque insolitis laudibus academia nostra fuerit commendata. Et dialogus ipsi Pro-regi, propter argumenti gravitatem et multa concinne et salse dicta, non solum placuit, sed ita etiam commovit, ut a lacrymis vix posset abstinere.

549. In oppido, quod Italiam vocant, aliqui ex nostris versabantur, quorum unus concionibus et audiendis confessionibus dabat operam; alter vero lectionibus Latinae et Graecae linguae. Confitentium autem et communicantium numerus ac fructus est auctus, sed quia fames urgens in causa erat ut templum pro more frequentare non possent, id curabat P. Daniel <sup>1</sup>, (nam loco Patris Joannis Philippi <sup>2</sup> Italiam missus fuerat), eleemosynis hinc inde quaesitis eam inopiam sublevare. Et multos, qui jam morti proximi erant, eo charitatis officio in vita conservatos esse dicebatur; nam fama erat quod multi fame morituri essent, nisi eo pane, quem divinitus missum esse confitebantur, refecti essent.

550. Initio hujus anni non solum frequentia confessionum magna erat et in dies augebatur, Messanensibus ad templum S.<sup>ti</sup> Nicolai confluentibus, verum ex oppidis etiam et locis extra eam urbem aliqui accedebant, ut ex Monteforti <sup>3</sup>, quod oppidum decem millibus passuum Messana distat, eo venerunt, ac roga-

<sup>1</sup> P. Daniel Paeybroeck.

<sup>2</sup> Joannis Philippi Cassini. Vide supra, t. iv, pag. 196, n. 420.

<sup>3</sup> Monforte.

bant ut vel ad unum sermonem habendum eo mitteretur P. Hieronymus Ottellus; ac spem faciebant quo[d] multae paces erant consequuturæ; et unus eorum, qui inde venerant, pollicebatur se publice veniam inimico suo daturum, cum quo graves inimitias diu gesserat. Verum cum huiusmodi aliunde mittebantur Messanam Quadragesimae tempore, hanc conditionem addebant parochi, ut scilicet, liceret illis confiteri cum aliquo sacerdote nostri Collegii et non cum aliis.

551. Sed hanc frequentiam imminuit non parum Inquisitoris edictum, qui cum denuntiari jussisset in excommunicationem eos incidere, qui non revelarent personas illas, quas sciebant aliquid dixisse vel fecisse contra fidem, multos casus particulares nominando, injunxit etiam nostris ut antequam aliqujus poenitentis confessionem audirent, peterent ab eis num revelassent eos, quos incidisse in huiusmodi casus scirent; quod si responderent se non fecisse, eorum confessionem non audiri praecepit; neque enim volebat ut nostri ab ea excommunicatione quemquam absolvere possent. Cum autem spargeretur rumor per urbem, quod nostri mitterent poenitentes ut revelarent Inquisitori peccata aliorum <sup>1</sup> contra fidem admissa, licet alioqui propensi essent homines ut nostris confiterentur, ad nostros non accedebant, praesertim homines nobiliores, quia timebant ne ad Inquisitores mitterentur. Quamvis autem praeceptum Inquisitoris esset generale et ad omnes confessarios se extenderet, ferebatur nihilominus quod nostri pene soli illud observarent; et ipsemet Inquisitor dixit paucos ad quidquam denuntiandum, accessisse, praeter eos, qui ad templum nostrum confessionis gratia veniebant. Itaque id in causa fuit, ut ipsa Hebdomada Sancta, in qua messis solet esse uberior, pauciores quam soliti essent, ad nostrum templum confessionis gratia accederent.

552. Meretrix quaedam, quae 18 annos aetatis non excedebat, et quae plurimorum peccatorum causa esse poterat, postquam praedicationem P. Hieronymi Ottelli audivisset, in domum probationis conversarum <sup>2</sup> se recepit, et occupavit alterius locum, quae ad monasterium monialium se contulerat. Alia etiam virgo in monasterium novum S.<sup>ti</sup> Michaëlis <sup>3</sup> admissa est,

<sup>1</sup> Ms. *peccata quae aliorum*.

<sup>2</sup> Vide supra, t. III, pag. 221, n. 483.

<sup>3</sup> Vide supra, t. III, pag. 227, n. 499.

ad quod aliae multae aspirabant. Alia etiam meretrix fere viginti annorum in eandem probationis domum se recepit; et aliae movebantur ejus generis; nec domus illa probationis ad tam multas recipiendas satis erat capax, quae <sup>1</sup> ingredi eo voluissent; et Panormo haec ultima venerat, ut <sup>2</sup> Messanae admitteretur, favore Ducissae Bibonae <sup>3</sup> interposito.

553. Varia etiam monasteria monialium valde commota erant, et juxta instituti sui rationem ac prout debebant, vitam instituere cupiebant. Erat autem in ea urbe magna aedificatio et satisfactio concionum Patris Ottelli, quod facile est credere, cum tam multi ejus concionibus adjuti essent.

554. Admissus fuit in Societatem sacerdos quidam neapolitanus Carolus nomine; et tres alii aut quatuor, qui in sacris ordinibus non erant, inter multos qui id optabant, admissi fuerunt; inter quos, unus fuit juvenis 18 annos natus, qui Collegium ingressus, nulla inde ratione recedere volebat, et quia non videbatur expedire ut ea ratione quisquam admitteretur, curatum est ut Straticus <sup>4</sup> aliquem mitteret, qui publica auctoritate lacrymantem juvenem ex Collegio eduxit; qui tamen suum propositum minime omisit. Inter hos etiam, qui aspirabant ad Societatem, erat Georgius Ventimiglia <sup>5</sup>, qui postea in Societatem est admissus.

555. Erant autem ex nostris [Messanae], tribus computatis, qui in oppido Italiae versabantur, triginta septem sub P. Annibale de Coudreto, Rectore usque ad Augustum mensem. Tunc enim P. Antonius Vinck Rectoris curam suscepit.

556. Cum autem Messanam venisset Joannes de Luna <sup>6</sup>, qui ad pristinum nomen Asdrubalis rediit, cum Angelo Joannis et Petro Faraone et quibusdam aliis Romae dimissis a Societate <sup>7</sup>, non parum animos quorundam Messanae perturbarunt,

<sup>1</sup> Ms. habet *quod*.

<sup>2</sup> Ms. habet *et ut*.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 183, n. 528.

<sup>4</sup> Vide supra, t. III, pag. 191, n. 402, annot. 2.

<sup>5</sup> Polanci librarius scripsit  $\frac{m}{xx}$ ; sed Sacchinus in ora paginae *Vintimilius*.

<sup>6</sup> Vide supra, t. IV, pag. 227, n. 509, annot. 1.

<sup>7</sup> "Estando yo en el Colegio de Roma despidió Nuestro Padre, de santa memoria, por Pascua de Espíritu Santo once ó doce de la Compañía, los más de ellos estudiantes y algunos hermanos coadjutores. Y aunque fué grande el número de los despedidos, por la resolución grande con que Nuestro Padre los despidió y la constancia que tuvo en no admitir intercesion ni ruegos por ninguno dellos, se entendió que las causas que

aliqui praesertim eorum, qui satis impudenter sese gerebant, donec inde recessit Asdrubal.

557. Pervenit Messanam P. Provincialis <sup>1</sup> 24.<sup>a</sup> Junii, et cum aliquandiu ibi fuisset, et in ecclesia S.<sup>ti</sup> Nicolai jubilaum concionando publicasset, ad iter Romanum se accinxit <sup>2</sup>.

558. Civitas Messanensis mense Majo scripsit P. Ignatio ad praelegendum logices cursum Patris Annibalis operam postulando. Curatum est autem ut ipsi illi studiosi, in quorum gratiam id postulabatur, desisterent ab ea petitione; et ita civitas etiam destitit, quae etiam mense Augusto aliis litteris ab eodem P. Ignatio Patrem Laynez ut in Cathedrali suo templo concionaretur petierunt; sed ne id quidem est concessum.

559. Cum sub initium Septembris P. Hieronymus Domenech, Provincialis, Romam venisset, et secum deduxisset Octavianum Caesarem, de quo saepius facta est mentio <sup>3</sup>, brevi cum multis aliis in Siciliam rediit; sed prius P. Emmanuel Miona, id est, 3.<sup>a</sup> die Decembris cum aliis plurimis Messanam appulit, et cum quodam ex sociis Pro-regem adiens, valde amanter ab ipso fuit exceptus et ab ejus filia, Ducissa Bibonae. Aliquot post diebus pervenit eodem P. Hieronymus Domenech cum Magistro Eleutherio <sup>4</sup>, id est, nona die ejusdem mensis, cum multis laboribus essent perfuncti. Et quia circa id tempus, quo nostri navigabant, gravis in mari tempestas saevierat, et inter alios Gubernator Montis regalis cum multis aliis naufragium fecerat, sollicitus Pro-rex et Domina Isabella, ejus filia, de Patre Hieronymo Domenech, qui post priorum appulsum nusquam apparebat, alter de altero ignorans, scaphas, quas fragatas vocant, et bene instructas remigibus miserunt, qui per omnia litora, per quae venturus erat, et per oppida vicina eum inquirerent; ut si forte humanum quid ei accidisset, vel in morbum incidens alicubi substitisset, eum adjuvarent, et si fieri posset, ad se deducerent; et Policastrum usque (ibi enim P. Miona cum

---

le movian habian sido graves. Y públicamente se decía en el colegio que el Espíritu Santo en su día había inspirado y abrasado con su celo á Nuestro Padre y movido á hacer lo que hizo. Entre los estudiantes hubo tres Sicilianos, Asdrubal de Luna, primo de Don Pedro de Luna Duque de Bibona, y Angel de Juan y Pedro Faraon....., RIBADENEIRA, *Diálogos*, etc

<sup>1</sup> P. Hieronymus Domenech.

<sup>2</sup> Vide infra, n. 559.

<sup>3</sup> Vide supra, t. III et IV, praesertim t. III, pag. 169; n. 335, et pag. 190, n. 401.

<sup>4</sup> Pontano. Vide supra, t. II, III et IV.



sociis eum reliquerat) ituri erant, et eo non invento, aliquis per terrestria itinera montium Calabriae, alius per maritima loca eum erat inquisiturus; sed una ex his scaphis secundo die eum invenit et cum eodem Messanam rediit.

560. Testimonium Regiae magnae Curiae in regno Siciliae, et seorsum aliud Juratorum et Vicarii Archiepiscopi <sup>1</sup>, in favorem Societatis P. Antonius Vinck Romam misit; nam occasione decreti Parisiensis, ut alibi, ita Messanae, hujusmodi testimonium postulatum est <sup>2</sup>.

Et haec de Messanensi Collegio.

## DE COLLEGIO PANORMITANO

561. Initio hujus anni quadraginta de Societate nostra in Collegio Panormitano versabantur; quamvis postea aliis alio missis, pauci ultra triginta ibidem residebant, sub Rectore Patre Paulo de Achillis <sup>3</sup>. Erant autem inter hos, qui Valentia missi fuerant <sup>4</sup>, inter quos Petrus Belver, Dominicus Andalur et alii erant <sup>5</sup>.

562. Admiserunt autem sub anni initium juvenem quemdam honesto loco natum, qui cum biennio integro pulsasset, nec ei ostium apertum fuisset, venit in Collegium cum P. Pro-

<sup>1</sup> Archiepiscopi et Cardinalis Vicarius erat "Petrus Ansalonus..., Abbas Mandaniciensis, Canonicus et Cantor ecclesiae Messanensis.", Rocchus Pirrus, *Ecclesiae Messanensis notitia II*, lib. I, col. 344, c. — Is a Julio III, litteris 17 Kal. Feb. datis, appellatur perpetuus Commendatarius Monasterii Sanctae Mariae de Mandanicio ordinis S. Basilii. Id., *ibid.*

<sup>2</sup> "In manibus praeterea versantur apographa originalis testimonii... Proregis Siciliae Joannis de Vega, una cum toto regii magistratus consilio, die V Octobris eodem anno 1555; Cardinalis Archiepiscopi Messanensis, Joannis Andreae Mercurii, tituli S. Cyriaci in Thermis, die XI Octobris, anno saepe dicto 1555; legalizatio autem juratorum nobilium Messanensium signatur die XII ejusdem mensis et anni.", Pirrus, *Acta Sanctorum*, mense Julio, t. VII, Comm. praev., n. 502.

<sup>3</sup> Septembri mense hujus anni scribebat Angelus Pullicinus Ignatio: "Nel collegio siamo tutti 32, otto Padri, gl' altri laici.", *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 621.

<sup>4</sup> Duodecim ii erant qui ex Hispania venerant. De iis haec Polancus: "De los doce enviados de España no sabemos las partes de los que quedan allá, ni V. R. ni el P. Don Pablo avisan dellas, creo, temiendo que no se les pida alguno. Los tres que han enviado, es gente de lustre cuanto á letras, que no hay entre ellos quien sepa nada.", Patri Hieronymo Domenich, 11 Januarii 1555.

<sup>5</sup> Vide supra, t. IV, pag. 338, n. 716.

vincialis apud Pro-regem, et Rector apud Episcopum Mazarae<sup>1</sup> occupati essent, nec ullis persuasionibus adduci potuit ut ex Collegio domum suam recederet; a Deo se vocatum esse, et ipsi obediendum affirmavit; rogabatque nostros ne damnationis suae causa esse vellent.

563. Adolescentulus erat quindecim annorum, nec a suis parentibus facultatem impetrare potuerat, sine qua admittendus non videbatur. Provincialis igitur, jam post unam noctis horam in Collegium rediens, pueri patrem accersit, qui cum venisset, unam horam et amplius cum filio expendit frustra, multis modis ei persuadendo ut domum suam rediret; et demum, ejus constantia cognita, eum tunc relinquit. Postridie tamen, cum alio filii avunculo rediit, et matrem ipsius morti vicinam esse affirmabat; avunculus etiam, qui filiis masculis carebat, cum dives esset, offerebat adolescenti quod in filium vellet ipsum adoptare; ac demum multis et variis consanguineorum oppugnationibus constanter resistens, et Deo se velle servire, etiam si mater moreretur, clare dicens, relictus est, et cum magna consolatione in probationibus consuetis exerceri coepit. Fuerat quidem scholasticus sub humaniorum litterarum praeceptore; sed ipsius pater jam tres menses ante hoc tempus a scholis nostris eum amoverat.

564. Alii etiam non pauci ad ingressum in Societatem aspirabant, et inter eos, aliqui nobiles; sed bona eos spe, ut melius eorum constantia probaretur, et parentum consensus obtineretur extra Societatem retinebant.

565. Ultima die Januarii [Romam profectus est] <sup>2</sup> P. Michaël Botellus cum Joanne de Luna, quem Bibonae Dux <sup>3</sup> suis litteris ad P. Ignatium et P. Provinciale comitabatur; sed cum hoc eodem anno in Collegio Romano parum honeste se gessisset, simul cum aliis octo, qui vel minimum culpaē habere videbantur, a P. Ignatio de Societate expulsus est, ac in Siciliam remissus; quamvis inter hos essent aliqui valde nobi-

<sup>1</sup> Hieronymum de Terminis.

<sup>2</sup> "Quanto al deseo que tiene el P. Botello de venir á Roma, pues que allá es poco necesario, no pudiendo predicar, parece razonable. Podrá V. R. enviarle y tambien al h. Josepho (*sic*) de Luna, y de Octaviano hacer como se escribió, id est, avisarnos si se podrá enviar á Roma, y no se envíe á España en manera ninguna." Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Domenech, 11.<sup>a</sup> Januarii 1555.—Romam appulit 7.<sup>a</sup> Februarii. Ita Polancus Domenechio 9.<sup>a</sup> Februarii.

<sup>3</sup> Petrus de Luna, cujus Asdrubal (postea Joannes) de Luna consanguineus erat.

les, et in latinis et graecis litteris egregie versati. Hi sunt, de quibus paulo ante diximus, quod Messanam rediissent sub aestatem scilicet hujus anni <sup>1</sup>.

566. Quod ad scholas attinet, eadem ratio, quae alias dicta fuit, observabatur. Nostri autem externis condiscipulis, tam in virtute, quam in eruditione exemplum egregium praebebant. Ad ducentos et octoginta plus minus ascendebat eorum numerus, qui rebus spiritualibus, et quidem aliqui eorum ferventer admodum, incumbabant; et octavo vel quinto decimo quoque die sacramenta confessionis et communionis frequentabant; et ex eis aliqui in religiones varias ingressi sunt; quamvis plures in Societatem admitti cupiebant.

567. Coeptum fuit autem hoc anno Collegium arabicum, cum quidam inventus esset satis eruditus in ea lingua, et in lege Mahometi versatus, a quo tres pueri, ex illis qui in Africa capti fuerant, et a Pro-rege Collegio donati, ad hoc ipsum ut bene instruerentur, duo praeterea ex nostris, quorum alter Tripoli natus fuerat, ubi septem primos aetatis annos egerat, alter in Melitensi insula eandem arabicam linguam, ut ibi vernaculam, didicerat, instituebantur. Et brevi legere ac scribere didicerunt, et aliqui eorum tam bene jam loquebantur, ut in arabica lingua concionari posse viderentur. Postea tamen propter aegritudinem duorum ex illis pueris africanis et aliorum impedimenta, hoc Collegiolum arabicum, quod apud Montem regalem habebatur, frigescere hoc anno coepit <sup>2</sup>.

568. Quod ad conciones attinet, nunquam illae intermissae fuerunt dominicis et festis diebus; sicut nec lectio doctrinae christianae diebus veneris. In variis etiam monasteriis hoc semen verbi Dei non sine fructu jactum est; nam in conversarum monasterio, ubi tanquam in probatione complures versaban-

<sup>1</sup> Pag. 192, n. 556.

<sup>2</sup> Vide infra, nn. 603 et 604.—Valde cordi erat hoc arabici collegioli initium Patri Ignatio. "V. R. ci avisi del progresso che si fa nell' opera che si fa (*sic*) del Collegio arabico, quale si tiene qua per importante per quel medesimo effetto che haveva a servire il collegio di Malta, cioè di poter aiutare la Barberia.", Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Domenech, 5 Decembris 1534. "La solitudine d' insegnare la lingua arabica per li disegni di Barberia è molto conveniente; et li disegni del collegio turchesco et l' altro arabico ce pareno molto charitatevoli, come anche l' altro di Schiavonia. Col tempo ogni cosa si può sperare, et è ben fatto sforzarsi a dare alcun buon principio; che Dio N. S. darà l' incremento.", Idem eidem, 13 Februarii 1553.—Cf. etiam supra, t. iv, pag. 217 et 218, nn. 482 484.

tur <sup>1</sup>, una concione audita, octo illarum se Deo perpetuo consecrare in religione decreverunt.

569. Solebant autem vicissim ipse P. Provincialis ac P. Paulus, Rector, in templo nostro concionari et tota Quadragesima in templo nostro singulis diebus explicabatur <sup>2</sup>, praecipue in scholasticorum usum, quamvis mediocris numerus aliorum auditorum accedebat. Profestis diebus etiam P. Daniel <sup>3</sup> hoc officio fungebatur eodem in loco.

570. [In] insigni quodam monasterio monialium plurimae monachae concione excitatae fuerunt ad reformationis desiderium et vitam sua professione dignam agendam, et ad id spiritualia exercitia sibi dari sollicito petebant.

571. In hospitali etiam incurabiliū, cum consolatione et fructu aegrotantium utriusque sexus (nam in diversis locis viri et foeminae verbo Dei reficiebantur) eodem officio nostri functi sunt.

572. Ineunte aestate, cum numerus decresceret auditorum, urgebat P. Paulus alicujus concionatoris missionem; sed postea hominibus frequentioribus accedentibus, potius rhetorem aliquem, qui melius, quam magister Gerardus Lapidanus <sup>4</sup>, scholam rhetorices regeret, postulare coepit; quia utcumque in concionandi munere, qui tunc aderant, cum fructu versabantur.

573. Confessionum et communionum usus non solum nostro in templo crevit, sed in aliis etiam parochiis in quibus, ut Cardinalis Archiepiscopus <sup>5</sup> referebat, non pauci, praeter morem, communicaverant. Aliqui autem hac salutari medicina

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 208, n. 463.

<sup>2</sup> Sic; desideratur tamen verbum *evangelium*, vel forte verba *doctrina christiana*. Utrum autem substituendum rectius sit affirmare non valemus, quia nullas litteras vidimus, in quibus de rebus hac Quadragesima Panormi gestis agatur.

<sup>3</sup> P. Daniel Paeybroek, qui postea hoc ipso anno Italiam missus est. Vide supra, pag. 190, n. 549.

<sup>4</sup> Hujus, qui etiam Lapidus dicebatur, aliquas epistolas edidimus in *Litterae Quadrimestres*, t. II et III.—Anno 1557 Romae erat et de eo in Germaniam mittendo agebatur (HANSEN, *Rheinische Akten*, etc., pag. 289). Anno 1582 erat in Fuldensi Collegio. "P. Gerardus Lapidanus missus in Brunswigam ad ducem Ericum, non duclissae solum, quae aliquem Societatis hominem a marito tandem extorserat, verum etiam Germanorum et Italorum plures confessiones audivit. Placuit is pater omnibus ob mores modestos et graves, sed in primis, quod plures daemones a corporibus obsessis expelleret." (IDEM, *ibid*, pag. 757.)

<sup>5</sup> Petrus Tagliavia de Aragon.

sanabantur a <sup>1</sup> et inveteratis morbis, inter quos fuit qui quinquagesimum annum agens, peccatum quoddam, cujus ipse sibi conscius erat, nunquam adduci poterat ut confiteretur; et magnis terroribus ac tormentis a daemone, ne illud confiteretur, impediabatur. Sed placuit tandem Deo ut nostro in templo plene confiteretur, simulque a terroribus et molestiis daemonis liberaretur.

574. Cuidam etiam spiritus blasphemiae molestissimus fuerat, et in eam desperationem adduxerat, ut nunquam amplius communicare constitueret; sed cum doceretur a confessario voluntaria haec non esse, quae maxime in confessione patiebatur, nec ad peccatum imputari, a summa molestia et tenebris quasi evigilans magna cum pace spiritus coepit [Eucharistiae sacramentum] frequentare.

575. Cum Jubilaeum pro reductione Angliae Panormi promulgatum esset, fere septingenti nostris [con]fessi sunt et inter eos Dux Bibonae et ejus uxor et multi alii ex primaria nobilitate. Curatum est etiam ut aliquis ex nostris exhortaretur detentos in publica custodia ad jubilaeum obtinendum; et ita plurimi confessi sunt, ut in Paschate nullus relictus esse videretur, cum quadringenti et eo amplius ibi essent.

576. In secundo autem jubila<sup>o</sup> <sup>2</sup>, quod mense Septembri fuit publicatum Panormi, quidam concionator, cui promulgatio commissa fuerat, duos tantum dies, scilicet, lunae et martis, praeter diem dominicum, in quo promulgabat, assignavit ad confessionem faciendam; et ita pauciores potuerunt illud obtinere quam nostri optassent; quadringenti tamen ex his apud nostros communicarunt. Tanta autem fuit poenitentium multitudo, ut quamvis usque ad duas et tres horas noctis nostri vacarent confessionibus audiendis, eis satisfacere non potuerunt. Ex his tamen, quos audierunt, pars in Cathedrali ecclesia, pars in parochiis, pars in eodem nostro templo communicavit.

577. Generales totius vitae confessiones hoc anno cum singulari fructu auditae fuerunt plurimae, non saecularium solum, sed et religiosarum foeminarum, quae nostrorum operam in hoc

<sup>1</sup> Spatium hic in Ms. relictum est, quasi voluerit librarius aliquod vocabulum inserere; quod tamen supplere nos non valemus nequidem ex Pauli d' Achillis, e quibus haec deprompta sunt, litteris. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 257.

<sup>2</sup> A Paulo IV concessio.

pio ministerio postulabant. Quia tamen earum aliquae, vitae reformationem expectantes, ad monasterium, in quo observantia major vigeat, aspirabant, abbatissae illarum quodammodo timebant ne nimis proficerent.

578. Aliquid simile accidebat viris quibusdam nobilibus, sed qui Deum minus quam par erat timebant, qui nolebant suas uxores ad nostrum templum venire, quod fama erat eos <sup>1</sup>, qui nostris confiterentur, ex carnalibus spirituales effici. Multi autem, alibi confessi, denuo nostris confessi sunt, quod suae conscientiae satisfacisse non putabant.

579. Fuit inter poenitentes qui, cum constituisset uxorem occidere, et propositum et vitam mutavit <sup>2</sup>. Quidam, qui diu vixerat, confessus non erat graviora peccata; et accedens ad confessarium, sic a daemone vexabatur, ut trepide sudaret, et diu pugnam internam patiens, integre confiteri vix poterat; sed exhortationibus et compassione <sup>3</sup> confessarii adjutus, magnam a Domino misericordiam consequutus, et magna cum consolatione spiritus ac pace recessit.

580. Omitto alia, quae in confessionibus accidere crebro solent, ut qui plures annos abstinerant ab hoc Sacramento et magna cum contritione tunc confessi sunt et a peccatis recesserunt. Et fuit inter hos, qui castitatis votum sponte emitteret, eo quod parum honeste prius vixisset. Fuit et alia mulier, quae tam acerbe de suis peccatis dolebat, tamque gravem poenitentiam diu et constanter faciebat, ut oportuerit confessarium ad mitigandum dolorem et relaxandum poenitentiae opera eam adhortari.

581. Aliqui ex nostris eleemosynas per urbem emendicaverunt ad sublevationem pauperum, qui in carcere tenebantur. Et praeter refectionem aliorum, aliqui omnino liberati fuerunt, qui tantum propter expensas in carcere factas, quibus solvendis non erant, ibi detinebantur. Praeterea, adjuvante Pro-rege ac Monte Pietatis, alii numero sexaginta sex liberati a carcere fuerunt; quod hoc anno facere non cogitaverat Mons praedictus Pietatis propter quasdam, quae occurrebant eis, difficultates.

<sup>1</sup> Ms. habet *is*.

<sup>2</sup> In Ms. *mutare*.

<sup>3</sup> In Ms. *confessione*.

582. Sunt autem duae custodiae Panormi; in altera his annis praecedentibus, ut superius dictum est <sup>1</sup> valetudinarium quoddam confectum fuerat, ubi aegrotantes hujusmodi homines in carcere detenti curabantur. Reliqua erat custodia, quae eodem indigebat remedio, quod cum suggereretur Pro-regi, jussit ille jurisperitos ac procuratores ad se vocari, et hortatus est ad aliud valetudinarium in secundo carcere conficiendum; et quia confraternitas quaedam notariorum prioris valetudinarii curam susceperat, curatum est a P. Provinciali, cum quo Pro-rex tractari hoc pium opus ab illis doctoribus et procuratoribus voluit, ut duae istae confraternitates in unum corpus coirent <sup>2</sup> et aliquid singuli promitterent statum ac firmum, ut in utraque custodia pauperes sublevari in suis morbis possent.

583. Monasterium S.<sup>ti</sup> Joannis, cognomine *del Roglion*, quod superiori anno diximus <sup>3</sup> ab antiquis monialibus liberum relictum, ut in eo novae reciperentur religiosas, quae vivendi rationem reformatam ac vere spiritualem susciperent, illud, inquam, monasterium instauratum fuit, et fere mille et ducenti aurei in aedificio expensi fuerunt, ut ad observantiam religionis idoneum redderetur; quae res cum magna civitatis aedificatione peracta est; et ex illis, quae nostro in templo crebro confitebantur et communicabant, undecim spirituales foeminae ac piae, cum magna solemnitate et aedificatione ejus urbis, in praedictum monasterium inductae fuerunt, quas brevi tres aliae consecutae sunt. Praedicavit autem eo die P. Paulus cum magna auditorum satisfactione.

584. Inter tres autem postremas, una fuit pernobilis et dives vidua, cujus vitae exemplum et prudentia valde probata erat, Baronissa del Viscaro dicebatur <sup>4</sup>, quam multi ab eo proposito detertere tentaverant, sed illa constans in sancto proposito, monasterium ingressa est; et septuaginta vel octoginta ducatos annui redditus eidem monasterio dedit. Fuit autem quinta die Augusti electa et confirmata in abbatissam ejus monasterii reli-

<sup>1</sup> Vide supra, t. II, pag. 37, n. 77.

<sup>2</sup> Rectius ut jurisperiti et procuratores, huic secundo carceri sublevando a Pro-rege convocati, procuratoribus et notariis, qui, ut primo carceri subvenirent, in confraternitatem quamdam coaluerant, sese adjungerent.

<sup>3</sup> Vide supra, t. IV, pag. 209, n. 464.

<sup>4</sup> "Baronisa qua la domandano.", Angelus Pullicinus Ignatio 3 Septembris 1555.—Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 623.

giosa quaedam triginta annorum magnis spiritualibus donis praedita, quae sex annis ante ingressum, cuidam ex nostris confessa erat. Coepit autem feliciter, sed progressus felicior fuit hujus monasterii: et aliquae suam emiserunt professionem sub ordine S.<sup>ti</sup> Benedicti.

585. Omnes autem in spiritualibus exercitiis nostrae Societatis consuetis sese exercuerunt, et earum exemplum alias non paucas ad imitationem revocabat. Decem virgines mense Septembri sollicitè urgebant nostros, ut curarent ipsas in monasterium admitti. Et caetera quidem omnia recte admodum cedebant. Sed illud non optime, quod cum nostri hoc pium opus promovissent et lacte verbi Dei et sacramentorum ac sacrificiorum refecissent, cum postea pedem referre vellent, ne contra instituti nostri rationem agerent, id sine offenculo plurimorum facere non potuerunt; et multos annos hoc onere Collegium nostrum Panormitanum, extorta variis modis a P. Praeposito Generali facultate per civitatem ipsam et moniales, premi debuit.

586. Aliud pium opus cum magna aedificatione et fructu inchoatum est, puellarum scilicet orphanarum, in quo illae usque ad aetatem nubilem, vel in qua possent in monasteriis constitui, alerentur et instituerentur. Cum igitur P. Provincialis cum Pro-rege et aliis primoribus rem contulisset, supra quinque millia aureorum ad reditus emendos collecti sunt. Et eo facilius hoc pium opus poterat promoveri, quod jam civitas ipsa tria vel quatuor millia ducatorum aurei reditus habebat ad hujusmodi orphanas puellas in matrimonio collocandas. Usque ad illam ergo aetatem ut bene institui possent haec domus praestabat. Et ad septingentos aureos annui reditus brevi quaesiti sunt, et facile temporis successu incrementum habitura erat haec domus, quia Panormi multi propensi erant ad collocandas in matrimonio puellas, quas referebat plurimum in Dei timore ac pietate institui. Visum est autem et peti debere a Summo Pontifice ut ea summa, quae taxata erat ad dotem orphanarum ut in matrimonio collocarentur, eadem applicari posset ad dotem ingredientium monasteria.

587. Saracenus quidam sub initium aetatis ad nostros accessit, dicens velle se christianum fieri, quem cum domi excessissent et in fidei rudimentis instruxissent ac demum eum bapti-



zassent cum honesta celebritate, albis vestibus more romano eum induerunt, ac deinde Ducissae Bibonae, ut ipsi inserviret, commendarunt, et bene suo ministerio fungebatur.

588. Cupiebat Pro-rex ut quidam ejus servus, juvenis, christianus efficeretur, et ita ad Collegium nostrum misit ut aliquandiu in eo versaretur, et se ad fidem Christi disponderet; et quamvis ille tam obstinatus accessit, ut potius vivens comburi quam christianus fieri vellet, ut ipse testabatur, tamen gratia Dei pervicaciam ejus superante, christianus effectus est, et instructus ac baptizatus, quemadmodum et ille prior; et Collegio cum magno fervore et profectu sui spiritus inserviebat; nec solum nostris, sed et externis aedificationi erat. Tertius etiam saracenus, a Duce Bibonae missus, instructus simili modo ac baptizatus est, bonae indolis juvenis et bonis moribus praeditus.

589. Nobilis quidam ac dives juvenis panormitanus, postquam exercitia apud nostros acceperat, in Religionem Capucinatorum, ad quam jam antea propensus erat, ingressus est; et quidem procul ab urbe sua <sup>1</sup>, ne consanguineos vicinos haberet. Ad eosdem religiosos alius quidam, confiteri solitus, accessit, ut Deo quietius servire posset.

590. Adjunctus est etiam Societati nostrae Carolus Regius, quindecim vel sexdecim annos natus, quem jam pridem Petrus Regius <sup>2</sup> ejus frater praecesserat; in humanioribus litteris eruditus satis erat, nec parentes ejus, qui non minus pietate ac sanguine nobiles erant, suum consensum ei denegarunt. Alii complures et egregiae indolis juvenes bona spe ac sacramentorum usu, cum idem postularent, fovebantur.

591. Exercitia spiritualia multis proponebantur utriusque

<sup>1</sup> "se n' andò al desiderato conuento delli detti capuccini, non a quello che' è uicino alla città, ma un' altro ch' hanno detti fratri in Castrogiouanne.", Angelus Pullicinus, ut supra.

<sup>2</sup> Petrus Regius senior... ortus est Panormi ex nobilissimo Regionum et Afflictorum genere, Joannis Aloysii Regii filiorum natu minimus. Anno secundo post Panormum invecam Societatem inter primos nostro numero se adjunxit, parentibus maxime laetis, quod primam familiae veluti facem, ut in Societate praefulgeret, Deo dedicasset. Post biennium anno 1553 a B. Ignatio Romam evocatus, ibique latinis, graecis, hebraicis, humanis, divinisque litteris optime excultus, maximum ingenium summa cum eruditione conjunxit et inter aevi sui doctissimos viros in Gallia, Germania, Italia habitus est, fratresque suos Carolum et Vincentium, doctrina praestantissimos homines, in ipsa litterarum laude superare visus est.... AGUILERA, *Provinciae Siculae Societatis Jesu Ortus et Res gestae*, part. 1, cap. xv, n. xxxvi.—Distinguendus probe est Petrus hic Regius a Petro Riera, cujus saepius jam mentio facta est in hoc *Chronico*, quique Petrus Regius nonnunquam appellatur.

sexus, et illis praesertim, quae novum monasterium praedictum <sup>1</sup> erant ingressurae; religiosis etiam compluribus aliorum monasteriorum; quamvis ea in re, quia multum temporis collocandum erat, merito dubitabat P. Paulus an expediret passim postulantis monialibus ea in parte satisfacere.

592. Sub aetatis initium Paulus Pollicinus, qui classi humanitatis praeerat, ad sacerdotium promotus est, et apud conversas, ubi quadraginta erant religiosae, magno cum fructu earum concionabatur. Expulsa fuerat ab hoc monasterio monialis quaedam, quae aliquando abbatissa fuerat, sed quia male se gerebat, cum aliis quibusdam ab eodem monasterio non ibi retinenda esse visa fuit <sup>2</sup>. Illa vero litteras apostolicas obtinere nitebatur, ut ad idem monasterium rediret, et abbatissae officium exerceret; quod cum ad ruinam monasterii manifeste tendere videretur, et omnes aliae, quae laudabiliter in eo vivebant, essent egressurae, cum nullo modo tolerandam esse censerent eam abbatissam esse, quod ambitiose <sup>3</sup> curabat; curatum est ut ea confirmaretur, quae legitime et utiliter monasterio praeerat.

593. Promotus etiam fuit ad sacerdotium P. Angelus Prosdocius <sup>4</sup> et P. Petrus Mercato <sup>5</sup>, et ut possent confessionibus vacare P. Juvenalis <sup>6</sup> ac P. Petrus Venustus, a classibus, quibus praeerant, liberati fuerunt, aliis in eo scholarum munere succedentibus. Novus etiam sacerdos factus est P. Gabriel Pu-teo <sup>7</sup>; et ita paulatim operariorum numerus augebatur.

594. Sed recessit a nostrorum numero Joannes Michaudus, Allobrox, is, inquam, qui puer olim haereticus fuerat et a Cardinalibus Inquisitoribus domi nostrae constitutus, hae-

<sup>1</sup> Pag. 200, n. 58<sup>1</sup>.

<sup>2</sup> Vide supra, t. I, pag. 238, n. 193.

<sup>3</sup> Ms. habet *quam vitiose*; sed emendandum videtur ut supra.

<sup>4</sup> Verba haec P. Angelus Prosdocius manu propria inseruit Polancus. Prosdocius hic pie Messanae obiit anno sequenti. AGUILERA, l. c., lib. I. cap. v, n. 4.

<sup>5</sup> Alius, ut videtur, a Georgio Mercato, quem hoc anno in studiorum instauratione Syracusis habita orationem eloquentem habuisse refert idem AGUILERA, l. c., lib. I. cap. IV, n. XXVIII.—De hoc et praecedenti ad sacros ordines promovendis scribebat Polancus, *ex com.*, Patri Annibali du Coudrey, Messanensi Rectori, 6<sup>a</sup> Decembris 1564.

<sup>6</sup> P. Juvenalis Boterus, vel Boterius. Vide supra, t. I, pag. 383, n. 387.

<sup>7</sup> P. Gabriel Pozus, vel *del Pozo*, "in Baleari majori natus, spectatae virtutis homo qui ab cruciandi corporis studio, quod flagris assiduis quotidie caedebat, et obtemperandi constantia commendatus, cum tribus aliis Fratribus valetudinario addictus, Panormi in suburbano peste interceptus, pridie Calendas Apriles (1576) victima charitatis extinctus est." AGUILERA, *ibid.*, cap. IX, n. 8.

reses abjuraverat, et non solum catholicus effectus erat, sed ut Pro-rex ipse rogaverat, in Societatem admissus; et postquam aliquot annos dedit litteris operam, difficile se posse ferre continentiam affirmans, et se ob summa beneficia Societati obnoxium agnoscens, absolvi se a Societate petebat; et saepius se ipsum vincens et propositum renovans serviendi Deo, nihilominus magna inconstantia ad solutionem petendam redibat. Et sic demum saecularibus vestibus indutus, a Societate quidem dimissus fuit, sed in cubiculo quodam retentus, tanquam Inquisitorum nomine; sed postea omnino liber sibi relictus est.

595. Duo etiam ex illis, qui ex Hispania venerant, ob aegritudinem eo remissi sunt, scilicet, P. Vincentius Roa et Franciscus Miramonte <sup>1</sup>.

596. Pater etiam Desiderius Gerardinus, qui olim Tyburtini Collegii Rector fuerat, et Messanae, Italiae ac Panormi (ad quae loca valetudinis gratia mutabatur) <sup>2</sup>, cum morbo suo conflictatus, tandem nona Octobris Panormi ex hac vita decessit; vir pius ac bonus, natione Lotharingus, et qui, quamdiu potuit, diligentem se operarium vineae Domini praestitit.

597. P. Elpidius Ugoletus eodem tempore aegrotabat, sed convaluit, et cum in Collegio nostro Panormi christianam doctrinam praelegisset aliquandiu, Bibonam ad Ducissam missus est <sup>3</sup>.

598. Inter morientes, quibus nostri aderant, fuit D. Hieronymus del Campo, vir nobilis et de Societate nostra optime meritus, cui per biduum astitit P. Paulus; et ille quidem, omnibus sacramentis susceptis ac bene dispositus, cum magno Societatis <sup>4</sup> sensu ad Dominum migravit.

<sup>1</sup> *Miramón?*

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 224, n. 501.

<sup>3</sup> Postulaverat Bibonae Ducissa aliquem sibi mltti, qui confessarii munere apud eam fungeretur, et hanc Ducissae postulationem notam fecerat Ignatio P. Hieronymus Domenech, nonnulla addens de dotibus quibus praeditum confessarium esse oportebat. Patri Domenech respondet, *ex com.*, Polancus: "Acerca del enviar un confesor español y de dias para la Sra. Duquesa, seria bien, si le hubiese (aunque duda alguno que tal costumbre convenga); pero es verdad que no le hay que tenga las partes que serian menester y que se pueda enviar allá, especialmente ahora que para la Dieta de Alemania envia dos el Papa, que habrán de ser de los mejores. Allá se acomode V. R. lo mejor que podrá: y cuando se diere comienzo al colegio, que con tanto espíritu y deseo fabrica Su Señoría, entonces tendrá á la mano confesor cuando residiere en su estado." 11.<sup>a</sup> Januarii 1555.

<sup>4</sup> Sic; *pietatis?*

599. Quod ad P. Joannem Guttanum attinet, judicia Dei admiranda licet considerare; tam diligenter enim P. Ignatius ejus redemptionem curabat, ut, quia per Siculos nostros erat curanda, singulis hebdomadis tenerentur Rectores Collegii Mesanensis et Panormitani scribere quid circa ejus redemptionem egissent; et saepius curatum est per nostros et ipsorum amicos ut redimeretur; sed cum ille, cui serviebat in biremi, intellexisset hominem esse hunc, cujus ratio habebatur, decrevit illum non dimittere nisi quidam ejus <sup>1</sup> frater, qui in praetoria triremi Joannis de Vega servus tenebatur, cum eo permutaretur. Hic saracenus, frater illius, cujus erat servus P. Guttanus, Pro-regis ipsius servus erat, et fuisset redemptus per aliquem ex eis, quibus erat id commissum, nisi pactum fecisset ipsemet P. Guttanus cum domino suo, quem Ziacholi vocabant, quod effecturus erat, ut sui loco fratrem suum nomine Velli, a Pro-rege Siciliae obtineret. Joannes quidem de Vega, Pro-rex, libenter dedit servum suum Velli; sed quia octingentis aureis illum estimabat, volebat ut simul cum Patre Joanne Guttano, duo vel tres alii christiani liberi relinquerentur. Velli autem aliquandiu restitit, sed tandem scripsit semel atque iterum fratri suo Ziacholi ut omnino Patrem Guttanum cum duobus aliis in sui permutationem dimitteret. Scriptae sunt etiam litterae ad Goletae Ducem <sup>2</sup>, quia Gierbiensibus vicinus erat, ubi P. Guttanus detinebatur, ut hanc redemptionem omnimodis et diligenter curaret; et si non possent alii obtineri, ut saltem P. Guttanus liberaretur. Interim autem dum haec agebantur misit aliquid pecuniae P. Paulus ut incommoda servitutis melius toleraret. Datus est etiam servus Velli ut mitteretur ad Guletae Ducem, additis litteris Pro-regis; sed dum haec lentius aguntur propter navigationis et piratarum difficultates, interim P. Joannes Guttanus, ex hac vita decedens, in libertatem filiorum Dei, postquam fere biennium in illo velut Purgatorio probatus fuisset, vindicatus est <sup>3</sup>.

<sup>1</sup> Ejus, cui in biremi Guttanus serviebat.

<sup>2</sup> Dominum Alphonsum de la Cueva. Vide supra, t. iv, pag. 186, n. 396.

<sup>3</sup> Quoddam hic spatium vacuum in Ms. relictum est, forte ut alia de P. Guttano addatur, quae tandem praetermissa sunt.

600. Non solverant nostri Panormitani eam ratam partem, quae ad eos pertinebat, regii donativi (ut vocant) pro fructibus abbatae Collegio unitae; sed tandem didicerunt a ministris regis, etiam amicissimis, quod ab ea solvenda immunes non erant, et 325 aureos dare debuerunt, usque ad primos hujus anni menses <sup>1</sup>.

601. Intellectum est etiam quod litterae apostolicae ac privilegia nostra ut in Sicilia admitterentur *executoriari* deberent (hoc vocabulo utuntur cum datur facultas ad executionem) et ita eo mitti hujusmodi litteras omnes postularunt ut Pro-regis auctoritate ac favore executionis facultatem haberemus <sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Ad hujus rei intelligentiam juvabit legere sequens "Capitulum xxxv. *De donativo solvendo per Brachium Ecclesiasticum de pensionibus*. Item supplica lo dictu Regnu a vostra Altezza, che, havendu quillu in considerationi li causi, et respecti predicti, offeriu a vostra Real Majestati dictu donativu, per la conservacioni, salutis, e tutela di lu Regnu, per li novi di lu preparatoriu di la armata di ipsu Turcu, et altri imminenti periculi, pro servitio Omnipotentis Dei, et conservatione Catholicae Fidelis, et cosi per la generali, et particulari salutis, et protectioni di lu Regnu, havendusi dictu donativu da pagari per tucti dicti tri brachii pro rata, essendu infra li altri lu brachiu Ecclesiasticu tenuu da contribuii tantu a donativi, quantu decimi, et altri graviiu, li persuni, li quali percipenu, seu fannu percipiri in lu Regnu li pensioni imposti supra Archiepiscopatu, Episcopatu, Abbatii, et altri Ecclesiastici beneficii, recusano contribuii quillu sarria la rata, et debita contingentia loru, attenta quantitate pensionum: si digni providiri, et comandari, che de caetero tucti pensionarii, li quali percipinu dicti pensioni, hagianu pro rata ad contribuii, et pagari loru contingentia di tucti Regii donativi, collecti, et decimi, attentis deductis in praesenti Capitulo, quae de iustitia procedere videntur; et quod pensionarii in omnibus aliis regnis suae Regiae Majestatis contribuere solent in omnibus beneficiis.

Placet Regiae Majestati, quod solventes in praesenti donativo juxta valorem dignitatum, et beneficiorum suorum, possint retinere de pensionibus, quas facere tenentur, ratam ipsis pensionibus contingentem; et si eis super ea moveretur quaestio per dictos pensionarios, Advocatus, et procurator fisci pro interesse regio partem faciant in eorum defensione ipsis dictas ratas retinentibus, donec per justitiam aliter esset provisum. „*Capitula Regni Siciliae*. t. 1, Ferdinandus II, cap. xxxv.—In capite autem sequenti ad petitionem Regni *Ut non sint exempti Monachi Sancti Benedicti*, decernitur ab omnibus solvi debere *nemine excepto*. Quod confirmavit postea Carolus I, *Ibid.*, t. II, Carolus I, cap. cix.

Subsequentibus annis idem in favorem Panormitani Collegii tentatum est, sed, ut videtur, frustra. "Cap. xvi.—*Ut Collegium Patrum Societatis Jesu Panormi sit exemptum et liberum a Regiis donativis*.—Li Padri del Collegio della Compagnia di Gesù di questa Città di Palermo si ritrovano in gran necessità, per essere molti, che attendono a diverse opere buone in servizio di Dio, et edificatione delle anime: et per non tenere tanta rendita sufficiente al bisogno loro; et perche la Majestà dell' Imperatore di gloriosa memoria fece a loro gratia dell' Abbatia di S. Filippo la grotta, della quale paga alla Regia Corte di vostra Majestà ogn' anno in circa a novanta scudi per li donativi ordinarii, et straordinarii: li supplica a vostra Majestà, che si degni concedere a detti Padri del Collegio della Compagnia di Gesù della Città di Palermo, che siano exempti, et liberi di detti donativi ordinarii, et straordinarii. Che, oltre che sarà opera grata a Dio, il Regno la riceverà da vostra Majestà a favore singularissimo.

Si aerarium dicti Regni exhaustum non esset, Catholica Majestas faciliè optatis Regni annueret. „*Ibidem*, t. II, Philippus, I Rex Siciliae, II Hispaniarum, pag. 249.

<sup>2</sup> Item staranno attenti quelli de lu consigliu che nixuna Bulla o littera de Papa,

602. Quaedam autem bona abbatae nostrae S.<sup>ti</sup> Philippi della Grotta, male ab aliis usurpata, recuperari coeperunt, et a Patre Ignatio postulata fuit confirmatio concordiae, quam cum quodam inierant, qui hortum quemdam amplum tenebat.

Et haec de Collegio Panormitano.

## DE COLLEGIO MONTIS REGALIS

603. Initio hujus anni praeerat huic Collegiolo Montis Regalis P. Sanchius Occhioa, navarrus, ubi quinque tantum erant de Societate et tres praeterea pueri africani, cum quodam arabicae linguae praeceptore, quem ipsorum lingua *Alphachi*, id est, magistrum aut aliorum institutorem, vocabant <sup>1</sup>, et ibi nostri, ut superius tetigimus <sup>2</sup>, huic arabicae linguae operam dabant, et sperabant quidem hunc praeceptorem saracenum ad Christi fidem adduci posse; sed ille inveteratus dierum malorum cum esset, altero oculo privatus et cum altero parum videret, lumen veritatis multo magis ab intellectu suo excludebat, quamvis de quibusdam erroribus et blasphemiiis ipsorum convinceretur ac de illo peculiariter quod Deum omnium malorum auctorem, non minus quam bonorum, faciunt.

604. Duo ex discipulis bene loquebantur arabice, quorum alter erat Gaspar Sanchez, qui expedite et prompte eo utebatur idiomate <sup>3</sup>. Alter ex nostris loquebatur quidem aliquantu-

---

o altri Principi, o gran Signuri, seu Comitanti (Comunitati? Conti?), li quali siano tramisi o portati in Sicilia per qualuncha persona sia, tanto in Palermo, Messina, quanto in ogni altra parte, non si degia apriri, ne legiri per nissuno, excepto che primo venga in potiri de la dicta Regina et so consiglio, et deinde per comandamento della dicta Regina sinde farrà quello che sarà ordinato., *Capitula Regni Siciliae*, t. I, Martinus, cap. LXVII.—“Com'è notorio in lo detto Regno non si può exequire rescritto, provisione commissione, ne bolla alcuna, che prima non se ne habbia la Viceregia executoria, et così si osserva etiam in le provisione de lo Illustrre Vicerè; supplica per questo lo detto Regno...”, *Ibid.*, t. II, Carolus, II Rex Siciliae, V Imperator, cap. CXXIX.

<sup>1</sup> Vide supra t. IV, pag. 216-219, nn. 481-484, et *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 115, 303, 304 et 649.

<sup>2</sup> Supra, t. IV, pag. 218, n. 483.

<sup>3</sup> Vide supra, t. IV, pag. 218, n. 484.—Hic ille est, qui Societatem paulo ante annum 1554 ingressus, primus fuit Panormitanae Professorum domus Praepositus anno 1584, oblitque tandem Panormi 19.<sup>a</sup> Februarii 1614. Vide AGUILERA, l. c., part. I et II; BOERO, *Memologio*, t. II, pag. 344; et *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 649.

lum, sed non recte, quamvis scriberet. Tres pueri legere discebant.

605. Ecclesia, quam anno praecedenti inchoaverant, ad finem perducta est sub initium Januarii, post cujus benedictionem, et Missae ibi dici, et conciones haberi coeperunt. Nec praeter Cathedralem ecclesiam, alia perinde commoda ea in civitate erat; et ita Montis Regalis homines ex corde laetabantur, cum eam viderent.

606. Dedit autem Pro-rex in ejus usum triplicia sacerdotum et altarium ornamenta; et perpulchram ex argento custodiam S.<sup>mi</sup> Sacramenti <sup>1</sup> et campanam, quam ex Africa tulerat. Petebantur autem aliquae indulgentiae ad hominum devotionem augendam et a Cardinali Farnesio, Archiepiscopo <sup>2</sup>, postulatae fuerunt, et eisdem litteris, a Praetore et aliis officialibus subscriptis, testimonium reddebatur de bono Collegii progressu; et gratias agebant Cardinali, quod tam insigni beneficio suam illam civitatem affecisset, Collegium Societatis ad eam mittendo <sup>3</sup>.

607. Augebatur autem in dies confitentium numerus et multi singulis dominicis diebus et aliis festis solemnioribus hoc sacramentum et SS.<sup>mam</sup> Eucharistiam frequentabant; quae res, ut inusitata in ea civitate, quibusdam, qui spiritum Dei parum gustabant, occasio erat contra nostros obmurmurandi, nam peccatum esse quidam existimabant crebro communicare. Alii autem dicebant nostros in causa esse ut ex duodecim anni mensibus sex separatae essent uxores a maritis. Quos errores cum reprehenderet P. Sanchius in concione, quam ipso die S.<sup>ti</sup> Sebastiani, publicato Jubilaeo, habuit, et ad frequentem usum horum sacramentorum exhortaretur, quidam dicebant prohibitam esse praedicationem ab Episcopo Suffraganeo <sup>4</sup> eidem P. Sanchio; usque adeo res ipsis paradoxa videbatur crebro communicare.

608. In monasterio monialium S.<sup>ti</sup> Chastri <sup>5</sup>, ubi idem P. San-

<sup>1</sup> Illud scilicet instrumentum, quod jam usus habet ut dicatur *ostensorium*, in quo et sanctissimum Christi corpus asservatur et fidelibus adorandum proponitur.

<sup>2</sup> Montis Regalis. Vide supra, t. II, III et IV.

<sup>3</sup> Hujus non meminit PING in *Acta Sanctorum*, l. c.

<sup>4</sup> Pompeo Zambeccario. Vide supra, t. III, pag. 230, annot. 2.

<sup>5</sup> Sic; at supra, t. III, pag. 233, n. 515, et pag. 234, n. 519, *Sancti Erasti*, et in *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 649, *Sancto Crasto*; verum existimamus sermonem esse de

chius concionari solitus erat antequam propria ecclesia conficeretur, complures ex illis religiosi foeminis nostris confessae sunt; et tam ex illis quam ex aliis, multae generales confessiones auditae fuerunt, quae summopere poenitentibus erant necessariae, multaeque animae a laqueis daemonis solutae fuerunt, in quibus diu multumque irretitae fuerant. Inventus est qui, cum vellet juramentum falsum publice facere, cum dubitaret an peccatum esset, a quodam confessario suo hoc consilii accepit (erat autem is confessarius peritissimus ejus urbis existimatus) ut juraret, nam ad defensionem propriae causae id ipsi licere. Cum autem conscientia obmurmuraret, securum eum reddidit confessarius ille, ac supra suam conscientiam se accipere dixit; et ita falsum juramentum ille fecit. Quod retuli, ut tenebras ignorantiae, in quibus illi versabantur, insinuem, et quod ad verbum illud Christi impleri videbatur: *Si caecus caeco ducatum praebeat, ambo in foveam cadunt*<sup>1</sup>. Hi tamen, qui sine scrupulo juramenta hujusmodi fieri posse sentiebant, scrupulum nihilominus sentiebant si crebro communicarent. Crescebat tamen hujusmodi crebro communicantium numerus, et paulatim expellebantur errorum et ignorantiae tenebrae.

609. Inter complures, qui discordes erant, pax facta est; et partim concionibus, quae in ecclesia nostra singulis dominicis diebus fiebant, partim familiaribus colloquiis, homines ad mutuam inter se animorum conciliationem adducebantur. Inter alios duo nobiles, qui aliquot annos odio gravissimo se invicem prosequabantur, opera nostrorum tandem ad pacem redierunt. Curatum est etiam ut remissio fieret parti contrariae a quibusdam; et ab ipso Governatore venia impetrata quibusdam in exilium missis propter defectus non praemeditatos sed casu, ut assolet, accidentes.

610. Quod ad scholas attinet, semper nostri perrexerunt in litteris et christiana doctrina docenda, quamvis auditorum numerus nunc major, nunc minor esset; nam caritas annonae et sterilitas horum duorum annorum effecerat ut potius victui

---

coenobio Monialium *Sancti Castrensis*, cujus meminit Rocchus Pirrus, l. c., *Monteregalensis Ecclesiae Notitia III*, lib. I, dum gesta narrat Hieronymi Venero et Leyva, Monteregalensis Archiepiscopi.

<sup>1</sup> Matth. xv, 14.



quaerendo quam litteris addiscendis vacarent. Quando conveniebant omnes scholastici, circiter centum erant.

611. Aliquae viduae juvenes castitatis voto sponte sua Dei servitio se dedicarunt. Aliquae etiam virgines ingressum in religionem voverunt, ut ibi se perpetuo Dei servitio manciparent; aliae in parentum domibus castitatem se servaturas promiserunt.

612. Adjunctus fuit in anni progressu socius sacerdos P. Sanchio, ille scilicet neapolitanus fere sexagenarius, nomine Carolus, quem Messanae admissum fuisse diximus<sup>1</sup>; et ita plurimum confessiones audiri poterant.

613. Ter in hebdomada solis monialibus librum quemdam spirituales P. Sanchius ad earum utilitatem declarabat, ex qua lectione multae desiderio serviendi Deo accensae sunt.

614. Aliquos pauperes, in carcere detentos propter debita vel calumniam, idem liberandos curavit, idque partim Gubernatorem, partim advocatum pauperum ad eos juvandos excitando, partim alios ad eleemosynas in eorum auxilium conferendas.

615. Adfuerunt etiam aliqui[bus] capitali supplicio puniendis, et usque ad ipsorum mortem eosdem comitati, ut bene [morerentur], ut christianos decet, adjuverunt.

616. Inter alia tamen pietatis opera illud maximi momenti fuit, quod cum quadam dexteritate a Gubernatore obtinuerunt, ut intelligeret calumnias et oppressiones, quas pauperes patiebantur a duobus ex praecipuis justitiae ministris, qui fere publice pauperes expilabant, et terroribus ac minis, ut [non] se defenderent aut conquererentur, licet calumniam passi et direptionem, opprimebant. Et cum tempore Gubernatoris, quem diximus superius naufragio periisse<sup>2</sup>, illi duo officiales quodammodo omnia suo arbitrato facerent, et magnam apud illum auctoritatem haberent, plus eis mentientibus credebat, quam pauperibus suas oppressiones apud eum deflentibus, et aliquando punitionem etiam referebant consolationis loco.

617. Sed cum Gubernator novus, qui demortui frater erat, administrationem ejus urbis accepisset, eandem illi duo ministri

<sup>1</sup> Pag. 192, n. 554.

<sup>2</sup> Pag. 193, n. 559.

viam tenere apud eum coeperunt; sed a nostris admonitus de quibusdam rebus, et incitatus ad veritatis inquisitionem, (nemo enim alius, ne Episcopus quidem suffraganeus, audebat hac de re cum ipso loqui), scelera plurima deprehendit, propter quae officio suo illos privavit, et ad fidejussores dando obligavit; et ita spes erat quod ad restitutionem essent cogendi majoris summae, quam per pauperum oppressionem acquisiissent. Nec sine poena etiam sui corporis evadere posse credebantur, cum supra centum testes gravissima mala in dies contra eos contestantes haberent; et in dies alii atque alii testes accedebant. Et tam singulare hoc beneficium existimabant cives Montis Regalis, ut nostros, patres patriae vocarent, quod a servitute quodammodo Pharaonis liberandam eam civitatem curassent. Immo et apud ipsum Gubernatorem nostrorum auctoritas aucta est; cum, experientia edocente, ea cognosceret esse verissima, quae a nostris dicta ipsi fuerant.

Et haec de Collegio Montis Regalis.

## DE PROVINCIALI SICILIAE

### AC COLLEGIIS SYRACUSAE ET BIBONAE

618. P. Hieronymus Domenech, praeter gubernationem suae Provinciae et conciones, de quibus mentio facta est <sup>1</sup>, in aliis pietatis operibus fere semper occupatus erat. Cupiebat autem satisfieri Messanensi civitati misso P. Jacobo Laynez, ut postquam concionatus esset in Quadragesima hujus anni, Provinciam illam visitaret, constitutiones promulgaret, aliquos etiam ad professionem admitteret (quam tamen ipse <sup>2</sup> in manibus P. Ignatii facere Romae cupiebat <sup>3</sup>) et dotationem Collegii Messanensis per applicationem alicujus abbatiae augeri curaret. Nam unam ex duabus, quae tunc vacabant, per Pro-regem obtinere ab Imperatore idem P. Provincialis studebat, et adve-

<sup>1</sup> Pag. 197, n. 569.

<sup>2</sup> P. Hieronymus Domenech.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 42, n. 76.

niente Patre Laynez, cum id Pro-rex magnopere optaret, expeditius hoc negotium conficiendum putabatur. Et haec commoda, praeter fructum spirituales et aedificationem civitatis Messanensis, quamvis proponeret Provincialis P. Ignatio, non tamen ejus <sup>1</sup> missio obtineri potuit, nam Paulus IV Pontifex suae obedientiae ipsum reservaverat <sup>2</sup>.

619. Primis mensibus hujus anni, vivente adhuc Pontifice Julio III, cum magna difficultate rei frumentariae Roma laboraret, et idem Pontifex ex Sicilia subsidium aliquod a Pro-rege obtinere niteretur, quod difficile etiam erat, quia et ipsa Sicilia simili difficultate laborabat, P. Ignatius, ut rem gratam Pontifici faceret, suis litteris hoc negotium Pro-regi Siciliae commendavit et quod petebat, cum Summi Pontificis laetitia non mediocri, obtinuit, ut litterae ipsius Pro-regis ad P. Ignatium significant <sup>3</sup>.

620. Declaravit idem Pro-rex eidem P. Provinciali familiariter quodnam esset pium illud negotium, quod a Patre Ignatio postulaverat serio commendari Deo, et erat expeditio quaedam contra Saracenos Africae; quos significavit eatenus non bene intellectos fuisse, sed Principem Hispaniarum et jam Angliae Regem Philippum, aliter de eis sentire, immo et valde expeditionem hanc approbare. Et cum orationes peteret Pro-rex, valde se propensum ad hoc bellum africanum ingerendum propter Dei honorem ostendebat; et collegia fieri africanorum, vel qui linguam illam scirent, ad hoc ipsum cupiebat. Quidam etiam ex ducibus triremium, satis in re militari et in variis regionibus versatus, curandum etiam esse sentiebat ut apud Ragusios, qui Sclavonica lingua utuntur, Collegium ad hoc ipsum institueretur, nam ea lingua Sclavonum latissime inter infideles patet <sup>4</sup>.

621. Dictum fuit superius <sup>5</sup> hortum quemdam, qui olim ab Abbatia nostro Collegio unita male alienatus fuerat, fuisse recuperatum; quia tamen bona fide, qui eum tenebat, quaedam

<sup>1</sup> Patris Laynez.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 83, n. 59.

<sup>3</sup> De his quaedam dabit *Nova Series litterarum Sancti Ignatii*.—Simile aliquod actum est anno sequenti, in favorem saltem Collegii romani romanaeque domus, ut videre est in *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 346.

<sup>4</sup> Vide supra, pag. 94, n. 245.

<sup>5</sup> Pag. 207, n. 602.

exponderat ut commodiorem illum redderet, fere centum aureos illi dederunt ne detrimentum pateretur; et huiusmodi aequitate utendum censebat <sup>1</sup> in alio insigni horto prope Panormum ab illa abbatia male alienato, qui quidem ad recreationem Collegii Panormitani perutilis erat futurus, cum domum haberet, vineam, olivetum, agros ad frumentum seminandum. Sic et domum aliam et alia huiusmodi recuperare, via juris, adhibita tamen aequitate, nitebatur.

622. Privilegium tamen (de quo anno superiore mentio facta fuit <sup>2</sup>), extrahendi 300 modios frumenti, quod in desuetudinem per aliquot saecula abiisset, non videbatur jurisperitis validum esse, nisi denuo a Rege confirmaretur. Alios etiam agros usurpatos prope Marsalam intellexit Provincialis; ibi enim bona praecipua Abbatiae Collegii unitae sita erant; et cuidam viro bono et amico et in colendis agris exercitato, qui ex charitate suam operam obtulit ad totum illum agrum aut villam Abbatiae utiliorem reddendum, curam reliquerunt, et puteos quosdam instaurandi et aliquos ex agris colendi ac seminandi, ac vineam plantandi; hortum etiam in meliorem formam redigendi. Et ipsemet Provincialis post Pascha ad hanc villam prope Marsalam se contulit, et domum quamdam rusticam ad frumenta detergenda confici iussit; et alia instituit quae ad cultum eorum agrorum et hortorum pertinebant. Vidit etiam hortum sex millia distantem <sup>3</sup> et quatuor a Marsala, locum amoenissimum et aëris saluberrimi et prospectus valde grati, cum fonte ad hortum irrigandum percommodo, malis aureis et granatis et olivis abundantem; et mille alias olivarum arbores plantari posse animadvertit.

623. Quidam etiam amicus hortum alium huic conjunctum (cujus directum dominium erat etiam Abbatiae, utile autem quarundam religiosarum, quae hortum vendere volebant) emere volebat, et, in meliorem formam redactum, post vitam suam Collegio relinquere, nec enim alter hortus sine altero commode teneri poterat. Mille etiam arbores olivae in eo plantari poterant et aliorum fructuum, praeter mala aurea, quae ibidem jam erant. Erat et turris quaedam inchoata, quae facile absol-

<sup>1</sup> P. Provincialis, Hieronymus Domenech.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 219, n. 485.

<sup>3</sup> a villa?

vi et commodam habitationem quibusdam ex nostris dare poterat. Et adhibita cura in hujusmodi rebus, effecit ut redditus Abbatiae, qui quingentorum scutorum esse solebant, Societati applicarentur, et ad mille aureos annuos et eo amplius ascenderent.

624. Prope Marsalam tres habet unitas ecclesias, tamquam membra sua, abbatia nostri Collegii; una earum dicitur S.<sup>ta</sup> Maria della Grotta; et tota ecclesia excisa est in rupe quadam, licet valde magna sit, et in eadem rupe aliquot habitationes etiam excisae sunt; nam facile genus illud saxi ferro cedit. Huic ecclesiae datus fuit ager praecipuus abbatiae nostri Collegii; deinde unita fuit haec ecclesia cum alia S.<sup>ti</sup> Philippi, ubi nostrum Collegium Panormi habitabat. Haec ecclesia S.<sup>tae</sup> Mariae, propter incuriam abbatum, alienata fuerat et in manus Episcopi devenerat; cum olim caput esset Abbatiae. Cum autem Episcopum alloqueretur Provincialis, paratus erat Collegio restituere, dummodo quaedam levia onera Collegium ferret, quae eidem ecclesiae incumbabant <sup>1</sup>.

625. Magna devotione Marsalae populus huic ecclesiae afficitur, et ibi tres religiosi capuccini agebant, qui cupiebant nomine Collegii ibidem manere, quamvis relinquebant in usum nostrorum quatuor aut quinque cubicula in rupe excisa; puteum

---

<sup>1</sup> Intelligentur haec plenius hac Rocchi Pirri, "*Notitia secunda Sanctae Mariae de Crypta, seu Grutta, Panormi, cum annexione alterius ejusdem nominis in Lilybaeo*. Duo haec ordinis etiam Sancti Basilii Magni Coenobia post exactos Saracenos prima in Panormitana Regione erecta, anno sal. 1197 per privil. dat. Panormi 8. Kal. Maji, 2 ind., ab Henrico VI ejusque uxore Constantia Impp. et Siciliae Regibus, III Innocentio Pont. Max. 4. id. Aug. anni ejusdem confirmante, simul copulantur; anno vero 1652 a Regia Caroli V. munificentia praeclarissimo Societatis Jesu Panormitano Collegio praebentur.—Primum quidem in Regiae Urbis loco juxta Forum venale Saracenica voce Segeballarath, post Gallorum caedem, per aphaeresim et syncopen, Ballarò nuncupatum, ubi hodie supra quod visendum et superbum Domus Professae ejusdem Societatis sub titulo Sancti Philippi templum exurgit. Dux Robertus Guiscardus statim ac, an. sal. 1072, Panormo est potitus, summa religione ductus, antiquissimum Basilense sub invocatione Sancti Philippi Agyrensis reaedificavit, novisque aedificiis ac foecundo monachorum incolatu nobilitavit, atque piis donariis praediisque apud Lilybaeum ditavit, post illius conjux Sichelgalta aliis bonis et tertia reddituum Judaeorum parte adauxit. De hoc monasterio (ex conjunctione alterius sub nomine Sanctae Mariae de Grutta) Panormitano brevis in lib. I de Abbatibus Panorm. fol. 217, sed latior fuit sermo lib. III de Mazara, fol. 557.—Secundum vero in Lilybaeo, seu Marsala, quod pietate et Antiocheno genere illustris Christodulus (alibi Christodulus) Rozius, Siciliae Amiratus, ex ejus uxore Nympha pater Georgii Amirati magnifice et excitavit et locupletavit, uti testatur Rogerius Rex per diploma mense Maji 16 ejusdem ind. 8, anno 6638.. „ *Sicilia Sacra*, col. 1193-1196.

aquae bonae, et locum ad hortum in ipsa rupe concinnandum habebant.

626. Secunda ecclesia erat S.<sup>ti</sup> Joannis, Lilybaeo mari vicina, cum agro quodam conjuncta ejusdem ecclesiae, ad quam etiam magna devotione concurritur. Est enim hoc observatum quod in festo S.<sup>ti</sup> Joannis (in quo ex tota valle Mazarae multi eo conveniunt) puteus quidam, ad quem per scalam lapideam descenditur, tempore prioris vespertini officii S.<sup>ti</sup> Joannis aqua putei paulatim crescit usque ad supremam oram putei; et in secundis vesperis paulatim decrescit, et ad suum locum redit aqua, et hoc visui manifeste patere dicunt. Ascensus autem et descensus quatuor vel quinque palmorum est. Fertur quod ex hernia et quibusdam aliis morbis multi ibidem sanentur <sup>1</sup>.

627. Dominus autem Joannes Pinellus, praefectus ejus provinciae, anno praecedenti ecclesiam dirui jusserat, quia timebat ne turcae eam occuparent et munirent, cum quatuor millia passuum extra urbem Marsalam esset. Tantum sacellum unum reliquit. Quemdam autem sacerdotem, stipendio conducit Collegium, qui huic ecclesiae vel capellae inserviat, cum Massarae habitationem habeat intra eandem urbem. Est tertia ecclesia, quae sine tecto erat.

628. Judicabat autem P. Provincialis propter haec omnia expedire ut Collegium Marsalae haberet Societas, quod Dom.

<sup>1</sup> "Ecclesiae unitae sive Prioratus hujus Coenobii (Sanctae Mariae de Marsala, postea de Grutta) sunt in civitate et agro Lilybaetano: 1. Sanctae Mariae de Grutta, ab urbe ad tertium lapidem in quodam antiquissimo antro subterraneo ad 52 gradus, a quo nomen habet, ubi adhuc simulacrum marmoreum B. Virginis magna est in veneratione. Hunc prioratum atque archipresbyteratum Sancti Thomae Marsalae dedisse lego Regem Martinum Joanni Lalliotae Marsal. ob rebellionem Petri de Ajuto et presbyteri Andreae de Mayo ex litteris datis in obsidione Catanae 28 Julii, 2 ind., 1394, in *reg. canc.* fol. 4. - 2. Sancti Joannis de Bofo, ad verticem Promontorii magnifice constructi; quod Caput Bofo dicitur. Diodorus lib. v, et Macrobius lib. *Saturnali*, Puteum Lilybaeum celebrant, de quo plura fabulatur antiquitas. Sacer namque apud supersticiosos veteres erat; e quo bibentes statim vaticinari videbantur; quod opus daemonum fuisse, qui conjecturis futura praedicere aliquando censentur, Christianus nemo dubitat. Puteus is plane est hodie, qui in templo D. Jo. Baptistae visitur, cujus intercessione aquae saepe, maxime in pervigilio ejusdem Sancti crescunt et decrescunt, et sunt ad salutem hominum. Subtus emanat fons praecipuus, cujus aquae prosunt aegrotis etiam. Ejus pavimentum crustis diversorum colorum distinctum esse testatur Aretius fol. 27, n. 10. Id beneficium post obitum Antonii de Vigintimiliis a Prorege datum est Joanni Peraltae datis Messanae litteris 24 Oct., 10 ind. 1476, in *lib. secr. Stephani Marci*, fol. 177., Rocchus Pirrus, *Sicilia Sacra, Massarensis Ecclesiae Notitia sexta*, lib. III, col. 1011.

Hic ad paginae oram in POLANCI ms. scripsit SACCHINI: "dicitur aqua putei crescere ad oram usque et decrescere a primis ad 2." vesperas S. Joannis."

Joannes Pinellus valde optabat; sed civitas paulo amplius quam octoginta aureos annuos dare poterat. Licet tamen nihil dedisset, videbatur expedire ut ibi Collegium fieret, a quo aliquid spiritualis auxilii ad ea loca rediret, a quibus tantum emolumenti temporalis Panormitanum Collegium accipiebat <sup>1</sup>.

629. Drepanum inde perrexit P. Provincialis, ubi invenit fratrem Jacobum de Augubio (qui cuidam monasterio praeerat <sup>2</sup>) de collegio Societatis instituendo cum ea civitate agere,

<sup>1</sup> Haud tamen ante annum 1589 Marsalae Societatis Collegium institutum est. "Lilybaeum, Siciliae pervetus oppidum (hodie Marsallam vocant) in cognomini promontorio visitur. Hic primum in Collegii fundamenta deiecit lapidem Comes Olivarius, Siciliae Prorox. Reditus annuos coeperat suppeditare Antonius Lombardus, Mamertinus Archiepiscopus, auxerat eosdem civitas; illos cumulavit Stephanus Frisella nomenque fundatoris promeruit. P. JOSEPHUS JOUVENCIVS, *Hist. Soc. Jesu*, part. v, lib. xv, n. 6.—De hoc fusius paululum ROCCHUS PIRRUS: "Societatis Jesu Collegium, sub titulo *Sancti Stephani Martyris*, nobile est ab anno 1589, opera et proventibus super aerarium Panormitanum Antonii Lombardi, Lilybaetani, tunc Archiepiscopi Messanensis, ope etiam Senatus Marsalensis, qui aliquibus auxit redditibus. Sed Stephanus Frisella, vir Marsalensis, animo, divitiis et pietate praeclarissimus, obtentis litteris a Praeposito Generali Societatis Claudio Aquaviva 26 Junii 1592, nomen adeptus est fundatoris; porro splendidissime Collegium ipsum ejusque nobilissimum templum exaedificavit dotavitque et nomine proprio *Stephani* insignivit. Huc a Patribus Roma translatae sunt reliquiae SS. Luciani M. et S. Virginiae V., L. c., *Marsalensis ecclesiae Notitia VI*, lib. III, col. 1009.—Fusius adhuc, ut par est, haec enarrat AGUILERA, *Provinciae Siculae Ortus et res gestae*, part. I, cap. xi, n. xxxvii; verum ibi ab eo dicta corrige horum ope, quae hic affert POLANCUS; non enim solum ab anno 1564 flagitavit Marsala civitas Societatis Collegium, ut ait AGUILERA, sed jam hoc anno 1553.

Difficultas quaedam est, non quidem gravis momenti, in assignando anno, quo hujus Collegii initium positum est. HAMY enim, *Les domiciles de la Compagnie de Jésus*, postquam dixit, pag. 25: "Quand il y a deux dates, la première est celle de l'établissement, la seconde est celle de l'achèvement ou de la fondation," huic Collegio apponit, pag. 43, duos hos numeros: 1592-1593. Apud JOUVENCIVM non sat is apparet incoepti nec fundati Collegii annus. AGUILERA vero totam hanc historiam scribit dum res anno 1592 gestas enarrat. Verum ROCCHUS PIRRUS, ut vidimus, incoepti Collegii annum habet 1589, fundati 1592. Et re quidem vera ab AGUILERA ipso cognoscimus jam anno 1589 ab Antistite Messanensi delata Collegio aureorum millia quinque, et quando Stephanus Frisella Collegii Conditor per litteras declaratus est, anno scilicet 1592, nobis cum ipso jus hospitii *jampridem* intercessisse. Quare magis ad verum accessurus ille videtur, qui Collegium inchoatum dicat anno 1589, fundatum vero anno 1592.

<sup>2</sup> "Franciscani Tertii Ordinis primum religiosissimum coenobium, Sanctae Mariae de Angelis a Martogna dictum, fundarunt hoc sane modo: Cum Fr. Jacobus de Augubio, civitate Umbriae, Minorita Observ., facultatem exorasset a PP. Paulo III et protectore Ordinis sui, Cardinale Sanctae Crucis, praedicandi verbum Dei infidelibus, et navigasset Constantinopolim versus, ventis contrariis agitat in Italiam rediit, primum Panormum, deinde Drepanum, ubi se totum divinae gloriae exaltationi atque sanctis exercitationibus dedit; ita in eremo aliquam fundandi congregationem virorum, qui vellent ibi solitariam pro Deo agere vitam; ad ejus vota proclivis Jacobus Fardella, nobilis Drepanensis, dedit quemdam terrae tractum sub aspero colle Montis Erycini, ut ex *tabulis Not. Francisci Lombardo* 29 Mart. 3 ind. 1540, constat; ibi constituit Oratorium novae Congregationis sub instituto Tertii Ordinis Sancti Francisci (quia ipse Fr. Jacobus discalceatus incedebat, nomen *delli Scalsi* adhuc retinent fratres hujusmodi), quod confirmatum est per rescriptum Apostolicum Pauli III ultimo Maji 14

et videbatur eidem Provinciali locus idoneus ad collegium instituendum, quia insignis est ille portus, ad quem naves ex Hispania venire solent, et inde in Hispaniam ire, et in Goletam Africae navigare. Sed civitas vix ducentos aureos annui reditus dare tunc poterat, quamvis temporis successu ad quingentos perventura diceretur; sed quamvis aër salubris esset praeter commoditatem jam dictam, inconsulto P. Ignatio, non existimavit P. Provincialis quicquam constituendum; sed quia alia praemittere oportebat collegia nec tam multa simul amplecti Societas poterat, in aliud tempus hujus collegii institutio rejecta est, cum operariorum numerus auctior esset <sup>1</sup>.

630. Accepit mense Julio P. Hieronymus Domenech exemplum decreti Parisiensis, et obstupescens talem theologiae facultatis censuram, Pro-regi Joanni de Vega illud ostendit, qui etiam valde admiratus est, et dicebat existimare se Deum ali-

---

indict. 1541 cum facultate admittendi ad habitum quotquot vellet viros: hac arrepta sancta occasione, plures nobiles et litteris praediti Drepanenses, regularis observantiae studio allecti, ad eum accesserunt. Ob aëris insalubritatem et loci incapacitatem, a primo loco dato a Fardella, concedente eodem Pontifice per litteras anno sui Pontificatus 13 exscriptas anno 1546, commigrarunt in alium aptiorem atque ad devotionem magis idoneum, Martognam seu Vallis Clarum nuncupatum in radicibus montis ad occidentem 3 p. m. a Drepano., Rocchus Pirrus, l. c., col. 1003 et 1004.

Non hujus tantum, cui praeerat, coenobii institutor fuit Fr. Jacobus de Augubio in urbe Drepani, sed aliorum etiam. videlicet: "Trinitatis Tertii Ordinis Sancti Francisci, nunc *Abbatia Grande* nuncupata, anno 1542, opera Fratris Jacobi de Augubbio, fundatoris Descalcatorum...—Sancti Spiritus Collegium Puellarum Orphanarum eodem tempore a Fratre Jacobo, nunc sub protectione Montis pietatis.—Sanctae Mariae Magdalenae Repentitarum, sollicitudine ejusdem Fratris Jacobi., Id., *ibid.*, col. 1003.

<sup>1</sup> "Provinciae Siculae Drepanitanum Collegium accessit (anno 1580), accersitu Civitatis. Nicolaus Barlotta, unus e magistratu Juratorum rem ursit in primis: ex privata vero nobilitate Marianus Mongiardinus, qui dein se suae Societati atque aedes dedit in quibus hodie Collegium est. Marci Antonii Columnae Proregis studio ecclesia Sancti Michaelis attributa; partimque publice, partim privatim Civibus conferentibus, census annuus operarilis viginti alendis desponsus. Pater Emmanuel Ximenius, natione lusitanus, e primis Collegii auctoribus primusque ejus Rector fuit. Scholae anno sequenti apertae.", SACCHINI, *Hist. Soc. Jesu*, part. IV, lib. VII, n. 80.—De eadem re ita Rocchus Pirrus: "Collegium Societatis Jesu sub nomine *Conceptionis B. V.*, primum anno 157... in aede confratrum Sancti Michaelis fundatur haud exigui pecuniarum publici aeris atque Joannis Pignerae, genere Hispani Navarri, summa, qui suarum salinarum decimas huic Collegio, proventus vero alios Collegio alteri ab ipso Pampillonae condito, est elargitus. Eldem Domina Liranza Sanclemente, nobilissima ac pia foemina Drepanensis, Tonnarlarum Inci et Scopelli redditus concessit. Inde anno 160 (sic; 1600), in praecipuum urbis locum dictum *Li Magazini della Monitione*, ubi (res divinitus quidem data) Beatae Virginis Annuntiatae signum celeberrimum primum sunt venerati Drepanenses, transmigrarunt, adjunctis magnis aedibus, quas Marianus Bongiardinus (SACCHINI scribit *Mongiardinus*), eques Drepanensis, praestitit. Is devotione erga patres permotus, magna humilitate adscribi voluit numero coadjutorum Societatis., L. c. *Manarensis ecclesiae Notitia VI*, lib. III, col. 998.—Plura apud AGUILERA, l. c., cap. IX, nn. XXXIV-XXXVII, et cap. X n. 1.



quam significationem facturum, exaggerans malignitatem, vel, ut ipse vocabat, scelus; et deinde interrogavit Patrem Provincialem, quid P. Ignatius postularet; et cum testimonia peti intellexisset, statim ea fieri jussit, unum quidem Sacri Consilii (quod ipsi vocant), alia aliarum civitatum, in quibus versabatur Societas in regno Siciliae. Inquisitoris praeterea et suum; et statim quidam judex Sacri Consilii informationem accepit ad referendum, ut sic testimonium publicum cerneretur. Et paulo post hujusmodi testimonia missa fuerunt <sup>1</sup>.

631. Episcopus Cataniae \* aliquem ad se mitti postulabat, quem penes se haberet, cujusque opera uteretur; civitas etiam, (quam Taorminam vulgo vocant), collegiolum postulabat; sed neutris tunc potuit satisfieri <sup>3</sup>.

632. Opus Montis Pietatis ipso die S.<sup>ti</sup> Laurentii in Cathedrali ecclesia fuit publicatum, et processio quaedam facta est, et arca quaedam ibi posita ad eleemosynam ibi conjiciendam; et ipse Pro-rex coepit prius eam largiri, quem secuti sunt Jurati et alii, et demum ad decem millia scutorum summa pecuniae excrevit, ex qua redditus erant emendi. Civitas etiam sese obstrinxit ad quingentos aureos annui redditus praebendos; et constitutiones confectae sunt; et quatuor rectores electi cum uno capellano, cujus esset officium eleemosynas distribuere. Ex nobilitate autem duo rectores, ex populo autem totidem accepti sunt. De Consilio autem charitatis decretum fuit ut octavo quoque die congregarentur; quamvis quinto decimo, ut diximus superius <sup>4</sup>, ad Pro-regem referre eos oporteret quae decreta essent. Et ad hoc Consilium rejecturus erat Rex, quae ad opera pietatis in toto eo regno pertinerent; et Panormi aliqui in Consilium hoc erant adhibendi, loco eorum, qui Messanae subsistebant, quia in una harum duarum civitatum Pro-reges residere soliti erant.

633. Cum satisfieri non potuisset civitati Messanensi nec

<sup>1</sup> Misit igitur Sicilia Romam sequentia testimonia: 1.<sup>m</sup> Proregis; 2.<sup>m</sup> Sacri Consilii; 3.<sup>m</sup> Inquisitoris; 4.<sup>m</sup> civitatis Panormitanae; 5.<sup>m</sup> Messanensis; 6.<sup>m</sup> Monterealeensis; 7.<sup>m</sup> Bibonensis; 8.<sup>m</sup> Siracusanae: in his enim omnibus locis versabatur Societas. Sed vide supra, pag. 194, n. 560.

\* Nicolaus Maria Caracciolus, Napolitanus.

<sup>3</sup> Satisfactum est autem Catanensibus anno sequenti 1556, ut videre est apud AGUI-  
LERA, l. c., cap. v, nn. vi et vii, et apud ROCCHUM PIRUM, l. c., *Catanensis ecclesiae No-*  
*titia* I, col. 529, et videbitur hic in vol. seq.; Taormitanis vero nunquam.

<sup>4</sup> Pag. 188, et 189 n. 542-545.

Pro-regi, suis litteris Patrem Laynez ad Quadragesimam sequentem postulantis<sup>1</sup>, scripsit Provincialis ut saltem P. Natalis eo mitteretur, cuius apud Pro-regem magna erat auctoritas et gratia; sed ne ille quidem mitti potuit. Immo Patri Hieronymo Domenech scriptum fuit ut Romam ipse veniret, intra duos menses rediturus. Et cum rationes Patris Ignatii Prorex audivisset, id concessit; et ita Romam profectus, et emissa ut, superius dictum est<sup>2</sup>, professione, post vigesimum diem Octobris Roma profectus est cum multis aliis. Coactus est tamen Neapoli, propter tempestatem maris, aliquot dies subsistere: deinde, navim cum omnibus sociis ingressus, in magno naufragii periculo versatus cum eisdem est; nam in Calabriae litoribus tam gravi tempestate jactati fuerunt, ut prorsus vi ventorum in siccum navim esse detrudendam timerent; et ita velis omnibus sublati et relicto gubernaculo, divinae providentiae tota navis commissa fuit; et navis praefectus cum aliis jam tabulas praeparabat ut, cum navis confracta esset, enataret.

634. Tota ea nocte saeviit tempestas; nostri omnes peccata confessi sunt et quidam ex externis; et quamvis P. Provincialis graviter in mari vexari solitus esset, flagella tamen assumens, seipsum cum aliis nostris cadere flagellis coepit; orationibus etiam omnes vacarunt; et ita divinae Bonitati placuit ut sub auroram prope portum quemdam nomine Policastrum<sup>3</sup> navis ventis et mari commissa, sed a Deo directa, inventa esset, quod miraculo datum est, cum paucissimi portus in Calabria sint; ideo naves ne accedere quidem ad oram illam libenter consueverunt. Cum autem dies octo Policastrum fuissent, non exiguum rerum necessariorum, et etiam panis, penuriam sentientes, casu quodam accidit ut cum in urbe illa Provincialis cum magistro Eleutherio Pontano aliquid ageret, ipso relicto, navis cum aliis Messanam pergeret, et ita 200 millia passuum, partim terra, partim mari, magno cum labore conficiens octo vel novem dies postquam socii Messanam appulerant, et ipse eo pervenit, quinquagesimo die post-

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 211 et 212, n. 618.

<sup>2</sup> Pag. 42, n. 70.

<sup>3</sup> "Policastrum, quae Palaeocastrum quibusdam, *Policastrum*, urbecula est regni Neapolitani, in provincia principatus citerioris, et in ora sinus *Lai*, nunc *Golfo di Policastrum* ab ea dicti, 55 mil. pass. distat a Salerno in Eorum, 17 a Promontorio Pallinuri in ortum; versus confinia Basilicatae 8 circiter.", FERRARI, *Lexicon geographicum*.

quam Roma discesserat. Et summa laetitia tam Pro-regem quam nostros suo adventu affecit <sup>1</sup>.

635. Inter multos socios, quos Roma adduxerat, aliqui erant adolescentuli, quos ille, ut exoneraret domum Romanam, secum adduxerat. Erant et inter illos aliqui boni operarii. Et quia P. Ignatius Romam mitti jusserat P. Annibalem <sup>2</sup> primo vere, obnixè rogavit P. Provincialis ut usque ad autumnum anni sequentis ibi relinqueretur, tum ut sua auctoritate novum rhetorices praeceptorem Franciscum Stephanum <sup>3</sup> juvaret, tum ut historiam quamdam Collegii Messanensis, quam coeperat, absolveret <sup>4</sup>, et ut dialogum quemdam ad studiorum renovationem conficeret, quemadmodum anno praecedenti cum magna approbatione Pro-regis et urbis totius confecerat.

636. Anno superiori scriptum est de Collegii Syracusani initiis <sup>5</sup>. Convenerant autem nostri cum ea civitate, ut intra quatuor menses hujus anni nullum de nostris mittere cogeremur, sed illis absolutis, ut quatuor ex nostris eo mitterentur, et postquam aedificium finitum esset, totidem, ut ita numero essent octo; quamvis reditus a civitate assignati ducentorum aureorum annuorum jam a Septembri anni praeteriti assignati fuissent, sed aedificio instaurando haec pecunia impendebatur. Cum autem P. Joannes Philippus Cassinus, in natalitiis festis anni praeteriti Syracusas venisset, ut confessionem D. Sueri de Vega audiret, et novi Collegii opus videret, hoc pactum, quod diximus, cum civitate inivit.

<sup>1</sup> Cf. supra dicta, pag. 193 et 194, n. 559, ubi nonnihil diversae haec narrantur.

<sup>2</sup> P. Annibalem de Coudreto.

<sup>3</sup> Vide hujus litteras Messanae 18 Maji hujus anni datas in *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 483.—“Hic summi hominis ingenii, maximi animi consummataque virtutis, periclitantibus (peste Brixiae) adesse flagitavit et impetravit, ac in ipso caritatis officio, contagione afflicto est atque consumptus (anno 1577).” AGUILERA, I. C., cap. IX, n. XIX.

<sup>4</sup> “Hic (Annibal de Coudreto) cum Messanensis Collegii et Provinciae Siculae res gestas ab utriusque initio ad decimum usque annum latine, neque admodum ineleganter contexuisset, cujus autographum ineditum Codicem, in Mamertina Societatis bibliotheca magna cura servatum, utpote Auctoris aequalis et oculati auritque testis, Historiae ducem sequemur....” AGUILERA, I. C., cap. I, n. V.—Hujus codicis nos exemplum nullum vidimus.

<sup>5</sup> Vide, t. IV, pag. 229-232, nn 514-516.

637. Sub initium autem Aprilis remissus est Syracusas idem P. Joannes Philippus <sup>1</sup>, qui concionari coepit et totam urbem vehementer commovere, quae urgere coepit Patrem Provincialem ut alium sacerdotem eo mitteret et praeceptorem etiam, qui graecas litteras et latinas doceret; jam enim quatuor menses elapsos esse dicebat. Nitebatur quidem usque ad Septembrem studia differre idem Provincialis, sed si id non posset obtineri, constituit ut duo mitterentur, alter sacerdos, alter praeceptor, sed loco Patris Veler Messana missus fuit P. Michaël de Laetavalle, sabaudus, qui etiam valde Syracusanis gratus fuit <sup>2</sup>.

638. Suam devotionem ea civitas operibus testabatur; nam redditus promissos privatis eleemosynis auxerunt, et magistros quidem usque ad Septembrem differri aequo animo tulerunt; et nobilis quidam vir, molendinum quoddam non exigui momenti nostris adjecit, et vineam nobilis quaedam foemina dedit, quae toti Collegio vinum abunde necessarium praeberet, immo et aliis etiam illud communicaret.

639. Tertia Septembris magister Georgius Mercato, magister Michaël Spes cum Antonio Filia <sup>3</sup>, Messana a P. Antonio Vinckio ad Syracusanas scholas instituendas missi sunt <sup>4</sup>, qui summa cum expectatione illius civitatis suum officium inchoarunt, et 20.<sup>a</sup> die Octobris in Cathedrali templo magister Georgius Mercato orationem habuit ad studiorum et novi Collegii initium; et laetitiae signum fecit civitas et campanarum pulsu et etiam bombardarum.

640. Scholae quidem non erant concinnatae ut lectiones pro nostro more in eis fieri possent; ne tamen dilatio obloquendi occasionem aliquibus daret, et ne aliqui adolescentuli tempus inutiliter tererent <sup>5</sup> primae classis praeceptor cum magna ci-

---

*Cum socio*, ait AGUILERA, l. c., cap. iv, n. xxvii.—Hic autem socius procul dubio esse videtur Petrus Belver, seu Veler, de quo infra.

<sup>1</sup> Hujus gesta et virtutes fuse prosequitur AGUILERA, l. c., part. i.

<sup>2</sup> *Filia* perspicue est in Ms.

<sup>3</sup> Plures enumerat AGUILERA, l. c., cap. iv, n. xxv.i, unum omittit eorum quos nominat *Polancus*. Ait enim, ex Coudre'i codice scribens: "Concinnato igitur utcumque aedificio, Domenechius tribus illis, quos praemiserat (Cassino, ejus socio, et Laetavalle), sex alios postridie calend. Septembris Messana evocatos addidit, P. Dominicum Collinum sacerdotem; Georgium Mercatum, Michaëlem Spezium, Joannem Ignatium, juniores, qui scholis praessent; Ubertum Chetel et Thomasinum Messanensem, fratres, quos *Coadjutores temporales* vocamus, qui domesticis absequiis darent operam."

<sup>5</sup> Ms. *quaerent*.

vium satisfactione pueris praelegere coepit; et in sola illa schola ultra centum scholastici erant <sup>1</sup>.

641. In confessionibus etiam et concionibus fructus eximius a frequenti admodum multitudine capiebatur.

---

642. Bibonae aedificium Collegii magna cum diligentia surgebat et D. Isabella Ducissa, antequam illud absolveretur, urgebat Patrem Provincialem ut aliquos de Societate ad inhabitandum novum Collegium mitteret. Venit autem ipsemet Provincialis Bibonam sub finem Aprilis, et jam scholis tectum imponi et fere ad secundum coenaculum habitationem Collegii ascendisseprehendit, et magnificum aedificium ipsi videbatur.

643. Gubernator autem ejus urbis agrum quemdam, horto ejus Collegii contiguum, Collegio comparare nitebatur, ubi vinea fieret, quae toti Collegio vinum praeberet. Habitatio commoda imprimis futura esse videbatur; cum praeter hortum quemdam quadratum, malis aureis consitum aut citris, alium etiam amplum et fructiferis arboribus plenum, ac vineam praeterea aliam haberet, et fontem in ipso claustro, qui ad refectorium et culinam et ad hortum domesticum irrigandum deserviret.

644. Nullibi ergo commodius habitaturi videbantur in tota Sicilia; et quia affici valde populus Societati videbatur, fructus spiritualis non poenitendus sperabatur, et scholasticos etiam externos venturos esse credebatur. In aestate autem Ducissa Bibonae Calatabelotam ire constituerat, ut vicinior esset ad opus illud urgendum et pecuniam subministrandam. Retulit autem ei P. Provincialis scriptum sibi esse a fratre quodam nostro nomine Sanctio, qui operi praeerat, quod intra quatuor menses aedificium compleri poterat, si singulis mensibus centum et quinquaginta aurei eo mitterentur; quam summam se missuram libentissime recepit Ducissa, quae tam animata erat ad opus proseguendum, ut si ab illo tota ipsius ditio penderet. Intra unum annum de suis pecuniis ultra mille et quingentos aureos jam dederat, praeter id quod civitas contulerat, et nihil

---

<sup>1</sup> Haud satis haec cohaerent cum his quae habet AGUILERA, l. c., n. xxviii, ubi ai initium, Octobris Idibus, positum esse docendi, "plena jam atque instructa Domo apud Sanctum Josephum et tribus scholis ad id comparatis."

sibi dedisse videbatur. Et de supellectili prospicienda jam erat sollicita.

645. Cum autem D. Isabella, Ducissa, ex his, quos secum adducebat P. Hieronymus Domenech <sup>1</sup>, aliquos ad Bibonense Collegium destinari intellexisset, valde laetata est. Et cum illi Messanam pervenerunt, antequam P. Hieronymus accederet, jam eos omnes novis vestibus induerat. Hi autem erant magister Eleutherius Pontanus, magister Marinus <sup>2</sup>, et Guidus Antonius <sup>3</sup> cum Paulo Mantuano et tribus aliis. Duo etiam vel tres Panormo mittebantur ut litteras humaniores legerent. Alii duo ex nostris jam erant Bibonae <sup>4</sup>.

646. Paraverat autem quae ad lectos et supellectilia domus pertinebant, et vasa ad usum mensae ex stanno <sup>5</sup> Angliae, et alia demum omnia necessaria tam liberaliter, ut ne Panormitanum quidem aut Messanense Collegium, licet antiqua jam essent, tam bene instructam supellectilibus domum haberent, et ea cum devotione tamque magno animo omnia praestabat Ducissa, ut omnia exigua et pauca esse existimaret.

647. De ecclesia conficienda videbatur <sup>6</sup> non esse sollicitè curandum, cum vicina esset alia quaedam satis commoda; sed huic consilio non acquievit Ducissa, quin potius statim manum ad moveri ecclesiae voluit, et ex fornicibus, ut esset solidior, non tecto eam contegi voluit. Ejus plane fervor ac devotio magni faciendae, potius quam opus ipsum, videbatur.

648. Ante natalitia festa nostri profecturi erant <sup>7</sup> in navigio quodam remigibus instructo, ut inde <sup>8</sup> Bibonam cum aliis ibidem adjungendis pergerent; sed de eorum ingressu anno sequenti dicitur.

<sup>1</sup> Roma scilicet rediens sub hujus anni finem. Vide supra, pag. 220, n. 635.

<sup>2</sup> Hujus cognomen tantum novimus.

<sup>3</sup> Hic *Guido* nomen est, cognomen *Antonius*, juxta AGUILERA.

<sup>4</sup> Missorum ut initia ponerent Collegii Bibonensis duos tantum meminit AGUILERA l. c., cap. iv, n. xxxi. "Eleutherium Pontanum, quem Codretus Insulis natum indicat, et P. Henricum, cujus cognomen idem retinet, et Hispanum modo fuisse meminit."

<sup>5</sup> In Ms. *stagno*, ex italico *stagno*. Est autem hic *stagno inglese* idem ac quod hispanice dicitur "*peltre* (Del aleman *spelter* (sic, *spiauter*?), zinc.) Metal compuesto de estaño y plomo." *Diccionario de la lengua española por la Real Academia*.

<sup>6</sup> Provinciali?

<sup>7</sup> Scilicet Messana.

<sup>8</sup> Intelligendum videtur Panormo; ibi enim, ut supra dictum est, n. 645, duo vel tres Messana Bivonam euntibus erant adjungendi.

## DE PROVINCIA GERMANIAE

AC PRIMO

### DE COLLEGIO VIENNENSI

649. Sub finem anni praeteriti 1554, quamvis unicum esset in Germania Superiore atque Austria collegium, quia jam Pragense et Ingolstadiense et alia in illis Septentrionalibus locis promissa erant et brevi instituenda videbantur, P. Petrus Canisius Praepositus Provincialis electus est <sup>1</sup>, qui tamen in ipso

---

<sup>1</sup> Vera hic est difficultas, nisi aliquid sub hac voce *electus* lateat. Nam certum est Canisium ab Ignatio totius Germaniae Superioris Praepositum Provinciale constitutum fuisse anno 1556 per litteras patentes 7 Junii (VII Id.) ejusdem anni datis (Vide *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 282 et 492, et BRAUNSB. ERGZ., *Canisii epistolae et acta*, t. i, pag. 622); eas enim comitabantur aliae, quas Polancus ex Ignatii *commissione* Canisio scribebat 8 ejusdem mensis Junii ejusdemque certo anni 1556. In his autem litteris haec inter alia leguntur: "Vedendo che sia fatto un Collegio in Vienna, altro in Praga, et questo in Ingolstadio, acciò che uno habbia la soprintendenzia et possa attendere al ben comune di tutti tre Collegii. Nostro Padre ha fatto Preposito Provinciale la R. V. nelle tre provincie dette et il resto della Alemagna superiore, come vederà per la patente che qui si manda....". Certum est autem has litteras anno 1556 datas fuisse;—a) quia hunc annum perspicue prae se fert exemplum apographum in *Regestum litterarum S. Ignatii*, curante ipso P. Polanco, transumptum;—b) exemplum hoc est inter aliarum litterarum exempla eadem die 8 Junii 1556 Roma missarum; et tandem—c) quia paulo post supra transcripta verba, haec habent: "Anche in Fiandra portò il P. Mtro. Salmeron (il quale va in compagnia del Legato di Sua Santità, commissione di far Provinciale in quelle bande de Colonia insino a Lovanio et Tornay,; et infra: "Di Praga non habbiamo anchora nova che siano arrivati li nostri; l' aspettamo de di in di con desiderio...

Jam vero quod latere sub illa voce *electus* potest, id est tenuisse Ignatium in Provinciali Superioris Germaniae constituendo eandem methodum, quam tenuit dum Provinciale in Inferiori Germania constituere voluit, exquirendi scilicet ab illis, qui in illa regione degebant, quem eorum singuli ad munus Provincialis gerendum aptiorem putarent. (Vide supra, t. iv, pag. 310 et 311, nn. 661 et 662.) Verum ad hoc asserendum nullum adhuc satis firmum argumentum in iis veteribus documentis invenire valimus. —Caeterum ipse Polancus infra, n. 689, ait Canisium, quamvis caeteris in Germania praepositus fuerit, nondum hoc anno tamquam Provinciale praepositum fuisse publicatum.

Viennensi Collegio primis anni mensibus versatus est; postea Pragam se contulit; et seorsum de illo et de actis a P. Natali in Germania agetur.

650. Rector Collegii Viennensis P. Nicolaus Lanoyus hoc etiam anno fuit, in quo res nostrae in Austria incrementum non minimum acceperunt. Nam quod ad scholas attinet, jam in initio anni creverat scholasticorum externorum multitudo, et in quinque classibus 250 et eo amplius numerabantur, quorum magnam partem, bonus odor scholarum, ex variis provinciis Viennam pertraxerat. Erant enim Bohemi, Sclavi, Hungari et Bavari; et alii atque alii quotidie, qui nostrorum disciplinae se subdere cupiebant, accedebant; quos eo libentius nostri admitterebant, quo magis eos indigere bona institutione videbant; nam gentes quaedam ex illis satis barbaris et agrestibus moribus praeditae erant; et cum militaria magis quam quae fidei sunt tractarent, facile in periculosos errores a ministris daemonis adducebantur; cum illis in locis palam haeretici dogmatum suorum venenum ignaris propinent, quod ex plerisque experimento nostri didicerunt; qui tamen, licet pravorum dogmatum contagione infecti essent, ubi de veritate et doctrina christiana fidei a nostris, tum in colloquiis familiaribus, tum praecipue in confessione essent instructi, plurimos errores abjiciebant, et sinceram fidem ac religionem catholicam amplectebantur.

651. Reddebantur autem hi scholastici in dies paratiores, ad confessionis et Eucharistiae Sacramenta; et juniores confessionis prae caeteris erant studiosi, qui etiam ad sacram communionem suscipiendam magna pietate afficiebantur; et qui maturuisse ad id videbantur (nam habebatur, ut par erat, aetatis ratio), ad perceptionem sanctissimi hujus sacramenti admitterebantur. Pergebant autem illi, etiam non rogati, libros suos, de haeresi suspectos, nostris examinandos, et si oporteret, igni tradendos dare; in quorum locum a nostris *Hortulos animae*, Gersonis <sup>1</sup>, et pios id generis libellos accipiebant, quibus legendis multo jam magis, quam prius haeticis, delectabantur. Et in tenera illa aetate nihil fellis, nihil contumaciae, nihil elationis cernebatur; sed pueri prorsus simplices, candidi et ad pietatem

<sup>1</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 209, annot. 1 et 2.



propensi erant; ut majori commiseratione gentis illius corruptela digna sit, et ad majus bene merendi de illis studium excitare nostros debebat. Qui autem adultiores erant, confessionis auxilio, et a pravis moribus et ab haereticis erroribus emergébant. Inter hos non pauci erant ab haereticis parentibus juramento adacti, quod nunquam essent errores illos deserturi; (eo enim impudentia daemonis et ministrorum ejus venerat); sed confessorum sedulitate intelligentes quod obedire Deo magis quam hominibus oportebat, quod impie jurare compulsi erant, resciderunt.

652. Qui rudiores erant in latino sermone inter scholasticos, catechismum germanicum a quodam ex nostris fratribus audiebant; et qui praestantiores erant ingenio, frequenti populo spectante, post germanicam concionem in templo nostro habitam, eum recitabant; quae res insolitum auditorum concursum et summam admirationem afferebat. Simulatque concionator e suggestu descenderat, in illum catechista ascende-  
bat; pueri vero longiuscule ab invicem separati in altioribus sedibus (quae tapetis exornatae erant) collocabantur, quo melius ab omnibus et intelligi et conspici possent. Alter eorum interrogabat, alter vero respondebat, donec catechismi praefixa capita absolverent; quo peracto, catechista denuo quaestiones aliquot a puero respondente exigebat, quas fusius, populo diligenter audiente, explicabat. Majores vero ac superiorum classium discipuli novum catechismum a Patre Canisio compositum <sup>1</sup> audiebant.

653. Hac aestate jussu Patris Natalis, Visitoris, accessit sexta classis quinque praecedentibus <sup>2</sup>, quae parvulos admittebat in cognitione alphabeti ac in ratione legendi et scribendi instituendos; quae res, ut scholasticorum auxit numerum et nostrorum occupationem (nam duo vel tres his pueris vacare debebant), ita et spiritualem utilitatem valde augebat; et qui vel tempus erant contrituri, vel male illud collocaturi <sup>3</sup>, parentibus ipsis obtrudentibus, in hac infima schola erudiebantur.

654. Singulis diebus Missae intererant, et testulae recentes sanae doctrinae liquorem excipiebant, et a tenera aetate ad ju-

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 243, n. 531.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 263, n. 566.

<sup>3</sup> Scilicet si domi suae a parentibus retinerentur, nec ad scholam venirent.

gum Domini assuescebant. Horum exemplo stimulati, quinque vel sex hispani ex aula, non recusabant repuerascere cum illis; et, easdem leges subeundo, a nostris institui. Sed cum horum numerus cresceret, seorsum ab aliis vernaculae linguae praeceptorem acceperunt. In confitendo tamen, Missa audienda, iuramentis et aliis verbis parum honestis evitandis, et in aliis demum, scholae regulas observabant. Conciliabat autem favorem et applausum populi magnum christianae doctrinae recitatio in germanica lingua, praeterquam quod ipsi pueri egregie proficiebant; et ex illis tres adolescentes, honestis parentibus nati, [qui] in suprema classe instituebantur, Societati nostrae se addixerunt; et in festo Assumptionis B.<sup>mae</sup> Virginis Pragam versus, P. Canisium sequuti, discesserunt.

655. Ascendebat autem in anni progressu scholasticorum numerus ad 312 aut amplius: sed huic multitudini cum loca opportuna domi nostrae deessent, expensis ac jussu Regis Romanorum quaedam loca instaurata fuerunt et [alia] tam [in] classes quam in commodiorem nostrorum habitationem adaptata fuerunt. Ut autem erat regio ac liberali animo, non solum certos ac perpetuos redditus nostris ad 30 sustentandos assignavit, sed quia jam ille numerus completus erat initio hujus anni <sup>1</sup>, spem faciebat quod redditus esset aucturus, cum juvenes multi ad nostrum institutum afficerentur.

656. Hoc anno magister Martinus Stevordiensis <sup>2</sup> et Joannes Dyrsius <sup>3</sup> ad sacerdotium promoti fuerunt; et illi cum aliis

<sup>1</sup> "Ci scrive (Venetlis) detto P. Natale che lascia 36 nel collegio (Viennensi) et che venuto il Re, con sua licentia li parse si accettassero quanti venessero altri per la Compagnia. Spero che la Maestà Regia; come desiderosa de molti operarii, più presto darà animo che lo restringerà quanto alla moltitudine.", Polancus, *ex com.*, Patri Lanoij, 16.<sup>a</sup> Julii 1555.

<sup>2</sup> "Martinus Gotfridi (Govarts) Stevordianus (a Stevoort in Belgio, Limburg), vide POLANCI *Chronicon* 1, 416; 7.<sup>a</sup> Junii 1549 in Universitate inscriptus (*matriculatus*) est, mense autem Novembri ejusdem anni 1549 Baccalaurei in artibus gradum suscepit, et tandem Martio 1550 Licentiatu (*Decanatsbuch*. iv, fol. 245, 246).", HANSEN, *Rheinische Akten zur Geschichte des Jesuitenordens*, pag. 148, annot. 1.—Ipse autem HANSEN alias et in Indice scribit *Govaerts*; BRAUNSBERGER, *op. c.*, *Gewarts*; nos autem in autographis ejus litteris legimus *Gewarts*, et in aliis *Gewaerts*. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. 1, pag. 146, annot. 1.

<sup>3</sup> "Joannes Durschius (Dirschius, Dyrsius), Eystettensis, alumnus Episcopi atque canonicus erat. (Codex "Antiq. Ingolst.", f. 2 b)., BRAUNSBERGER, l. c., pag. 350, annot. 1.—"Joannes Dyrsius (Thyrsius, Dirsius, Dirschius), cum in collegio viennensi philosophiae et in romano theologiae operam dedisset, a. 1563-1566 collegium oenipontanum gubernavit. Magdalena, Ferdinandi I caesaris filiae piissimae et erga Societatem Jesu liberalissimae, a sacris confessionibus fuit (\* Cod. "Germ. Sup. Cat. 1566-1599", [qui apud

quibusdam magisterii lauream paulo ante acceperant. Et alii brevi ad idem sacerdotium erant promovendi, ut, quemadmodum concionibus vacabant <sup>1</sup>, ita sacerdotalibus ministeriis prodesse proximis possent.

657. Concionabatur primis mensibus hujus anni Viennae P. Canisius in summo templo, Pater vero Gaudanus <sup>2</sup> in nostro dominicis ac festis diebus, uterque germanice et satis foelicit. Alii autem ex nostris fratribus praedicationis gratia ad alia varia templa frequenter postulabantur, quorum conciones pergratas esse populo, auditorum major frequentia, attentio et constantia facile arguebat.

658. In quadam autem congregatione pauperum <sup>3</sup>, ubi centum et eo amplius erant, exponebat P. Gaudanus dominicis diebus post meridiem christianam doctrinam. Eisdem etiam, corrasis hinc inde eleemosynis, de vestibus necessariis providebat. In anni progressu, solito major populi frequentia Patrem Gaudanum in templo nostro audiebat. Quosdam tamen inter alios solo calumniandi studio accedere satis constabat, cum eorum impatiens furor eodem in loco ad obmurmurationem eos adduceret; sed hi pauci erant; nam in universum, cum animi commotione et fructu ipsum audiri erumpentes ex multorum oculis lacrymae et suspiria satis testabantur.

659. Ipse etiam P. Lanoyus, licet multis curis et negotiis districtus, Germanicae linguae difficultatem superare (quod ipsi longe laboriosius erat, cujus idioma vernaculum gallicum fuit <sup>4</sup>, quam aliis quibus flandricum erat) studio et exercitatione nitebatur; cujus exemplum et alii sequebantur, ut saltem in colloquiis et confessionibus, eis, qui tantum germanicam linguam tenebant, prodesse possent.

660. Crescebat etiam ad divina Missarum sacrificia populi

nos est] f. 359. \* Cod. \*Initium et Progressus Collegii Soc. Jesu Oenipontani, P. I, p. 4. [Oeniponte, in musaeo Ferdinando, Bibl. Tirol. tom. CCXXXII, n. 596)]\*, BRAUNSBERGER, *ibid*, pag. 350, annot. 1, et pag. 399, annot. 2.

<sup>1</sup> Vide supra, t. IV, pag. 241, n. 530, et hic, n. seq.

<sup>2</sup> P. Nicolaus Gaudanus.

<sup>3</sup> In autographis Erardi Dawant litteris, e quibus haec deprompta sunt, legimus. *In monte aurtio, ut vocant...*; sed vocem *aurtio*, quia attrita charta est, dubitantes transcripsimus in *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 211. Idem fortassis accidit Polanco, dum has ipsas litteras legit, ideoque scripsit: *In quadam congregatione pauperum*.

<sup>4</sup> Natus is erat Insulis (Lille).

concursus, non solum hispanorum et aliarum externarum nationum, sed etiam germanorum. Sed diebus festis multo frequentiores confluebant; et alii atque alii ornare templum, jam egregie reparatum, pergebant. Nec exigui pretii ornamenta ad altarium vel sacerdotum usum suppeditabant; inter quos, sub initium anni matrona quaedam bohémica pretiosum quemdam calicem cum aliis quibusdam donavit; et huiusmodi quidem dona admittebantur; non autem illa, quae ad nostrorum usum offerebant; quae cum sibi necessaria non esse dicerent, magnam in offerentibus admirationem et aedificationem excitabant. Sed Regina Bohemiae <sup>1</sup> prae caeteris devotionis affectum rebus ipsis ostendebat: alia enim atque alia altaria pulchris ac pretiosis ornamentis vestivit, et tria sacerdotalia magnifica ornamenta et quaedam alia ad cultum pertinentia obtulit, donatura haud dubie plura, si nostros aequè promptos ad recipiendum, atque ipsa erat ad largiendum, invenisset.

661. Quidam nobilis germanus, eques S.<sup>ti</sup> Sepulchri, Hierosolymis quasdam reliquias secum attulit, e quibus sacrae Christi Coronae spinam, theca quadam pretiosa ac pulchre deaurata inclusam, singulari devotione Collegio dedit; aureum insuper pannum, vexilla byssina <sup>2</sup> et huiusmodi ornamenta dono dedit, quibus ecclesiae chorus et loca, circa quae Sanctissimum Sacramentum est repositum, illustrabantur.

662. Sequebantur autem exemplum Reginae complures matronae piae ac nobiles, tum ex aula, tum ex civitate, quamvis non passim omnia dona admittebantur, ne ab ipsa quidem Regina, quae cum magna veneratione ac simul benignitate nostros complecteretur, saepe mittebat suos sacellanos aut secretarios ut inquirerent num aliquid nostris vel templo nostro deesset; et quamvis ad subsidium domus nihil ab ipsa sit susceptum, non desinebat in dies templum pretiosis ornamentis decorare.

663. Quod ad confessiones attinet externorum, plurimi homines, etiam germanicae nationis, in principio Quadragesimae, deposita peccatorum sarcina, sacram Eucharistiam sumpserunt occasione videlicet jubilaei ob foelicem Angliae reductio-

---

<sup>1</sup> Maria, Caroli V filia, et Maximillani II, Ferdinandi I filii primogeniti, uxor.

<sup>2</sup> Bixina habet Ms.

nem concessi <sup>1</sup>. Et sane ea in re nostrorum et aliorum expectationem vicerunt; cum enim quidam concionator <sup>2</sup> parum catholice circa id tempus officio suo functus esset, et motus quosdam in populo Viennensi excitasset, timeri poterat ne hujusmodi indulgentiae locum Viennae inventurae non essent; sed divina Bonitas, ad perfidorum confusionem, multos ad hanc gratiam magna cum devotione suscipiendam inflammavit. Totis ergo quindecim diebus, quibus hujusmodi indulgentia durabat, magnus fuit in templo nostro confitentium et communicantium numerus, qui etiam ad Paschatis festum redierunt.

664. Aliarum autem nationum copiosus fuit poenitentium proventus, ac praecipue hispanorum ex aula Reginae <sup>3</sup>; quibus omnibus, sicut etiam italibus et gallis, Deo adjuvante, satisfactum est. Inter hos autem complures erant, qui, cum vixissent in locis ubi vernaculum idioma non tenebant, multis annis, confessionis remedio atque solatio caruerant. Quantum autem proficerent in hujusmodi confessionibus homines praecipui germa-

<sup>1</sup> Hujus jubilaei jam saepius mentio facta est, tum sub finem anni praecedentis 1554, tum hoc anno.

<sup>2</sup> Sermo videtur esse de Sebastiano Phauser, de quo haec Canisius Ignatio 25 Martii hujus anni 1555: "se dice per le terre vicine et per le proultie publicamente che questo Re (Maximilianus II) habbia un predicatore Lutherano et che voglia molto male alli Jesuite, li quali danno resistentia. Imo qui dice la gente che esso predicatore et noi altri siemo contrarij nella doctrina, siccome e uero, perche lui defende il matrimonio. delli preti, extenua li meriti delle buone opere, parla contra il culto debito alli santi, seguita le phrasi Lutherane, et satisfa tanto alli heritici, quanto offende li catholici..", BRAUNSBURGER, *Canisii epistulae et acta*, t. 1, pag. 526 et 527, qui in eadem pagina 527, annot. 2, haec subdit: "Guilielmus Elderen de Steuordia S. J. Vienna 13 Aprilis 1556 P. Leonardo Kessel scribit: Sunt hic nonnulli imo permulti (quod vehementer dolendum est): maxime tamen concionator ipse Regius Maximiliani ser. qui aperta voce opera bona hominum frustranea prorsus, nilque nos iuuare posse, neque apud Deum ualere, et depraedicat, et inculcat. Caeremonias uero Christianorum Laruas uocat, quae nihil ad salutem prosint, atque eiusmodi mille pestes non in vulgus hominum solum spargit? sed in ipsa concione in qua tantus est confluxus populi, hominumque nobilium, ut nec templum eos capere possit sed prae foribus stare cogantur multi; ad hunc tanquam Apostolum a deo missum in curribus et in equis vndique et turmatim, vt vix dici queat, concurrunt. Hic praeclarus, in concione publica in nos aperte debacchatur quos Jesuider, hoc est, contrarios Jesu doctrinae vocitat, atque omnes Jesuvidros i. e. contrarios Christi doctrinae qui hanc doctrinam quam nos adferunt, confirmat. Imo latrones et fures, Diaboli fratres, aliunde intrantes et non per verum ostium esse, qui haec bona opera caeremoniasque populo instillant, aperte testatur, vt nos sumus (Integra epistula est in codice colon. Epist. ad Kessel. l. ff. 2 non sign.).—Hanc et quasdam alias hujus Guilelmi Steuordiani litterarum partes edidit Jos. HANSEN, *Rheinische Akten zur Geschichte des Jesuitenordens*, pag. 264-266.—Vide etiam infra, n. 679.

<sup>3</sup> "Hispani maiorem partem aulae Mariae Reginae constituebant, quae Caroli V, filia et Maximiliani uxor erat. Anno 1556 Petrus de Lasso rei familiari praeerat. (Koch, *Quellen zur Geschichte des Kaisers Maximilian II.* [Leipzig 1857] p. 4).", BRAUNSBURGER l. c., pag. 527, annot. 4.

ni, eorum satis ostendebat admiratio et simul consolatio cum se examinari, praeter morem a lutheranis invecum, viderent; nam latissime per totam Germaniam abusus ille in genere confitendi [patuerat]<sup>1</sup>, adeo ut vix nostri scirent ubinam alibi quam apud ipsos sincera et integra fieret confessio; quia passim arbitrabantur se probe confessos et absolutionis beneficio dignos, si dixissent in genere se multis in modis divina praecepta esse transgressos vel quid hujusmodi, et vix Sacerdotes inveniebantur, qui non absolutionem eis impenderent, vel qui poenitentium ruditatem aliquid interrogando supplere niterentur. Et quidam ex poenitentibus, [hanc confitendi rationem] usque adeo mordicus retinebant, ut aliam more catholico ab ipsis extorquere confessarii non possent; nec minis aut precario a quodam impetrari potuit ut vel unam speciem peccati exprimeret. Maxima tamen eorum pars nostrorum consiliis acquiescebat, et dum se integre examinari patiebantur, singularem consolationem spiritus referebant, cum se a multis vitiis, quae occulta vel ignorata ab eis fuerant, propter illam in genere confitendi consuetudinem, se liberari intelligerent; et tam concionatores, quam confessarii ab hujusmodi errore homines revocare nitebantur.

665. Fuit inter poenitentes mulier quaedam, ad quam praeda monasterii franciscanorum ejusdem urbis [pervenerat], quod milites viennenses, turca imminente, diripuerant; quae cum edocta esset hujusmodi ornamenta et ecclesiae sacram supellectilem illis religiosis esse restituendam, statim laeto animo id fecit.

666. Alia etiam honesta aliquando matrona, quam marito defuncto, perdives quidam vir apud se inhoneste tenebat, admonita quod haec illicita essent, statim, relicto peccato, legitimas nuptias cum alio viro contraxit. Quae exempli gratia sint dicta, ut fructus illius confessionis in genere factae cognoscatur, quae omnia isthaec involvebat.

667. Alia pietatis officia crescebant etiam in dies in germanorum auxilium; cum enim eis magis innotesceret temporis successu institutum Societatis, plures etiam operam ipsius expetebant; et inter alios, ad aegrotantes accersebantur, quibus pro virili parte satisfacere studebant, et plurimis sanctae eccle-

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv. pag. 241, n. 529, et *Litterae Quadrimestres*, t. ii, pag. 638, et t. iii, pag. 390

siae sacramenta cum fructu administrata fuerunt, et hi etiam, qui sanitatem recuperabant, spiritualem medicinam frequentius adhibitori esse ad animae morbos sperabantur.

668. Aliis etiam de rebus gravioribus nostri consulebantur et Rex ipse Romanorum <sup>1</sup> in negotiis maximi momenti, ad religionis catholicae reformationem pertinentibus, Patris Petri Canisii opera plurimum utebatur.

669. Ex conturbarniis etiam studiosorum (*bursas* vocant) paulatim corruptelae et abusus eliminati ac bona disciplina introducta est.

670. Eadem autem Majestas regia cum urgeret Patrem Canisium ut catechismum illum, de quo non <sup>2</sup> semel mentio facta est, conficeret, nec jam spes esset quod P. Laynez, propter continuas occupationes (quae aliae aliis succedebant) opus illud theologicum, quod inchoaverat, posset absolvere <sup>3</sup>, confecit tandem <sup>4</sup> librum illum brevem, qui ejus nomine circumfertur. Id autem opus, sic praeparavit in lucem edere Rex, ut consensus Patris Ignatii juxta constitutiones expectari non potuerit, nam catechismus ille statim in multa millia exemplaria excussus est; et sperabatur multum emolumenti vel ea ratione allaturum, quod pestifera quaedam catechismorum portenta, a variis haereticis confecta, hac ratione de juventutis manibus excutiebantur.

671. Non solum in privatis domibus, sed etiam in hospitali pauperes aegrotantes nostri inviserunt, instruxerunt et consolati sunt; et ut morientes sine salutari viatico non recederent curaverunt, immo eorumdem opera effectum est ut nonnulli, ipso confessionis beneficio non destituerentur, qui, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus <sup>5</sup>, ex hac vita decedebant, si eis charitas nostrorum opem non tulisset, qui ne etiam extrema unctio ipsis deesset curarunt. Pauperes etiam non aegrotantes sublevare studuerunt.

672. Publicum illud testimonium erat inter multos civitatem Viennensem, beneficio hujus Collegii, longe aliam faciem

<sup>1</sup> Ferdinandus I.

<sup>2</sup> Vox haec *non* lineis superductis cancellata est, sed perperam; saepius enim jam de hoc catechismo mentio facta est.

<sup>3</sup> Vide supra, t. III, pag. 257, n. 574, et in hoc t. v, pag. 99, n. 266.

<sup>4</sup> P. Canisius.

<sup>5</sup> Ps. xxxi, 9.

habere quam ante illius adventum habuisset; nam quae haerese mole depressa, ad ruinam tota propendere videbatur, magna jam ex parte erecta erat, et tam a Viennensibus utriusque sexus, quam ab aulicis hoc testimonium Collegio tribuebatur. Ex quibus plurimi sua nomina adscribi curarunt Rosario B. Virginis; quae devotio olim Viennae celeberrima fuerat, et a nostri templi concionatore ex suggestu declarata, commendata fuerat. Et ita non tantum externorum, scilicet italorum et hispanorum, sed germanorum etiam frequentia operosis etiam diebus nedum festis, templum nostrum toto Missarum tempore replebat. Et quamvis adversarii religionis catholicae plurimi essent, qui suis calumniis nostros lacerare passim hostiliter curabant; erant plerique etiam primae notae homines, qui nostros, propter Christi amorem, et dilectione et amore maximo prosequerentur, et a Deo missos Viennam praedicarent.

673. Sed ipse Romanorum Rex prae caeteris (quem proxime Regina Bohemiae sequi videbatur), mira quadam pietate nostros complecti cernebatur; nec solum Viennenses, sed universam etiam Societatem paterne diligebat, et quam bene de ea sentiret, operibus etiam demonstrabat. Nam Pragam, Bohemiae metropolim, mitti nostros ad collegium instituendum, ut superius diximus <sup>1</sup>, litteris ad Patrem Ignatium, immo et ad Pontificem datis, cupiebat, et eo praemisit mense Augusto Patrem Canisium, et Ferdinando, Archiduci Austriae, filio suo et paternae virtutis aemulatori, qui regno Bohemiae praeerat <sup>2</sup> eum commendavit, ac redditus cujusdam monasterii non procul remoti, cognomine Oybin <sup>3</sup>, applicavit.

674. Sed et res Collegii Viennensis, quod in ipso erat, constitutas reliquit, antequam Vienna ad diaetam Augustanam recederet. Et praeter annuos redditus mille et ducentorum florenorum Rhenensium, designavit quosdam commissarios, qui bona immobilia monasterii Carmelitarum nostris donati recuperarent (in alios enim usus non bene alienata fuerant); ejus tamen praedicti ministri non tam sollicitae res nostras curabant, quam Rex ipse eis committebat, praeter Episcopum La-

<sup>1</sup> Pag. 47, n. 68.

<sup>2</sup> Vide infra, n. 702.

<sup>3</sup> Vide supra, t. IV, pag. 265, n. 570 et annot. 3.



bacensem et Cancellarium Jonam, qui Regis devotionem imitabantur.

675. Cum autem classis, de qua superius memini <sup>1</sup>, puero-  
rum addita esset, novae classes construendae Regis expensis  
impetratae sunt, quae in quibusdam stabulis equorum erant  
aedificandae. Interim tamen dum illae construebantur, intra  
ipsum ambitum Collegii duae classes collocari debuerunt, et  
diutius ibi quam nostri optassent teneri debuerunt, quod lente  
in aedificatione ministri Regis procederent, ideo fortassis, quod  
domum quamdam, a Collegio olim alienatam, Excelsum Regi-  
men Austriae <sup>2</sup> recuperari mandaverat, in qua locus idoneus  
erat ad classes tenendas.

676. Aliqui etiam ex primariis hujusmodi viris ad hoc  
deputatis Collegium ipsum viderunt, simul cum thesaurario  
civitatis; et molendina quaedam, intra ambitum monasterii  
carmelitarum <sup>3</sup> posita, ne libertati religiosae nostrorum incom-  
modarent, restituenda etiam Collegio constituerunt; quod si  
sequutum esset, totum monasterium, ad integritatem et liber-  
tatem antiquam redactum, Collegio traditum esset.

677. Superius <sup>4</sup>, cum de Collegio Germanico ageretur, di-  
ctum est 48 juvenes ad illud mittendos esse; quia tamen Rex,  
festinatione fortassis nimia ministrorum, scripsit Episcopis sua-  
rum ditionum ut eos mitterent, nulla mentione facta de pecu-  
nia ad eorum sustentationem necessaria, ubi postea intellexit  
de ea providendum esse a Praelatis, nec sine illa Romam esse  
mittendos, dixit nihilominus Rex se retractare nolle quod scri-  
pserat, nec aliter se velle scribere; et mitti nihilominus eos  
jubebat; Deum enim aliqua ratione ipsis prospecturum esse.  
Sed visum non est nostris eos mittere, si stipendium certum  
non haberent, prout Roma ipsis scriptum fuerat.

678. Augustae cum esset idem Rex, decem germanos juve-  
nes ut hospitio a Collegio Viennensi admitterentur, et ad se  
scribi quae necessaria ad eorum sustentationem essent voluit;  
et haec causa fuit Collegii instituendi convictorum Viennae; et  
regulas ad se mitti collegii Germanici P. Lanoyus postulabat;

<sup>1</sup> Pag. 226, n. 653.

<sup>2</sup> Vide supra, t. III, pag. 241, n. 538 et 540.

<sup>3</sup> In quo Viennense Societatis Collegium erat. Vide supra, t. III, pag. 258, n. 577.

<sup>4</sup> Pag. 36, n. 65.

quamvis postea sex eorum cum Regis beneplacito dimissi fuerunt, et quatuor tantum inter convictores retenti. Nec mirum est si Rex, alioqui benignissimus, omnia quae nostris erant necessaria non intelligeret ac provideret. Turca enim in Hungariam se venturum anno sequenti minabatur, si conditiones quasdam, parum aequas et honorificas, Rex non admitteret; et ita plurimi Praelati et saeculares domini Viennam conveniunt ut de modo resistendi Turcis agerent. Sed hoc male nostros habebat, quod omnes consultationes ad pecuniam inveniendam tendebant, et non ad peccata removenda, quae iram Dei provocaverant.

679. Concionatus etiam fuerat hoc anno Viennae vir quidam non minus impurae vitae, quam doctrinae; concubinam etiam, vel, ut ipse vocabat, uxorem, cum sex vel septem filiis habebat; et non solum suspectam, sed haeticam ac malam doctrinam, cum eloquentia magna populo proponebat <sup>1</sup>; et cum ad Maximilianum Bohemiae Regem delatus esset, frigidius ille, quam par erat, respondebat, ut notarent errores, quos contra fidem catholicam diceret. Delatus etiam est ad Regem Romanorum, qui tunc Augustae agebat; qui graviter tulit, ut sub umbra filii sui, Regis Bohemiae, infamis huiusmodi concionator hoc munere fungeretur; et cum ipse Octobri mense Viennam rediit, et aliquot ejus conciones audisset, ejusdem doctrinam improbabat; sed nescio quibus ductus rationibus, prout nostri suadebant, hominem Vienna non exturbavit <sup>2</sup>.

680. Quidam alius suffraganeus Pataviensis Episcopi <sup>3</sup>, de

---

<sup>1</sup> Vide *supra*, pag. 230, n. 663. annot. 2.—In epistola ibi memorata Canisius Sancto Ignatio scribebat: "E (S. Phauser) molto eloquente et sempre tiene vn concorso mirabile della gente, et se dice che sia maritato, item che habbia lassiato la sua parochia piena del fermento heretico." Quibus subdit BRAUNSBERGER, annot. 3: "Phauser in oppido tirolensi Sterzing parochus fuerat. Haereses suas, initio saltem, non sine aliqua cautione proferebat, ideoque a Bernardo Raupach Lutherano vir "magnae prudentiae theologiae," appellatur (Evangelisches Oesterreich [Hamburg 1732] pag. 54). L. C., pag. 527.

<sup>2</sup> Ait tamen BRAUNSBERGER, l. c., pag. 535: "Relegatus est (Phauser) in Styriam a Ferdinando; sed eodem anno 1555 a Maximiliano revocatus, et ita Canisii conatus ad irritum reciderunt."—Aliquid etiam adversus hunc concionatorem Romae tentabatur; scribit enim, *ex com*, Polancus Canisio: "V. R. ci avisi se quel predicatore del Re Maximiliano va innanzi et del modo debbia tenersi con questo." 12.<sup>o</sup> Februarii 1555.—Vide etiam Canisii litteras Patribus Hieronymo Natali et Jacobo Laynez datas 1 Aprilis huius anni 1555, apud BRAUNSBERGER, l. c., p. 530-534.

<sup>3</sup> Pataviensis seu Passaviensis Episcopus ad 5 usque Decembris huius anni 1555 fuit

quo promovendo ad Gurcensem Ecclesiam agebatur, audiente ipso Rege Romanorum, et alterius praedicatoris errores aperte confirmavit, nullo modo plectendos esse capite haereticos probare volens, quod nec Christus nec apostoli fecissent. Itaque merito flagellum Turcarum timeri poterat, cum talis doctrina, praeter peccata plurima, toleraretur.

681. Ex parte Olomucensis Episcopi, <sup>1</sup> qui Viennam venerat, agi coeptum est de Collegio Olomucii instituendo; vacuum enim se habere dicebat monasterium quoddam franciscanorum <sup>2</sup>.

682. Idem Rex Romanorum commiserat P. Canisio, qui Pragae domum Collegio venturo concinnari curabat, ut ad Ducem Bavariae se conferret <sup>3</sup>, ut de Collegio theologico, partim in gratiam Societatis, partim aliorum <sup>4</sup>, conficiendo cum ipso ageret.

683. Itaque undecumque messis multa sese offerebat, sed pauci erant operarii, et unus ex nostris Brosius <sup>5</sup> nomine, natio-

Wolfgangus v. Salm; cui successit 20 ejusdem mensis Wolfgangus v. Closen (GAMS). Illius autem suffraganeus, de quo hic fit sermo, quis fuerit, nobis non satis constat. Promotus ad Gurcensem Ecclesiam fuit Urbanus de Oesterreich (GAMS).

<sup>1</sup> Marci Kuen (GAMS), vel Khuen (SCHMIDL, *Historia S. J. Provinciae Bohemiac*, lib. II, n. 56.

<sup>2</sup> His complenda narratio Schmidl, qui prima semina Olomucensis Collegii jacta ait anno 1538, cum "Ex ipsa Moravia Marcus Khuenus Olomucensis Episcopus, tum Baro Haugvitijs, Provinciae Capitaneus, certatim frequentibus litteris Societatem ad se invitabant; quorum gratia P. Victoria, ineunte Julio, cum duobus Socijs, P. Joanne Derfin, et Antonio Klesello, Viennam Praga rediens, pedes usque Olomucium profectus est..." l. c.—Haud tamen ii Olomucl tunc subistere, nec Collegium ante annum 1566 institutum est. Id., *ibid.*, lib. III, n. 24 et seq.

<sup>3</sup> "12 giorni sono. che io mi partii da Praga, per venire in Baviera, siccome Sua Maestà essendo sollecitata dall' Illustrissimo Duca di Baviera mi scrisse e comandò, che io da Praga venissi al detto Duca per deliberare e concludere di un collegio teologico in Ingolstad., Canisius Ignatio, Monachio 26 Octobris 1555. BRAUNSBERGER, l. c., pag. 563, 564.

<sup>4</sup> Ad intelligendum recte quid sibi velint haec *partim in gratiam Societatis, partim aliorum*, cf. quae ex *Cartas de San Ignacio*, t. IV, pag. 233 et 465-467, affert BRAUNSBERGER, l. c., pag. 486, annot. 1.—Canisius litteris supra memoratis addit: "Finalmente si fece questa risoluzione, che si mandassino 3 dei principali consiglieri ducali a Ingolstad, e che io fossi il quarto per consultare e concludere ogni cosa di questo collegio, volendo già in ogni modo avere prima un collegio integro della Compagnia, et secundo un altro di 15 scolari almeno, che siano sotto il nostro governo, e auditori di teologia, e che eccetto in temporalibus, habiamo la piena superintendencia di loro..." BRAUNSBERGER, l. c., pag. 566.

<sup>5</sup> Sic perspicue in Ms. In *Regesto* autem, licet non ita perspicue, *Brocio*. "Al fratello nostro Brocio tenga Iddio Nostro Signore nel suo santo regno. Noi lo havevamo saputo molto tempo fa et fattolo raccomandare in Roma et nell' altri collegi al Creatore suo..." Polancus, *ex com.*, Patri Lanoy, 2.º Aprilis 1555.

ne Lotharingus, prima die Februarii ad Dominum migraverat, profundae humilitatis et promptae obedientiae juvenis, et qui dexteritate ad res multas pollebat, paucorum dierum morbo, perfectum usum intellectus amiserat; sed antequam moreretur, sibi restitutus est, et inter fratrum orationes et exhortationes, spiritum Domino, post omnia Sacramenta suscepta, reddidit.

684. Admittebantur aliqui in Societatem, inter quos juvenis quidam Germanus 22 annorum erat, qui voce et gratia loquendi et affectus movendi in praedicatione omnibus nostris superior videbatur. Et quamvis sub Patre Erardo Avantiano domus probationis esset instituta <sup>1</sup>, in qua primis mensibus sex, ultimis vero hujus anni, quindecim vel sexdecim erant, existimabat nihilominus expedire P. Lanoyus Rector ut qui in Societatem admittebantur, fundamenta suae vocationis [Romae] jacerent, et ibidem expensis regiis alerentur <sup>2</sup>; quod etiam utile videbatur ad hoc ipsum, ut sinistras illas opiniones exuerent, quas ex libris illis hauserant, qui contra Pontificem Romanum et Cardinalium sacrum Collegium passim circumferebantur.

685. Multum tamen contulit P. Natalis Viennensi Collegio, ad quod prima die Maii pervenit; et cum traditione <sup>3</sup> quadam regeretur <sup>4</sup>, publicatis constitutionibus et regulis ad formulam nostri instituti propius accedere coepit. Ibidem autem nona die Junii, P. ipse Natalis, quartum votum accidentale ex his, quae post professionem solemnem emittuntur (hoc enim solum ipsi deerat) <sup>5</sup> emisit. Patres autem professi, scilicet Canisius, Lano-

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 260, n. 561.

<sup>2</sup> "De Viena nos escriben que seria muy necesario que los Thudescos resciuidos allá viniesen a Roma, y aquí se ayudasen en el espíritu de la Compañía y aun en letras; y añaden que el Rey debria mantenerlos; parécenos acá que esta seria buena via para que se ayudase nuestro collegio, no como nuestro, sino que el Rey diese orden como se pudiesen mantener en él algun buen número de los suyos para inviarselos como se hubiesen acá aprovechado en espíritu y letras; y parece que estaria bien á los nuestros de Viena que ellos solicitasen y moviesen al Obispo Labacense, y al Secretario Jonas ó á quien les pareciese, y al mesmo Rey..., Polancus, *ex com.*, Patri Nadal 1.<sup>a</sup> Aprilis 1555.

<sup>3</sup> *contraditione* habet hic Ms.; sed recte emendatum videtur a Sacchino supra scribente *cum traditione*.

<sup>4</sup> Collegium Viennense.

<sup>5</sup> Procul dubio, dum haec Polancus scriberet, *Constitutiones Societatis* respexit, quales ab Ignatio scriptae fuere (cae enim tantum prae manibus esse poterant hoc anno 1555 tum Patri Natali, tum Patribus Viennensibus, ut et aliis Sociis), non ad *Formulam* votorum simplicium, quae post professionem emittuntur, a Congregatione Ge-

yus et Gaudanus quatuor <sup>1</sup> vota post professionem emitti solita emiserunt <sup>2</sup>. Alii autem fratres, sua simplicia confirmaverunt, et duo vel tres nunquam antea facta fecerunt.

686. Post recessum P. Canisii cum Socio Cyrillo <sup>3</sup> Pragam versus, et duos illos novitios, qui ipsum sequuti sunt <sup>4</sup>, triginta duo ex nostris Viennae versabantur sub finem Augusti, inter quos quinque tantum sacerdotes erant.

687. Prosequutus est autem P. Lanoyus, in absentia ejusdem Patris Canisii lectionem publicam, quam ipse in scholis praelegebat <sup>5</sup>; alteram enim P. Gaudanus, pro more suo enarrabat. Cum autem tempestas quaedam, ab ejusdem universitatis publicis professoribus vel aliquo eorum profecta, de titulo doctoratus ostendendo, molesta esset Patri Lanoyo, suggerebat ille occasionem hanc accipiendam esse ut lectiones illas publicas, admodum utiles aliis auditoribus, praeter nostros, saltem idoneis, destitutas relinquerent; nec enim exiguam in proprio collegio messem habituri erant, licet publicis scholis valedicerent. Propter commune tamen bonum, non visum est expedire ut duae illae lectiones publicae relinquerentur, quae facile in haereticorum manus incidere poterant.

688. Erat autem tanta nostrorum scholasticorum occupatio circa juventutem in scholis nostri Collegii instituendam, et in

---

nerali prima confectam et approbatam. Jamvero quantum votum, de quo hic fit sermo, prout in Const. part. x, continetur, illud est quod inter verba sequentia clauditur:

"Prometa tambien á Dios Nuestro Señor, que cuando. ....  
...á gloria de Dios Nuestro Señor."

"Promittat etiam Deo, quod si quando  
.....  
...ad gloriam Dei et Domini nostri id proponat."

*Constitutiones Societatis latinae et hispanae*, Matriti, 1892, pag. 286 et 287.

In *Formula* autem supra memorata, quamvis nihil additum sit ei quod in *Constitutionibus* continetur, praeter distinctionem rerum majorem, quatuor illa vota in quinque transformata sunt (*Institutum Societatis Jesu*, Florentiae. 1893, t. II, pag. 180); itaque quinque distinguuntur et enumerantur in *Epitome Instituti Societatis Jesu*, part. III, cap. III, sect. IV. Unde *quartum* hoc, cujus meminit Polancus, votum est in *Formula quintum*.

<sup>1</sup> Cf. annot. praecedentem.

<sup>2</sup> Haud raro evenit in illis Societatis primordiis ut Professores diebus aliquot vel mensibus, vel etiam annis, post emissam quatuor Professionis substantialia vota, accidentaliter haec quatuor vel quinque emitterent. Vide supra, t. III, pag. 405 annot. 1 sub finem.

<sup>3</sup> In hujus cognomen nondum incidimus; nec ejus factam mentionem vidimus a SCHMIDL aliisve.

<sup>4</sup> Vide supra, pag. 227, n. 655.

<sup>5</sup> Vide supra, t. II, pag. 567, n. 360, et t. III, pag. 256, n. 773.

aliis charitatis et obedientiae functionibus, ut studia nostrorum, tam theologiae quam philosophiae frigerent; quod tentationum quarundam seminarium erat; nam spem profectus in litteris fere omnes abjecerant, et majorem adhiberi posse diligentiam in hac parte a Patre Rectore aliqui censebant <sup>1</sup>.

Et haec de Collegio Viennensi.

---

<sup>1</sup> Similes de hoc querelae jam anno praecedenti Romam Vienna perlatae sunt. Vide supra, t. iv, pag. 235, n. 523, et pag. 263, n. 566.

---

## DE INITIIS COLLEGII PRAGENSIS

ET DE QUIBUSDAM

A P. SALMERONE, CANISIO ET NATALI ACTIS

689. Quamvis P. Petrus Canisius caeteris in Germania Praepositus fuerit, nondum tamen hoc anno tanquam Provincialis Praepositus fuit publicatus <sup>1</sup>; et vix liberari poterat metu Episcopatus Viennensis, cum congratulatores multi, quasi jam ipsi per obedientiam injunctum esset, accederent <sup>2</sup>. Sed cum postea intellexisset a Nuncio apostolico, quod opera P. Ignatii res fuisset impedita, et nihilominus ipsi administrationem committi <sup>3</sup>, eundem Patrem Ignatium suis litteris rogabat ut etiam hoc administrationis onus ab ipsius humeris auferri curaret. Eam enim esse videbat Viennensis civitatis dispositionem, ut potius conscientiae propriae laedendae periculum ipsi immineret, quam de urbe magnopere juvanda spes esset; cum praecipue, praedicatores quidam valde suspecti, et tamen ab aliquo Principe <sup>4</sup> favore et auxilio promoti, sua doctrina urbem inficerent; nulli pene confessarii tolerabiles; rarus admodum qui vere obediens Sedi Apostolicae sit, ut potius apud turcas et infideles fructum speraret, quam apud Viennenses per administrationem

---

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 224, n. 649, annot. 1.

<sup>2</sup> Eorum unus, qui Canisio de Viennensi Episcopatu adepto gratulabantur, erat Wiguleus Hundt. Canisii ad eum litteras de hac re vide apud BRAUNSBERGER 1. c. pag. 567-569.

<sup>3</sup> Nuntius hic, a quo id Canisius scivit, fuit Zacharias Delfinus, a Julio III in vicem Martinengi Viennam mense Novembri 1553 missus. Vide supra, t. iv, pag. 16, n. 16, annot. 2.

<sup>4</sup> Maximiliano II. Vide supra dicta, pag. 235, n. 679.

Episcopatus <sup>1</sup>. Per unum annum nihilominus ut patienter crucem hanc ferret, responsum illi est.

690. Quae consueverant duobus lectoribus theologiae et concionatori S.<sup>ti</sup> Stephani pro stipendio donari, id Rex jussit ad libros emendos et alia necessaria sic converti, ut contra institutum Societatis nihil fieret; et D. Lucretio, Superintendenti universitatis <sup>2</sup>, commisit, ut ad se reciperet stipendia praedicta, et sic demum in usum Collegii daret.

691. Antequam Vienna recederet P. Canisius, Februario mense impetrata est facultas publicandi jubilaum <sup>3</sup>, quamvis petra scandali multis esset <sup>4</sup>; et admonuit Regem Romanorum idem P. Canisius, si non sequeretur visitatio Episcoporum in illis dioecesibus, damnum animarum inexplicabile et forsitan irreparabile fore. Viennam praeceptores Vitemberga veniebant <sup>5</sup>; nec sacerdotes contra id, quod populo placebat, quicquam loquebantur <sup>6</sup>; Episcopo Labacensi et Jesuitis solis tribuebant, quod Rex Romanorum in antiqua religione perseveraret <sup>7</sup>.

692. Censuras catechismi, Roma missas a Patre Ignatio, cum accepisset idem Pater Canisius, quatuor millia exemplaria

<sup>1</sup> Canisii litterae, e quibus haec deprompsit POLANCUS perisse videntur; nihil enim simile in editis a BRAUNSBERGER reperimus. Sed vide Polanci, *ex com.*, ad Canisium litteras, quas idem BRAUNSBERGER affert, l. c., pag. 500 et 501.

<sup>2</sup> Joanni Alberto Widmanstadio (*Widmunstadt, Widmanstetter*), alias Lucretio. Vide supra, t. iv, pag. 236, annot. 2.—“Hic Lucretium ideo se dixisse videtur, quod Lucretiam de Leonsberg uxorem duxerat.” BRAUNSBERGER, l. c., pag. 562, annot. 5.

<sup>3</sup> Interpunctione hic a nobis adhibita (nulla enim est in Ms.) auferri satis videtur errandi occasio. Melius autem tolleretur sic: *Mense Februario, antequam Vienna recederet P. Canisius, impetrata...* Canisius enim Vienna hoc anno non recessit ante diem 23 Maii, in qua litteras dedit Wichmanno van den Bergh, consuli noviomagensi, quas affert BRAUNSBERGER, l. c., pag. 540-513.—Vide etiam apud eundem BRAUNSBERGER pag. xlv, ubi dicitur: “1555, Jun. (post 9) Canisius [Vienna] Augustam Vindelicorum ad Ferdinandum Regem proficiscitur. Exeunte Jun. vel ineunte Jul. Viennam redit et inde Pragam abit ad Collegium praeparandum.”

<sup>4</sup> Vide supra, pag. 230, n. 663, et *Litterae Quadrimestres*, t. iii, pag. 389.

<sup>5</sup> BRAUNSBERGER, l. c., pag. 490, ad haec Ignatii verba: “Imo et Iudimagistri omnes et paedagogi hoc intelligere deberent, et revera experiri, sibi nullum relinqui locum in Regiis provinciis, nisi sint, et praesferant, se esse catholicos,” haec subdit: “Nobiles imprimis austriaci Lutheranis Vitemberga vel aliunde accitis filios instituendos tradebant.” (*Riess*, Der selige Petrus Canisius aus der Gesellschaft Jesu, p. 105).—Vide etiam *Litterae Quadrimestres*, t. ii, pag. 19, versus finem.

<sup>6</sup> De hoc saepius conquestus est Canisius suis litteris.

<sup>7</sup> Saltem Maximilianum II in hac, quod ad se spectabat, opinione fuisse tradit Canisius. “Et il medesimo Re (Maximilianus) si persuade che il Reverendissimo Labbacense et io siamo li principali appresso il padre suo per impedir la novità sua et il Lutheranismo.” BRAUNSBERGER, l. c., pag. 526.



in prima editione, cum statim distracta fuissent, secunda et tertia sequuta est<sup>1</sup>; et severo praecepto suis provinciis Rex Romanorum injunxit ut alio catechismo non uterentur<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Inconcinne satis haec dicta sunt, quae melius fortasse disponderentur hoc modo: *Censuras catechismi, Roma missas a P. Ignatio, accepit idem P. Canisius. Cum autem primae editionis quatuor millia exemplaria statim distracta fuissent, secunda et tertia editio secuta est*;—Ad cujus rei intelligentiam faciunt sequentia: 1.<sup>um</sup> Die 25 Martii hujus anni 1555 scribit Canisius Sancto Ignatio: "Quanto al Catechismo, sia laudato il Signor. per la cui gratia questa opera quasi già è finita; et mandarò un' esempliare pieno per altra uolta, lassando tutta la correctione a qual si voglia Padre secondo la uolontà de V. R. P. Questo dico, acciò per altra uolta quando se stampasse questa opera, tutto sia correcto et posto in ordine per satisfar anche alli morosi et curiosi censori, siccome hora si trouano." 2.<sup>um</sup> His Canisii verbis *questa opera quasi già è finita* subiungit BRAUNSBERGER, l. c., pag. 522, annot. 1, haec: "Haec verba ostendunt, quam non recte plerique historici asserant Canisii 'Summam doctrinae christianae', anno 1554 primum in lucem emissam esse. At eorum error excusari facile potest. In folio titulari editionis principis annus ascriptus non est; titulum autem proxime sequitur mandatum Ferdinandi I 14 Augusti 1554 datum; ex quo concluderunt ipsum etiam catechismum anno 1554 editum esse." Pars tamen aliqua "Summae", typis jam erat descripta ante 26 Octobris 1554; ait enim ea die Canisius Patri Polanco scribens: "Diuus quam par sit, respondere distuli, praesertim in excudendo Catechismo et adiuuando Typographo ualde impeditus. Mitto primitias Operis, cupioque non solum relegi. sed etiam emendari, qualicumque demum sunt ista, quae utinam recte confici, foeliciter excudi et frugifere tandem euulgari possent. Locus adhuc est in fine corrigendi, si quid vobis correctione dignum videbitur." BRAUNSBERGER, l. c., pag. 501, 502, 3.<sup>um</sup> "Ex epistula Canisii, 16 Augusti 1554 ad Polancum data, certo constat catechismum Romae recognitum esse a P. Andrea Frusio, rectore collegii germanici, et l'. Martino Olavio, collegii romani rectore et theologiae professore. Eadem epistula verisimillimum redditur Polancum quoque et Iacobum Lainium, qui tunc per Italiam praepositi provincialis munus gerebat, suas addidisse censuras. Ac Lainium id praestitisse certum redditur epistula, quam Canisius ineunte a. 1557 ad eum dedit. Atque hos quattuor singillatim Canisio scripsisse eadem epistula demonstrat. Sacchinus Polanci epistulam proxime secutus esse videtur, quam fortasse in eiusdem epistularum registro inuenerat. Quando autem epistulae censorum una cum ipso catechismo Viennam missae sint, litteris ostenditur, quae Roma 19 Iulii 1554 Ignatii nomine Viennam missae sunt ad Matthiam de Taxis, Ferdinandi I. postarum magistrum; in quibus scribitur: Questi giorni passati habbiamo ricevuto una lettera della Maestà Regia ed un certo trattato che li No'ri facessero per sua commissione. Qui si manda risposta di detta lettera, e si rimanda il trattato sopradetto visto qui in Roma." *Ib.*, *ibid.*, pag. 481. 4.<sup>um</sup> Has censorum romanorum animadversiones, seu annotationes, accepit Canisius ante diem 16 Augusti a. 1554; hac enim die scripsit ipse Polanco: "Catechismum una cum litteris accepi, et annotationes. Laus Christo, qui charitatem vestram in tantis occupationibus ad humilia isthaec studia et figmenta nostra censenda protendit." L. c., pag. 482. 5.<sup>um</sup> Annotationes hae seu censurae non totam "Summam", hoc anno edi inchoptam sed tantum ejus primam partem respiciebant; addit enim ipse Canisius: "Reliqua lubenter mitterem, nisi ad praedium post longam expectationem urgerent isti, ut haud sit facile tarditatem excusare nostram. Deinde RR. PP. qui suas mihi operas ad iudicandum et corrigendum pollicentur, eam negotiorum vestrorum praesentem molem esse testantur, ut non expediat vos hac libelli causa molestari saepius. Igitur quod per vos licere confidimus, praelo subijciemus quae vidistis, et item posteriora, quando festinant tantopere; vestrisque tum precibus, tum sacrificijs ad deum fuis successum omnem committimus."—Tandem quae de altera et tertia canisiani catechismi editione hic habet POLANCO, non de hoc anno 1555 intelligenda videntur sed de posterioribus. Cf. BRAUNSBERGER tum *Epistulae et Acta*, tum *Katechismen*.

<sup>2</sup> "Editioni principi 'Summae' canisianae hic est titulus: SUMMA | DOCTRINAE

693. Perlatum est ad nostros Viennenses, quod P. Ignatius Romae cum Summo Pontifice transegerat de negotio octo hospitalium aut monasteriorum quorundam; quod cum <sup>1</sup> misisset P. Canisius Regi Romanorum, pergratum illi fuit <sup>2</sup>, ut suis literis Rex testatur gratias agens Patri Ignatio <sup>3</sup>. Et in Societatem usque adeo affectus erat [ut] non solum Pragae sed etiam Oeniponti Collegium Societatis vellet instituere. Confectum fere jam erat eo tempore pulchrum quoddam Collegium cum redditibus stabilibus, qui ad nutriendas 40 personas satis futuri videbantur; nam ex voto Rex hujusmodi fundationem faciebat, et optabat ut P. Ignatius Collegium illud admitteret <sup>4</sup>. Sed non ita Maximilianus, Bohemiae Rex, rebus nostris se propensum ostendebat; sed potissimum Patri Canisio erat infensus, quod illum inimicum esse praecipuum concionatori superius dicto existimabat: quem suum Rex vocabat, qui apud eundem Ma-

CHRISTIANAE | *Per Quaestiones tradita et in usum | Christianae pueritiae nunc pri- mum edita* | Jussu & autoritate Sacratissimae | Rom. Hung. Bohem. &c. Regiae | Majest. Archiducis Austriae, &c. | EDICTO REGIO CAVTUM | est, ut hic libellus solus, praetermissis reli- | quis Catechismis, per omnes Austriae infe- | rioris Prouincias, & Goritiae Comitatum | in scholis cum priuatis (*sic*) tum publicis praele- | gatur & conservetur: Atque à nullo Typo- | grapho aut Bibliopola, inuito Michaelle | Zimmermanno, intra decen- | nium. denuò excudatur, | aut excusus vendatur „Id., *ibid.*, pag. 537, annot. 1. Cf. etiam ejusdem BRAUNSBERGER *Entstehung und erste Entwicklung der Katechismen des seligen Petrus Canisius*, pag. 28-49.

<sup>1</sup> *commisisset* est in Ms.

<sup>2</sup> Quod ad nostros Viennenses perlatum et Regi a Canisio missum hic dicitur, esse videtur Pontificis Pauli IV Breve aut Bulla, cujus mentio fit in Ignatii ad Regem litteris 24 Julii hujus anni 1555 datis (*Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 266), quod tamen pontificium diploma, sive in Brevis sive in Bullae forma fuerit, nondum expeditum erat mense ejusdem anni Septembri (*Ibid.*, pag. 342 et 415); immo nec de ejus expeditione quidquam certo, praeter id quod hic asserit Polancus, affirmare valemus; nullam enim ejus mentionem habet DELPLACE in *Acta S. Sedis in Causa Societatis Jesu*, nec PINE in *Acta Sanctorum*, mense Julio, t. vii, ubi de Sancto Ignatio, nec BRAUNSBERGER in *Epistulae et Acta B. P. Petri Canisii*.—Quod autem a Polanco dicitur *id* a Canisio ad Regem *missum*, satis indicat pervenisse *id* ad Canisii manus, dum is extra Viennam agebat, vel Pragae, vel Ingolstadii, vel Augustae. (Vide BRAUNSBERGER, l. c. pag. xlv.)

<sup>3</sup> Has Ferdinandi Regis litteras nondum vidimus nec earum meminere PINE et BRAUNSBERGER.

<sup>4</sup> Huc referenda procul dubio videntur quae habet BRAUNSBERGER, l. c., pag. 476, annot. 3, post medium: "Litteris autem Ferdinandi Vienna 4 Decembris 1554 ad Ignatium datis M. Singkhmoser secretarius eodem die <postscriptum> addidit (nondum in lucem emissum), in quo dicit Regem testamento Maximiliani I caesaris ad duas ecclesias exstruendas obligari, unam Oeniponte in honorem S. Leopoldi austriaci, alteram Falcianae (Wels, Austriae superioris oppidum). Id autem difficile aut quasi supervacaneum fore, praesertim cum Ferdinandus Oeniponte ecclesiam, collegium, valetudinarium aedificaturus sit. Ideo regem ab Ignatio petere, ut id efficiat, ut pontifex ab ea testamenti parte se dispenset (ex \* commentario vel apographo, quod est Viennae in archivo aulae caesareae "Niederöest. Akten, fasc. 4)."

ximilianum conquestus erat, et dixerat se nolle in ipsius curia manere si jesuitae in ea remanerent <sup>1</sup>.

694. Commonefecerat Regem Romanorum, ipsius <sup>2</sup> patrem, Canisius <sup>3</sup>; ipsum etiam Regem Bohemiae, de mala hujus cōcionatoris doctrina pater Ferdinandus admonuerat; sed ille ex invidia et hypocrisi nostrorum haec proficisci dicebat, et succensebat non solum Canisio, sed etiam Labacensi Episcopo, quos praecipuos esse apud Patrem oppugnatores rerum hujusmodi novarum intelligebat; et cuidam exprobravit quod nostris amicus esset. Alios etiam ministros habebat, ut confessarium et ministrum domus <sup>4</sup> parum laudabiles, ut fama ferebatur; et ita multi timebant ne cum Regis Ferdinandi vita, defensio catholicae religionis, quod ad Principem attinet, cessatura esset <sup>5</sup>; vi-

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 241, n. 691.

<sup>2</sup> Regis Bohemiae, Maximiliani.

<sup>3</sup> "Ma io tanto mancho mi curo di queste passioni, quanto piu se uedino li segnali del Lutheranismo in queste ditte persone. Noi habbiamo fatto intendere il Serenissimo Re in Augusta, che pericolo se habbia d'espettare de questi principij., Canisius S. Ignatio, 25 Martii 1555 (BRAUNSBERGER, l. c., pag. 525). Ex quibus certe non eruitur Canisium hanc commonitionem Regi fecisse per litteras a se scriptas; idque fatetur BRAUNSBERGER, dum ait: "etsi diserte id (se scripsisse) Ignatio non dicit (Canisius), cui collimant apprime Polanci verba non aientis quo modo, scripto an verbo, haec commonitio facta sit. Erui tamen posse videtur ex proxime sequentibus Canisii verbis: "Et lui (Rex) mi rispose con la manu propria., Commonitioni enim, ore tenus si facta fuisset, responsio ore tenus et non scripto facta magis congrueret. Unde Canisium per litteras Regem de hac re commonefecisse certum est PATRI BRAUNSBERGER. — Vide tamen quae de his Canisii litteris idem BRAUNSBERGER disserit l. c., pag. 529 et 530.

<sup>4</sup> Vocibus his *ministrum domus* intelligi videtur ille quem Canisius *maggiordomo del Re* appellat. De hoc ita BRAUNSBERGER: "Hoc munus ("Obersthofmeister.") anno 1556 administravit., "von Eitzing., anno 1562 "Christoph Freiherr zu Eitzing und Schratenthal., (M. Koch, Quellen zur Geschichte des Kaisers Maximilian II. [Leipzig, 1857], p. 3, 7). l. c., pag. 526, annot. 2.

<sup>5</sup> "Et lui mi rispose con la manu propria, che hauesse grand dispiacere sopra questa nouità, et cossi mando altre litere scripte al Re figliolo; il qual poi non se ha curato niente, dicendo, che voglia ogni modo dar dorso et defensione al suo predicatore: et che sola sia la invidia appresso de noi et la hipocrisia, massime perche persequiamo il suo predicatore. Dappoi se mostra con altre parole troppo fastidiose, che habbia vn giuditio molto singulare et inclinato a defendere li Lutherani, contradicendo al zelo del padre, il qual pur mai e troppo zeloso, talmente che merito hauemo de temere <sup>1a</sup> che il Re giouane non ci fara li seruitii del padre, <sup>2a</sup> che sia troppo Tudescho secondo lo spirita moderno. Onde non lassò publicare le Indulgentie ultime, sicome e stato fatto in tutte le altre Ecchesie, et molto s' intromette nelle cose della Religione. et tiene appresso di se Lutherani non picoli, talmente che mangiano carne adesso, et parlano male della fide publicamente: Et il medesimo Re si persuade, che il Reuerendissimo Labbaccense et io siamo li principali appresso il Padre suo per impedir la nouita sua et il Lutheranismo. Item sappia V. R. P. che questo io ho inteso d' un amico fidele, il quale hora due uolte e s'ato chiamato dal detto Re, il qual anchora li esprobaua, che fusse tanto amico nostro, dicendo alhora et altrouj parole d' un huomo molto tentato contra di me, et sempre per rispetto del suo predicatore. Non dirò, sicome anchora il confessore suo se reputi per vn' apostata, et certo e che sia stato vn frate Augustiniano, et gia fa vn

vente etiam Ferdinando, ejus consilarii tepide exequabantur, quae secundum ipsius mentem esse intelligebant; et nobilitas Austriae imprimis erat corrupta, nec Missae fere intererant, nec se catholicos esse factis ostendebant; sub utraque etiam specie multi communicabant <sup>1</sup>.

695. Postulabat P. Canisius aliquos praeceptores in clas-  
sium Viennensium usum, ne tantopere qui illis praeerant, a  
suis studiis superioribus impedirentur <sup>2</sup>. Fuit autem magnae  
consolationi ei, sicut et ceteris viennensibus, P. Natalis adven-  
tus, quem non solum ad reformationem ejus Collegii, sed etiam  
ad universale bonum earum provinciarum fore existimabat, si  
diutius ibidem manere permetteretur; cum praesertim et apud  
Regem ipsum Romanorum auctoritatem Augustae nactus esset,  
(qui eum ad tempus Viennae manere putabat) et apud alios pri-  
marios viros <sup>3</sup>; et necessitatem ejus regionis ipsemet P. Nata-  
lis majorem esse, quam alibi nunquam vidisset, fatebatur.

696. Ad collegia etiam Societatis pluribus in locis inchoan-  
da perutilem fore censebat; sed ille, postquam magnam lucem  
in his, quae pertinent ad nostrum institutum Viennae reliquis-  
set, in Italiam, ut superius dictum est, redierat <sup>4</sup>. Prius tamen  
injunxit eidem P. Canisio ut, litteris a Rege Romanorum acce-

---

Canonico de Vienna, sola se dubita della dispensa, vn huomo de mala fama et de pocha dottrina. Oltre di questo il maggiordomo del Re detto e vn grand Lutheranò; il qual governa questo predicatore, sicom' io intendo et credo che sia la causa principale della ruina spirituale del Re predetto. Adunque pensi V. R. P. in quanto pericolo vn principe giovane sia, poi che tiene vn tal confessore, predicatore et maestro della sua curte. Onde molto superbiscono li Lutherani, et se dice per le terre uicine et per le prouintie publicamente, che questo Re habbia vn predicatore Lutheranò, et che voglia molto male alli Jesuite, li quali danno resistentia. Imo qui dice la gente, che esso predicatore et noi altri siemo contrarij nella doctrina, sicome e uero, perche lui defende il matrimonio delli preti, extenua li meriti delle buone opere, parla contra il culto debito alli santi, seguita le phrasi Lutherane, et satisfa tanto alli heretici, quanto offende li catholici., Canisius litteris supra, pag. 244, annot. 3, memoratis.

<sup>1</sup> Postrema haec, a voce *vivente*, translata ad verbum fere sunt ex Canisii litteris supra annot. praecedenti memoratis, ubi ait: "Unde li consiglieri pigliando una diffidenza, impediscono quello che il Re vecchio (Ferdinandus I) farebbe secondo le sue bone inclinationi. Item non si trouano li quali voliano far dal Catholico, non sentiscono piu Missa in Austria, le prediche sono per stabilire le secte, et non per nutrire o defendere la fede, mangiano carne tutta uia per Austria nella quaresima....", BRAUNSBERGER, l. c., pag. 528.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 238 et 239, n. 688.

<sup>3</sup> Litterae, quibus Canisius et professores pro Viennensi Collegio postulabat et de adventu Patris Natalis gaudere se aiebat, perisse videntur. Ejusmodi enim nihil in his, quas edidit BRAUNSBERGER, reperimus.

<sup>4</sup> Pag. 27, n. 46.

ptis, Pragam proficisceretur, ut res necessarias futuro Collegio praepareret.

697. Juvit etiam eundem Canisium in catechismo ad secundam editionem recognoscendo <sup>1</sup>.

698. Ex illis quadraginta et octo juvenibus Romam mittendis, erant duodecim Bohemi, quos hoc anno Romam venisse et in Societatem admissos fuisse diximus <sup>2</sup>. Cum autem intellexisset Rex Ferdinandus non posse illos in Collegio Germanico sustentari, nisi de rebus necessariis ex ipsa Bohemia, vel ab eodem Rege prospiceretur, in optimam partem accepit quod P. Ignatius eos admisisset; cum sine dignitatis et existimationis regiae aliqua obrectatione remitti non potuisset a D. Didaco Lasso, suo in Romana curia oratore <sup>3</sup>, intellexisset. Et tunc constituit ut quadringenti aurei Collegio nostro Romano singulis annis persolverentur; et, quamdiu ipse vixit, semper bona fide soluti sunt <sup>4</sup>.

699. Alii duodecim ex provincia Slesia mittebantur, sed cum non essent eo animo ut vellent ecclesiasticos ordines suscipere, significavit eis P. Canisius, qui vicinus ipsis erat, ne ulterius Romam versus progredierentur.

700. Alii duodecim moravi Viennam, ut superius tetigimus <sup>5</sup>, missi sunt; aliis autem antequam ex suis provinciis recederent, ne Romam venirent fuit significatum; res enim bene intellecta non fuerat, nec per apostolicum Nuncium <sup>6</sup> explicata; et Romanorum Rex existimabat, ex praedicti Nuncii dictis, quod expensae a Sede Apostolica vel Cardinalibus faciendae, non ex illis provinciis mittendae, forent.

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 241, n. 692.

<sup>2</sup> Supra, pag. 25, n. 41, et pag. 36, n. 65.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 23, annot. 2, ubi, per errorem, hunc, qui Lasso de Castilla dicebatur, Lasso de la Vega appellavimus.

<sup>4</sup> "Quantum vero ad scholasticorum Bohemorum, quos praeterito anno Romam, ut sub tua disciplina degerent, transmisimus, intertentionem attinet; jamdudum jussimus pecunias a conciliario et Agente nostro, reverendo ac nobili, fidei, nobis dilecto Don Didaco Lasso, in sustentationem eorum mutuo acceptas persolvi, quorum in futurum quoque benignam curam et rationem non negligemus," Ferdinandus Ignatio, 29.<sup>a</sup> Novembris 1555. *Acta Sanctorum*, l. c., n. 482, et *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 683 et 639.

<sup>5</sup> Pag. 29, n. 51.

<sup>6</sup> Zacchariam Delfinum. Vide supra, t. iv, pag. 16, annot. 2.

701. Quod ad Pragense Collegium attinet, scripsit Ro-  
manorum Rex Patribus Canisio et Lanoyo ex civitate Augu-  
sta <sup>1</sup> se constituisse monasterium Oybinense cum omnibus suis  
juribus, redditibus et emolumentis ad sustentationem Collegii  
nostri Pragensis assignare, cum ordo Coelestinorum, ad quem  
monasterium illud pertinebat, in illis provinciis jam prorsus  
esse desiisset <sup>2</sup>. Et quia hoc monasterium aliquot miliaribus  
Praga distabat, scribit se deputasse quoddam monasterium fra-  
trum Ordinis Praedicatorum, sub titulo S.<sup>ti</sup> Clementis, quod in  
antiqua civitatis Pragensis parte, in salubri, amoeno et com-  
modo loco omnis aetatis hominibus, ut ad conciones et scholas  
nostrorum venire possent; qua de re nostros se admonere dice-  
bat, ut deliberare possent quomodo monasterium illud Oybi-  
nense in spiritualibus et temporalibus regere vellent; et ut de  
situ et qualitate monasterii S.<sup>ti</sup> Clementis possent informari <sup>3</sup>.

702. Cum autem ex his motus P. Natalis eundum esse  
P. Canisio Pragam censeret <sup>4</sup>, litteras ab ipso Rege Ferdinando  
postulavit, et obtinuit, ad Archiducem Austriae, Ferdinandum,  
filium ipsius, et Pro-regem Bohemiae <sup>5</sup>; et primis diebus Julii

<sup>1</sup> Has Ferdinandi litteras non vidimus. Earum tamen meminit ipse Ferdinandus Ignatio scribens Augusta 28.<sup>a</sup> Februarii hujus anni 1555: "Eos itaque (qui Roma Pragam mitterentur) suo tempore expectabimus, ad cujus sane collegii erectionem et necessariam sustentationem, quantos et quales redditus, quaeve bona assignare decreverimus, fratribus tuis honorabilibus religiosis, devotis, nobis dilectis, Nicolao de Lanoy, Collegii Viennensis rectori, ac Petro Canisio sacrae theologiae doctoribus, significavimus." *Acta Sanctorum*, l. c., n. 473; MENCHACA, *Epistolae Sancti Ignatii*, pag. 537.—*Epistolae* etiam meminit BRAUNSBERGER, l. c., pag. 762.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 265. n. 570, et in hoc t. v, pag. 233, n. 673.

<sup>3</sup> "Hor quanto al Collegio, io me ho sforzato prima a determinare del luogo, et dapoi delle intrade o redditj. Vero è, che mi sono stato representato diversi luogi et monasterij, ma sicome anchora la sua Maiestà hebbe fatta li insegni, non s' offerisse luogo piu commodo che nel monasterio de S. Clemente, dove sono 4 ò 5 frati de S. Dominico. Et per vitar le difficultadi circa la dispensa del' ordine, hauemo trouato un' altro monasterio circa li muri della città, et li Archiduca Ferdinando, figliolo della sua Maiestà, li quale molto ci fauorisse, già ha consentito che si faccia un cambio di questi 2 monasterij, talmente, che li Dominicani sponte migrando dal suo monasterio il quale è tanto anticho, che presto si ruinarria, et guadagnando quella commodità et amenità dell' altro monasterio, s' obligano d' impetrar la licentia sofficiente dal suo Prouinciale. Et cossi lassano volentieri alla Compagnia questo luogo suo de Santo Clemente, doue non hebbero fin a qui la sufficientia del viuere, sicome già nell' altro hauerano, adgiutati dalla sua Maiestà." Canisius Ignatio, 15 Julii 1555. BRAUNSBERGER, l. c., pag. 546 et 547.

<sup>4</sup> Congruunt his haec Canisii verba: "Ringratiato s'ia il padre del cielo et della terra, il qual me ha condotto sano a Praga, et adgiutato spetialmente per satisfar all' obediencia del R. P. Nostro Natale." Litteris supra, n. 701, annot. 8, memoratis.—Vide etiam supra, pag. 245 et 246, n. 696.

<sup>5</sup> "Maximilianus, Ferdinandi I filius natus maximus, anno quidem 1549 Bohemiae Rex nominatus erat; sed sponponderat se, patre vivo, regni administrationi non immixtu-

Pragam versus Vienna profectus est, ut praepararet quae venturo Collegio erant opportuna.

703. Sed antequam recederet Vienna, litteras accepit ab Episcopo Varmienti, Stanislao Osio, quibus decem ex nostris ut curaret ad se transmitti ei commendat, quibus et viaticum se missurum Cracoviam usque dicebat; et ibidem usque Bruspergam; ubi vero ad se pervenissent, ne quid rerum necessariarum eis deesset se effecturum. Quaedam etiam alia cum eodem P. Canisio conferebat ad commune bonum pertinentia <sup>1</sup>. Laborabat

---

rum (*Bucholts, Geschichte der Regierung Ferdinand des Ersten, VII, 486*). Hanc administrationem anno 1547 susceperat eius frater Ferdinandus Archidux (1529-1595), qui postea comitatus tirolensis et Austriae anterioris (Vorlande) princeps factus ibi catholicam religionem et Societatem Jesu egregie protexit et adiuvit., BRAUNSBERGER, I. c., pag. 547. annot. 2.

<sup>1</sup> Haec litteras, quia lectu dignissimae sunt, nec tamen *Stanislai Hosii epistolae*, et *Pastoralblatt für die Diocese Ermland*, et *Canisii epistulae et Acta*, in quibus editae sunt, ad omnium manus facile pervenient, ad quos hoc POLANCI *Chronicon*, hic integre subjicere non pigebit: "S. P. Cum ex his, quae mecum coram egit Martinus Cromerus veteri mihi necessitudine coniunctus, qui mihi litteras etiam tuas ad se scriptas ostendit, tum ex his, quae scripsit ad me Fredericus Staphilus, et qui vir esses et quanta tuae voluntatis in me propenderes inclinatione, cognovi. Ego vero, etsi te de facie non novi, non possum tamen talem virum non plurimi facere, qualem ab his, quorum apud me testimonium habere merito pondus debet, praedicari audio. Atque utinam cuius tu societatis es, ex ea possem aliquos nancisci: tibi similem quempiam sperare non audeo, sed contentus eo tamen forem, qui quam proxime ad te accederet. Nam haec dioecesis mea, si quae alia, talium virorum vehementer indigere videtur. Curaveram Cromero nostro sexaginta aureos Hungaricos numerari Cracoviae, quos in urbem transmitteret, sed fecerat is me suis literis certiorum, prius ad Pontificem ea de re scribendum esse, quam eo pecunia transmitteretur. Quod a me ita factum est; scripsi et ad Pontificem et ad Cardinalem Puteum et ad alios nonnullos, responsum hactenus nullum accepi. Quaeso te, velis me adiutum, ut aliquos de societate vestra habere queam; magno me abs te beneficio affectum interpretabor. Nam cuius hic opera recte uti possim in revocandis ad unitatem ecclesiae his, qui temere segregaverunt semetipsos, neminem habere videor. Mihi quidem voluntas prompta non deest ad ea quae sunt muneris mei praestanda, sed peccatis meis factum est, ut hactenus conatus mei mihi parum successerint. Ubi cumque loci tibi visum fuerit pecuniam insumptam his, quos mitti mihi velim decem numero, si fieri possit, numerandam curabo. Posteaquam vero Cracoviam Deo bene iuvante venerint, accipiant ibi quoque pecuniam tantam, quanta ad reliquum itineris conficiendum visa fuerit necessaria. Cum autem praesentium illorum dabitur potestas, providebitur a me diligenter, ne quid eis desit rerum omnium et ad victum et ad amictum pertinentium.

Ostendit mihi praeterea Cromerus noster, quae scripsisti de Fricio, de quo recte iudicasse videris. Contra quem autem librum apologiae istae conscriptae sint, puto te non ignorare. Nunc abs te dari mihi consilium peto, num apologiis eius respondendum aliquid esse censeas, nec ne. Quodsi respondendum censueris, num ad omnia, aut ad quae potissimum. Duo praecipue urget: unum ut laicis de causa fidei iudicare sit, in quo mihi permultum esse positum videtur; alterum levius videri posset ac forte silentio praeteriri, nisi plus haberet in recessu quam quantum exhibetur prima fronte. Nam homini seipsum nimio plus amanti nil placet, quod ad catholicam, nihil contra non cumprimis gratum est, quod ad schisma pertinere videtur, cuius defendendi, quoties se offert, nullam occasionem praetermittit. Nihil enim agit in toto eo libro, quem scripsit de ecclesia, quam quod recepta ecclesiae dogmata si minus convellere, certe in dubium revo-

satis Poloniae regnum novorum dogmatum morbis, sicut et Prusia et Livonia; et affirmabat Episcopus Varmiensis quod Flandri ad praedicandum illis in locis sufficere poterant <sup>1</sup>.

704. Pervenit ergo Pragam P. Canisius, et tam a Principe Ferdinando et ejus curia, quam ab ecclesiasticis humanissime exceptus fuit; et omnem favorem ad Collegium inchoandum ei offerebant; nam omnes catholici sibi persuadebant, quod per scholas nostri fructum uberrimum ex tota Bohemia essent percepturi. Fatebatur autem ipsemet Canisius, nec in Bavaria nec in Austria res tam dispositas se vidisse, ut schismaticorum reductio ad unitatem catholicae fidei sperari posset. Quamvis enim vulgus bohemos sub utraque specie communicaret, jejunia nihilominus, mores et ceremonias ecclesiasticas melius quam germani retinebant. Capita etiam cleri, quamvis nullus esset Episcopus in toto regno, zelum instaurandae religionis prae se ferebant. Hussitae etiam inter se discordes erant et paucos viros eruditos habebant; nec res Joannis Hus magnopere curabant; et ita, si boni ibi concionatores bohemi officio suo recte fungerentur, multum juvari posse regnum illud videbatur <sup>2</sup>.

---

care, contraria vero stabilire modis omnibus conatur. Quaeso te, verum atque internum iudicium uti mihi tuum perscribere ne graveris. Interea autem mitto tibi, quae scripta sunt a me contra id, quod ab eo asseritur, iudicium de causa fidei etiam ad laicos pertinere. Si tibi non fuit molestum legere, quae scripsit contra catholicam Fricius, spero etiam minus fore molestum, ut quae pro illa scripta sunt a nobis, legas; simul si quid addendum, detrahendum aut corrigendum esse putes, libere iudicium ad me tuum perscribas. Litteras autem ad Cromerum nostrum dabis, qui facile curabit ad me citra aliquam moram perferendas. Mitto etiam quae Elbingii sunt acta per me ante biennium, ut quantum laboris a me susceptum fuerit cognoscas, nullo tamen profectu. Deus te servet incolumem, frater in Christo charissime, quem ut pro me quoque sedulo preceris, rogo.

Viro pio cumprimis et docto Petro Canisio de Societate Jesu. S. Theologiae professori, fratri in Christo charissimo et multum honorando., BRAUNSBERGER, l. c., pag. 538-540.

<sup>1</sup> Continebantur fortassis haec, quae addit hic Polancus, in Stanislai Hosii litteris, quas, prout editae sunt, mancas esse et decurtatas subindicat BRAUNSBERGER, dum verbis *sedulo preceris, rogo*, haec in annot. a, pag. 540, subdit: *Hic in archetypo locum, tempus, Canisii (Hosii?) nomen posita esse puto.*

<sup>2</sup> "Adunche sappia V. R. P. che questi Signori della Corte et del Clero Pragense me hanno riceputo et abbracciato con grande charità, dando ogni fauore et adiuto per incominciare il collegio, con ciò sià cosa che tutti Catholici si persuadeno, che li nostri per mezzo della schola faranno frutto grandissimo in tutta la Boemia. Et certo non ho visto in Bavaria et Austria tanto buona dispositione, si come qui per redur li schismatici alla vnione Catholica, 1.º perche la gente commune anchora che se comunica sub vtraque, non e contra li costumi, essercitij et precepti della santa Eccchieza, anzi guarda meglio li gieiunij et le cerimonie exteriori, che tutti li Tudeschi, 2.º perche li capi



705. Quod ad locum attinet deligendum, quibusdam inspectis, praetulit reliquis monasterium S.<sup>ti</sup> Clementis, quod Rex designaverat, ubi quatuor aut quinque monachi ordinis S.<sup>ti</sup> Dominici erant, quibus monasterium aliud circa muros urbis, quod monialium aliquando fuerat <sup>1</sup>, assignandum videbatur. Cum enim magis esset amoenum ac melius aedificatum, libenter suum permutaturi cum eo credebantur monachi S.<sup>ti</sup> Dominici, quorum domus ruinam minabatur. Si itaque illud monasterium, quod S.<sup>tae</sup> Agneti sacrum erat, ipsis daretur, se impetraturos facultatem a suo Provinciali dicebant ut monasterium S.<sup>ti</sup> Clementis in usum Collegii relinquerent; et eo libentius id faciebant quod etiam in his, quae ad victum pertinent, se adjuvandos a Regia Majestate sperabant <sup>2</sup>.

706. Censuit itaque Archidux Ferdinandus debere P. Canisium Augustam ad Regem Romanorum proficisci, ut hanc commutationem monasteriorum fieri curaret, et 16.<sup>a</sup> die Julii ad id profectus est <sup>3</sup>. Prius tamen voluit Archidux ut in Cathedrali templo coram ipso et curia et plurimis aliis, qui germanice sciebant, concionaretur, et peculiari Dei dono, ut ipsemet fatebatur, adjutus, magnopere et Archiduci et reliquis satisfacit; et ita aliqui ex magnatibus regi Romanorum scripserunt <sup>4</sup>, et ut ipsum remitteret praedicationis gratia et aedificii construendi

---

del Clero anchora che non tengono ne Veschovo, ne Archieschovo in tutto il Reame di Boemia. pur sono molto zelosi et diligenti in restaurare la Religione, 3.<sup>o</sup> perche li Hussite sono discordi hora fra se et tengono pochi homini literati et preti, talmente che essendo qui alcuna copia di predicatori Boemi, certo se farria frutto grandissimo, non obstante che siano tante secte, et tanta deprauatione della nobilita per tutto, et solamente 8 o 4 cittadini ex professu catholice... Canisius Ignatio 15 Julii 1555. BRAUNSBERGER, l. c., pag. 545 et 546.

<sup>1</sup> "Monasterium virginum ordinis S. Clarae significat, quod Beata Agnes, Bohemiae regis filia (1207-1282), instituerat et prima gubernaverat. Duae supererant in eo monasterio virgines sacrae, quae postea in teinicense, alterum sui ordinis domicilium, transierunt (*Acta Sanctorum* Julii VII [Antverpiae 1731], 500. *Joh. Schmidl* S. J., *Historiae Societatis Jesu Provinciae Bohemiae pars prima* [Praegae 1747], 76-77, 81).", BRAUNSBERGER, l. c., pag. 547, annot. 1.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 247, n. 703, annot. 1.

<sup>3</sup> "Pur è parso al Archiduca; che io me partessi subito con la sua litera (harum litterarum partem avertit BRAUNSBERGER, l. c., monum. 111, pag. 763) al Serenissimo Padre in Augusta, per concludere questa commutatione et per instare che subito fussino chiamati li nostri de Roma per incominciare questa santa impresa alla gloria dell' onnipotente... Canisius Ignatio 15 Julii 1555. BRAUNSBERGER, l. c., pag. 547.

<sup>4</sup> Harum etiam litterarum partem, quas "Henricus Scribonius, ecclesiae metropolitanae pragensis praepositus et Antonius Brus, magister generalis ordinis Cruciferorum cum rubea stella, ac Ludovicus Schradin, iuris utriusque doctor, Ferdinando I regi, Praga 16 Julii 1555, scripsere, avertit idem BRAUNSBERGER, *ibidem*, pag. 763, monum. 111, b).

ab eo postularunt; multorum enim animos commotos ejus praedicatione fuisse, quibus, si aliquot mensibus Pragae maneret, multum consolationis et spiritualis auxilii esset allaturus <sup>1</sup>.

707. Habet Praga Romae similitudinem <sup>2</sup>; fluvio <sup>3</sup> eam intersecante, cui adjacet monasterium S.<sup>ti</sup> Clementis, in centro ipsius urbis, et, praeter hortum, situm etiam habebat ad scholas conficiendas, et non magna expensa commoda nostris habitatio parari poterat <sup>4</sup>.

708. Quod ad reditus attinet, monasterium illud Coelestinorum plusquam mille daleros (moneta illa florenos rhenenses aliquantulum excedit) annui reditus habebat, quibus viginti, immo etiam triginta ex nostris sustentari poterant <sup>5</sup>.

709. Sperabat demum P. Canisius, non minus boni ex Pragensi, quam ex Viennensi Collegio consequuturum, quamvis ipsa Universitas Pragensis debilis admodum esset, et post Joannem Hus nostri primi theologi futuri erant. Augebat autem ex-

<sup>1</sup> De hac conclone, quam in metropolitana Sancti Viti ecclesia habuit Canisius, ita ipse Ignatio scribens: "Volse il Archiduca che io predicasse nel domo inanzi la Corte; et viene molta gente, la qual sape la lingua Tudescha. Credo che in molte prediche Id-dio mi non ha fatto tanta gratia, sicome alhora, di modo che la Sua Altezza et li altri restorono non pocho satisfatti. Hor scriuono tre grandi Signori alla sua Maiesta, che io torni presto per predicare et edificar anche le cosse necessarie al Collegio, et che io almanco per alcuni mesi resti in Praga per adgiutar queste anime cossi commosse et affectionate. Sia fatta sempre la volonta della R. P. V. et pensi me essere piu inutile di tutti, non obstanti questi fauori della gente semplice et ignorante. Io espettarò molto volentieri in Augusta quello che me sarrà commandato, et spero che la gente se metterà presto in ordine per satisfare a questi grandissimi desiderij de Praga, la qual e vna citta sicome Roma, molto nobile et popolata, doue adesso non se nessuno predicatore Tudescho, ne anche Boemo si non vno qualche uolta fra tanti altri eretici et Hussite, schismatici et Judei", Canisius, *ibid.*

<sup>2</sup> "Extat *Conradi Celtis*, primi apud Germanos poetæ laureati, de *Praga* carmen, cuius pauculos versus annuero:

Visa non est Urbs meliore Coelo.  
Explicat septem haec spatiosa colles,  
Ambitu murorum, imitata magae  
Moenia Romae.

SCHMIDL, *Historia S. J. Prov. Bohemiae*, lib. I, n. 13, a quo ad 17 Pragam describit.

<sup>3</sup> Muldaw, Moldau, latine dictum a SCHMIDL, l. c., et aliis Muldava.

<sup>4</sup> "Ma tornando ad collegium in monasterio de S. Clemente questo luogo ci ha piaciuto, perche e nel centro quasi della citta et piu commodo alla giouentu, et tiene luogi sufficienti per le schole et classi, per stancie et camere con vna buona parte del horto. Et se potra con poche spese restaurare tutto, et adaptare a vna buona habitatione per questo primo anno.", Canisius, litteris praeced. nn. commemoratis.

<sup>5</sup> "Circa le intrade sappia V. R. P. che la somma delli redditi del monasterio Celestinorum, il qual Sua Maiesta applica al Collegio Pragense, vale piu de mille daler, sicome hoggi mi hanno mostrato quelli della camera Boemica secondo che la sua Maiesta li hebbe commendato. Di modo che V. R. P. senza scrupolo potra mandare qua non 10, ma 20 persone, anzi 30, si fusse possibile.", Canisius, *ibid.*

pectationem fructus, quod ingenia illorum hominum ad virtutem prompta esse viderentur. Et ut provincia fertilis est, ita et a crebris admodum populis habitata. Et si tam magni, quam parvi populi numerentur, ad triginta millia pagorum ac villarum ascendere dicuntur <sup>1</sup>.

710. Optabantur autem a P. Canisio aliqui periti linguae graecae, et, praeter duos theologiae doctores, aliquem etiam concionatorem germanum. Viaticum autem ad nostros mittendos, ut Romae mutuo acciperetur, monebat; quia statim per augustanos, quaevis summa data fuisset, refundenda esset. Rex etiam Romanorum, quae ad aedificium necessaria erant, liberaliter offerebat <sup>2</sup>.

711. Cupiebat autem Archidux Ferdinandus ut ipse P. Canisius, simul cum novo Collegio Pragae veniret, non solum propter publicam utilitatem, sed etiam ob suam privatam; quia cum eo cupiebat conferre res suas familiariter. Et similior patri suo hic Princeps quam reliqui ejus fratres credebatur; et omnes ex Bohemia haereticos concionatores, qui numero multi erant, expulerat <sup>3</sup>.

<sup>1</sup> "Et pare certo, che piu se possi et debbia sperare de qua, che de Vienna, non ostante che hora questa Vniuersita Pragense sia quasi de niente, e li nostri spero saranno li primi Theologi et professori nella schola dappoi la morte del Joan Huss, sicome per altro tempo se potra scriuere piu diffusamente. Para me che la bonta del Signor Nostro se voglia presto inclinar per conuertere questi cuori, li quali mostrano anche vna certa promptezza alla virtu, talmente che la R. P. V. non dubbiti de mandar gente a questa Boemia, la qual e vicina a Saxonia. Non mancaranno fauori et pesecutioni, consolationi et desolationi in questa vigna, doue dicono che siano trinta millia de uille et pagli., Canisius, *ibid*.

<sup>2</sup> Fra quelli che veneranno mandì V. R. de gratia 2 periti della lingua Greca, et altri piu buoni humaniste, et la maggior parte de Tudeschi, et se e possibile vn predicatore Thudesco, sicome sarria almanco M. Martino, o M. Lamberto delli nostri in Vienna. Molto adgiutara far li nostri predicare nel principio, sicome il R. P. Schorichio sapperà ordinare essendo qui superiore, si vole V. R. P. Non uorria, che tardassero troppo quelli che hanno de venire, perche in Octobre la Boemia fa fredo qualche volte intenso et vehemente. Quanto al uiatico, se non presto si manda da Augusta, pur V. R. P. potra pigliarlo in presto (?), et io farò che sia tutto restituito, sia la summa qual si voglia. Item quanto all' espese necessarie per la fabrica non mancarà la sua Maiestà, la qual tiene grand' animo a questo collegio, et spero che adgiutara le anime per le nostre fatiche nel Signor Nostro Jhsu Christo benedetto. Quanto alli Theologi e da curare, che siano bastanti a rispondere alle diuerse heresie, le quali ogni dì qui se trouano et — per la malignita del' inimico d' ogni verita Catholica, di modo che qui si trouano Valdensi, Pikardite, Zuinglianj, Osiandrici, Zuenckfeldiani, ultra li communi heretici, et tutti sub pretextu d' esser sub vtraque, si come loro dicono., Canisius, *ibid*.

<sup>3</sup> "Il Principe o Archiduca hora mi fa d' intendere per il Signore Conte de Latron, che vederà uolontieri, che io venga con li nostri, et che spera de hauermi dal suo padre non solamente per la vtilità publica, ma anche per se stesso, volendo conferir con

712. 30.<sup>a</sup> Julii, suis litteris <sup>1</sup> Romanorum Rex Patrem Ignatium urgebat, ut ante hyemis initium nostros Pragam mitteret, et agenti suo <sup>2</sup> committebat ut itineri necessaria provideret. Alias etiam 2.<sup>a</sup> Augusti scripsit <sup>3</sup> ad hoc ipsum et ut peteret a Summo Pontifice duplicem dispensationem: alteram quidem ut monasterium S.<sup>ti</sup> Clementis cum alio S.<sup>tae</sup> Agnetis commutari et Collegio nostro applicari posset <sup>4</sup>, alteram ut monasterium D. Virginis, Ordinis Carmelitarum Viennensium, integre ac libere in usum et jus perpetuum Societatis Jesu transiret, quae magno cum fructu illud habitabat <sup>5</sup>.

713. 5.<sup>a</sup> vero Septembris Paulo IV Pontifici scripsit, ab eo postulans ut Collegium Pragense promoveret paterna auctoritate, ad cujus initium P. Ignatius 12 ex nostris promiserat. Et hae ultimae litterae aegre obtentae sunt a Rege Romanorum per P. Canisium, cum Augustam Praga venisset <sup>6</sup>. Scripsit etiam Cardinalibus Morono et Augustano ad dispensationes praedictas obtinendas <sup>7</sup>. Nuncius etiam Apostolicus, Episcopus Veronensis <sup>8</sup>, de re eadem Pontifici scripsit; et Episcopus Delphinus, cui Veronensis successit <sup>9</sup>, per se ipsum, cum Romam jam jam venturus esset, has dispensationes se curaturum recepit. Interim tamen, Provincialis Bohemiae, simul cum Prioribus Pra-

---

meco delle cose sue familiarmente, quando sarò tornato etc. Sappia V. R. P., che questo principe sia piu simile al Padre che tutti li altri fratelli, et ha catziato de Boemia li heretici predicatori in un grand' numero. Pur la corte sua e molta infecta etc., Canisius, *ibid*.

<sup>1</sup> Eas habes in *Acta Sanctorum*, mense Julio, t. vii, nn. 474 et 475, MENCHACA, *Epistolae Sancti Ignatii*, pag. 540-541, et in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 583-584.

<sup>2</sup> Didaco Lasso de Castilla. Vide supra, pag. 246, n. 698.

<sup>3</sup> Has etiam habes in *Acta Sanctorum*, l. c., nn. 476 et 477, MENCHACA, l. c., pag. 542 et 543, et *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 584 et 585.

<sup>4</sup> Vide supra, pag. 250, n. 705.

<sup>5</sup> Vide supra, t. iv, pag. 232, n. 517.

<sup>6</sup> De his litteris haec BRAUNSBERGER: "Ex commentario epistolae (nondum editae) Ferdinandi, quod est Viennae in Archivo aulae caesariae, "Romana 1555., *Ferdinandus I Paulo IV, Augusta 5 Septembris 1555: Refert se Pragae collegium Societatis condere coepisse, et Ignatium duodecim sibi Socios promississe. Ideo pontificem rogat, ut illos statim mittendos curet.*" L. c., pag. 765.

<sup>7</sup> BRAUNSBERGER, l. c., pag. 765, monum. 115. censere videtur has, quas Cardinalibus Morono et Truchsessio Ferdinandus scripsit litteras, illud esse, quod ex *Acta Sanctorum*, l. c., nn. 478-491, transcriptum est in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 586-588, et sic inscriptum: *Peticion del Rey de Romanos a Su Santidad*. In quo praecursorem habuit SCHMIDL, l. c., lib. ii, n. 16.

<sup>8</sup> Vide supra, pag. 8, n. 8, et pag. 37, annot. 1.

<sup>9</sup> Vide supra, t. iv, pag. 16, annot. 2, et in hoc t. v, pag. 34, annot. 1.

gensis <sup>1</sup> et Olomucensi, congregato Capitulo, quod in ipsis fuit, acquieverunt commutationi praedictae; supplicantes Regi ut instauraret coenobium S.<sup>tae</sup> Agnetis, et ut omnes ejus proven- tus in ipsorum usum cederent, praeter eos, quos ex monasterio S.<sup>ti</sup> Clementis percipiebant.

714. Placuit autem Regi Romanorum ut rediret Pragam P. Canisius, ut venturis hospitibus [praesto esset], et aedificia S.<sup>ti</sup> Clementis instauraret et suppellectilia ac alia necessaria Col- legio pararet; sed Vienna transire constituit. Cupiebat nihilo- minus <sup>2</sup> aliquem ex nostris Augustanae diaetae interesse, ac praecipue germanum, qui apud Episcopos et omnes Status Im- perii ac populum fidelem, immo etiam ad seductum, utilem operam praestare poterat.

715. Quandiu autem Augustae fuit idem P. Canisius <sup>3</sup>, cum variis Praelatis et aliis temporalibus dominis egit, qui collegia Societatis habere apud se cupiebant; praecipue Argentinensis et Ratisbonensis <sup>4</sup>, quorum civitates haereticorum erant domi- cilia praecipua <sup>5</sup>.

<sup>1</sup> "R. P. Friderico Borzekowsky. *Hammerschmidt in Prodomo gloriae Prage- nae*, c. 5, pag. 85." SCHMIDL, l. c., lib. II, n. 14.—Provincialis Bohemiae, O. P., ut et Olomucensis Prioris nomina non reperimus.

<sup>2</sup> Romanorum Rex.

<sup>3</sup> Canisius hoc anno 1555 Augustae versatus est toto fere mense Junio (post diem 9: et ultimis Julii diebus (BRAUNSBERGER, l. c., pag. XLV) ad 5.<sup>am</sup> usque Augusti qua Viennam profectus est. Vide infra, n. 721.

<sup>4</sup> Sermo procul dubio hic est de Argentinensi et Ratisbonensi Praelatis seu Epi- scopis. Argentinensis autem erat Erasmus de Limburg. Is "(1507 1568), e familia ba- ronum de Limburg, romani imperii pincernarum, ortus, munus episcopale Invitus suscepserat. Etsi clementiae valde amans et pacis studiosissimus erat, a Luthera- nis tamen et Calvinistis multa passus est neque impedire potuit, quominus magna pars dioecesis suae vel in haeresi maneret vel ad eandem deficeret (Bern. Hertzog, Chroni- con Alsaciae IV [Strassburg 1592], 121-124. Ph. And. Grandidier, Oeuvres historiques inédites IV [Colmar 1866], 409-428. L. G. Glückler, Geschichte des Bisthums Strassburg I [Strassburg 1879], 385-412. Heintz Müller, Die Restauration des Katholicismus in Strass- burg [Halle 1882] p. 4-6)." BRAUNSBERGER, l. c., pag. 555, annot. 1.—"Erasmus anni 1551 extremis mensibus et primis anni 1552 concilio tridentino interfuit (De Bussierre, His- toire du développement du Protestantisme à Strasbourg et en Alsace, II [Strasbourg 1859] p. 16). Ibi Patres Lainium et Salmeronem, summi pontificis theologos, ac per eos totam Societatem adamasse videtur. Supra (pag. 387) vidimus Canisium exeunte anno 1551 a capitulo ecclesiae cathedralis argentinensis concionatorem expetitum esse..." In., *ibid*, annot. 3.—Ratisbonensis episcopus erat Georgius de Pappenheim. — Vere hi, ut Societatis Collegia habere cuperent, ab ipso Canisio non parum moti fuerant. Vide, quod ad Argentinensem Episcopum spectat, Canisii ad ipsum litteras 4 Augusti hujus anni 1555 datas, apud BRAUNSBERGER, l. c., pag. 555-557.

<sup>5</sup> Quenam fuerit dioecesis Argentinensis circa id tempus conditio indicat BRAUNSBERGER, l. c., pag. 386, annot. 2, et pag. 396 et 402.—De Ratisbonensis statu haud pauca erui possunt ex *Vitis* tum Fabri, tum Canisii, et ex ecclesiasticis illius temporis hi- storiciis.

716. Superintendens etiam Ingolstadiensis Academiae<sup>1</sup> sex vel septem ex nostris eo mitti postulabat, et aedificata domo, tum demum perfectum Collegium mitti. Et intellexit P. Canisius, post recessum nostrorum, catholicam fidem Ingolstadii non parum defecisse. Quamvis enim Bavaria et Austria solae haberentur catholicae provinciae in Germania, nobilitas tamen utrobique ad communionem sub utraque specie et alias haereses erat propensa<sup>2</sup>.

717. Bis concionatus est P. Canisius Augustae, dum ibi fuit, et cum placeret non mediocriter catholicis ejus praedicatio, voluissent diutius eum Augustae manere. Impedivit quendam publicam disputationem, quae plena periculi videbatur, et quorundam, qui capita erant catholicae religionis, animos confirmavit.

718. Admonuit Patrem Ignatium<sup>3</sup> idem Canisius, si aliqui mitterentur philosophiae magistri Pragae, facile posse universitatem Pragensem ad nostrum Collegium reduci; nam tantum ea facultas artium relicta erat in Universitate praedicta; et in ea parum boni lectores erant, et sua stipendia non bene eis solvebantur ab hussitis; adeo ut praedicti praeceptores, qui discipuli erant Philippi Melanctonis et Vitemberga asciti, vix sustentari possent. Scholastici autem universitatis vix ultra ducentos erant<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> "Wiguleus Hundt (1514-1588), nobili genere ortus, Ingolstadii ius aliquamdiu tradidit. Inde ad reipublicae administrationem avocatus, a Carolo V supremi iudicii spirenensis (Reichskammergericht) "assessor", ab Alberto V eiusque filio Guilielmo V consiliarius, curator universitatis, consilii aulici praeses nominatus est. Qui etiam scriptis historiam et profanam et sacram illustravit („Bayrisches Stammen-Buch“, „Metropolis Salisburgensis“ etc. (M. Mayer l. c. p. 89-114).—Georgius Stockhammer, universitatis ingolstadiensis patronus, anno 1552 gravi ac diutino morbo laboravit atque anno 1555 extinctus est; ideo munus eius academicum ab anno 1552 Hundt administravit; quod hic ipse asserit in autobiographia, edita a M. v. Freyberg, Sammlung historischer Schriften und Urkunden III (Stuttgart und Tübingen 1830), 183., BRAUNSBERGER, l. c., pag. 425 annot. 1 et 2.

<sup>2</sup> Vide quae de Austria et Bavaria scribit Canisius Cardinali Ottoni Truchsess, Ingolstadio 17 Januarii 1556, apud BRAUNSBERGER, l. c., pag. 594-598, et Henrico Schweicker, Bavariae Ducis Secretario, 25 Aprilis, *ibid.*, pag. 609.

<sup>3</sup> Canisium hic scripserat Polanci librarius; sed emendavit recte Sacchinus supra scribens *Ign.*

<sup>4</sup> Reperire haud valuimus ubi haec Ignatio scripserit Canisius, qui satis diversa scripserat 8 Augusti 1555, videlicet: "Nec dum poterunt nostri in publicis scholis a morte Hieronymi Pragensis obseratis, et Theologiae Magistris destitutis, profiteri, et cum Hussitae in urbe potentissimi praetendant ius in omnes litterarum ludos, non iudicat sua Ma: statim initio V[er]be ejiciendo, sed potius aliquandiu nostros in templo aut Monasterio Praedicatorum suis Auditoribus praelegere debere.", BRAUNSBERGER, l. c., pag. 534.

719. Quia vero non constabat Romanorum Regi quomodo essent alendi duo monachi, qui in monasterio Oybinensi reliqui erant, et quae ratio divini cultus ibi esset tenenda, donec informaretur exactius, non potuit libere proventus ejus monasterii Collegio nostro assignare, sed interim dum haec elucescebant, expensae nostris ex fisco regio sumendae erant; et non id Patri Canisio displicuit <sup>1</sup>.

720. Quod ad Diaetam Augustanam attinet, monet quod omnibus catholicis videbatur multo consultius fuisse eam nunquam inchoatam esse, et ejus finem ad magnum fidei et jurisdictionis ecclesiasticae [detrimentum] fore timebant, cum nullus esset, qui se opponeret ut murum pro domo Israël <sup>2</sup>.

721. Quinta die Augusti Viennam profectus est P. Canisius, et omnes bene agere et cum fructu ibidem versari intellexit; quamvis cum contradictione eorum, qui in fide suspecti erant.

722. Inde Pragam progressus est, adjunctis illis duobus novitiis, de quibus superius facta est mentio <sup>3</sup>, qui idonei videbantur futuri ad Pragensium scholarum auxilium; periti enim erant bohemicae linguae; et apud quemdam amicum habitabant, donec Collegium S.<sup>ti</sup> Clementis instaurabatur <sup>4</sup>. Quamvis

<sup>1</sup> "Nunc restat dicere de sumptibus Collegij, cui concessa bona Cenobij celestino- rum, quae annuatim ad 3000 Florenos excrescunt, et videntur abunde nobis suffectura. Laboravi apud suam Ma.; vt praedicti redditus Collegio nostro applicarentur libere et integre, sine omni obligatione, et exceptione, et simul cum dispensatione atque immu- nitate approbata sedis Apostolicae. Hic paulo difficiliorem suam Ma: expertus sum, et dubiam de modo sustentandi superstites duos Eratres, et an aut quomodo aliqua ratio diuini cultus inibi conseruandi ex parte haberi debeat. Cum itaque necdum loca Mona- sterij inuiserimus, nec de ditionibus eidem subiectis sufficienter instructi [simus], arbi- tratus sum potius inuari oportere ad tempus liberalitate suae Ma: quae ad omnia se offert, quam temere inuolare in ista bona, antequam Romae dispensatio expediat." Canisius Ignatio 3 Augusti 1555. BRAUNSBERGER, l. c., pag. 553.

<sup>2</sup> "Non habeo aliud de praesentibus comitijs scribendum quam quod plus inde damni quam utilitatis rei Catholicae sit metuendum, et non est qui se opponat murum pro domo Israël. Deus nobis inuictum animi robur largiatur, ad persecutiones Ecclesiae suae im- minentes aequo animo perferendas." Canisius Ignatio 3 Augusti 1555. BRAUNSBERGER, l. c., pag. 553 et 554.

<sup>3</sup> Pag. 227, n. 654 et pag. 238, n. 686.

<sup>4</sup> Juvat hic exscribere quae de Canisii prima Praegae commoratione, dum Colle- gium S. Clementis concinnabatur, avertit BRAUNSBERGER, l. c., pag. 764, monum. 112: "1555- 1556. — Canisius Crucigerorum pragensium hospitio utitur.

Praegae antiqua et constans est memoria Canisium, cum collegij pragensis prima initia poneret, „Crucigerorum cum rubea stella“ hospitio usum esse in valetudinario prope antiquum et celebrem Moldavae pontem sito, quod illius ordinis hodie quoque sedes est principalis.

Joannes Beckovsky (1658-1725), ejusdem ordinis Cruciger pragensis, in „Chronico Bo- hemiae“ bohemiae scripto refert: Canisius anno 1555 Pragam venit et „in valetudinario Crucigerorum cum rubea stella habitavit atque etiam victum accepit, idque in parva

autem Archiducem Ferdinandum Pragae non invenit, litteras ejus accepit ad Praefectos fisci vel Camerae, quam vocant, quibus, tam nomine Regis Romanorum, quam Archiducis, praescribebatur, ut pecuniam suppeditarent ad scholas et habitationem nostrorum concinnandas, et aliud etiam monasterium S.<sup>tae</sup> Agnetis in usum fratrum praedicatorum instaurandum; quia tamen, Septembri mense aedificatio coepta est, absolvi omnino non poterat usque ad primum ver sequens, et propter aes alienum quam maximum fisci regii, aegre a ministris ejus necessaria impetrari poterant ad haec monasteria instauranda, quamvis principes valde liberaliter omnia necessaria tribui juberent. Ideo ex bonis ecclesiasticis censebant aliqui potius sustentationem hanc et expensas esse capiendas. Quia tamen nobiles multum de hujusmodi bonis ecclesiasticis usurpaverant, et novae difficultates cernebantur, perstitit in sua sententia P. Canisius, ut scilicet ex fisco regio expensae potius sumerentur <sup>1</sup>.

723. Dum autem necessaria, ut dixi, parabantur, P. Canisius concionibus dabat operam in Cathedrali ecclesia, ad quam multi ex ea civitate dominicis ac festis diebus confluebant, et intelligebat quod tam Eucharistia infantibus communicanda, quam in utraque specie sumenda, potius consuetudinem quamdam Bohemi sequebantur, quam quod magnopere suum magistrum Joannem Hus curarent <sup>2</sup>. Et cum sine confessione prae-

---

illo cubiculo, cuius locum nunc altare summum ecclesiae Crucigerorum occupat et in quo olim beata Agnes virgo, valetudinarii eiusdem conditrix, habitaverat. Illic igitur Canisius habitavit, donec ecclesiam et monasterium S. Clementis accepit.

Canisium eo tempore a Crucigeris „ad pedem pontis“ hospitio exceptum esse refert etiam P. *Georgius Cruger* (Kruger S. J.) (1608-1671), pragensis, in ultima parte „*Sacrorum Pulverum*“, a P. Bohuslao Aloysio Balbino S. J. (1621-1688) aucta.

Idem recentiores historiographi pragenses asserunt, v. g. Iar. Schaller, Ord. Schol. Piar., et Io. Nep. Zimmermann, Ord. Crucig.

Ex hisdem fontibus intelligitur cum Canisio alios quoque de Societate liberali Crucigerorum hospitio usos esse; atque ex illo tempore Pragae Crucigeri et Societatis homines peculiari inter se amicitia iuncti erant.

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 256, n. 719, annot. 1.

<sup>2</sup> Aliud etiam de hoc scribebat ipse Canisius Ignatio, 3 Aug. 1555, scilicet. „Enimvero hic (illic?) optimi quique Catholici obstinatissimi sunt ritum istum sub vtraque conservare, causantes privilegium et facultatem in id a concilio Basiliensi eis factam, qua facultate omnia nostra in contrarium argumenta et comminationes facile eladunt freti bonitati suae causae.“ BRAUNSBERGER, l. c., pag. 552 et 553, qui annot. 1, haec subjungit: „Concilium constantiense 15 Junii 1415 (sessio XIII.) sub poenis ecclesiasticis interdixit, ne sacra communio a laicis sub utraque specie reciperetur. Basileensis vero synodus 15. Januarii 1437 „compactata“ iglaviensis probavit, quibus communio „sub utra-



cedente ad Eucharistiam accederent, obscurabatur valde eorum intellectus et animales et irrisores, rerum sacrarum, crapulae, libidini et avaritiae dediti, et homicidiis etiam, reddebantur.

724. Dum Praegae versaretur P. Canisius, eo transiit P. Alphonsus Salmeron simul cum Nuntio apostolico Episcopo Veronensi, qui ad Regem Poloniae iter instituerat <sup>1</sup>, et animavit eundem Patrem Canisium ad opus coeptum proseguendum, quod attinet ad aedificationem Collegii <sup>2</sup>.

725. Et Archidux Ferdinandus, qui ad patrem proficiscebatur, operam suam apud ipsum pollicebatur, ut liberalius sumptus subministrari juberet.

726. Ut multi in magna erant expectatione Collegii Pragensis et illud vehementer optabant, ita diabolus per suos ministros contradictiones etiam suscitabat. Nostros antequam venissent, valde timebant, quod disputaturos esse crederent et superaturos facile haereticorum magistros. Prudenter autem P. Canisius dicebat non id agere Romanorum Regem, nec etiam Societatem nostram ut contentionibus ac disputationibus contra hussitas vacare velit, sed scholam esse aperiendam, ubi gratis tam pauperes, quam divites, sive sub una, sive sub utraque, communicent, institui possent <sup>3</sup>. Praepositus etiam Pragensis, qui vicem Archiepiscopi gerebat <sup>4</sup>, ad Regem Romanorum

---

que Bohemiae et Moraviae concedebatur, idque decreto 23. Decembris 1437 (sessione XXX.) edito accuratius explicavit. Pius II. 26 Junii 1464 sollemniter affirmavit „compactata“ numquam a sede apostolica approbata esse. Insuper Utraquistae pactis non steterunt (*I. v. Hefele. Conciliengeschichte VII* [Freiburg i. Br. 1869], 173-174. 618-625. 657. *I. Card. Hergenröther, Handbuch der allgemeinen Kirchengeschichte II* [3 Aufl., Freiburg i. Br. 1885], 892-893, et *Conciliengeschichte VIII* [Freiburg i. Br. 1887], 174-175).,.

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 8, n. 8, pag. 36, n. 66, et infra n. 758 et 759.

<sup>2</sup> Congressus hujus Patris Alphonsi Salmeron cum Patre Canisio in urbe Pragensi non meminere, quantum sciamus, historici. Esse autem debuit post 9<sup>am</sup> Septembris, quae die Salmeron Augusta Poloniam versus profectus est (BORRO, *Vita del servo di Dio P. Alphonso Salmerone*, lib. I, §. VII); et Octobris 14<sup>am</sup>, quae Canisius Praga Monachium ivit (BRAUNSBERGER, l. c., pag. XLV).—POLANCUS, infra, n. 727, ait Canisium Praga Monachium profectum 13.<sup>a</sup> Octobris. Dies tamen 14.<sup>a</sup> a BRAUNSBERGER assignata magis congruit Canisii verbis, quae illo in loco afferemus.

<sup>3</sup> 17 Maji 1556 scribebat Canisius Ignatio: „Spesse volte ho sentito che li più perversi giudicavano a questo modo: il Dottor Canisio conosce la verità, ma non vuole esplicarla et confessa liberamente. Et così, credo, giudicano tutti questi delli Gesuiti, riputandoci per dotti et fondati nelle cose sacre, ma volendoci male, perché li paremo troppo fedeli alla Sede Apostolica et inimici delle novità. Pur questi Hussiti molto ci temono, et quanto manco sono fondati nella verità, tanto più aborriscono questo Collegio, il quale da gran consolazione a tutti li Catholici.“ BRAUNSBERGER, l. c., pag. 612 et 613.—POLANCI tamen verba tempus spectant, quo Collegium Praegae nondum erat institutum.

<sup>4</sup> „Henricus Pisek † 1581“, vulgo Scribanius, ex Bischofteinitz Bohemiae oppido

profectus est ut comoda Collegii nostri promoveret. Quingentos daleros <sup>1</sup> jam in aedificatione P. Canisius expenderat: tres scholae novae, cum quarta secretiore, et octodecim cubacula in usum fratrum nostrorum construi curavit. Reliquus etiam erat locus idoneus ad probationis domum. Monasterio etiam S.<sup>tae</sup> Agnetis commodiores habitationes monachis effectae sunt, quam apud S.<sup>tum</sup> Clementem habuerant.

727. Tres autem ex nostris secum habebat P. Canisius, et praeter praedicationem, recedente Archiduce (nam ad salutandum Imperatorem Carolum, in Hispaniam discessurum, a patre mittebatur), aliquid etiam legere in animo habebat, sed ejus hoc institutum impeditum fuit; cum enim Bavariae Dux a Rege Romanorum impetrasset ut in Bavariam veniret idem P. Canisius, ut aliquid constitueretur de collegio theologico, quod Ingolstadii facere volebat, rediturus Pragam simul atque nova colonia Roma missa esset <sup>2</sup>, 13.<sup>a</sup> Octobris <sup>3</sup> Praga profectus Monachium venit <sup>4</sup>.

728. Coepit autem dissuadere idem Canisius, ne nostri hoc anno Pragam venirent, eo quod aedificium absolutum non erat;

---

ortus, utriusque iuris doctor, Carolum Austriae archiducem educavit et Annae reginae per duodecim annos a confessionibus fuit. Propter eloquentiam suam et doctrinam „oraculum“ capituli pragensis vocabatur. Multum laboravit, ut Societas Jesu in Bohemiam introduceretur et ut archiepiscopalis sedes pragensis tandem vacare desineret; at ipse dignitatem illam constanter recusavit (*Ant. Frind*, Die Geschichte der Bischöfe und Erzbischöfe von Prag [Prag 1873] p. 178-189). A *Gotheln* „archiepiscopus“ perperam vocatur (*Ignatius von Lolola und die Gegenreformation*, pag. 736, 737... BRAUNSBERGER, l. c., pag. 599, annot. 1.

<sup>1</sup> De his daleris (taleris, *thaler*) eorumque valore haec BRAUNSBERGER, l. c., pag. 614, annot. 5: „*Achilles Pirminius Gasser*, medicus augustanus († 1577) in „*Annalibus*, suis augustanis refert anno 1560 „unciales Taleros“, et taleros argenteos, quos Carolus V ante decem annos in usum induxerit, abolitos esse, atque hos 18, illos 17 bacios aequasse (Batzen=11-12 nummi [„Pfennige“], germanici=14-15 „centimes“).

<sup>2</sup> Hic Ms. habet *est*.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 258, n. 724, annot. 2.

<sup>4</sup> 12 giorni sono, che io mi partii da Praga, per venire in Baviera, siccome Sua Maestà essendo sollecitata dall' Illustrissimo Duca di Bauera mi scrisse e comandò, che io da Praga venissi al detto Duca per deliberare e concludere di un collegio teologico in Ingolstad. E così mostrando io questa lettera del Re alli Signori di Praga, li parve bene, che io andassi subito in Baviera e subito ritornassi a quel tempo, quando li nostri di Roma sarebbero arrivati, cioè circa il principio di novembre, secondo il loro parere. Item mi dettero un curru e una lettera al Duca, acciò io tornassi presto. Onde io essendomi raccomandato al Signor nostro Gesù Cristo, con la sua grazia ho già fatto questo cammino, massime perchè la R. P. V. per altra volta mi scrisse, che io non mancassi quanto alla parte mia di gratificare a questo illustrissimo Duca, se il nostro Serenissimo Re consentisse, siccome anche è stato promesso in Roma, si io me ricordo bene, a quel Segretario del detto Principe.. Canisius Ignatio 26 Octobris 1555. BRAUNSBERGER, l. c., pag. 563 et 564.

sed ut Romae potius subsisterent vel Viennae; et alicui ex primariis viris Pragensibus idem probabatur, quia hyems interrompebat coeptum opus <sup>1</sup>. Cum autem ageret de Ingolstadiensi Collegio et timeret ne res in longum protraheretur, aliter res successit. Significatum enim fuit Duci gravari conscientiam et Gulielmi patris et ipsius, qui decimas semel atque iterum collegerat, promissa hujus Collegii institutione <sup>2</sup>; et ita constituit Dux Albertus, ut tres ex primis consiliariis Ducalibus cum ipso P. Canisio Ingolstadtum irent, et quae ad tractationem Collegii pertinebant tandem absolverent <sup>3</sup>. Et primo quidem in-

<sup>1</sup> "Item più volentieri io mi sono partito di Boemia, perchè mi scrisse il R. P. Lanoy, siccome la venuta delli fratelli sia incerta, non essendo impetrata la dispensa di quelli due monasteri. E credo, che ancora riuscirà alla maggior gloria del Signor N., se li nostri per questa invernata non vengano d'Italia, o se vengono, che restino in Vienna pochi mesi. La ragione è, che ancora che molto sia edificato e preparato nel collegio di Praga, mentre che io sono stato presente, tuttavia perchè troppo tardi abbiamo cominciato quella fabbrica, non possono consummarla se non dopo l'invernata, et in tutto si darà miglior ordine circa l'estate. Onde io concludendo con un Signore più intrinseco e confidente in Praga, gli dissi, e anchora egli consentì, che io non potendo in questa invernata attendere più alla fabbrica e per servir meglio al bene universale, non tornerei a Praga per adesso, se non venissero i nostri da Roma, li quali anche, siccome è detto, meglio restaranno per alcun tempo in Vienna; e così anche io mi sono esplicito scrivendo alli nostri in Vienna." Canisius. *ibid.*

<sup>2</sup> "Paulus III. anno 1548 Guilielmo IV. duci decimas omnium Bavariae ecclesiarum paucis exceptis, pro universitate ingolstadiensi ter accipiendas concessit. Quae cum primum anno 1549 a Mauritio episcopo eystettensi pontificis mandatu exigenterent, 22000 floren. percepta et Monachium in aerarium ducis illata sunt. Exactiones decimarum alteram et tertiam Julius III. litteris mense Februario a. 1551 ad Albertum V. datis iterum concessit vel confirmavit; ex secunda 25000 floren. accepta; tertia facta non est (*Mederer* l. c. IV, 270-282. *Prantl* l. c. I, 182-186; II, 187 ad 193). *Paul. Drews contra Druffel*: „Doch ist es unwahrscheinlich, dass die Berufung der Jesuiten mit der Zehntenbewilligung in Zusammenhang gestanden habe" (*Petrus Canisius* p. 143). Equidem censeo Leonardum ab Eck anno 1548 Romae non solum decimas simul et homines Societatis petiisse, sed etiam alteram rem altera fulsisse et sustinuisse. — "Julius III. Roma 12. Junii 1551 litteras misit ad Mauritium episcopum eystettensem, quibus potestatem ei dedit vel confirmavit, universitatis ingolstadiensis restaurandae gratia a clero Bavariae decimas exigendi iterum et tertium, neque tamen id fieri permisit prius, quam primae decimae iam exactae in usum illius universitatis forent conversae. Julii epistolam edidit *Mederer* IV, 279." *BRAUNSBERGER*, l. c., pag. 362, annot. 1, et pag. 372, annot. 2.

<sup>3</sup> Consilarii, a Duce deputati, praeter Wiguleum Hundt, universitatis ingolstadiensis curatorem, et Henricum Schweicker, Ducis Bavariae Secretarium, fuere Christophorus a Raindorff et Simon Thaddaeus Eck; de quibus, quoniam illi duo jam nobis noti sunt, haec ex *BRAUNSBERGER* transcribimus: "Simon Thaddaeus Mair de Eck (+ 1574), Joannis Eccii, praeclarissimi theologi ingolstadiensis frater ex patre, officialis munus apud Passavienses, consilarii officium apud episcopum eystettensem gessit, Bavariae provinciam burghusanam („Rentamt Burghausen") cancellarius administravit. Postea etiam consiliarius imperatoris nominatus ac supremus Bavariae cancellarius constitutus est; in quo officio catholicam religionem summo cum studio et immortal cum laude iuvit et auxit (cf. *C. M. v. Aretin*, *Geschichte des bayerischen Herzogs und Kurfürsten Maximilian des Ersten* I [Passau 1812], 163). — \* *Cod. „Antiq. Ingolst."*: „Post mensem adsunt tandem Doctor Hondius et Symon Eckius Doctor quoque idem ac Can-

tegrum Collegium Societatis, deinde aliud quindecim pauperum scholasticorum, qui sub nostrorum disciplina essent et theologiam audirent, constitutum est <sup>1</sup>.

729. Et ut de loco, aedificio et proventibus ac disciplina horum collegiorum ageretur, consilia collaturi erant, et sententiam Patris Canisii circa reformationem universitatis audire cupiebant <sup>2</sup>, et ideo Ingolstadtum, ut alios expectaret, profectus est <sup>3</sup>; ubi aliquandiu consiliarium Regis <sup>4</sup> expectavit. Et novam ibi

---

cellarius Ducis in Burchausen et ex Camerae Consiliarijs unus praeter dictum Schwellckerum" (f. 3<sup>a</sup>). Prantl huius „consiliarii camerae" (aulicae, sive supremae vectigalium curiae) nullam facit mentionem; Agricola, Mederer, Riess eius nomen indicare non potuerunt. Aliquot autem abhinc annis in archivio quodam nostro „copia fundationis Collegii Ingolstadiensis" 7. Decembris 1555, a „Principis Consiliariis" et Canisio constitutae (de qua infra) inventa est, cui—cetera, quae supersunt, eiusdem scripti exempla carent subscriptione—haec nomina subscripta sunt: „Wiguleus Hundt, D.—Simon Eckius, D.—Christophorus a Raindorff.—Henricus Schweycher. Secr." (Cartas de San Ignacio vi, 621). Iam itaque dubitari non potest, quis ille camerae consiliarius fuerit. Christophorus a Raindorff postea Kelheimii praefectum (Pfleger) egit, ac tandem Guillelmi ducis educator fuit Landshuti ibique vita decessit (M. v. Freyberg, Sammlung historischer Schriften und Urkunden III [Stuttgart und Tübingen 1830], 552 „BRAUNSBERGER, pag. 569, annot. 1 et 2.

<sup>1</sup> „Hora quanto al Collegio Ingolstadiense, io scrissi ultimamente da Vienna, come il nuovo patrono di quella Academia mi parlò in Augusta; e perchè non mi satisfaceva in tutto, mostrando certe idee di volere aver un collegio a suo modo e non secondo la nostra usanza, io non mi confidava molto delle sue buone parole, nelle quali anche mostrò grande affezione alla mia persona etc., promettendo il favore del suo principe etc. Di modo che io ebbi paura, venendo quà, se non facessero siccome tanti, prolungando sempre questo negozio e intertenendoci con le sue buone parole. Ma lodato sia Dio N. S., autore di ogni bene, il quale ha dato ad intendere al Duca per mezzo di questo patrono, che per non gravare più la coscienza del suo illustrissimo padre, che sia in gloria, e per non gravare la coscienza propria, deueria determinarsi di soddisfare alla promessa fatta in Roma a Sua Santità, quanto al fondare un collegio teologico, perchè con tale obbligazione fossero impetrate le decime una e altra volta etc. Finalmente si fece questa risoluzione, che si mandassino 3 dei principali consiglieri ducali a Ingolstadt, e che io fossi il quarto per consultare e conchiudere ogni cosa di questo collegio, volendo già in ogni modo avere prima un collegio integro della Compagnia, et secondo un altro di 15 scolari almeno, che siano sotto il nostro governo e auditori di teologia, e che, eccetto in temporalibus, haulamo la piena soprintendenza di loro." Canisius, *ibid*.

<sup>2</sup> „Canisius hanc sententiam circiter initium Decembris litteris consignavit." BRAUNSBERGER, l. c., pag. 566, annot. 2.—„Canisii hoc scriptum primum editum est a Prantl, Geschichte der Ludwig—Maximilians—Universität in Ingolstadt, Landshut, München, 1872, t. II, pag. 197-198, idque ex autographo, omissis adnotationibus antiquis. Ex Prantl transcriptum est a Verdier, Histoire de l'Université d'Ingolstadt, t. I, pag. 496-497, et a Patchler, Ratio Studiorum et institutiones scholasticae Societatis Jesu per Germaniam olim vigentes, t. I, pag. 355-356, atque ex huius libris transit in Cartas de San Ignacio, t. VI, pag. 621-622." BRAUNSBERGER, l. c., pag. 562, ubi, ad pag. 585, idem Canisii scriptum, sed ex autographo accurate emendatum, edit et annotationibus illustrat.—Plura etiam a Canisio cum consiliariis et Secretario Regis acta „de loco, aedificio, ac proventibus et de disciplina horum Collegiorum," affert BRAUNSBERGER, l. c., a pag. 567 ad 593.

<sup>3</sup> 26.<sup>a</sup> Octobris. Ita ipse Canisius in litteris eadem die ad Ignatium datis.

<sup>4</sup> Wiguleum Hundt.

occasionem nactus est patientiam exercendi; editus enim fuit quidam liber contra ipsum, tanquam principem ac matrem (*sic*) sectae hypocritarum; sic enim haeretici, cum stomachantur, jesuitas vocant <sup>1</sup>. Inde, rebus confectis, propter quas venerat, ubi nostros ex Urbe venturos commode expectari posse videbatur <sup>2</sup>.

730. Archiepiscopus autem Strigoniensis <sup>3</sup> (Hungariae caput ea urbs erat <sup>4</sup>) ab Imperatore <sup>5</sup> per litteras postulabat, consentiente Rege Romanorum, ut, tam ipse <sup>6</sup> quam P. Gaudanus in Transylvaniam cum eo proficiscerentur ad aliquot hebdomadas; ut ipsum Archiepiscopum comitantes (Provinciam illam visitabat) possent, germanice concionando, seductos ad Ecclesiam catholicam reducere, qui, propter pestem, quae in eos saevierat, dispositi magis futuri videbantur, ad ea quae ad salutem solum pertinebant. Sed haec jam sub finem Decembris tractabantur.

731. Missus fuerat Februario mense P. Natalis ex Urbe cum Legato Morono ad diaetam augustanam, ut superius teti-

<sup>1</sup> Sermo esse videtur de quodam Joannis Wigandi libello, de quo haec Canisius Ignatio 17 Martii? 1556: "Prodiit hic (*sic*, nunc?) in lucem Germanico Idiomate conscriptus in Catechismum nostrum et Jesuitarum nomen liber, tot calumnijs maledictis, et splendidissimis compactus mendaculis, ut partus mendaciorum parente dignissimus esse videatur, nec ulla alia refutatione quam proprio contradictionis spiritu et immoderato liuore egens. Benedictus Jesus pro cuius nomine digni habiti sumus contumeliam pati." Quibus haec subdit editor BRAUNSBERGER: "Joannes Wigand (1523-1587), Lutheranorum magdeburgensium 'superintendens', anno 1556 Magdeburgi edidit librum: *Verlegung aus Gottes wordt, des Catechismi der Jhesuiten* (Summa | Doctrinae Christianae (*sic*) ge- | nand newlich im | druck ausgan- | gen. | Durch M. Johannem Wigandum. | Joh. X. | Meine schefflein hören meine stimme, | aber einem frembden folgen sie nicht nach | den sie kennen seine Stimme nicht.—In extrema libri parte: "Gedruckt zu Magdeburgk durch Michael Lothar. 1556." 8 ° min., 104 ff. non signata.—Qui librum typis excrispsit, Michael Lothar, antea cum Melchiore fratre Vitembergae habitaverat et Lutheri libros complures ediderat." L. c., pag. 605.

<sup>2</sup> Sic in Ms., sententia, ut patet, non completa. Completur autem sic: "Inde, rebus confectis, propter quas venerat, Augustam et deinde Viennam profectus est, ubi nostros ex Urbe venturos commode expectare posse videbatur." Cf. BRAUNSBERGER, l. c., pag. XLV.

<sup>3</sup> Nicolaus Olahus (Oláh). Vide supra, t. iv, pag. 253, n. 550.

<sup>4</sup> Ibidem, t. iv, vide quae Polancus de Strigonia (Esztergom, Gran) et Tyrnavia (Nagy-Szombat) dicit.

<sup>5</sup> Sic perspicue in Ms. Cur autem ad Imperatorem pro hac facultate recurrendum sibi censeret Strigoniensis Archiepiscopus, nescimus; nec enim de hac re, de qua sub finem Decembris, ut ait infra Polancus, actum est, ullum, praeter hoc Polanci, testimonium reperimus.

<sup>6</sup> P. Canisius? De ejus et Patris Lanoy in Hungariam propter Synodum protectione actum jam est anno proxime elapso 1551. Vide supra, t. iv, pag. 253, n. 550, annot. 3.

gimus<sup>1</sup>, et, cum Florentiam pervenissent, adjunxerat se illis P. Laynez. Cum ergo Tridentum pervenissent, de quibusdam scholasticis germanis cum Cardinali Tridentino<sup>2</sup> actum est, qui nondum propositum reliquerat collegium instituendi Tridenti<sup>3</sup>. Progressi Brixiam, idem cum illo Episcopo Brixien<sup>4</sup>, quod ad scholasticos germanos mittendos egerunt<sup>5</sup>.

732. Pervenerunt deinde ipsa vigilia Annunciationis Augustam, ubi magnifice a Rege Romanorum, Cardinali augustano et aliis Episcopis et Principibus excepti fuerunt; qui fere leucam unam obviam Legato processerunt. Vigesima septima die ejusdem mensis perlatum est Augustam quod in extremis Julius III laboraret; 29.<sup>a</sup> de morte ejusdem nuntius advenit. Ultima die mensis Martii Legatus ipse Moronus simul cum Cardinali Augustano Romam versus discessit. Illo biduo vel triduo, postquam appulerunt Augustam, praeparabant se nostri ad fructum aliquem ex illis deceptis hominibus capiendum et ad colloquium aut disputationem cum primis praedicatoribus haereticorum se praeparabant.

733. Omnia tamen interruptit Legati discessus, et ipse P. Laynez 2.<sup>a</sup> die Aprilis cum Vicario Apostolico D. Beccatello,<sup>6</sup> Florentiam versus rediit; sic enim Legatus ante suum discessum ipsi injunxerat juxta P. Ignatii voluntatem. Prius tamen familiariter egerunt cum Episcopo Labacensi et P. Petro Soto<sup>7</sup>, olim Imperatoris Caroli confessario, qui nostros familiariter invisit; et prius ab eis salutatus fuerat et cum eo de mediis juvandae Germaniae contulerant. Recedebat ille ex diaeta

<sup>1</sup> Pag. 8, n. 8.

<sup>2</sup> Christophoro Madrucci. Is paulo post Romam venturus erat; ideo ad ejus adventum tractationem de collegio Ignatii distulit. Ita Polancus, *ex com.*, Patri Nadal, 1.<sup>a</sup> Aprilis 1555.

<sup>3</sup> Vide supra, t. II, pag. 469, n. 126.

<sup>4</sup> Cardinalis Durantes de Durantibus. Vide supra, t. II, pag. 218, nn. 118 et 119.

<sup>5</sup> Novum hoc est. quod de germanis non in Societatis domos tantum (vide supra, pag. 31, n. 54) sed Tridentum etiam et Brixiam dispergendis, ubi pedem Societas nondum fixerat, hic dicitur, et cujus ne vestigium quidem apparet in recentissimo opere *Monumenta, quae spectant primordia Collegii Germanici et Hungarici, collecta et illustrata a FRIDERICO SCHROEDER S. J.*, Romae, 1896.

<sup>6</sup> Ludovicus Beccatelli, Bononiensis, Rabellensis Episcopus, a POLANCO hic, ut videtur, Vicarius Apostolicus dictus, quia a Julio III Vicarius generalis et ordinarius Judex constitutus fuerat omnium ecclesiarum, monasteriorum et hospitalium Urbis. In *Biografia ecclesiastica completa*, t. II, pag. 348, dicitur *enviado a la dieta de Augsburgo* (hoc anno 1555) *en calidad de Legado*, verum Legatus erat non ipse sed Cardinalis Moronus.

<sup>7</sup> Vide supra, t. IV, pag. 283, annot. 5.

augustana a Rege Angliae, Philippo, evocatus, et prius Imperatorem Carolum invisurus et aliquandiu cum ipso in Belgio mansurus; qui suam operam nostris obtulit ad Lovaniensis Collegii foundationem curandam. Diligebat vehementer et magni faciebat Patrem Olavem, qui ei Dilingae aliquandiu cohabitaverat <sup>1</sup>. Allocuti etiam fuerant Romanorum Regem, qui ex nostrorum adventu consolationem non minimam accepit, et se denuo protectorem fore Societatis est pollicitus.

734. Cum Cardinali Augustano breviter admodum agere potuerunt, cum et ipsi statim discedendum esset; significavit tamen nostris indigere se aliquo, qui Universitati Dilingensi praesset, et decem aut duodecim praeterea ex nostris, qui Augustae manerent. Significavit etiam Legato Morono Dux Bavariae, quod optabat alterum ex duobus <sup>2</sup> Ingolstadium ire. Ipse autem Legatus juxta instructionem P. Ignatii, quam Patri Natali dederat, eidem Patri Natali injunxit ut in Germania maneret et Ingolstadium ire posset, ut Dux Bavariae rogaverat, et Dilingam, ut postulaverat Cardinalis augustanus, ad visitandam illam Academiam; et tunc demum ut Viennam iret. Usque ad festum Paschae tamen Legato visum est ut Augustae maneret, nam jam imminabat Sancta Hebdomada, ut satisfaceret Romanorum Regi, si qua in re ejus operam requireret, et in confessionibus suam operam hispanis et italibus sancto eo tempore navaret.

735. Suggestum fuerat Legato ut videret num ex redditibus monasteriorum Germaniae, quae religiosis pene destituta erant, vel alia ratione, posset Collegium Germanicum a Germania auxilium aliquod accipere; sed ille parum se sperare dicebat, nec tentandum sibi existimavit ut peteret aliquam pecuniam, ad alendos scholasticos germanos, Romam mitti.

736. Cardinalis Augustanus non cogitabat eo tempore de

<sup>1</sup> Martinus Olave "fué á la Corte de Carlos Quinto, y le dezia Missa en Palacio. Trauó familiar amistad con el Padre Fray Pedro de Soto, bien conocido en el mundo por su sabiduría, y por ser Confessor del Emperador, para destruir, y conuencer los errores de los hereges: y passando á Flandes el Cesar, él se quedó en Alemania con el Padre Soto. En este tiempo el Eminentissimo Cardenal Othò Truchses erigió la Universidad de Dilinga, y para sus fundamentos primeros buscó varones insignes por todas partes, y entre ellos escogió los primeros á nuestro Olaue, juntamente con Fray Pedro de Soto." NIERREMBERG, *Varones ilustres de la Compañia de Jesus*, t. iv, pag. 684. —Vide etiam supra passim in hoc *Chronico*. praesertim, t. i, pag. 34.

<sup>2</sup> Laynez, scilicet, et Natali.

suo Collegio et Universitate Dilingana Societati tradenda; et tam illum, quam alios Germaniae principes, difficile adduci putabat <sup>1</sup> ut collegia nostrorum tantum instituerent, nam seminaria operariorum, qui Episcopatus et curam animarum susciperent, curanda sibi imprimis existimabant, ut jam dictus P. Soto expresse nostris significavit. Et ideo P. Natalis, qui fervebat desiderio nationis germanicae juvandae, suggerebat Patri Ignatio posse collegia admitti, ubi aliqui etiam alerentur, qui religiosi non esse decrevissent; juxta formulam, quae in quarta parte Constitutionum attingitur <sup>2</sup>; dummodo gubernatio penes Societatem esset, et aliquis nostrorum scholasticorum numerus, juxta numerum praeceptorum, quos datura erat Societas; et vastitas summa ac desolatio in his, quae ad religionem pertinent, efficiebat ut quavis conditione admittenda esse collegia P. Natalis censeret.

737. Diaeta augustana, in his quae spectant ad religionem, nihil boni tractabat, immo sine detrimento veritatis catholicae et jurisdictionis ecclesiarum res non transigebatur <sup>3</sup>, cum temporalia dominia ecclesiasticis auferre domini temporales haeretici niterentur. Ministri etiam Sathanae diligentes admodum magistros errorum ad haereses suas latius in dies dilatandas [urgebant, qui] totam lutheranismi impietatem in sermonem graecum converterant et imprimebant, ut sic orientem possent inficere; et interim qui propugnatores esse debebant catholicae fidei, timidius quam par erat et remissius sese gerebant.

738. Post recessum Patris Laynez, rogatus a Nuntio Apostolico <sup>4</sup> P. Natalis, apud eum divertit, et alioqui hospes ipsius <sup>5</sup>, Episcopus Labacensis, ad suum Episcopatum iturus erat. Utebatur autem Nuncius ejus <sup>6</sup> opera in rebus magni momenti et praecipue in quibusdam controversiis, quae inter quosdam catholicos erant, componendis. Cum duobus etiam haeticis primariis familiariter disputans alterum eorum ad absurdissima quaedam dicenda ad defensionem sui erroris compulit, ut ipse

<sup>1</sup> P. Natalis.

<sup>2</sup> Parte IV, cap. III, n. 4., Decl. B.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 266, n. 720.

<sup>4</sup> Zaccharia Delfino. Vide supra, pag. 37, n. 66, annot. 1.

<sup>5</sup> Scilicet, qui ipsius Patrem Natalem, ex quo Augustam appulerat, hospitio exceperat.

<sup>6</sup> Patris Natalis.



nesciret quid diceret. Alter etiam fatebatur nostro Jonae Adlero <sup>1</sup> scrupulum sibi in conscientia reliquisse P. Natalem; sed obstinati omnino et obcaecati in suis erroribus erant.

739. Alloquutus est familiariter Rex Romanorum Patrem Natalem de fundatione Collegii Pragensis et habitatione; et tunc Romam scripsit, ut superius diximus <sup>2</sup>; et gratum sibi fore Rex significavit si Viennae et in Germania aliquandiu idem Pater maneret.

740. Tota autem hebdomada sancta et primo die Paschae in confessionibus fuit occupatus: Nuncius Apostolicus, inter alios, eidem confessus est et D. Martinus de Guzman, qui primas apud Regem Romanorum tenebat; et illum valde affectum erga Societatem reliquit <sup>3</sup>, et alios multos <sup>4</sup> nobiles ex curia Regis. Ipse autem Nuncius miro affectu vocationem nostram extollebat, nec esse quicquam in hac vita optabilius affirmabat quam pro animarum salute per orbem discurrere, quemadmodum Societas faciebat, et si ipsimet per gradum et officium suum non licuisset Societati nostrae se adjungere, quod saltem ejus consilio similem nostris vitam vellet agere.

741. De Oenipontano Collegio significavit Rex Patri Natali quod infra biennium nihil tractari poterat, quia aedificio vacandum erat; sed suo tempore agi ea de re oportere.

742. Erat ibidem D. Petrus de Zarate, qui negotia sua cum Rege Romanorum ex sententia confecit; nam Romanorum Rex Nuntio Apostolico dixit, (postquam eum audivit hoc de negotio loquentem) se libenter amplexurum hanc confraternitatem, cui nomen suum etiam subscripsit, quod et Herbipolensis <sup>5</sup> Episcopus et Salisburgensis <sup>6</sup> fecit <sup>7</sup>. Et quia Episcopus Vegien-

<sup>1</sup> Is Societatem anno 1553 ingressus (Vide supra, t. III, pag. 239, n. 536), postquam operam suam, concionando praesertim, strenue navavit, a Societate tandem anno 1562 deficit. *Mira ejus fata* narrat REIFFENBERG, *Historiae Rhenanae* S. J. lib. IV, cap. IV. Vide etiam HANSEN, *Rheinische Akten*, praesertim pag. 402.

<sup>2</sup> Pag. 253, n. 712.

<sup>3</sup> Is Martinus de Guzman, Ferdinandi I camerarius, seu cubicularius, secretus erat et Regii valetudinarii Viennensis (Neuhospital der hl. Barmherzigkeit zu Wien) administrator. Vide BRAUNSBERGER, l. c., pag. 427 et 748.

<sup>4</sup> Ms., in quo ad paginae oram haec, ad verba usque *vellet agere*, a Polanci librario superaddita sunt, habet et alii multi.

<sup>5</sup> Melchior de Zobel.

<sup>6</sup> Sic; erat Is Michaël a Kuenburg.

<sup>7</sup> Verba haec quod et *Herbipolensis Episcopus et Salisburgensis fecit* manu propria in ora paginae scripsit Polancus.

'sis', qui se comitem obtulerat ad principes adeundos, propter aliquas occupationes negabat se posse hanc peregrinationem facere, Trigestinus Episcopus, natione hispanus, cognomine Chastiliego<sup>1</sup>, suam operam D. Petro obtulit ad Imperatorem et Angliae Regem conveniendos; qui magis idoneus ad hoc munus videbatur, cum egregius esset concionator et in rebus theologicis valde eruditus. Ei autem injunxit Romanorum Rex (nam ejus episcopatus Trigestinus sub dominio ipsius erat), ut hoc iter ad Principes christianos susciperet.

743. Quia tamen P. Natalis conjiciebat, et ex parte a Nuntio apostolico audiebat, non magnopere ad aedificationem facere, ut finis confraternitatis hujus videretur Collegia Societatis variis in locis constituere, ne ad hujusmodi opera videretur haec per orbem postulatio et quodammodo quaestus fieri; D. Petrum de Zarate admonuit, qui libenter quod suggerebatur accepit, ut potius quod ipse in animo habebat, de bello navali contra infideles gerendo, quam de collegiis Societatis instituendis, cum principibus et eorum ministris ageret; quamvis ipsae litterae apostolicae collegiorum mentionem facerent<sup>2</sup>; et cum ab ipso P. Natalis Dilingam usque mutuo postulasset duo jumenta, dono ea dedit, ut Romam usque eis uteretur et nostris deinde utenda daret.

744. Idem D. Zarate impetraverat unionem cujusdam beneficii oppidi de Garcias<sup>3</sup>, Placentinae dioecesis, ad institutionem collegii, quod ibidem fieri cupiebat, et cum Sedem Apostolicam vacare intellexisset, urgebat litteris ut eo tempore, quo multa facilius expediri solent, ea supplicatio, jam a Summo Pontifice signata, expediretur; et deinde ad curiam Imperatoris ac Regis Philippi profectus est.

745. Augusta Dilingam post Pascha profectus est P. Nata-

<sup>1</sup> Albertus Duimius de Glicicis, Catharensis, O. P., episcopus urbis Veglia (latinis *Vegia*, Plinio etiam *Vegium*), sub Jaderensi vel Jadrensi (Zara) Archiepiscopo.

<sup>2</sup> Antonius Perragues et Castillejo. Vide supra, t. III, pag. 251, annot. 4.

<sup>3</sup> Has apostolicas litteras, quas supra, t. III, pag. 6, annot. 1, diximus nos non reperisse nec eorum factam mentionem in opere PATRIS LUDOVICI DELPLAC *Acta Sanctae Sedis in causa Societatis Jesu*, reperit nuper et recentissime edidit P. Henricus Lamens in Ephemeride *Etudes publiées par des Pères de la Compagnie de Jésus*, 34.<sup>e</sup> année, tome 70.<sup>e</sup> de la collection, 5 Janvier 1897, pag. 72-87. Incipiunt verbis *Pastoralis officii cura* et datae sunt 6 Octobris 1553.

<sup>4</sup> Sic; rectius *Garcias*, in provincia Cacerensi. Vide Polan:ci, *ex com.*, litteras Dno. Petro de Zarate, Bruxellis agenti, 8 Julii 1555.

lis, et a Praefecto arcis fuit humanissime exceptus, et juxta instructionem, quam ei reliquerat Cardinalis Augustanus, totam Universitatem et ejus partes perlustravit, quod ad studia, ordinem, et personas ac omnes exercitationes pertinebat. Dixit autem Universitatis praeceptoribus, et qui ejus curam habebant, missum se a Cardinali ut omnia explorata haberet, quae ibidem fierent, ut cum Romam rediret, novo Pontifici referre posset quae ibi vidisset et qui fructus ex eis sperari posset. Et ita tam Praefectus arcis, quam Rector <sup>1</sup> et professores <sup>2</sup> familiariter et amanter omnia cum eo contulerunt. Quatuor autem diebus omnium lectiones audivit, et disputationibus interfuit, ac ipse disputavit.

746. Vidit etiam domum, in qua P. Petrus de Soto cum sui ordinis religiosus manebat, quae valde commoda ad usum Societatis videbatur; et quia jam dictus P. Petrus Soto recedebat, ut non amplius rediturus, non videbat quomodo posset hoc opus recte procedere, si Societas nostra ejus curam non suscepisset. Praeceptores eruditi quidem erant; sed, aliquo recedente, non facile qui ei succederet idoneus inveniebatur; scholastici modesti et obedientes erant, et hi praecipue, qui a Cardinali alebantur, qui singulis mensibus confiteri soliti erant. Reliqui quater in anno. Numero ducenti erant et fere omnes externi, et velut propugnaculum quoddam videbatur Universitas Dilingensis contra lutheranos vicinos et Zuinglianos. Et quamvis praeceptores numero novem essent, deerant duo theologiae professores et tertius philosophiae ac quartus graecae et hebraicae linguae. Lo-

<sup>1</sup> Academiae, seu Universitatis Dilingensis Rector erat id temporis Cornelius Rosendalius, Lovaniensis, alio nomine Harlemius, vel Herlenius qui aliquamultis annis eo munere insigniter functus est. Is vigesima Maii a 1554 "postquam ad Cardinalis (Augustani) genna fidelitatis sacramentum edidisset, primus Academiae promulgatus Rector, sceptrum argenteum Epomidemque rubram e serico raso accepit una cum sigillo argenteo." AGRICOLA, *Historia Provinciae Germaniae Superioris Societatis Jesu*. Dec. III, n. 93 et 95.

<sup>2</sup> Professores in prima Universitatis Dilinganae institutione, anno 1549, fuere "P. Petrus de Soto, Hispanus, ex ordine Sancti Dominici, cum duobus Jacobis ejusdem Familiae, Hispano uno, Germano altero. Cum his Professores quoque aderant Guilielmus Lindanus, Martinus Rithovius, et Martinus Olavius Doctor Parisinus, atque alii." AGRICOLA, *ibid*, n. 94.—Horum aliqui ut Fr. Petrus de Soto et Martinus Olavius jam hoc anno 1555 ab Universitate recesserant.—Guilielmum Lindanum, quem Lovaniensem dixit AGRICOLA, Dordracensem appellat BRAUNSBERGER, atens: "De eximio illo theologo Guilielmo Damasi Lindano sive van der Lindt († 1588), dordracensi, qui professor dilinganus, episcopus ruraemundanus et gandavensis fuit, plura in secundo volumine dicentur." L. c., pag. 39, annot. 5.—Martinus Balduinus Rithovius postea episcopus iprensis fuit. *Id.*, *ibid*, pag. 49, annot. 2.

cus studiis videbatur opportunus et egressus ab eo oppido [in] prata amoena <sup>1</sup> valde super Danubium.

747. Audivit conciones, quae latino et vernaculo sermone fiebant ad puritatem christianae doctrinae non parum accommodas. Demum opus hoc placuit magnopere Patri Natali et dignum ipsi videbatur, quod a Sede apostolica juvaretur et a Societate nostra; nam omnino auxiliis opus habebat, tam temporalibus quam litterariis, ac praecipue in theologia; nam timeri poterat theologos germanos, qui passim haereticorum libros legebant, non ad oppugnandum tantum, sed, ut [quod] placebat ex eis addicerent, aliquid minus purum successu temporis tradere posse. In modo etiam legendi et exercitationibus scholasticis, nostrae Societatis auxilio indigere videbantur; nec onus hoc inutile fore Societati ipsi credebat, nam complures bonae indolis scholasticos ipsius institutum secuturos verisimile erat, et cum singulis theologiae lectoribus 250 floreni singulis annis darentur, loco duorum hujusmodi professorum si nostri Dilingam mitterentur, jam quingentos florenos habituri erant; et ita paulatim, recedentibus aliis praeceptoribus, nostri eorum loco succedentes, brevi tempore totam Universitatem ad se redigere poterant. Sed haec suggerebat charitas Patri Natali; Deus autem temporis successu suavius integram Universitatem Societati tradidit <sup>2</sup>.

748. Cum quatuor dies Dilingae mansisset, inde Ratisbonam profectus est, et humaniter ab Episcopo <sup>3</sup> exceptus. Deinde ad Passaviensem <sup>4</sup> perrexit ut per Danubium, secundo flumine, Viennam deferretur.

749. Hic Episcopus, qui et Princeps est Imperii <sup>5</sup>, magnam benevolentiam ad suum palatium Patrem Natalem invitavit, et ejus Missam audire voluit; et, praeter expensas hospitii, quas ipsorum more solvit, navigium dedit Patri Natali, quod Vien-

<sup>1</sup> Polanci librarius scripsit primo *et egressus habeb ab eo oppido prata amoena*, sed delevit postea illud *habeb*; nos autem et sensum et syntaxim restituta putamus ista [in] a nobis addito.

<sup>2</sup> Tradidit eam Deus integram Societati anno demum 1553 mense Novembri. Agricola, *ibid.*, n. 99.

<sup>3</sup> Georgio de Pappenheim.

<sup>4</sup> Passaviensem (*Passau*). Vide supra, t. II, pag. 580, n. 384.

<sup>5</sup> Wolfgangus de Salm, "cuius dioecesis Viennam usque tum (1553) extendebatur," BRAUNSBERGER, I. c., pag. 417, annot. 1.—Cf. *Cartas y otros escritos del B. P. Pedro Fabro*, t. I, pag. 91, annot. 1.

nam usque ipsum deferret. Tam bene de Societate sentiebat hic Episcopus, ut in afflictis et pene desperatis Germaniae rebus remedium optimum arbitraretur, si Summus Pontifex singulis Episcopis Germaniae duos de Societate mitteret, quorum consilio et auxilio suas ecclesias gubernarent. Deplorabat ille sui Episcopatus miseram conditionem, cum parochis et praedicatoribus haereticis vel publice concubinariis aut conjugatis, quos substitueret, nullos haberet; et contentum se quodammodo in examine hujusmodi hominum [aiebat], si germanice sciebant, ac Missam latinam dicebant <sup>1</sup>. In tanta autem multitudine hujusmodi sectariorum et paucitate nostrorum, qui in Germania versabantur, mirum quantopere Societatem nostram haeretici timerent, nec alios videbantur theologos curare, sed jesuitas, quos obstinatos dicebant nec ipsis velle quidquam concedere.

750. Passavia ergo per Danubium descendentes prima die Maii [Viennam], ut diximus <sup>2</sup>, pervenerunt; ubi P. Natalis suo Visitatoris officio perfunctus est, et usque ad finem Julii cogitabat Viennae manere, et deinde, visitatis Italiae collegiis, sub medium Septembrem Romam redire, et interim, si qua in re posset, de religione bene mereri, Rege praesertim Romanorum Viennam accedente. Sed cum mortem Marcelli Pontificis audisset, et non venturum esse ea aestate Regem Ferdinandum <sup>3</sup>, Vienna in Italiam, ut superius diximus <sup>4</sup>, discessit.

751. Judicabat autem expedire quam maxime, si P. Laynez, contra haereticos scripturus, in Germaniam mitteretur, et aliquem typographum idoneum Viennae haberi posse; sua etiam praesentia et concionibus posse magnopere juvare. Ipse etiam se propensum ut maneret in Germania, ut praestaret quaecumque posset tum in collegiis Societatis, tum in rebus aliis ostendebat. Nullus enim erat catholicus in Germania, qui contra haereticos scriberet, qui tamen nullum finem scribendi faciebant ad suas haereses confirmandas.

<sup>1</sup> Haec jam supra dicta fuere, t. II, pag. 580, n. 384.

<sup>2</sup> Supra, pag. 237, n. 685.

<sup>3</sup> "Ferdinandus 22 Decembris 1554 Landshuti, 24-28 Decembris Monachii, 29 Decembris 1554 ad 19 Augusti 1555 Augustae Vindelicorum fuit, ubi 5 Februarii comitia imperii aperuit. Eo etiam Albertus V Bavariae Dux venerat (*Sidlin*, Aufenthaltsorte K. Ferdinands I, 1521-1564, in *Forschungen zur deutschen Geschichte* I (Göttingen, 1862) 384-395, pag. 393; *Jansen*, l. c. III, 748, „BRAUNSBERGER, l. c., pag. 518, annot. 1.

<sup>4</sup> Pag. 16, n. 19.

752. Interim, dum Viennae fuit, curavit ut litteras Indicas P. Canisius in latinum sermonem verteret <sup>1</sup>; et quia catholici conquerebantur se libros non habere, nisi haereticorum, quos legerent, per Cancellarium Austriae <sup>2</sup> curavit ut typographus quidam, Regis nomine, Viennae versaretur, qui imprimendis catholicis libris et haereticis purgandis semper vacaret <sup>3</sup>.

753. Et ut aliqui novi libri conficerentur curatum est; et in primis Regi suggestum, ut suo historiographo, qui catholicus erat, injungeret ut chronographiam conficeret, qua breviter demonstraretur successio Ecclesiae Romanae, Concilia, et haereses confutatae, et successio fidei ac doctrinae et obedientiae erga Sedem Apostolicam in Germanica natione <sup>4</sup>. Quoddam etiam compendium theologicum ex Vigherio <sup>5</sup> et aliis ut confi-

<sup>1</sup> Habet hic cl. BRAUNSBERGER, ubi suam adhuc exerat eximiam diligentiam, discernendo scilicet quanam hae sint Indicae litterae quas in latinum sermonem vertit Canisius. Nullam enim earum mentionem factam reperimus nec in opere *Epistulae et Acta B. P. Petri Canisii*, nec a SOMMERVOGEL in *Bibliothèque des écrivains de la Compagnie de Jésus*.—Nos quidem, cum litteras Indicas edemus, aliquid, si valebimus, praestabimus; nam cum ad id veniemus ut Indiae litteras edamus, editas jam simul et ineditas, rationibus moti tunc aperiendis, excudemus.

<sup>2</sup> "Joannes Albertus Widmanstadius (1506-1575), ex Nellingen, Suebiae pago ortus, cum Italiam et Orientem adiisset, anno 1553 Austriae inferioris cancellarius factus est.", BRAUNSBERGER, l. c., pag. 450, annot. 3.—Vide supra, t. iv, pag. 236, annot. 2.

<sup>3</sup> Quis hic typographus fuisset dicere certo non valemus. Eructur fortassis ejus notitia ex DENIS M., *Wiens Buchdruckergeschicht*, bis M. D. LX, Wien, 1782, et MAYER A., *Wiens Buchdruckergeschichte*, Wien, 1883; quorum primi meminit BRAUNSBERGER, opere citato, secundi WEIL, *De Guilielmi Postelli vita et moribus*; sed hos libros nancisci non valuimus. —Certe catholicos libros edebant hoc anno ediderantque Viennae, priusquam illuc P. Hieronymus Natalis veniret, Joannes et Michael Zimmermann, ut videre est apud BRAUNSBERGER, l. c., passim.

<sup>4</sup> Wolfgang Lazius, genere suae, natus Vindobonae (Wien) 31 Octobris 1514, obiit 19 Januarii 1565, Doctor medicus, lector philosophiae in Universitate vindobonensi, postea medicus castrensis in Hungaria, tandem per 25 annos professor medicinae in Universitate vindobonensi simulque per duos annos cum dimidio ejusdem Universitatis *superintendens*, Ferdinandi I, Romanorum Regis, medicus, historiographus aulicus, vir catholicus, et rei historicae, genealogicae, numismatice peritissimus, fere 50 libros libellosque (qui partim typis exscripti sunt) composuit, inter quos sunt chorographiae Hungariae et Austriae (Vindobonae 1556 et 1561); sed de chronographia illa, de qua Polancus, nihil reperitur. Vide АШВАЧ, *Geschichte der Wiener Universität*, t. III, (Wien, 1888) pag. 205-233.—Haec nobis humanissime communicavit P. Otto Braunsberger.—Ejus autem jam mentionem fecerat Polancus supra, t. III, pag. 241, n. 539.

<sup>5</sup> Sic; sermo autem esse videtur de Joanne Viguier, O. P., de quo ita ALTAMURA, in *Bibliotheca Ordinis Praedicatorum*, centuria quarta, an. 1545: "Joannes Viguierius, Granatensis, Hispanus, Tolosae adscriptus est nostris, et ibidem in Academia professor, doctissimus Theologus, et Philosophus profundo iudicio maximoque labore evulgavit *Institutiones vitae christianae* ad Naturalem, Christianam Philosophiam, et scholasticam Theologiam, in quibus ita D. Thomam sectatus est, ut eum et solide in compendium perspicuum redegerit, et ex Conciliis ac Pontificum Decretis doctrinam illam Angelicam opportune confirmaverit. Eas institutiones excuderunt Parisienses anno 1553, Venetiis Bartolus Rubinus anno 1567, deinde iterum anno 1581. At Jacobus Vitalis

ceret P. Canisius, prout ipsi videretur expedire, injunxit <sup>1</sup>. Et ut imprimerentur in modum enchiridii decreta Concilii Tridentini <sup>2</sup>, Evangelia et Epistolae totius anni ex editione vulgata, cum scholiis et annotationibus brevibus contra lutheranos <sup>3</sup>, libelli etiam precatorii <sup>4</sup>, compendium doctrinae christianae pro puerulis <sup>5</sup> et alia quaedam, ad quae etiam P. Gaudanus suam operam conferre debebat. Et ut puerulos de praeceptorum manibus eriperet, scholam infimam, ut superius dictum est <sup>6</sup>, in-

ibidem anno 1575; demum anno 1582 illustriori inscriptione Parisienses. Scripsit quoque *Opusculum de Consolatione Agonizantium cum elucidatione Missae*. Ibidem apud eundem anno 1569, cum Parisiis anno 1553 prodiisset. Scripsit etiam *super epistolam Pauli ad Romanos*, in quo Commentario haereses nostri temporis expugnat. Venetiis 1571 et Lugduni eodem anno apud Guilielmum Rouillium.—Guilielmus Einsengrenius inquit Viguerium in omnes Epistolas Pauli scripsisse. Vivebat anno 1546.—De eo MIRAEUS, *De scriptoribus saec. XVI*, cap. 177, PLODIUS, *De viris illustribus*, part. II, lib. 4, LUSITANUS in *Bibliotheca Ordinis*, fol. 157, SIXTUS SENENSIS, lib. IV, *Bibliothecae Sanctae*, ANTONIUS POSSEVINUS in *Apparatu*, t. II, fol. 264.—Hunc Gallum, “natural de Gremaade sobre el Garona, en la diócesis de Tolosa,” facit *Biografía eclesiástica completa*, t. XXX, pag. 258, ubi etiam addit: “En 1527 enseñaba teología, cátedra que aun desempeñaba en 1550. No se sabe cuándo murió, pero no se duda que vivía aun en 1553.”—En titulum secundae editionis Parisiensis, cujus non meminit ALTAMURA: *Institutiones ad natur. et christ. philosophiam, et scholasticam theologiam, ex sacrar. litterarum et conciliorum auctoritate, praesertim d. Thomae Aqu. erudit. confirmatae*. Paris, G. Thiebout. 1554, fol.

SOMMERVOGEL, I. C., t. II, col. 618, haec habet: “4. \* De consolandis acgrotis, praesertim vubi (*sic*) de vitae periculo agitvr, in vsvm sacerdotvm et ministrorvm, qui circa aegros versantur in hospitali Regio Vienne Austriae, salutaris formula. S. I. et a., 4.º, ff. 40 nch.: —*a la fin*: Mit Röm. Khün. May. gnad und Privilegien. Gedruckht zu Wienn in Oesterreich durch Michael Zimmerman in S. Anna Hof. im Jar 1554.”—Nonne hic est editionis locus et annus?—“Ce livre commence par: Petri Canisii Sacrae Theologiae Doctoris ad Christianum lectorem de hac formula praefatio. Le Père Michel Denis pense que Canisius est l'auteur de tout l'ouvrage: du moins, il y eut une grande part.”—Eritne haec *Formula* opusculum Viguerii, cujus meminit ALTAMURA, a Canisio emendatum, auctum, aut saltem praefatione Canisii decoratum? Nos quaestioni huic respondere non valemus, quia neutrum opusculum vidimus.

<sup>1</sup> Nullum, quod sciamus, Canisii opus, sive editum, sive ineditum, huic *theologici compendii* descriptioni adamussim respondet, nisi forte illud quod *Capita doctrinae christianae* et *Palaestra hominis catholici* ipse appellavit.

<sup>2</sup> Nequidem hoc a Canisio factum videtur.

<sup>3</sup> Egregie hoc praestitit Canisius in opere “*Epistolae et Evangelia, quae per totum annum secundum Missale Romanum in Ecclesia leguntur: locis Bibliorum ad marginem adjectis, et quarundam vocum obscuriorum interpretatione*. Praefixa sunt summaria seu argumenta per Petrum Canisium..... confecta.”

<sup>4</sup> Praestitit et hoc Canisius libello “*Lectiones et Precationes Ecclesiasticae*. Opus novum et frugiferum plane, in usum scholarum catholicarum omniumque pietatis verae studiosorum,” quod, juxta SOMMERVOGEL, I. C., col. 667, n. 7, idem est ac *Institutiones et exercitamenta christianae pietatis*.

<sup>5</sup> Nota sunt orbi Canisii *Summa Doctrinae christianae per quaestiones tradita et in usum christianae pueritiae... edita*, ejusque *Catechismus parvus*, itemque *minor*, et tandem *minimus*. Vide SOMMERVOGEL, I. C., et BRAUNBERGER, *Entstehung und erste Entwicklung der Katechismen des seligen Petrus Canisius*, et quae idem BRAUNBERGER habet in *B. P. Petri Canisii Epistulae et Acta*, pag. 640, annot. 4.

<sup>6</sup> Pag. 226, n. 658.

stitui jussit. Et facile haeretici observabant quantum ipsorum conatibus obsisteret Societas. Et fere omnes dicebant pene totam urbem Viennensem lutheranam brevi futuram, si ministerium Societatis nostrae ipsos non impedisset.

754. Quod ad ipsum Collegium Viennense attinet, prohibuit ne nostri Missam cantarent; et, ne offenderet haec mutatio quorundam animos, ut eligerent aliquos ex scholasticis, qui eo munere fungerentur <sup>1</sup>.

755. Eodem die, quo Viennam venerat P. Natalis, concionator ille haereticus, de quo superius facta est mentio <sup>2</sup>, Vienna recessit; quod occasionem dedit scribendi alicui (ut Cardinali Augustano Romam scriptum est) concionatorem illum a Patre Natali Vienna expulsum esse <sup>3</sup>.

756. Allocutus quidem fuerat Regem Romanorum P. Natalis ea de re <sup>4</sup>; sed propter conciones ipsius P. Canisii contra ipsum,

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 283, n. 518.

<sup>2</sup> Pag. 664, n. 280.

<sup>3</sup> Hic Polancus corrigit quae 17 Junii hujus anni 1555 jussu Ignatii scripserat Patri Emmanuelli Lopez, Collegii S. J. complutensis Rectori (*Cartas de San Ignacio*, t. v, p. 224), quaeque afferuntur a BRAUNSBERGER, l. c., pag. 732. "En Viena se ha hecho una cosa por su (Patris Natalis) medio, que en gran manera nos ha consolado (aunque no tenemos letras del mesmo, pero el Cardenal de Augusta las tiene de dos partes), y es que el Rey Maximiliano tenía un predicador, á quien mucho favorecia, y era luterano, y predicaba públicamente la doctrina tal... Ahora entendemos que se ha habido de tal manera el P. Mtro. Nadal, que el predicador ha ido huyendo y con peligro de su vida.."

Videant hic sublimes illi *critici*, de quibus nonnihil supra, t. iv, pag. 82, in annotatione ad paginae calcem conquesti sumus, videant, inquam, quam sincere, quam integre veritatem sectentur nihilque nisi verum dicere satagant historici Jesuitae. POLANCUS quidem in iis ipsis litteris, in quibus rem, quam haud veram esse postea visum est, enarrat, fontes prudenter aperit e quibus eam depromit; *no tenemos letras del mesmo, pero el Cardenal de Augusta las tiene de dos partes*. Verebatur fortasse emunctae naris homo hominisque integerrimi secretarius ne aliquis hic lateret error; quem postquam deprehendit, occasionem arripit eum corrigendi corrigitque hic in *Chronico*. ORLANDINUS vero, cui erat prae manibus *Chronicon*, Polanci verba immutat quidem, sed sententiam perfecte servat. "Quo die (Natalis) attigit, eo die nobilis quidam concionator abscessit, qui et suis et alienis fultus opibus prava dogmata libere, impuneque disseminabat..", *Hist. S. J.*, part. i, lib. xv, n. 28. SACCINUS tandem non Natalem sed Canisium huic Phausero, ut se fuga eriperet, in causa fuisse affirmat (quod et facit Polancus infra, n. seq.), affirmationemque suam Natalis ipsius testimonio fulcit. "Plurimum acer ille verae laudis aestimator (Natalis) delectatus est virtute, industriaque Canisij; quem beato Ignatio dilaudans, eius praecipue factum laboribus per eos ipsos dies et concionibus narrat, ut prae nobilis et graciosus concionator, qui et prouocatus ad disputationem erat, non ausus congrredi, repentina fuga se eriperet; unde et magno Vienna periculo liberata erat..", *De vita Canisii*, pag. 100.—Sed de his plura in *Nova serie litterarum Sancti Ignatii* et in litteris Patris Natalis, quas, Deo volente adjuvanteque edemus.

<sup>4</sup> "Notandum est Natalem (Viennam) Augusta venisse, ubi Ferdinandus rex tunc morabatur, de Phausero graviter indignatus..", BRAUNSBERGER, l. c., pag. 732.



et litteras, quas Regi Romanorum de eo scripserat <sup>1</sup>, et P. Lanoyus Episcopo Labacensi, scribit P. Natalis illum recessisse, qui sua doctrina inficiebat <sup>2</sup>. Provocatus quidem fuerat ad disputationem, sed ille hoc certamen detrectaverat <sup>3</sup>.

757. Reliquit etiam instructionem viennensibus de ratione vniuersitatis illius, quod ad philosophiam, theologiam et linguas attinet, paulatim Collegio nostro applicandae, ut ab haereticorum professorum manibus lectiones extorquerentur <sup>4</sup>. Et sic rebus compositis, Venetias, ut superius dictum est <sup>5</sup>, venit.

758. P. Salmeron Roma profectus est 27.<sup>a</sup> Julii, ut in Poloniam Nuncium Apostolicum comitaretur <sup>6</sup>; et parum abfuit, quin, prope Perusium, in manus gallorum incideret, qui in agro Senensi adhuc versabantur et eum explorauerant; sed per montes deductus, eorum fefellit diligentiam <sup>7</sup>.

759. Augustam demum <sup>8</sup> pervenit, ubi parum admodum commoratus, 7.<sup>a</sup> die Septembris cum Episcopo Veronensi,

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 244, n. 694.

<sup>2</sup> Sic; at desideratur verbum *urbem* aut quid simile.

<sup>3</sup> Intelligenda haec videntur de *altera* disputatione, forsitan cum P. Natali, cujus adventus in dies expectabatur, habenda; nam aliam jam cum P. Canisio habuerat Phauser, de qua ipse Phauser "13 Martii 1555 Viennae narravit Blahoslao, fratrum bohemonum ministro. Qui "In publica,, inquit, "disputatione cum Canisio de invocatione Sanctorum hanc tollendam esse velut abusum volebat Sebastianus Fauserus. Citatus est locus Augustini multorum corpora siue reliquias veneramus in terris, quorum animae sunt apud inferos, negavit Canisius Augustini esse dictum sed suppositum., BRAUNSBERGER, l. c., qui haec, annot. 3, subdit: "Blahoslao scribit Phauserum haec subiunxisse: "Item cum D. Nicolao Gaudano in convivio multis contuli et disputavi de Ceremoniis et abusibus in Ecclesia., (Fontes rerum Austriacarum, 2 Abth., xix [Wien, 1859], 134.,—Hanc autem *alteram* disputationem innuisse videtur SACCHINUS verbis, quae supra, annot. 3. ad n. 755, retulimus.

<sup>4</sup> Vide supra, pag. 269, n. 747.

<sup>5</sup> Pag. 169, n. 401.

<sup>6</sup> Aloysius Lipomanus, Veronensis Episcopus, Nuntius Apostolicus in Poloniam a Paulo IV missus, aliquot ante diebus quam P. Salmeron, Roma excessit, fortassis antediem sextam Julii. Ea enim die ipse Pontifex Alberto Bavariae Ducl scribens ait: "cum Nobilitate tua, nostro nomine, coram etiam aget Venerabilis Frater Aloysius Episcopus Veronensis, cui in Poloniam nostro et Sedis Apostolicae Nuncio a nobis *misso* in mandatis *dedimus* ut isthac iter faceret..., RAYNALDI, *Annal. Eccles.*, an. 1555, n. XLIV. Quare verba haec Polanci ut *Nuncium Apostolicum in Poloniam comitaretur* intelligenda sunt sic ut *Roma profectus Nuncium, ubi fuerit, conveniret eumque Poloniam usque comitaretur*, quod et ipse Polancus satis indicat n. seq.

<sup>7</sup> Dimicabatur adhuc armis gallos inter et hispanos de Senensi dominio.

<sup>8</sup> 20.<sup>a</sup> Augusti. Vide infra, annot. seq., ipsius Salmeronis verba.

quem ibidem invenit <sup>1</sup>, profectus est versus Poloniae Regem <sup>2</sup>, qui tunc Vilnae agebat, quae Lithuaniae caput est <sup>3</sup>, cum eo tempore pestis Cracoviae et in aliis Poloniae locis saeviebat. Cum autem Pragam pervenisset, ibidem praeter spem P. Canisium invenit, tum in praedicatione, tum in aedificio novi Collegii occupatum <sup>4</sup>. Inde autem 17.<sup>a</sup> die Septembris profectus, totum mensem Octobris et partem Novembris in hoc itinere usque ad Lithuaniam expendit; in qua peregrinatione magnam exercendae patientiae occasionem habuit, cum per regiones valde barbaras et humanis commoditatibus destitutas, in hospitiiis praesertim, transiturus erat. Nec deerant pericula, tum propter pestem, tum propter odium, quod in nobilibus pluribus contra Sedem Apostolicam esse ferebatur. Si quid aliud addendum erit, anno sequenti dicetur.

## DE COLLEGIO COLONIENSI

760. Versabatur Coloniae P. Leonardus <sup>5</sup> in domo adhuc conductitia, et cum eo P. Joannes de Chatena <sup>6</sup>, qui hac Qua-

<sup>1</sup> "Por otras e dado aviso á V. R.<sup>ta</sup> como llegamos sanos y saluos á 20 de Agosto en esta cibdad de Augusta y con quanta charidad recebidos de mons.<sup>or</sup> R.<sup>mo</sup> de Verona y las buenas nuevas de lo que passava en la dieta en fauor de la religion.", P. Salmeron Ignatio. Augusta 1.<sup>a</sup> Septembris 1555.

<sup>2</sup> Sigismundum Augustum.

<sup>3</sup> His corrige mendum quod in *Vida del siervo de Dios, Padre Alfonso Salmeron, escrita por el P. José Borro, de la C.<sup>a</sup> de J. y traducida por el P. Ignacio Torre de la misma C.<sup>a</sup>* (Barcelona, 1887) irrepsit, ubi pag. 64. linea 16, et pag. 65, linea 27 scriptum est *Viena pro Vilna*.

<sup>4</sup> Vide supra, pag. 258, n. 724.

<sup>5</sup> P. Leonardus Kessel.

<sup>6</sup> Vide supra, t. iv, pag. 269, 275 et 277 et HANSEN, *Rheinische Akten zur Geschichte des Jesuitenordens* 1542-1582, pag. 258, 287, 327, 481 et 789.—Bonus hic auctor, cui diligentiae laudem negare nemo poterit, quique de Collegii Coloniensis historia per hoc opus bene meritus est, temeritatis notam in quibusdam effugere minime potest. Exempli loco sit, quod de hoc Joanne Catena, pag. 287, annot. 1, affirmat: Joannes de Catena (aus Köln, vgl. Decanatsbuch der Artistenfacultat iv fol. 251) gehörte nicht zum Jesuitenorden; 1567-1585 war er Pfarrer an Kl. Martin., Hoc est: "Joannes de Catena, Coloniensis, non fuit de Societate Jesu; ab anno 1567 ad 1585 fuit Parochus S. Martini., —Verum 1.<sup>o</sup> monumenta ab ipso HANSEN congesta, ubi de Joanne Cathena sermonem faciunt, eodem modo de ipso ipsiusque ministeriis loquuntur ac de aliis qui de Societate erant. 2.<sup>o</sup> Hoc HANSEN effatum omnino consistere non potest cum iis, quae ex Polanci litteris ad Kessel 1.<sup>o</sup> Maji anni 1554 datis excerptimus supra, t. iv, annot. 3, pag. 269, ubi Polancus, ex Ignatii commissione, ait Ignatium, quamvis ad tempus, modo, Joanni Ca-

dragesima gradum baccalaureatus in theologia suscepit, et nihilominus dominicis ac festis diebus concionabatur, et a populo libenter audiebatur, quemadmodum et ipse P. Leonardus <sup>1</sup>. Ibidem erat et Thomas Marchiensis <sup>2</sup> cum tribus aliis studiosis, leodiensibus, qui se Societati obtulerant. Alii complures hoc ipsum expetebant, quamvis non statim admitterentur.

761. Senatus coloniensis egregie sub initium hujus anni se gessit contra fidei catholicae adversarios; nam zelo Domini accensus prohibuit <sup>3</sup> ne concionatores haeresi populum inficientes concionarentur, et civitate quosdam expulit; quosdam etiam in carcerem detrussit. Unde populus, vel ex eo plurimi, qui peste hujusmodi infecti erant, tumultum excitarunt et concionatorem quemdam catholicum, ab Archiepiscopo <sup>4</sup> ad Dei verbum praedicandum missum, e templo lapidibus fugarunt; et non sine magno vitae periculo evasit eorum manus, et in civis cujusdam domum ingressus est, et ita a furente populo non est occisus <sup>5</sup>. Inter alios doctorem quemdam medicum magistra-

---

tenae ut cum patre maneat permittat, "ejus, tamen "votum accepisse et in nostram Societatem quam amantissime ipsum admittere et, (quod Ignatius non nisi iis qui de Societate essent largiri poterat) "audiendi confessiones et Eucharistiae sacramentum administrandi facultatem ei concedere, et quidem ad casus omnes, qui ... Quare, si vero unus idemque est, ut videtur, hic Joannes Catena cum illo, cui canonicatus, Rhetio oblatus, propter ipsius Rhetii commendationem "datus est ea conditione, ut doceret, quemadmodum canonicatus ipse requirit, (HANSEN, l. c., pag. 327), quique anno 1569 Decanus erat Facultatis Theologicae in Universitate Coloniensi et pastor S. Martini (Id., *ibid.*, pag. 789), tunc id solum erui potest, sc., eum a Societate tandem abire permissum (fortassis quia cum patre ipsi manendum longius erat quam Societas permittere poterat); minime vero eum de Societate non fuisse.—3.<sup>o</sup> A Leonardo Kessel vocatur hic Joannes *confrater noster* (*Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 191, et in hoc loco a Polanco *Pater*). Et superabundabunt hujus rei argumenta in *Nova serie litterarum Sancti Ignatii*.

<sup>1</sup> "Quod V. Rev. et m. Johannes de Cathena legendo christianam doctrinam, concionando et confessionis ac eucharistiae sacramenta administrando et aliis pietatis operibus se occupat pro virili parte, gaudemus in domino et divinae gratiae augmentum precamur ad uberiores in dies animarum fructum percipiendum.", Polancus, *ex com.*, Patri Leonardo Kessel 13 Aug. 1555 (HANSEN, l. c., pag. 258).

<sup>2</sup> Vide supra, t. IV, pag. 299.

<sup>3</sup> Ms. habet *accensi prohibuerunt*, quod quidem haud male est; sed id nos mutavimus ut melius sententia tota cohaereat.

<sup>4</sup> Adolpho de Schauenburg.

<sup>5</sup> De hoc ita REIFFENBERG, l. c., lib. II, cap. X, n. XXVII: "Fuerat unus aliquis cujus quidem nomen proditum non reperio, qui majore quam caeteri libertate invehetur in corruptissimos urbis ac Germaniae mores. Verum fructum non retulit alium quam minas ac furorem populi, qui ita hac Oratione exarsit, ut ad Saxa convolarit; atque inaudito ante hunc diem hac in civitate flagitio Ecclesiasten suzgestu dejectum templo expulerit.", Sed si haec cum praecedentibus conferantur, quibus Curionum inertiam et igno-

tus carceri manciparunt, qui in naturali philosophia perdoctus, revelationem se habuisse fatebatur, quod, sua praedicatione coloniensem dioecesim esset reformaturus, et, si impediretur, multos ex majoribus brevi morituros esse. Sed nihilominus prima lectio est ei prohibita, deinde civitas, ac demum in carcerem coniectus est; quem allocutus est P. Leonardus aliquando; sed vir delusus et obstinatus a suo proposito non recessit <sup>1</sup>.

762. Sub natalitia festa anni praecedentis Noviomagum P. Leonardus profectus est, et cum in ipsa vigilia Natalis Domini, templum celebrandi gratia ingressus esset, tantus populi concursus factus est, ut, sacro absoluto, templo egredi non potuerit, cum magna hominum multitudo ei confiteri vellet, quorum confessiones audire coepit; per totum diem illum et noctem et diem ipsum Natalem Domini, immo et sequentibus festis, cum multorum consolatione et fructu, eidem ministerio vacabat; et omnes, qui ei confitebantur, vitam in melius mutare serio constituebant.

763. Matertera interim magistri Theodorici Canisii <sup>2</sup>, quae, ut diximus superius, situm ac domos Societati donare constituerat, ipso die Natalis Domini graviter coepit aegrotare; et sequenti die, qui D. Stephano sacer erat, ut suum propositum firmaret, duos ex officialibus civitatis (quos *schabinos* <sup>3</sup> vocant) accersiri jubet, quod, in eorum praesentia et testium deputationum, situm ac domos praedictas magistro Theodorico Canisio ad usum Societatis daret. At schabini, quod timebant indignationem fratris, quem ea virgo, Theodorici matertera, habebat, adesse recusarunt. Unus erat ex senatoribus frater praedictus

rantiam reprehendit, ignorasse videbitur quid Senatus egerit quod populo displicuit.—Lapidatio haec et concionatoris ejectio locum habuisse videtur in S. Laurentii templo. \*Ueber diesen Vorfall in der Laurenzkirche vgl. Buch Weinsberg, ed Hölbaum, II, 68., HANSEN, I. c., pag. 253, annot. 2. Vide etiam *Cartas de S. Ignacio*, t. v, pag. 138 et 368 et *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 250.

<sup>1</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 397. Ibi, annot. 2, spem esse diximus fore ut plura de hoc dicenda venirent, cum vol. praesens POLANCI ederemus. Nondum tamen monumenta, aut edita, aut inedita, prae manibus habuimus, quibus haec declarare et confirmare valeremus. Si quae decursu temporis offendemus, ea in "Addenda et corrigenda", in postremo *Chronici* vol. dare curabimus.

<sup>2</sup> Theresia (?) van den Bergh. Vide supra, t. IV, pag. 255, n. 533.

<sup>3</sup> Sic; frequentius *scabini*, gallice *échevins*, magistratus, a civibus plerumque electi; his certo quodam nec longo tempore curae erant communitatis negotia et quae ad securitatem, quietem et civium tutamen spectabant.

hujus virginis <sup>1</sup>, qui sorori suae in hoc negotio multum diuque adversarius fuit, et alios senatores ac magistratus sic informaverat, ut nunquam permetterent haec bona a sua sorore in Societatis usum dari. Immo eodem die sub vesperam, plenus indignatione et, ut ferebatur, etiam vino, ad aedes hospitis, qui Patrem Leonardum exceperat, venit, ac tragoediam non mediocrem excitavit, nullaque utens ratione Patrem Leonardum voluit invadere. Dicebat se malle suum caput perdere, quam ut Societas locum illum haberet; sed, ab aliis retractus, indignabundus recessit. Postridie virgo aegrotans 400 aureos fratri promittebat, ut ipsi permetteret de suis bonis disponere; et cum nollet ille audire, octingentos <sup>2</sup> obtulit, et ita conditionem ille accepit, et ipsemet misit in festo Innocentium duos scabinos, in quorum praesentia et coram testibus virgo dedit situm ac domos praedictas magistro Theodorico ad usum Societatis <sup>3</sup>; et quae sic Noviomagi fiunt, durant et perpetuum robur habent.

764. Sed religiosi ejus urbis, cum audirent locum certum Societati donatum esse, variis modis senatum et magistratus

<sup>1</sup> Frater hic Theresiae van den Bergh et Wendelinae van den Bergh. Petri Canisii, novercae et Theodorici Canisii matris, erat (Vide infra, n. 772) Wichmannus van den Berg. Fratrem hae alterum habuere Doctorem Burchardum van den Bergh, qui fuit a sacris Imperatori Ferdinando, canonicus ecclesiae (S. Stephani) viennensis, et, postquam ab aula Ferdinandi recessit, Arnhemli decanus ecclesiae collegialis S. Walburgis, (BRAUNSBERGER, l. c., pag. 116, annot. 2, et pag. 427), de quo supra, t. III, pag. 18, 249 et 254.

<sup>2</sup> Octingentos similiter ORLANDINI, l. c., lib. xv, n. 28, et REIFFENBERG, l. c., lib. II, cap. VIII, n. xxxiv; sed BRAUNSBERGER, qui accuratissimus est, quingentis. L. c., pag. 541, annot. 2.

<sup>3</sup> BRAUNSBERGER, l. c., pag. 761, monum. 107, affert instrumentum donationis a Theresia (?) van den Bergh factae, ex autographo (16.<sup>o</sup> p. 1) Colonia vel Vienna Romam ad S. Ignatium misso, idque arbitratur aliud non esse quam epistolam a Theresia ad P. Leonardum Kessel missam. "Inscriptio", addit, "subscriptio, locus, tempus neque in autographa epistula neque in autographo antiquo comparent. Unde et quando litterae datae sunt, ex Canisii litteris eruitur (P. Polanco datis 8 Junii et 16 Augusti 1554). In extrema paginae prioris parte a P. Leonardo Kessel (ita saltem omnino videtur) scriptum est: «Hanc petitionem scripsit Matertera M. Theodorici Canisij ante Mortem suam.» Quae indicant litteras hasce ad Kesselium datas esse., Et ex his confectum deducit vere anni 1554.

Verum voces illae ante Mortem suam innuere videntur scriptum id instrumentum fuisse non multo tempore ante mortem, vel forte cum jam ad mortem aegrotabat donatrix. Ita autem aegrotare coepit ipsa die Natalis Domini 1554. Eritne hoc instrumentum, quod BRAUNSBERGER appellat epistolam, autographum adversarium, seu notatio quaedam autographa, juxta quam a scabinis instrumentum tandem publicum erat conficiendum? Hoc si ita est, tunc et inscriptionem novimus ex Polanco, et tempus et locum. Locus Noviomagus, ubi decumbebat et decessit Theresia; tempus 28.<sup>a</sup> Decembris, festum Sanctorum Innocentium; inscriptio Patri Theodorico Canisio.—Publicum autem instrumentum nonnisi aliquo post tempore confectum est. Vide infra, nn. 765 et 770.

concitare coeperunt, multa etiam falsa admiscentes; sed inter caetera affirmantes se velle Noviomago egredi, si Societas nostra eo ingrederetur <sup>1</sup>; et ita tempestas haec secunda exorta est gravior quam prima <sup>2</sup>.

765. Rogabant interim amici P. Leonardum ut aliquandiu maneret Noviomagi ut saltem litteras hujus donationis confectas secum ferre posset <sup>3</sup>. Virgo etiam ipsa, ut sibi adesset in extremis suis necessitatibus rogabat, quamvis fatebatur se tantum gaudii et consolationis in suo corde sentire post donationem illam confectam, ut nunquam tam laeto se fuisse spiritu affirmaret; et admirationi aliis erat, quod, in maximis doloribus et afflictionibus morbi, tanta laetitia abundaret. Hortabatur etiam omnes ad mundi vanitatem contemnendam, et ad Dei cultum excitabat, et quidem cum fructu magno; addebat etiam se timere quod digna non esset oculis suis videre vitam ac modum agendi Societatis Jesu, sed cum Moise contentam esse se ut a longe eam visam salutet.

766. In octava die B. Joannis Evangelistae nuncius missus est a magistratibus urbis, qui P. Leonardo renunciaret ut ex urbe recederet <sup>4</sup>; sed eum non invenit, nam apud virum quemdam primariae nobilitatis, qui locum Imperatoris Noviomagi tenebat et bene de Societate sentiebat, tunc versabatur, ab eo, scilicet, invitatus. Postridie idem nuncius mittitur, sed quia extrema unctio virgini aegrotanti <sup>5</sup> conferenda erat, non est admissus ad colloquium Patris Leonardi, quam cum virgo devota accepisset, dixit consolationem se non modicam a Domino ob-

<sup>1</sup> Hoc REIFFENBERG, l. c., uni tantum religioso adscribit; Polanci tamen verba respondent Leonardi Kessellii verbis, quae sunt in *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 251.

<sup>2</sup> Erat tamen cordi Ignatio Collegium Noviomagi erigere, ut ex pluribus a Polanco, *ex com.*, scriptis litteris eruitur. Sic, ex. gr., 12.<sup>a</sup> Februarii scribebat Patri Canisio: "Qui si manda alla R. V. la copia di una lettera che scrive il P. Leonardo, nella quale vederà il fervore delli noviomagensi. et noi crediamo che vole risguarciare Dio N. S. li desiderii di quelli che sono nella Compagnia di quella città. Adesso si scrive che vedapo se sarà expediente mandare qualche sacerdote, come sarebbe il P. Bernardo (Oliverio) o vero che vadi il P. Leonardo per urgere più le cose et vedere se si meteranno in essere alcune provisioni ferme per il collegio et allora si vederà di mandar uno (collegio) de 14 o 15 persone, perche lo merita la divotione delli particolari et il rispetto che si tiene a essere di quella città V. R. et il Mtro. Theodorico et li duoi canonici, quali tutti si diportano molto bene."

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 278, n. 763, annot. 3, et infra, n. 770.

<sup>4</sup> "*Schuljes* asserit senatum 2 Januarii 1555 Societatem Neomago pellere statuisse (*Geschiedenis van het Bisdom 's Hertogenbosch*, v, p. 267). BRAUNBRACER, l. c., pag. 541, annot. 3.—Ibidem vide, annot. 2, Noviomagensis Senatus decretum.

<sup>5</sup> Theresiae.

tinuisse, quod speraret suum fratrem, qui nec rationibus, nec morbo sororis moveri potuerat, post ipsius mortem, pro adversario, patronus et defensor futurus esset Societatis, cujus orationibus unice se commendabat; et haec ultima verba ab ea audivit P. Leonardus, quamvis quatuor aliis diebus non loquendo in agone fuerit. Et cum plurimi eam visitarent, fama per urbem sparsa est, quod ex afflictionibus, quas a fratre suo passa erat, moreretur; sed tertia feria post Epiphaniam Domini, finito sacro et accepta simul absolutione, migravit ad Dominum<sup>1</sup>; et sequenti, cum magna devotione et frequentia hominum, sepulta est in templo fratrum minorum. Erat enim ex primoribus civitatis et vivum exemplar patientiae ac virtutum usque in finem.

767. Eodem die cum amicorum consilio P. Leonardus, comitantibus amicis quibusdam ecclesiasticis ac nobilibus, ad consulum domum se confert, ubi totus eum senatus expectabat, dixitque se intellexisse nuncium esse ab eis missum ut ipsorum nomine significaret sibi ut ex urbe recederet; cupere se rationes scire, quae ipsos moverent; nam si bene informati essent, non dubitare se quod sententiam essent mutaturi. Obtulit etiam litteras apostolicas, quibus de confirmatione Societatis et approbatione constaret. Sed illi eas videre noluerunt; sed tantum quasdam causas legerunt, propter quas eum ejicerent: prima, quod sub vesperam civitatem fuisset ingressus; secunda quod fecisset conventicula; tertia quod excitasset tumultum in civitate. Addebant et alias, quod satis multos spirituales concionatores, et doctores, monasteria, et religiosos, et pauperes haberent<sup>2</sup>. Sed cum respondere coepisset et primas illas rationes non esse veras ostenderet, nihil eorum se credere ostenderunt; et nec Patrem Leonardum nec alium de Societate Noviomagi habitaturum esse; et quod ante diem dominicam sequentem ex urbe decedere deberet. Cum autem animadverteret P. Leonardus se nihil proficere, condolens amicis recessit. Superiores religiosorum et majorem partem superiorum civitatis, qui fere lutherana haeresi infecti erant, nullo modo Societatem ferre posse intellexit.

<sup>1</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 251.

<sup>2</sup> Vide BRAUNSBERGER, l. c., pag. 485.—Nonnullis ex his rationibus respondit Canisius litteris Wichmanno consuli datis 23.<sup>a</sup> Maji.

768. Coloniam itaque rediit, et P. Ignatium consuluit quid facto opus esset, nam ipse populus bene erga Societatem affectus erat; et si videretur expedire ut rediret Noviomagum ut sigillatim de rebus Societatis primores illos informaret, se promptum obtulit. Interim amici noviomagenses calicem, ampullas et pacem argenteam <sup>1</sup> in usum Societatis paraverant; et virgo quaedam, optima sua vestimenta, in usum ornamentorum ecclesiae reliquerat, et plurima, quae ad ornanda altaria et Dei cultum pertinebant, praeparaverant.

769. Cupiebat autem ipse P. Leonardus eo redire, cum post primum illum furorem homines illos tractabiliores fore speraret <sup>2</sup>. P. autem Canisius rem hanc non esse contemnendam censebat, ne hac occasione diabolus infamiam Societatis in vicina etiam loca extenderet, et aditum Societati occluderet, quasi Noviamago fuisset expulsa <sup>3</sup>; et satis constabat daemonem per religiosos illos et quosdam lutheranos hanc tragoediam excitasse, ut spiritualis fructus, qui crescere Noviomagi coeperat, impediretur.

770. Decanus etiam ecclesiae Noviomagensis, cum ipso P. Leonardo Coloniae agens <sup>4</sup>, redire cum eodem Noviomagum volebat, ut ea ratione Capitulum Ecclesiae magis benevolum redderetur. Sed et P. Ignatius litteras ad senatum ipsum noviomagensem dedit <sup>5</sup>; et amici, qui Noviomagi versabantur, litteras sigillo publico munitas de donatione domorum illarum ad P. Leonardum transmiserant <sup>6</sup>.

771. Accidit etiam casus quidam satis acerbus Noviomagi: consul ille, qui consilium dedit ejiciendi ex urbe Patrem Leonardum, duos habebat filios, quorum alter ab altero crudeliter

<sup>1</sup> Pax vocatur instrumentum, quod inter Missarum solemnias, paulo ante communionem, populo osculandum praebet. "Concil. Hispal. ann. 1512, Inter Hispan. t. iv, p. 26, ex Constit. Card. de Mendoza: Item quia experimur quod fere in omnibus ecclesiis... solet porrigi Pax cum patenis consecratis (quod cedit in dedecus et vilipendium dictarum patenarum)... propterea mandamus ut in omnibus ecclesiis fiant Paces argenteae vel lignae tam pro viris quam pro mulieribus." Du CANGE, *Glossarium*.

<sup>2</sup> "Quidam Noviomagensium, ut iam experientia didici, sunt homines mirabiliter furiosi, postea tamen redduntur tractabiliores." Kessel Ignatio 14 <sup>a</sup> Jan. 1555. *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 250.

<sup>3</sup> Permovit valde, ut par erat, Canisium hic Noviomagensium adversus Societatem animus; ideo Wichmanno van den Berg, Noviomagensi consuli, Theresiae fratri, Vienna 23 Maji hujus anni litteras dedit, quas habes apud BRAUNSBERGER, l. c., pag. 540-544.

<sup>4</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 398 et 755.

<sup>5</sup> Eas habes in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 183 et 365.

<sup>6</sup> Vide supra, pag. 278, n. 763.



occisus est, et negabant Noviomagenses tale facinus accidisse ea in urbe <sup>1</sup>; sed et paulo post ipse consul extinctus est. Ille etiam, qui sententiam contra Patrem Leonardum legerat, in febrem phthisicam incidens, paulo post moriturus videbatur <sup>2</sup>.

772. Scripsit P. Henricus Dionysius consulibus <sup>3</sup>, quibus adjunxit, suas P. Leonardus; sed et P. Canisius Vienna alias litteras scripsit <sup>4</sup>, et tamen nihil senatum illum moverunt, et visum est P. Leonardo litteras Patris Ignatii <sup>5</sup> non mittere, quia non ut par erat excipiendae videbantur. Nec ipse Noviomagum profectus est; obstinatos enim illos esse homines percepit, et frater ille virginis, quae domum legaverat, Vichmanus nomine, pertinax in sua sententia manebat, etiam post acceptam pecuniam et praestitum consensum; dicebat autem quod ejus soror non potuerat domos illas alienare, quod tamen falsum esse satis constabat; sed quod potissimum erat in eo senatu, facultas ab Imperatore Carolo non impetrata [erat], et, donec illa impetraretur, ut scilicet Societas in illis statibus ac dominiis Belgii admitteretur, nec Noviomagi nec in aliis locis ejus ditioni subditis admittenda Societas videbatur. Et ea inter alias vel potissima causa fuit, propter quam P. Petrus Ribadeneyra ad curiam Imperatoris est missus. Quamvis eo tempore jam ditiones illas Regi Philippo resignaturus erat. Et ideo cum ipso Rege Philippo agendum fuit.

773. Cum interim domum illam Societati donatam foeminae cuidam habitandam tradidissent, cujus erat officium filias civium erudire, aliquae vel peste vel alio morbo ibi extinctae fuerunt, et inter alias mulier, quae ad custodiendam domum tradita erat, peste vulnerata intra triduum expiravit; non tamen in eadem domo, sed in xenodochio, ad quod exportata est; et ita nullo inhabitante, domus vacua relicta fuit <sup>6</sup>.

---

<sup>1</sup> *quale negant a centum annis nostris civibus auditum*. Ita, qui de hoc casu litteras dedit Leonardo Kessel. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 398.

<sup>2</sup> *Ibidem*, pag. 755, defunctus jam ante finem Decembris hujus anni dicitur.

<sup>3</sup> P. Leonardus Kessel litteris ultima Decembris hujus anni, amicorum Noviomagensium nomine, rogabat Ignatium ut vellet Henricum Dionysium mittere Noviomagum. *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 755.

<sup>4</sup> Vide supra, pag. 281, n. 769.

<sup>5</sup> Vide supra, pag. 281, n. 770.

<sup>6</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 755.

Quae hic Polancus enarravit de his Noviomagensibus adversus P. Leonardum Kes-

774. Coloniae vacabat P. Leonardus pro more suo confessionibus audiendis, aliquando etiam concionabatur, aegrotantes autem crebro invisebat. Jubilaeum a Summo Pontifice Julio concessum, quibuscumque potuit communicavit, quia non permisit Archiepiscopus <sup>1</sup> ut Coloniae publicaretur; hujusmodi enim erant catholici ejus provinciae, ut timerent hujusmodi Sedis Apostolicae liberalitatem potius irrisioni quam aedificationi futuram; plurimis tamen privatis jubilaeum communicatum est. Populus Coloniensis, qui vacillare videbatur in rebus fidei, jam melius sentire coepit in hujus anni progressu, cum concionatorum haereticorum, qui ejecti fuerant, impura vita magis in dies innotesceret; et si aliqui eorum fuga sibi non consulissent, publice illos fuisse puniendos fama erat.

775. Facta fuit autem sollemnis deportatio SS.<sup>mi</sup> Sacramenti, ipso Archiepiscopo SS.<sup>m</sup> Sacramentum deferente, usque ad portas civitatis, in qua duo viri se haereticos prodiderunt. Alter enim clamare coepit contra SS.<sup>mam</sup> Eucharistiam, alter externis signis eandem impietatem prae se ferebat: uterque autem captus est, ut luerent sui sceleris poenas <sup>2</sup>. Itaque mentem catholicam ostendebat senatus ac magistratus. In Universitate tamen Coloniensi nullus erat Doctor, qui vel unam lectionem sacram praelegeret <sup>3</sup>. Unde libentius nostri, scilicet, Patres

---

sel et Societatem tumultibus, iis, quae BRAUNSBERGER habet, conjuncta, juvabunt maxime ad complendas et in quibusdam emendandas REIFFENBERGII et ORLANDINI narrationes.

"Quae de Kessellio a. 1554 Noviomagum profecto indeque senatus consulto excedere iusso refert *Reiffenberg*, l. c., lib. 2, c. 8, a *Golthein* (Ignatius von Loyola und die Gegenreformation. p. 754. 795) parum diligenter lecta et ad Canisium perperam translata sunt: Certe epistulis a Canisio a. 1548-1556 datis, quas supra posuimus, evincitur hunc eo tempore in Germaniam inferiorem non venisse.", BRAUNSBERGER, l. c., pag. 761.—Vide etiam infra, n. 787.

<sup>1</sup> Adolphus v. Schauenburg.

<sup>2</sup> *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 399, et pag. 752, ubi haec Kessellius: "inter quos (carcere propter haeresim inclusos) est quidam in naturali scientia multum versatus, qui Veltius dicitur, qui multos in suam pertraxit sententiam. Ibi autem Patris Kessellii auctoritate nisi, qui vere in autographo Veltius et non Velsius scripsit, lectorem remisimus ad HANSEN, *Rheinische Akten zur Geschichte des Jesuitenordens*, pag. 806, annot. 2. Verum duo, juxta HANSEN, fuere eo tempore Coloniae inter eos, qui in haeresim prolapsi sunt, eodem fere cognomine vocati. Alter Velsius Justus, Veltius Gerardus alter. Ille, qui et Doctor Justus Velsius Haganus dicitur, "philosophus doctissimus, qui in philosophia graeca cum latinis conjungit", (Rhetus Ignatio sub finem Novembris an. 1552, HANSEN, l. c., pag. 209); hic, qui concionator olim fuerat Coloniensis Archiepiscopi Antonii, die 24 Junii 1558 nominatus fuit aulicus concionator a Gulielmo V, Juliacensi Comite, et anno sequenti publice adversus Missam concionari coepit. HANSEN, l. c., pag. 305, annot. 2.

<sup>3</sup> EYEN, *Geschichte der Stadt Koeln*. IV, 707.—Quamvis theologica studia in Colo-

Leonardus et Joannes de Cathena <sup>1</sup>, audiebantur. Praelegebat etiam christianae doctrinae lectionem idem P. Leonardus non sine fructu <sup>2</sup>.

776. Pervenit Coloniam cum Episcopo Trigestino D. Petrus de Zarate <sup>3</sup>, et eorum ac familiae totius confessiones P. Leonardus audivit in Camera aurea S.<sup>ae</sup> Ursulae <sup>4</sup>, ubi Episcopus aliis SS.<sup>mm</sup> Eucharistiam impertitus est, et reliquias et alia notatu digna eis P. Leonardus ostendit. Nec ipsi tamen nec P. Priori carthusiae <sup>5</sup> consultum visum est ut de negotio illius confraternitatis <sup>6</sup> Archiepiscopum alloqueretur, qui cum jubilaum publicandum, ut diximus <sup>7</sup>, non censeret, minus utique judicaret hujus confraternitatis litteras promulgari debere, et hoc esse illorum hominum ingenium dicebant, ut dandum potius illis esset, quam aliquid ab eis exigendum ut ad meliora allici possint; et ita illi <sup>8</sup> ad Caroli curiam progressi sunt, cum caput integrum unius ex undecim millibus virginum D. Petro, qui magnopere id exoptabat, P. Leonardus dedisset <sup>9</sup>.

---

nienal Universitate a Civitatis Consilio anno 1550 instaurata, et quidem clamose satis fuerint, (Cf. mon. typis editum d. 31 Jan. 1550, in Colon. civitatis archivo), et licet statutum fuerit a tribus theologis bis in hebdomada legendum esse, eo res anno 1555 devenerat, ut 30.<sup>a</sup> Decembris sequens fuerit in Concilio latum decretum: Quandoquidem nemo est hoc tempore qui theologiam legat, Provisoribus injungitur ut theologos adunari faciant et cum ipsis agant ut habeatur theologica lectio. (Civitatis Protocol., vol. 18, fol. 162).—Provisores (erant autem Arnoldus von Siegen, Hermannus Sudermann et Joannes Pyl, mense Februario 1556 cum theologiae lectoribus agere coeperunt, qui se ideo non legere declararunt, quia merces sibi pro lectionibus debita a Civitate non solvebatur. (Liber rectoralis IV, fol. 190).—Junio mense 1555 indicaverat Adolphus Archiepiscopus velle se theologiae studiosos de mediis ad proseguenda studia providere (*Ibid.*, fol. 183). HANSEN, I. c., pag. 257, annot. 5.

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 275, n. 760.

<sup>2</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 587.

<sup>3</sup> Petrus de Zarate et Antonius de Parragués et Castillejo, Trigestinus Episcopus (supra, pag. 266 et 267, n. 742) Coloniae fuere mense Julio 1555. HANSEN, I. c., pag. 258, annot. 1. Sed ejusdem mensis 26.<sup>a</sup> jam Bruxellas pervenerant.

<sup>4</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, pag. 66, annot. 1.

<sup>5</sup> Gerardo Kalckbrenner, Carthusiae Coloniensis Priori.

<sup>6</sup> Confraternitatis Sancti Sepulchri, quam instituere satagebat Petrus de Zarate.

<sup>7</sup> Supra, pag. 283, n. 774.

<sup>8</sup> Petrus de Zarate et Trigestinus Episcopus.

<sup>9</sup> "Aus einem Brief des ersten (Petrus de Zarate) an Kessel (d. d. Brüssel 1555 Juli 26 IV fol. 102, Original) ergibt sich, dass er für ein Dutzend geweihter Rosenkränze von den Stiftsdamen von S. Ursula Reliquien eingetauscht hatte; er bittet für denselben Preis um weitere zwei Schädel und Gebeine." Hoc est: Ex prioris (Petri de Zarate) litteris datis ad Kesselium Bruxellis 26.<sup>a</sup> Julii 1555 manifestum fit eum pro duodecim benedictis coronis, seu rosariis, a monialibus Sanctae Ursulae reliquias quasdam permittasse (accepiisse); ipse postulabat eodem pretio insuper (sibi dari) duo crania et ossa. Ita HANSEN, I. c., pag. 258, annot. 1. Ubi mirari quis sane poterit Petrum de Zarate, qui bonus catholicus erat. voce hac *pretio* usum esse, dum de reliquiarum acquisitione

777. Quotidie consilii gratia aliqui Patrem Leonardum adibant, aut confessionem apud eum instituendi <sup>1</sup>, et odor bonus Societatis in dies magis spargebatur, et fautores in dies plures erant.

778. Inter alios, qui opera nostrorum adjuti sunt, quidam fuit lutheranorum concionator ex superiori Germania, et quidem sacerdos, prolixa et incanescenti jam barba, qui viginti annis Lutheri falsam doctrinam praedicaverat, et inter haereticos, ipsorum more vixerat. Cum ergo Dominus oculis misericordiae eum respexisset, toto corde compunctus, doleus et lacrymans ad Ecclesiae gremium redire exoptabat, et nostros rogavit ut ipsi opem ferrent, quod et fecerunt. Itaque omnes suos errores ille abjuravit, et cum magna spiritus sui exultatione et propemodum inexplicabili gaudio, Ecclesiae restitutus est; adeo ut omnibus admirationi esset; et Archiepiscopus ei de aliqua conditione providit, ut catholicis verbum Dei catholico more praedicare inciperet.

779. Factum autem fuit edictum, ut lutherani omnes, anabaptistae et sacramentarii, sub poena capitis Colonia egredierentur ante triduum; multi enim ex sectariis Coloniam clam ingressi fuerant, et simplicem populum seducebant; et inter alios expulsus fuit concionator quidam, qui, quamvis leprosis concionaretur, multi tamen ad eum ex urbe confluebant.

780. Inter multos, quibus aegrotantibus aderat P. Leonardus, aliqui sanitatem sic recipiebant, auditis eorum confessionibus, ut qui assistebant, cum magna admiratione id viderent. In his fuit sacerdos quidam animo et corpore male admodum valens, [qui] Patrem Leonardum evocavit, factaque confessione, a Deo simul vires animae et corporis recuperavit supra amicorum expectationem, qui eum ad meliora reduci desperabant. Alii feliciter ad Dominum post sacramenta migrarunt <sup>2</sup>.

781. Petrus ille Adrianus, de quo annis superioribus facta est mentio <sup>3</sup>, sic se gerebat Coloniae, ut illum ab aliorum con-

ageret. quasi hae pretio soluto, ut merces, haberentur. Verum *Hansen* non alit se ipsissima Petri de Zarate verba adhibere; quare putamus eum hoc tantum in animo habuisse, sc., ut sensum *aliquo modo* exprimeret.

<sup>1</sup> *Instituendum* habet Ms.

<sup>2</sup> Postrema haec sententia, a verbis *Sacerdos quidam*, est in Ms. infra, post n. 783; signo tamen ad marginem posito ut hic inseratur.

<sup>3</sup> Vide supra, t. II, III et IV, praesertim t. IV, pag. 269, n. 177, et *Cartas de San Ignacio*, t. V, pag. 61.

victu separare, et demum extra domum eum constituere P. Leonardus cogeretur; et demum, eo inconsulto, recessit. Spes autem, quam habuit in quodam avunculo suo, a quo ecclesiasticos redditus sperabat, ipsi valde nocuit <sup>1</sup>.

782. Ejus autem loco quinque egregii adolescentes se nostris Coloniae adjunxerunt, fere omnes; leodienses et miro affectu ejus Provinciae homines Societati nostrae addicti erant, sicuti et colonienses; nam utrique ad Societatis institutum magnopere incitabantur. Cujusdam eorum, qui admissi fuerant, parentes aegre ferebant filii deliberationem, sed cum eis modeste admodum filius scripsisset, illi statim acquieverunt <sup>2</sup>.

783. Tenuit autem <sup>3</sup> vacationum tempore (hic mos est baccalaureis theologiae Coloniae) quasdam positiones in schola theologorum de Sanctissimo Sacramento Eucharistiae, et ea cum eruditione et gratia disputantibus satisfecit, ut nullus esset inter auditores, qui tamen frequentissimi erant, qui non simul modestiam et eruditionem commendaret.

784. P. Gerardus Dordracensis <sup>4</sup> propter adversam valetudinem Roma in patriam, id est, Olandiam, quae civitas est <sup>5</sup>, mittebatur, et Coloniam ad Patrem Leonardum, cum socio Romae assignato <sup>6</sup>, pervenit, et ipso die omnium Sanctorum

<sup>1</sup> Petrus Adrianus, Colonia recedens, Romam venit, ubi fuisse videtur ejus avunculus. "Petrus Adrianus sine V.<sup>ae</sup> R.<sup>ae</sup> litteris ad nos venit hisce diebus; sed a Patre Nostrò non est domum admissus, sed ad avunculum missus, donec [quid] V. R. sentiat de eo juvene intelligamus; et quamvis ille se ad poenitentiam etiam gravem paratum exhibeat et crebro pulset, non admittetur donec intelligatur per litteras vestras causa hujus dimissionis. Ergo primo quoque tempore ad nos scribas, pater charissime, quid sentias et quomodo res cum eo juvene transacta fuerit.", Polancus, *ex com.*, Patri Leonardo Kessel, 21 Aprilis 1555.

<sup>2</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 586.

<sup>3</sup> Confrater noster M. Joannes de Cathena. Ita Kessel in *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 587; quod etiam si ipse non expressisset, patet satis, non enim ipse sed Joannes Cathena baccalaureus in theologia paulo ante factus erat. Vide supra, pag. 275, n. 760.

<sup>4</sup> Gerardus Cools (Brassica), de quo saepius in hoc *Chronico*.

<sup>5</sup> Ita in Ms.; rectius tamen diceretur sic: *in patriam, Dordrecht, quae civitas est in Olandia...*

<sup>6</sup> "Hisce diebus misimus valetudinis gratia M. Gerardum Brassicam, Dordracensem, prius ad sacerdotium promotum, patriam versus; misimus et Iodocum Papium Brusellensem, quibus duos comites adjunximus praeter tertium, Stephanum Spirensen, qui ob affectam valetudinem Spirae relinquendus erat. De ipsorum adventu certiores fieri cupimus.", Polancus *ex com.*, Rectoribus Germaniae et Flandriae, 8 Octobris 1555. Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 8 et 430.—Socius Gerardo erat frater quidam nomine Anselmus (POLANCUS infra); eritne hic ille, cujus cognomen suspicatur HANSEN, l. c., pag. 307, fuisse *Custerus*?

sanctam communionem accepit, nec pejus solito, vel quam Romae habebat, in itinere habere videbatur; et cum Coloniae biduo mansisset, postridie omnium Sanctorum versus patriam proficisci voluit cum socio, nec enim minus [male] habebat Coloniae; et tertia feria sequenti nullum peculiare signum, quod pejus haberet, ostendit; sed cum sequenti die mane solus ipse surgeret, et deinde paululum conquiescere vellet, coepit sudore perfundi, socium ac fratrem, nomine Anselmum, vocavit, qui lumen accendens jam agonizantem invenit, et vix decima horae pars transierat, cum animam Domino reddidit in quodam hospitio. Vir fuit rarissimae ac prorsus virgineae puritatis, invictae patientiae et promptissimae obedientiae, in tribus linguis et etiam in philosophia et theologia eruditus; et cum ultra Novegium <sup>1</sup> honorifice sepultus fuisset, futurus videbatur P. Leonardo mediator inter Noviomagenses ac nostros: demum ut fructus maturus a Domino collectus est.

785. Scripserat Rex Romanorum Ferdinandus Archiepiscopo et senatui coloniensi <sup>2</sup>, Societatem nostram ipsis officiose commendans, qui libenter commendationem receperunt; sed amici nostros admonebant quod hujusmodi commendationibus parum moverentur, nec expectandum esse ut Episcopus aut senatus nostros vocaret; frigidiores esse hujusmodi homines in illis locis, quam ut id faciendum censeant. Dicebat D. Gropperus <sup>3</sup> quod si aliquis de Societate nostra, qui publice doceret, Coloniam veniret aut etiam qui publice concionaretur, senatum aut Episcopum prohibiturum non esse, et sic paulatim, magis quam commendationibus, eos homines moveri posse. Et etiam ipso in initio favorem ostensurum esse senatum; sic enim ipsi dicere solebant: "Veniant, veniant, non ejiciemus eos., Audierant quidem multa de Societate, et plura quam credere possent; reliquum erat, ut viderent mores Societatis et ejus procedendi modum.

786. Fidelis amicus Societatis, Prior Carthusiae, praeterquam quod initio autumnii 400 aureos in subsidium misit Ro-

<sup>1</sup> Sic; Kessel in *Litterae Quadrimestres*, III, pag. 755, *Nouesium, Neuss*.

<sup>2</sup> Has Ferdinandi litteras ad Senatum Coloniensem Augustae 11 Maji hujus anni datas avert HANSEN, I. c., pag. 256 et 257.

<sup>3</sup> Joannes Gropperus, de quo jam saepius in hoc *Chronico*.

mano Collegio <sup>1</sup>, reditus etiam aliquos emere volebat ad sustentationem studiosorum, qui Coloniae versarentur <sup>2</sup>. Doctor etiam Gropperus erga Societatem valde affectus, magnam pecuniae summam se velle dare affirmabat, simul atque Collegium Coloniae institueretur; sic et alii amici alia pollicebantur. Sed, praeter subsidium pecuniarum, Carthusiani bono nomini Societatis studebant; et ut celebrior esset in illis locis, cum excudendam curarent mysticam theologiam D.<sup>ni</sup> Henrici Herk <sup>3</sup>, dedicare eam P. Ignatio volebant, ac Patribus Societatis Jesu; et prorsus Coloniae magis quam antea unquam nostri expetebantur; et aliqui amici reditus praeparare futuro Collegio incipiebant. Ille tamen, qui dare domum Societati volebat, et in Angliam ad breve tempus se proficisci dicebat, inde non rediit, nec toto hoc anno a nostris visus est <sup>4</sup>.

---

787. Quod ad Noviomagense Collegium attinet, ubi primum intellexit P. Ignatius solum illum ac domos esse assignatas, admonuit Patrem Leonardum duo praemittenda esse ut ibi Collegium admitteretur: alterum erat, ut praeter domum et ecclesiam, etiam suppellectilia darentur; alterum autem, ut reditus ad quatuordecim vel quindecim ex nostris sustentandos applicarentur; et si virgo illa, quae domum reliquit, supervixisset, reditus haud dubie relictura credebatur. Et ipsemet etiam P. Leonardus hujus erat sententiae quod ex mendicato nostri in illis locis vivere non deberent, sed ab amicis Societatis, qui numero multi erant, clam nostros sustentari commode posse; sed ab Imperatore prius habendam facultatem, ut superius dictum est <sup>5</sup>, censebat; qua obtenta, plurimi de suis facultatibus necessaria in usum Collegii elargirentur, et inter alios, Decanus jam dictus <sup>6</sup> suam illam dignitatem alicui nostrorum scholasticorum resignare cupiebat, ut sic modo convenientiori No-

---

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 45, n. 89, et *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 753.

<sup>2</sup> "R.<sup>dm</sup> P. Prior Carthusiae iam comparat 100 aureorum annuos redditus pro illis qui de Societate huc venturi sunt.", *Litterae Quadrimestres*, ut supra.

<sup>3</sup> Sic; est autem *Herp.* Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 754, annot. 1.

<sup>4</sup> Vide supra, t. IV, pag. 279, n. 604.

<sup>5</sup> Pag. 282, n. 772.

<sup>6</sup> Pag. 281, n. 770.

viomagi Societas admitteretur; sed nec Noviomagi nec Tyllae, ubi etiam nostris domum offerebant, res adeo maturuerat ut nostri collegia ibidem accipienda censerent.

Et haec de Coloniensi Collegio.

## DE COLLEGIO LOVANIENSI

788. Lovanii quatuor sacerdotes nostri erant: unus eorum P. Adrianus Adriani, qui caeteris praeerat, secundus P. Arnoldus Hezeus, tertius P. Adrianus Candidus, quartus P. Petrus Spiga, sardus. Erat etiam unus aut alter, qui sacerdotibus inserviebat. Confessionibus audiendis duo priores vacabant; alii duo studiis theologiae absolvendis, quamvis P. Adrianus Candidus aliquando confessarii officio fungebatur; immo in flandrica et italica etiam lingua aliquando concionabatur. Audiebant autem confessiones in duabus ecclesiis diversis duo priores, cum propriam haberent nullam. Sed apud S. Petrum et Sanctum Michaëlem semper utiliter occupabantur cum utriusque sexus hominibus, tam religiosis quam saecularibus, qui aliquando ex variis locis, et quidem distantibus aliquando plusquam viginti leucis, confitendi et consultandi gratia plerique confluebant variis scrupulis ac dubiis onerati; et tamen Deo per nostros operante, nullus erat, qui cum animi consolatione non rediret et etiam cum mutatione in alium hominem.

789. Et inter multa, quae sigillatim dici possent, ut paucula attingam, quaedam fuit insigni pulchritudine et ornatu corporis, parum honestam vitam agens jam ab ineunte aetate, quae ad poenitentiam reducta, omnem ornatum contempsit, et in magna simplicitate ac poenitentiae<sup>1</sup> operibus perseveravit. Quaedam etiam virgo, quam multi ambiebant amatores, ut soli Deo placeret, studium adhibuit ut deformitatem aliquam suo corpori inferret; et omnem ornatum externum relinquens, simplicem et contemptibilem induens, cum adhuc oppugnaretur variis tentationibus, quod scilicet ornatum deposuisset, omnia

<sup>1</sup> *Poenitentium* habet Ms.



illa curiosa arripiens et lacerans tentationem superavit. Fuit et tertia, quae juventutis gaudium habebatur, nec laetum ullum convivium sine ejus praesentia quodammodo habebatur. Sed illa igne divini amoris accensa, ab aedibus paternis et procorum hominum familiaritate avulsa, ad locum quemdam religiosarum foeminarum se contulit, ubi omnibus alio modo, id est, virtutis et modestiae spectaculum facta est.

790. Plurimi demum hujus sacramenti auxilio a peccatis etiam inveteratis ad sanam mentem ac novam vitam revocati sunt. Et prius jubilaum, hujus anni, (quod acceptum et promulgatum fuit mense Februario) multos commovit ad generales totius vitae confessiones faciendas, et vitam in melius mutandam. Nec dies labebatur quin aliqui accederent ad confessionem ex his, qui multo tempore confessi non fuerant et veterem exuere ac novum hominem induere vellent. Sed et frequenter confitentium et communicantium multitudo augebatur; et quia tantum de necessariis et expedite interrogabat P. Adrianus, brevi tempore multarum personarum confessiones audiebat; si quid autem difficile cuiquam occurreret, extra illud tempus rejiciebat, in quo consultus respondere et quietos reddere interrogantes nitebatur. Et magis ei erat laborandum ut quosdam abstraheret a nimis frequenti communione, quam ut ad eam hortaretur.

791. Exterior etiam cultus venerabilis Sacramenti augebatur, dum alia atque alia ad ornatum et venerationem pertinentia adduntur, et quia exponebatur in aede S.<sup>ti</sup> Petri singulis dominicis ac festis diebus ac quintis feriis calix Sacramento plenus, ampla et pretiosa veste tegebatur. Et confecti sunt duo argentei angeli, argentea candelabra in manibus habentes, ut ab utroque latere venerabilis Sacramenti lumina tenerent.

792. Post Pascha, et etiam ante illud, ad varia loca extra Lovanium egrediebantur, et partim concionando, partim familiariter consiliis adjuvando, haec et illa loca perlustrabant, a quibus litteris aut nuntiis evocabantur; et ubique bonum odorem Societatis relinquebant; et magna dilectione ac veneratione populus eos diligebat <sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Omnia fere, quae his numeris 788-792 continentur, desumpta sunt ex litteris Patria

793. Rarum autem donum concionandi, praesertim germanice <sup>1</sup>, P. Adrianus Candidus ostendebat; et doctrinam ipsius non minus [quam] fervorem et gratiam homines probabant. Utebatur enim doctorum solidorum testimoniis ad singulas sententias praecipuas confirmandas, quae res eo tempore Lovanii valde grata erat. Antuerpiam autem is se contulit, ubi pacem inter quosdam intestino odio dissidentes conciliavit. Valetudo tamen ejus non omnino prospera erat.

794. Quaedam magistra ducentarum puellarum adiit P. Adrianum, Rectorem, et contulit cum eo ea quae docebat, quae cum essent curiosa quaedam et inutilia opera, communicavit ei Rector quaedam, quae S.<sup>tus</sup> Bonaventura in opusculo de *Christi vita* <sup>2</sup> attingit ad id pertinentia. Illa statim marito suo haec refert; postridie vero cum ejus consensu, scholam suarum puellarum intrans, accepit omnia illa curiosa opera, et in frustra comminuit, et genibus flexis rogavit discipulas ne unquam similia opera conficerent, illis ostendens quae ex Bonaventurae doctrina acceperat.

795. Secundum jubilaum a Paulo IV concessum cum accepisset Rector Adrianus, statim imprimendum dedit <sup>3</sup>. Cum eodem nuntio litteras a P. Ignatio accepit de profectione Patris Bernardi Oliverii in Angliam ad Regem Philippum, quibus socium adjungere debebat P. Adrianum Candidum <sup>4</sup>, qui mense Augusto variis in locis Lovanii cum fructu non exiguo concionabatur. Sed cum a D. Alexio Fontana <sup>5</sup> intellexissent Regem in Belgium venire intra paucos dies, a patre Imperatore evocatum, a proposito itinere destiterunt.

796. Ante hoc tempus in festis Pentecostes rogatus fuit P. Adrianus ut inviseret quamdam abbatiam monialium, dictam

Arnoldi Hezel, quas habes in *Litterae Quadriestres*, t. III, pag. 509-511, et Adriani Adriaënsens, *ibidem*, pag. 632-635.

<sup>1</sup> Ait hic Polancus *praesertim germanice*, quia non germanice solum sed etiam saltem italice concionabatur P. Candidus, ut dictum est supra, pag. 289, n. 788.—“Accipimus litteras 21.<sup>a</sup> Februarii, 12.<sup>a</sup> et 27.<sup>a</sup> Martii scriptas et congratulamur Patri Adriano Candido de concionum italicarum et germanicarum successu. Augeat Dominus gratiam.....”, Polancus, *ex com.*, Patri Adriano Adriaënsens. 16.<sup>a</sup> Aprilis 1555.

<sup>2</sup> Sermo esse videtur de opusculo, quod inscribitur: *De meditatione vitae Domini Nostri Jesu Christi ad sanctimonialem quamdam libellus*.

<sup>3</sup> Hoc est: Imprimi curavit apostolicas de jubileo litteras.

<sup>4</sup> Vide supra, pag. 26, n. 44.

<sup>5</sup> Vide supra, t. III, pag. 223, annot. 2, et pag. 282, annot. item 2, et in hoc t. v pag. 27, n. 45.

Ubonterbrach <sup>1</sup>, ubi rarissimae conciones audiebantur. Cum autem bis concionatus esset apud eas, rediens, venit ad aliud quoddam monasterium dictum Chamer <sup>2</sup>, ad quod Regina Maria <sup>3</sup> et nobiles foeminae Bruxellis agentes frequenter divertebant, ubi invenit fere quadraginta externos <sup>4</sup>, partim aulicos, partim ex aliis. Rogatu autem Abbatissae coram monialibus et externis concionatus est, et quidem cum aedificatione fructus utrorumque. Lovanium rediens inde in Olandiam perrexit, et quatuordecim diebus, quos in hac peregrinatione exegit, decies concionatus est in diversis civitatibus ac locis, semper quidem in monasteriis, sed externi etiam aderant, et ubique cum aedificatione eo officio functus fuit.

797. Erat in oppido quodam nomine Chutenberch <sup>5</sup> decanus quidam doctus et senex, qui spiritualia exercitia aliquando ab ipso P. Adriano acceperat, et magno affectu Societatem amplectebatur. Injuncta illi fuerat quodammodo invito animarum cura ejus loci, ipse autem in vestitu, in pecunia non admittenda pro spiritualibus officiis, et aliis in rebus, ad Societatis nostrae consuetudinem accedebat. Hic valde obnixe postulaverat ut aliquandiu apud ipsum maneret quidam sacerdos nomine Jordanus <sup>6</sup>, qui Societati animum applicaverat, et probationis loco ad eum missus fuerat. Et cum mense Martio Lovanium rediisset, ut illi bono ac pio decano gratificaretur, remisit ad eumdem P. Jordanum, donec consultus P. Ignatius, censuit eum Romam esse mittendum, cum nulla probationis domus nec formatum collegium in illis regionibus tunc esset.

798. Augusto ergo mense magister Jordanus Romam missus est, cum quatuor aliis, qui Societati nomina dederant, quorum unus a Tornacensibus nostris missus erat. Hujus loco ergo

<sup>1</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 633.

<sup>2</sup> *Ibid.*

<sup>3</sup> Caroli V soror, quae Gubernatrix Belgii fuit.

<sup>4</sup> Intellige *saeculares*, seu qui *religiosi* non erant.

<sup>5</sup> Sic; verum P. Adrianus, e cujus litteris autographis haec deprompta sunt, perspicue scribit *Culenberch* (*Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 633). Ibi autem, tum quia oppidi, quod nunc dicitur *Culenborg*, nomen in veteribus chartis scriptum est *Culenborch* et *Culenberch*, tum quia Comitissa de Hooghstraeten, quae hujus oppidi domina dicitur, oppidi *Culenborg* domina fuit, de hoc postremo sermonem fieri autumavimus. At nonnihil est in hoc difficultatis, sive quod Polanci librarius nunquam scribit *Culenberch*, sed *Chutenberch*, *Chutenberg*, sive quod hic locus *maritimus* esse ab Adriano dicitur et a Polanco, cum tamen *Culenborg* *maritimus* vere non sit. (Vide infra, n. 803).

<sup>6</sup> Vide supra, pag. 135, n. 383, et infra, n. 803.

aliquis ex nostris illi decano ad tempus submittendus erat, qui locum magistri Jordani suppleret. Missus est ergo P. Arnoldus Hezeus, ne messis, quae magna ibi parata erat, negligeretur. Et quamvis officio pastoris ibidem fungeretur, pet[eute] ipsa domina illius oppidi <sup>1</sup>, concionibus tantum et confessionibus audientibus vacavit; et tantus populi et nobilium concursus ad conciones ejus factus est, licet bis eodem die in diversis ecclesiis praedicaret, ut vix simile quidquam eo in loco unquam visum fuerit. Erat ibidem Comitissa de Ostrat <sup>2</sup>, et in curia illius bis terve cum concionaretur, tanta confluit multitudo, ut locus, quamvis amplus, venientes non caperet et aliquando prima luce ad locum capiendum aliqui accedebant.

799. Multi nobiles undique ad nobilem illam Comitissam Ostratensem, oppidi Chutemberch dominam, confluebant et summopere omnes optabant diu Patrem Arnoldum apud se retinere; et tam Comitissa, quam alii, scribere volebant Patri Ignatio ea de re. Ipsa autem Comitissa eidem P. Arnoldo confitebatur singulis dominicis diebus et communicabat; et ejus exemplo alii plurimi tantumdem faciebant. Vidua erat haec Comitissa et pretiosissima quaeque, quibus mundo aliquando servierat, divinis jam usibus donabat. Proficiebat autem in spiritu, tam ipsa, quam plures alii ex nobilibus. Magno autem affectu ad venerationem SS.<sup>mi</sup> Sacramenti et ipsa ferebatur, et populum suum incitabat; quamvis in aliis etiam charitatis operibus pie admodum se exerceret.

800. Ipso autem die Nativitatis Mariae Virginis coeperunt exponere SS.<sup>mm</sup> Sacramentum in altari, more Lovaniensi <sup>3</sup>, ut communicantibus praesto esset; sed multo majori cum ornatu ac splendore id fiebat quam Lovanii; omnia auro, argento et olosericis pannis plena erant, et duae aut tres nobiles foeminae, quae ornandi peritiam habebant, ad hunc ornatum vacabant. Ipsi altari cortinas novas et ornamenta varia parabant; lumen etiam magna erat copia; et ita crescebat admiratio populi ac devotio erga S.<sup>tum</sup> Sacramentum; nam et infirmis etiam cum majori ornatu portabatur. In festo B. Mariae omnia ornamenta alba parabantur, pannus etiam argenteus, et tentorium

<sup>1</sup> Comitissa de Hooghstraeten, de qua paulo infra.

<sup>2</sup> Sic; Hooghstraeten. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 633, annot. 5.

<sup>3</sup> Vide supra, t. II, pag. 595, n. 417.

et cortinae ex serico albo (*damascum* vocant); aliis diebus rubra, et solemnioribus festivitatibus pretiosiora.

801. Crescebat autem numerus confitentium, et referebatur tamquam laetissimum nuntium dominae oppidi talem devotionem nunquam fuisse visam; et templum erat plenum ad spectaculum SS.<sup>mi</sup> Sacramenti et communicantium. Venerunt mulieres ejus civitatis ad praedictam dominam conquerentes maritos, istis diebus sacris, ante prandium ebrios esse, et ita ad templum non venire. Sed curatum est ut non ante prandium potarent; et ita concioni intererant. In visitatione infirmorum aderat etiam Dei gratia P. Arnoldo: quidam erat inter primarios canonicos, qui, cum graviter aegrotaret, a nullo alio volebat SS.<sup>mum</sup> Sacramentum accipere, quam ab ipso; a quo illud et postea extremam unctionem accepit, comitante decano et praeposito cum toto collegio canonicorum et praecipuis civitatis.

802. Suggestit autem quidam nobilis Bruxellensis <sup>1</sup>, consiliarius ejus dominae, ut chorus quidam aedificaretur, ubi decentius SS.<sup>mum</sup> Sacramentum teneretur. Dedit statim domina ducentos florenos ad id opus, alia centum, alii alias summas minores, ut aedificium hoc fieret, quamvis propter loci humiditatem, ad primum ver sequens aedificationem fieri oportuerit.

803. Quidam nobilis, loci cujusdam prope Bruxellas dominus, qui ad conciones crebro veniebat, propriis expensis promisit se curaturum indulgentias confraternitatis SS.<sup>mi</sup> Sacramenti, ut majori venerationi esset in illo suo loco. Cum autem locus ille Chutembergh maritimus esset <sup>2</sup>, et ex Brabantia, Flandria, Geldria et aliis locis eo confluerent, eo quod late dominae illius consanguinitas pateret, saepe multa mala de jesuitis eis referebantur, ut de hypocrisi, avaritia, et quod propria commoda quaerent, et hujusmodi; sed qui audiebant talia contemnebant, dicentes se contraria videre et audire; immo et magis nostris afficiebantur, quod detractiones hujusmodi non nisi ex invidia et falsis opinionibus progredi cernerent. Sic dixit Comitissa P. Arnoldo: "Miror quid de vobis mendicantes suspicentur, quod damna propter vos passuri sint, cum omnis ipsorum sustentatio ex his dependeat, ad quae vos populum

<sup>1</sup> Verba nobilis *Bruxellensis* linea super ducta cancellata videntur in Ms.

<sup>2</sup> Vere mari non adjacet *Culenborg*, sed fluvio *Lek*.

hortamini, largas, scilicet, eleemosynas, quas vos non accipitis, et frequentes confessiones, quae etiam in ipsorum cedunt utilitatem, cum vos audire non possitis.,

804. Sic ergo se gerebat P. Arnoldus Hezeus, qui ad duos vel tres menses missus fuerat, interim, dum quidam alius sacerdos a quibusdam negotiis se expediebat, cui P. Jordanus successurus erat <sup>1</sup>. Quamvis autem ei successit ut capellanus <sup>2</sup>, nihilominus ut concionatorem diutius retinere P. Arnoldum cupiebant; et ob fructum spiritualem id illis Chutembergensibus concessum est.

805. Cum autem mater Rectoris Adriani eum rogasset ut in Olandiam ad monasterium quoddam monialium invisendum iret, ubi aliquot habebat consanguineas, et dissensionibus valde laborabat, Schiedam <sup>3</sup>, ubi monasterium erat, pervenit; mansit ibidem diem cum dimidio, et bis concionatus est, et utraque factio religiosarum satis commota fuit et deliberarunt in posterum facere quidquid visitatores faciendum ipsis judicarent; nam pluribus annis, propter dissidia, in duas partes erant divisae. In alio monasterio ejusdem oppidi concionatus etiam est.

806. Gandae <sup>4</sup> itidem uno die in duobus monasteriis conciones habuit, prius Trajectum inferius <sup>5</sup> venerat, una cum decano Chutembergensi. Est autem ea civitas Episcopalis sedes, et ibidem in duobus praecipuis monasteriis, multum favoris Domino concedente, est concionatus. Rogatus deinde ab hospite suo, qui canonicus erat primarius, ut postridie in monasterio proximo concionaretur, recepit se facturum; nolebat tamen pulsari campanam ad ipsius conciones, quia non tan concionari, quam de spiritualibus rebus tradere aliqua documenta videri volebat. Plurimi nihilominus externi auditores [adfuerunt], et ibi concio-

<sup>1</sup> Sic; sed librarii mendum irrepsisse hic videtur et pro *successurus erat* scribendum *successerat*. Haud enim spes esse poterat successurum P. Jordanum, qui Societati se dederat et mense Augusto Romam probationis causa petierat. Vide supra, pag. 292 et 293, n. 798.

<sup>2</sup> Scilicet: *quamvis autem Patri Arnoldo successit ille alius sacerdos ut capellanus...*

<sup>3</sup> Primo scriptum erat *genidam*, sed hoc linea super ducta deleta, superscriptum est, quamvis subobscurum, *schiedam*. Est autem Schiedam Olandiae oppidum non longe distans ab urbe Rotterdam.

<sup>4</sup> Ganda, postea Gandavium et Gandavum, vulgo *Ghent*, Gallis *Gand*, Hispanis et Italis *Gante*, urbs est Flandriae caput. FERRARI, *Lexicon geographicum*.

<sup>5</sup> Trajectum inferius, seu Trajectum ad Rhenum, et Ultrajectum, *Utrecht*, urbs est ampla Belgii, et domini Ultrajectensis caput. Id., *ibid.*

natus est pro suo more fere ex tempore et omnibus magnae aedificationi fuit. Sic enim se a Domino juvari et sollicitudine concionandi non distrahi experiebatur <sup>1</sup>. Inde rediens, P. Arnoldum Chutembergh, ut superius dictum est, misit <sup>2</sup>.

807. Evocatus Leodium a Domino Theodorico Hesio <sup>3</sup>, antiquo Societatis hospite et amico, eum adivit, jam ad extremam vitae partem declinantem, qui de variis vitae casibus. P. Adrianum consulens et ab eo, tanquam ex ore Dei, bonus senex suscipiens quae dicebat, in conscientia sua conquievit et scripta aliqua ex illis <sup>4</sup> sibi relinqui postulavit, ut ea, dum viveret, prae oculis haberet; et ita cum magna gratiarum actione P. Adrianum dimittens et Societatis orationibus se commendans, paucis post diebus ex hac vita discedit <sup>5</sup>. Interim bis. Leodii in quodam monasterio et non parvo cum fructu, ut moniales significabant, concionatus est; quod et in aliis etiam monasteriis alibi fecit.

808. Experientia edoctus quod juniores scholastici Lovanii non proficerent, cum nulla in Collegiolo nostro disciplina esse posset, cum fere omnes essent operarii, quemdam juvenem, Aegidium nomine <sup>6</sup>, Romam misit. Ex his autem quos mittebat

<sup>1</sup> Timidior natura erat P. Adriaëssens (*Litterae Quadrimestres*, I, pag. 198) et magnam initio in concionando expertus est difficultatem. (*Ibid*, pag. 206.)

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 292 et 293, n. 798.

<sup>3</sup> "Theodoricus Hezius (Hesius, van Hees)", de quo nonnunquam jam in hoc *Chronico* et in *Litterae Quadrimestres* sermo factus est, "Hadriano VI a secretis et a sacris confessionibus fuerat; postea fidei inquisitor et capituli leodiensis prodecanus factus est. A. B. P. Petro Fabro anno 1543 exercitiis S. Ignati informatus totum se illi credidit (*Orlandinus*, I. c., lib. 4, n. 50. *Riess*, Der selige Petrus Canisius, p. 65-66, *H. J. Allard*, S. J., Dirk Adriensz van Heeze, in libello periodico "Studien. N. R. XXII [Utrecht 1884], 203-266., *BRAUNSBERGER*, I. c., pag. 121, annot. 8.—Et *HANSEN*, I. c., pag. 29: "Der frühere secretär P. Adrians VI., damals Inquisitor in den Niederlanden (vgl. *Polancos Chronik*, I, 116). Vgl. für ihn neuerdings das Historische Jahrbuch der Görresgesellschaft XVI, S. 72 ff.

<sup>4</sup> quae a P. Adriaëssens audierat.

<sup>5</sup> Menssem et diem, quo Theodoricus Hesius mortuus est, nusquam adhuc reperire valimus. Accidere autem ejus mors debuit aut postremis Aprilis diebus aut primis Maji hujus anni 1555. Litteris enim Patris Arnoldi Hesii 28.<sup>a</sup> Aprilis datis et aliis Patris Adriani 13.<sup>a</sup> Maji Polancus, *ex com.*, simul rescribens 18.<sup>a</sup> Junii hujus anni ait: "Venerabilem Dominum Theodoricum Hesium, antiquum Societatis nostrae amicum, temporalem vitam cum aeterna commutasse prorsus confidimus; et quamvis privati aliquo modo videamur optimi viri exemplo et ejus conversationis fructu, aequum non est ut nostri commodi gratia de summo ipsius bono ac felicitate, quam per mortem est assequutus, doleamus, praesertim cum in patriam, ad quam omnes pervenire satagimus, praecesserit brevi, ut speramus, consequuturos. Interim sacrificia et orationibus nostris, ne officio charitatis desimus, eum Domino commendabimus..

<sup>6</sup> Eritne hic ille Aegidius Faber, de quo ita Joannes Rhetius Leonardo Kessel scribens ex urbe Koblenz, (Confluentia) 10.<sup>a</sup> Novembris 1560? "Confluentiae apud decanum

cum probati non essent, aliqui parum constantes se praebebant, inter quos fuit ille magister Jordanus, qui aliam probationem non habuerat, quam officium capellani exercendo Chutembergi<sup>1</sup>. Sed et alius quidam sacerdos, nomine Andreas, cum Romam venisset, in suo proposito intepuerat; quae facile ostendebant tam longum iter non esse suscipiendum facile, et propius aliquam probationis domum, vel collegium, fuisse necessarium.<sup>2</sup>

809. Quod attinet ad frequens sacramentum communionis, sententiam Patris Ignatii scire cupiebat P. Adrianus, nam ipse existimabat adhortandum esse populum ad desiderium frequenter communicandi; sed paulatim omnes ad hanc sacramentalem communionem frequentem admittendos, primum in magnis festivitatis, deinde singulis mensibus, postea quindecimo quoque die, ac demum singulis dominicis, prout unusquisque, non tantum bene ageret, sed in habitu bene agendi radices haberet et minores distractiones peccandi haberet; sed alii ad hoc ipsum juvari frequentia sacramentorum, ut optima medicina praeservativa, sentiebant.

810. P. Petrus Spiga, sardus, hac aestate pene duobus mensibus in quibusdam fontibus prope Leodium<sup>3</sup> valetudinis causa fuit. Eo se contulerat Ducissa quaedam ex aula Bruxelensi et D. Alexius Fontana, cum quodam alio Secretario Imperatoris<sup>4</sup> et aliis nobilibus, in quorum gratiam quotidie celebrabat; et cum nihil acciperet eorum, quae ipsi offerebantur, et in familiaribus etiam colloquiis, omnibus aedificationi fuit. Ei demum Ducissa confessa est cum aliis, ut ne tempus curationis ab aedificatione vacuum esset.

---

invenimus M. Aegidium Fabrum, Brugensem, qui Messana in Societatis Collegio ultra quinque annos graecas et latinas litteras professus est et utilissimus ecclesiae eorundem Treveris professor erit., HANSEN, l. c., pag. 374.—Verum si hoc anno, probationis causa, Romam Lovanio missus est, quamvis eodem anno aut sequentis initio Roma Messanam mitteretur, vix anno 1560, licet sub finem, dici vere poterat cum Messanae ultra quinque annos fuisse.

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 292, n. 797.

<sup>2</sup> De his quae Romae cum hoc Andrea Antuerpiensi gesta sunt, scribit, *ex com.*, Polancus Patri Adriano 19. Martii 1555.

<sup>3</sup> Scilicet, in oppido Spa, quo etiam se contulit aliquot post annis P. Hieronymus Natalis. HANSEN, l. c., pag. 429.

<sup>4</sup> Hunc Imperatoris secretarium *summum* appellat Adrianus Adriatensis Ignatio de his scribens (*Litterae Quadrimestres*, t. II, pag. 631), et sermo esse videtur de Francisco Vargas, e cujus domo et familia erat Alexius Fontana. Vide supra, t. III, pag. 223, annot. 2.



811. Duo nobilium ac primariorum filii, in aula Bruxellensi, Societatem ingredi cupiebant, quos in opportunum tempus admittendos distulit. Quidam alius sacerdos eruditus, cum alio juvene leodiensi, hoc ipsum expetebant; sed non facile, ob rei familiaris angustias, quemquam admittebant.

812. Duos vel tres alios ad religionem franciscanorum direxerunt, quae res monasterium illud lovaniense valde nostris conciliabat; et cum habitum sui ordinis uni ex his Guardianus daturus esset, invitatus fuit ad prandium P. Adrianus, quo finito, ante gratiarum actionem, publice ille commendavit nostros omnium fratrum suorum orationibus, addens quod ipsorum consilio novitius ille Societatem esset ingressus. Alii etiam religiosi Lovanii nostros diligebant, quamvis alibi tragoedias contra Societatem mendicantium ordinum religiosi concitarent<sup>1</sup>; et omnino paucos contradictores, qui alicujus essent auctoritatis, habebant; fautores tamen plures; et si principum favor accessisset, multi suum studium ad Societatem promovendam ostensuri videbantur, qui donec admissa esset Societas principum auctoritate in illis ditionibus Belgii, animi sui voluntatem non aperiebant. Lovanii tamen sine ulla contradictione Societatis nostrae opera excipiebantur, et plurimi confitendi et consultandi gratia, etiam doctores, licenciati et magistri, nostros conveniebant.

813. In quodam tamen oppido, nomine Diest<sup>2</sup>, tragoediae maximae exortae fuerunt in quodam monasterio monialium, et per totam eam provinciam evulgata multa fuerunt, et viri primarii lovanienses eo profecti sunt. Vulgus autem, immo et aliqui eorum, qui sapere sibi videbantur, nostrae Societati illud adscribebant, cum tamen de Societate nostra nullus prorsus ibi fuisset; sed quia omnes sacerdotes saeculares, qui aliquid pietatis prae se ferrent, *Jesuitas* vocabant<sup>3</sup>, quae ibi accidebant mala, nostris, quos et Jesuitas ipsi vocabant, adscribebant; quamvis ea monasteria, in quibus nostri aliquando concionati

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 286, n. 614, et pag. 314, n. 672.

<sup>2</sup> Diesta, *Diest*, oppidum Belgii in Brabantia, ad fluvium Demeram, in confinio ditionis Leodiensis, 4 leucis a Lovanio in ortum distans. FERRARI, l. c.—Aliis latine est Diesthemium et Diesthemium. Cuidam ibi beginagio praefuit multis annis Nicolaus van Esche (Eschius). Vide BRAUNBERGER, l. c., pag. 17, annot. 7, et pag. 139, annot. 1.

<sup>3</sup> Vide supra, t. iii, pag. 280, n. 627.

erant, et quinam vere essent de Societate Jesu intelligebant, strenue nostros defendebant.

814. Quaedam soror P. Adriani, nomine Agnes <sup>1</sup>, cum multis piis operibus daret operam, ac pietati studeret, forte minus discrete quam ferventer, in phrenesim incidit post morbum. Cum autem eam inviseret Adrianus, et coram ipsa celebraret, ad se rediens confessa est, et communicavit cum magna aedificatione. Postea vero extrema unctione accepta, migravit ad Dominum, cum post communionem denuo expers mentis facta fuisset <sup>2</sup>. Et ita testamento non potuit ostendere bonam voluntatem, quam habebat bene merendi de Collegio Lovaniensi; quamvis in testamento, quod aliquot ante annis condiderat, plurimas eleemosynas, et quidem aliquas earum Societati, legaverat, vel a P. Adriano dispensandas, ex quibus ille aliquam etiam pecuniae summam Romam misit. Et quia ipse et soror ejus in usum Societatis multa Lovaniensi Collegio contulerant, non solum redditus sed libros, calices, casulas et hujusmodi ad cultum pertinentia, postulavit a P. Ignatio ut constitueret ne quicquam eorum a Collegio Lovaniensi alienari vel alio transferri posset; quod P. Ignatius per patentes litteras ad id transmissas ordinavit <sup>3</sup>.

815. Habebant autem nostri Lovanii singulis annis 150 florenos in annuis redditibus: dona autem et munera, licet aliquando cum aedificatione admittere possent (quod raro contingebat), exigua illa erant: medium enim ducatum ibi donare pro

<sup>1</sup> Hanc Polancus ipse litteris infra memorandis non *sororem* Patris Adriani sed *fratram*, scilicet *fratris uxorem* appellat.

<sup>2</sup> Anxius erat propter hanc Agnetis phrenesim P. Adrianus, cui haec, *ex com.*, Polancus: "De Domina Agneta, V.<sup>ae</sup> R.<sup>ae</sup> fratria, pia memoriae, hoc sentimus quod sentire potuimus de eadem si semper compos mentis fuerit, quod ad animae salutem attinet. Permittit interim Deus in bonis servis suis aliqua ejusmodi accidere ut, si quid tale in minus piis animadverterimus (quod ex infirmitate cuivis posset accidere) ne continuo de ejus salute male sentiamus. Vidi ego servum Dei, qui aliquando miles fuerat, post confessionem et communionem devote susceptam in phrenesim incidisse et cum horrendis blasphemis interire. Cum tamen spirituales viri adessent, nullo modo praesentem ejus statum sed praeteritum, cum miles erat, judicabant, et de ejus salute non minus ego bene sperabam quam si nullum verbum blasphemiae sed potius laudum protulisset. Nostra [non] sunt, ut scis, pater, quae non ex voluntate procedunt nec ex ratione. Et bono animo esse oportet V.<sup>ae</sup> R.<sup>ae</sup> quod ad illam et similes attinet. Nos vero functi sumus charitatis officio ipsam Domino commendando.", 12.<sup>a</sup> Februarii 1555.

<sup>3</sup> Patentes has litteras non vidimus. Earum tamen meminit Polancus, *ex com.*, Patri Adrianiensis scribens per haec verba: "Patentes litteras Patris Nostri jam mittemus ut constet vendi non debere quae a V. R. et ejus sorore Collegio donata sunt.", 18 Junii 1555.

magno scribit reputari, immo, si vini vas donarent, non parum id esse putabant. Et hoc in genere ita se habere scribit, ut ingenia hominum ejus nationis cognoscantur. Aliqui tamen erant, qui se et sua libentissime nostris dare voluissent; sed hi pauperiores erant, et quibus aliquid dare potius, quam ab eis accipere P. Adrianus mallet. Idem ipse monet quod, eo anno quo Societatem ingressus est Lovanii, intellexit ab eisdem, qui PP. Fabrūm et Stradam<sup>1</sup> in temporalibus sustentabant, quod maluissent eorum opera carere (quamvis alioqui et grata et perutilis esset), quam denuo sumptus illos facere, quos in eis alienis jam fecerant<sup>2</sup>; quae dicta sint ut mores gentis illius, quoad liberalitatem attinet, cognoscantur; et ita P. Adrianus instituendam suam familiam putabat, ut nulli essent oneri, nec dona, aut mutuū, suscipere cogerentur.

816. Quidam D. Philippus, Antuerpiensis, ex parte haeres erat domus, quam nostri inhabitabant<sup>3</sup>; is autem in patriam ire volebat ut cum reliquis haeredibus ageret de domo eadem Societati libere relinquenda, ut familiae ipsius memoriam perpetuam Societas haberet.

817. Alii autem, spe futuri collegii, paraverant et jam donaverant nostris pretiosa quaedam ornamenta ad calices tegendos et corporalia includenda; sed et calices duos ad usum sacelli futuri. Vir autem ille, qui olim statuerat domum nostris emere, constans in bono suo proposito permanebat; sed de ipsa

<sup>1</sup> P. Petrus Faber et P. Franciscus Strada, qui Lovanii fuerant anno 1543. Vide supra, t. I, pag. 115, n. 55; ORLANDINI, lib. IV, n. 37, et 45, et *Cartas y otros escritos del B. P. Pedro Fabro*, t. I, pag. 195 et seq., etc.

<sup>2</sup> "Jusqu'à l'époque où Wishaven entra dans l'Ordre, Domenech et Strada avec leurs compagnons avaient occupé une petite maison, située rue des Récollets, près de l'ancienne porte de la ville. *Hist. msc. Coll. Lov., S. J.* De 1543 à 1549, ils habitèrent la maison de Wishaven., DELPLACE, *L'établissement de la Compagnie de Jésus dans les Pays-Bas*, pag. 8, annot. 3.—Ex his autem quae hic, ex litteris Adriani Adriaenssensens exscribens, ait Polancus, certo eruitur nostros Lovanii, non solum ante quam Cornelius Wishaven Societati se dedit sed etiam posteaquam ab eo in ejus domum excepti sunt, eleemosynis passim corrogatis sustentatos esse. Cornelius quidem multum de suo conferebat; non tamen de eo, qui hoc anno 1555 Romae versabatur, haec, quae narrat Polancus, intelligenda sunt.

<sup>3</sup> "En 1549, un pieux Louvaniste, François Knobbaert, leur accorda gratuitement l'usage d'une maison sise rue Neuve, près de la *Place du Peuple* actuelle, en face de l'ancienne couvent des Clarisses; l'année suivante, Henri Backx, curé de St. Michel, leur acheta une maison voisine. C'est là qu'ils demeurèrent jusqu'en 1557, époque où ils transférèrent leur domicile dans la rue *Bakeleyne*, appelée aujourd'hui rue des *Orphelins*., DELPLACE, l. c.—De hac igitur domo sermo est in hoc n.; verum cum Polanci verbis cohaerere non videtur illud *leur acheta*, quo utitur DELPLACE.

Societate in Belgio admittenda parum tractari potuit cum eo Secretario, cui Regina Maria se commisisse nostra negotia dixerat ex commendatione Cardinalis Poli; nam ille paulo post mortem obiit.

Et haec de Lovaniensi Collegio <sup>1</sup>.

## DE P. OLIVERIO

### ET ALIIS, QUI TORNACI AGEBANT

818. Tres operarii Societatis nostrae, P. scilicet Quintinus <sup>2</sup> cum P. Bernardo Oliverio, ac P. Antonio Bucleto Tornaci et in locis vicinis vineam Domini utiliter excolebant. P. ipse Quintinus, qui aliis praeerat <sup>3</sup>, singulis diebus dominicis ac festivis, pergebat concionari et doctrinam christianam exponere; et ut crescebat auditorum numerus in dies, ita et profectus. Peracta concione, plurimi eum excipiebant, ut peccata sua eidem confiterentur, ex quibus alii ab haeresi, alii ab aliis vitiis resipiscabant. Inter caeteros, quidam fuit famosus impudicitiae fautor et hospes, qui domi suae octo vel plures puellas publice prostitutas alebat; qui peracta confessione generali totius vitae eidem Patri, serio resipuit, et omnes illas puellas a suis aedibus abiecit; unam earum nuptui tradidit; altera, nostrorum suasu, apud honestam viduam collocata fuit; caeterae alio commigrarunt. Pergebat autem earum hospes frequenter confiteri et vitam honestam agere. Multae quoque integrae familiae, ejusdem Patris

---

<sup>1</sup> Postremis anni 1554 mensibus et primis 1555 actum est de Collegiolo in urbe Leodiensi instituendo. Scribit enim Polaneus, *ex com.*, Patri Adriano Adriaenssens: "De nostris Leodium mittendis non id erat consilii nostrum (*sic*) ut ad pueros docendos sacerdotes nostri mitterentur, et minus in domum alienam; sed si mittendum esset collegium aliquando, domi nostrae juvenus esset instituenda, ut in collegiis Italiae; sacerdotes autem nostri functionibus nostrae Societatis, praedicandi, scilicet, et sacramenta administrandi occupati esse deberent. Sed haec vestro iudicio commissa sunt. Et si aliquos mittendos censueritis, ad tempus id fiat, et ad exercitia solita nostris et eos decetia. Ut tamen videbit V. R. ex litteris, quas ad P. Leonardum mitto, minus erit quod cogitemus de Leodiensi collegio quam de Noviomagensi."

<sup>2</sup> P. Quintinus Charliart.

<sup>3</sup> Vide supra, t. IV, pag. 311, n. 662.

concionibus commotae, frequentius eidem confitebantur, et ad vitam spiritualem anhelabant.

819. Post Pascha suas etiam prosecutus est christianae doctrinae lectiones cum non mediocri frequentia auditorum, et saepe post concionem ab his interpellabatur, qui consilii gratia aut confessionis, ipsum adibant. In summo autem templo, cujus canonicus fuerat <sup>1</sup>, confessiones audiebat quotidie, ex quibus fructum copiosum excipiebat, dum multos ignaros instruit, afflictos consolatur, haereticos ad catholicam fidem reducit, et vacillantes confirmat.

820. P. etiam Oliverius, quod ne suspicatus quidem ipse fuerat, quotidie in hujus anni Quadragesima debuit concionari; quidam enim ex primoribus tornacensibus ab ipso capitulo impetraverant, et ita sine praeparatione hoc praedicandi officium suscepit; et quamvis valetudinarius, sine detrimento suae sanitatis, Deo adjuvante, cum satis magno auditorum concursu quotidie concionatus est. Et quamvis ecclesia in extrema parte civitatis esset, et a frequentia urbis semota, et ipsa hora, ad concionandum ei data, valde incommoda esset, plures tamen auditores ad ejus conciones confluebant, quam ad tres alios ordinarios praedicatores simul. Aliquando oportuit occludere fores templi, in quo concionabatur (quod alioqui capacissimum erat), ne prae turba nimium comprimerentur et deficerent auditores, cum tamen alii, qui concionabantur, et in doctrina et in eloquentia exercitati essent.

821. Fructus huic etiam frequentiae consentaneus fuit; non enim poterat excusare se quominus quotidie post concionem, aliquorum confessiones audiret, quia vel personarum qualitas, vel eorum instantia et necessitas, id ipsis negari non sinebat. Dicebant enim aliqui se, a multis annis non confessos, nec velle alteri quam ipsi confiteri, qui ipsius concionibus erant commoti. Et eo confessiones istas utiliores censebant, quod illi tantum ad nostros venirent, qui serium de vitae emendatione propositum concipiebant, quorum plurimi a decem, viginti, triginta, et etiam quadraginta annis, aut pluribus, nunquam integram confessionem fecerant, aut suae conscientiae satisfecerant. Plurimi autem in fide luctantes, per conciones et confessiones hu-

---

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 306, n. 661, et pag. 309, n. 659.

jusmodi confirmati fuerunt. Aliqui autem haeresibus omnino addicti, sic concionibus fuerunt concussi, ut non cessarent, absoluta concione, donec alicui nostrorum confiterentur et, haeresi abjurata, in sanctae matris Ecclesiae gremium reciperentur.

822. Fuit inter eos, qui totos quindecim annos pertinaciter SS.<sup>mm</sup> Christi Corpus in Eucharistia esse negaverat, qui post abjuratorem et intellectum suum in fidei obsequium firmiter subjectum, cum hac fide et protestatione reverenter in festo Paschae Sanctissimum Sacramentum accepit. Alius etiam vix obtinuit, absoluta quadam concione (qua et aliis praecedentibus motus fuerat), ut sibi liceret eidem Patri Bernardo suam conscientiam declarare, qui non solum variis haeresibus adhaeserat, sed alios quoque in haereses induxerat, et magna ex parte auctor fuerat sua exhortatione horrendi illius facinoris quod Tornaci in festo Nativitatis Domini proxime elapso contigerat, videlicet, quod Sanctissimum Sacramentum, in summa Missa, toto populo praesente, e manibus sacerdotis, consecratam hostiam populo adorandam elevantis, vi eripuerat et in terram projecerat, ac pedibus conculcaverat<sup>1</sup>. Hic autem, qui tale consilium dederat, serio se ad mentem sanam rediisse testabatur magna sua compunctione, adeo ut etiam confessarius sine lacrymis laetitiae eum dimittere non potuerit; testabantur et alii haeretici, quos ille idem ad fidem catholicam reducere diligenter studuit. Fuit et mulier quaedam, quae multos seduxerat, et sic resipuit, ut plurimos alios secum resipiscere curaret, quae concione quadam sic commota fuit, ut ea absoluta, non desierit lacrymas profundere, donec absolutionem peccatorum esset consequuta.

823. Quidam etiam capitali odio se invicem prosequentes jam pridem, sic commoti fuerunt, ut antequam inde recederent, qui offendisse videbatur miserit ad offensum aliquem, qui suo nomine peteret offensam sibi condonari; qui autem injuriam acceperat, peracta confessione apud P. Bernardum, sic eam condonavit, ut prior ab offendente veniam petere decerneret.

824. Praemonuerat obiter in concione quadam, brevi adfu-

---

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 309, annot. 1.

turum diem, quo legeretur in ecclesia Evangelium B. Magdaleneae, cujus expositioni si interessent aliquae, quae priorem ipsius vitam imitatae fuerant, forte illarum corda Deus illustraret, ut conversionem etiam imitarentur et libidinosam vitam abjicerent. Hoc sibi dictum existimans quaedam matrona, quotquot meretrices potuit ad concionem adduxit, singulis aliquid pecuniae donando, et supra quadraginta concioni interfuerunt, et ex his aliquae sic compunctae fuerunt, ut a pristina vita abhorrerent, et statim locum et occasiones peccati desererent, et monasterium conversarum ingrederentur.

825. Plurimae a concubinato sunt separatae, et una earum honeste nuptui tradita est; et praeter has, octo vel decem apud honestas viduas castam vitam agere, et nostris frequenter confiteri coeperunt. Dissidentes complures ad concordiam redacti fuerunt et in hac Quadragesima Patris Bernardi et aliorum duorum opera; exacta autem Quadragesima, perrexit idem P. Bernardus in suis concionibus, tam in ipsa civitate Tornacensi, quam extra illam, et frequentes quidem erant in civitate, sed frequentiores in pagis, in quibus tanta confluebat hominum multitudo ad conciones ex insulensi civitate <sup>1</sup> et aliis vicinis pagis, ut prae multitudine aliquando quatuor, aliquando sex, deficientes, exportari ex templo debuerint. His concionibus excitabatur ad confessiones ingens desiderium plurimorum usque adeo ut, licet multum diuque laborarent, eis satisfacere non potuerint. Inter hos plurimi ab haeresi resipiscebant; qui multis annis a Sanctissimo Sacramento abstinerant. Compluribus etiam haeretici persuaserant peccatum esse mortale idololatriae, si Missam audirent, et ibi sanctissimam Eucharistiam adorarent.

826. Tornaci autem praeter eas, de quibus paulo ante diximus <sup>2</sup>, aliae complures, a coeno vitae inhonestae emergentes, ad monasterium B. Magdaleneae (in quo excipiebantur quae a peccato converti ad Dominum solebant), ingressae sunt, aut apud honestas matronas collocatae. Juvenis etiam, qui quamdam virginem vitiaverat, eandem in uxorem duxit. Alia etiam sacrilegia et gravissima peccata, auditis, inquam, concionibus, a quibusdam utriusque sexus deserta sunt; mulier quaedam inter

<sup>1</sup> Lille. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 589.

<sup>2</sup> N. 824.

alias, quae demonem incubum habere solita erat, consilio cujusdam ex nostris usa, tentationes in posterum vincens, castam vitam agere coepit.

827. In monasteriis etiam monialium aliquando P. Bernardus concionabatur, et quamvis principio hujus anni conquerebatur P. Bernardus occupationes pauciores se et socios habere quam vellet, in animarum auxilium, simulatque in Quadragesima concionari coepit, tam uberem nactus est messem, ut nec ipse, nec socii, licet boni et diligentes operarii, eam demetere possent; et divinae providentiae peculiari tribuendum est quod, cum conciones Quadragesimae aggressus esset P. Bernardus cum parum firma valetudine, tamen bene corpore habebat in fine Quadragesimae usque adeo ut quinque continuas horas de Passione Domini praedicaverit, cum non amplius quam tres se praedicasse existimaret. Referebat autem illius templi, in quo concionabatur, Parochus quod, cum prius solitus esset in Paschate quingentis sanctam communionem praebere, hoc anno nongentis eam communicaverit <sup>1</sup>.

828. Egressus autem est in locum quemdam nomine Pervertum <sup>2</sup>, ubi aliquoties anno praeterito, Quadragesimae tempore, concionatus fuerat, ubi tantopere occupatus fuit <sup>3</sup>, ut ad horas canonicas dicendas et refectionem aliquam capiendam se cum industria aliqua subtrahere deberet; et tandem ne succumberet oneri, Tornacum fugere debuerit, quamvis omnino suam operam esse necessariam ibi animadverterit; major enim hominum pars jam diu, aut nunquam, confessionem ut oportebat fecerat.

829. Missus est autem eo P. Antonius Bucletus, ut eos consolaretur et confessiones audiret plurimorum, qui vitam in melius mutare statuerant. Rediit eodem et P. Bernardus, ut eorum devotioni ac necessitati subveniret. Et hoc observatum est in illa provincia, quod plurimi confessionibus generalibus vitae totius indigebant, non ut devotioni satisfaceret, sed ut necessitati; multi autem publici adulteri et concubinarij et alii etiam

<sup>1</sup> "Le curé de la Madeleine, où il prêcha le carême de 1555, vit se doubler le nombre de ceux qui accomplissait le devoir pascal: de 500 il s'éleva à 900." DELPLACE, *Le protestantisme et la Compagnie de Jésus à Tournai au XVI.<sup>e</sup> siècle*, pag. 20.

<sup>2</sup> *Peruwels*. Vide supra, t. iv, pag. 286, annot 5.

<sup>3</sup> *fuerit* habet Ms.



secreti a suis peccatis recesserunt, et qui infamia non exigua laborabant, magnam vitae mutationem, ut ferebatur, fecerunt.

830. Quodam autem viro ex primoribus Tornacensibus postulante, ad locum quemdam quatuor leucis Tornaco distantem, nomine Torqui <sup>1</sup>, P. Bernardus se contulit; a Tarquinio, superbo Romanorum rege, aedificatum vulgo ferunt. In illo et in pagis quibusdam vicinis, cum quindecim aut viginti diebus versatus esset, fere quotidie concionatus est; et quamvis in templo magno praedicaret, quia tempus aestivum erat et turba confertissima ad eum audiendum [conveniebat], semper aliquos oportebat inde exportare, [qui] in deliquium incidebant, et a duabus, immo et a quinque leucis, auditores veniebant, et tam avidè verbum Dei ab eo quidam audiebant, ut cum ex oppido Torquin ad locum alium, duabus leucis distantem, ad concionandum ivisset, fere ducenti ex Torquinensi praedicto loco eum secuti fuerint.

831. Ibi etiam aliqui haeretici sacramentarii (ex quibus multi ea in provincia inveniebantur) ad Ecclesiam catholicam redierunt; sed Gubernator illius loci, non permittebat sine duobus aut tribus comitibus P. Bernardum foras egredi, quia aliqui ex his haeticis minati fuerant, quod eum essent occisuri tanquam antichristum, quod eorum haereses publice ac diligenter confutabat <sup>2</sup>; quamvis dicebat P. Bernardus nullum esse periculum mortis, quod ipse indignus esset pro Christi nomine eam subire.

832. Tam crebrae autem erant confessiones eo in loco, ut oporteret Gubernatorem ipsum venire ad ipsum accersendum, cum cibus capiendus erat; aliter enim poenitentes non permittebant eum ecclesia exire. Nec mirum cum tres, quatuor, et quinque dies, ab aurora usque ad noctem in ecclesia expectassent ut eorum audiret confessiones, et sollicite ab ipso Parocho locum postulabant, ut hoc beneficio confitendi Patri Bernardo frui possent.

<sup>1</sup> Sic; librarius prius scripserat *Torcuinen*, sed litteram *c* mutavit in *q* et linea superducta delevit *nen*: infra tamen scripsit ipse *Torquin*, quod magis ad verum nomen accedit, quod est *Turcoing*, vel *Tourcoing*. Est autem *Tourcoing* Flandriae oppidum non longe ab urbe *Lille* (Insulis) distans.

<sup>2</sup> Vide DELPLACE, *Le Protestantisme et la Compagnie de Jésus à Tournai au XVI.<sup>e</sup> siècle*, pag. 21 et 59.—Verum observa haec, quae de oppido quodam duabus leucis Torquino distante juxta Polanci narrationem intelligenda videntur, a P. Delplace intellecta esse (pag. 21) de ipso Tornaco.

833. Tornacum inde rediens, singulis diebus per totam octavam Corporis Christi concionatus est, et aliquando die eodem bis aut ter. Exercitia etiam spiritualia quibusdam proposuit; sed perpauci ad Societatem animum applicabant, sed ad illam parum apti inveniebatur. Duo ex Torquinesi loco secuti sunt; alter sacerdos, quem non admisit quia debilis erat; alter juvenis in humanioribus litteris exercitatus, et hunc Romam, ut superius diximus<sup>1</sup>, misit cum aliis Lovanio eodem proficiscen- tibus. Tam autem ipse, quam P. Quintinus, in more habebant dominicis ac festis diebus mane ac vespere in diversis ecclesiis concionari, partim in ipsa urbe, partim extra illam, cum frequentia hominum magna; quamvis facile credi potest hunc laborem simul cum alio, qui in audiendis confessionibus susci- piebatur, aliquando supra utriusque vires susceptum fuisse.

834. Cum occupationes minus urgebant, id est, sub anni initium, inviserunt hospitalia, et omnium pene ibi decumbentium confessiones audierunt, et apud Gubernatorem civitatis<sup>2</sup> sta- tui curarunt ne deinceps ulli aegrotantes in illis hospitalibus exciperentur nisi prius essent confessi; quosdam enim ibi de- cumbentes invenerunt, qui multis annis confessi non fuerant, immo et qui soli Deo dicerent, se velle confiteri, quod haere- sim sapere videbatur. Carceres etiam tunc inviserunt, et aliquo- rum confessiones audierunt. Non tamen permissum est eis com- munes et praecipuos carceres ingredi, licet id diligenter curave- rint.

835. Adfuit P. Quintinus illi perverso haeretico, quem su- perius diximus<sup>3</sup> tam impie SS.<sup>mum</sup> Sacramentum de sacerdotis manibus eripuisse, cum ad supplicium duceretur, nullum non movens lapidem ut ad sanam mentem infelicem hominem illum reduceret; et quamvis obstinatissimus ille usque ad mortem ipsam fuerit, omnibus tamen catholicis gratissimus et maximae aedificationis fuit tam sedulus et laboriosus labor praedicti Pa- tris in eo reducendo.

836. Inter eos, qui spiritualia exercitia cum fructu fece- runt, monachus quidam fuit Ordinis S.<sup>ti</sup> Francisci, eximius

<sup>1</sup> Pag. 292 et 293, n. 798.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 312, n. 666.

<sup>3</sup> T. iv, pag. 309, n. 638, annot. 1, et in hoc t. v, pag. 303, n. 822.

concionator, per quem ad alios ejusdem ordinis, et externos, fructus dilatandus sperabatur.

837. P. Antonius Bucletus totus erat in audiendis confessionibus, visitandis et consolandis infirmis, tam in hospitalibus, quam in privatis domibus. Inter alios autem, italum quemdam sacerdotem invenit, qui tribus annis sic militarem vitam et habitum sequutus fuerat, ut nullum vestigium ordinis sui in eo appareret; qui, peracta apud eum generali confessione, cum magna vitae anteactae contritione ac detestatione, in patriam rediit, ut vitam ordini suo conformem duceret, incipiens interim preces horarias recitare et se sacerdotem in habitu ostendere.

838. Occupati fuerunt hi Patres frequenter cum officiali Tornacensi, nostrae Societatis amatore, in plurimis de haeresi suspectis examinandis. Mittebat et Gubernator civitatis libros plurimos suspectos examinandos, qua in re quantum nostris fideret significabat. In aliis etiam, tam ipse quam nobiles et magistratus opera nostrorum libenter et frequenter utebantur. Et nobilissimae ac praecipuae familiae ejus civitatis alicui ex praedictis tribus Patribus frequenter confitebantur, nec a concionibus eorum unquam aberant, et magna dilectione ac reverentia nostros prosequiebantur; et vix respirare licebat interdum, cum non solum ex civitate, sed et circumjacentibus pagis gregatim plurimi ad nostros, confessionis gratia, convolarent.

839. Bonus autem P. Quintinus, cum a mane usque ad vespeream in hac sancta occupatione desideret, peculiarem in mendicis initio Quadragesimae [operam] exercuit; nam undequaque accersitos ad se hujusmodi homines et alios vagabundos, quodammodo ad confitendum compulit, quos abjectos et laceros tanta charitate et humanitate amplectebatur et movebat, ut aliqui ex spectantibus prae admiratione et gaudio lacrymari cernerentur <sup>1</sup>.

840. In hac etiam occupatione in parochia S.<sup>ti</sup> Jacobi, ro-

<sup>1</sup> Moderationem tamen aliquam tot in laboribus a Patre Quintino adhibendam judicavit Ignatius. Scribit enim *ex com.*, Polancus Patri Bernardo Oliverio: "La R. V. giudicando che il P. Quintino labori troppo et servi poco ordine nelle hore del mangiare, studiare et vigilare, li dica per parte di Nostro Padre che usi moderatione; et il simile faccia V. R. quanto a s<sup>e</sup>; perche è la verità, chi troppo labora è necessario labori poco, perche non durerà lungo tempo la sua fatica, et al contrario chi labora moderatamente, labora assai, *quod moderato aurant.*" 27.<sup>a</sup> Julii 1553.—Idem eadem die scriptum est ipsi Patri Quintino

gatu Parochi, P. Antonius occupatus valde fuit. Fructus confessionum huiusmodi praecipuus in illis fuisse videtur, qui in aliquo fidei articulo errabant; hi enim plurimi admodum erant, et multo plures qui haesitabant, ut de illis non dicam, qui prorsus ab Ecclesia romana recesserant.

841. Inter mulieres, quaedam fuit rustica, sacramentaria, lutheranae filia, quae cum P. Bernardum audivisset, statim ad mentem rediit, et quem multis annis tenuerat errorem abiecit; sed scrupulum unum, quem habebat, contulit, an, scilicet, pro matre sua, quae jam defuncta erat in Germania, orare deberet. Cum enim illa filiae valediceret, proficiscens ad ea loca, ubi liceret ipsi libere in haeresi sua vivere, serio filiam monuerat ne unquam pro se preces ullas funderet morte ipsius audita, et hunc scrupulum sibi eximi a Patre Quintino postulabat, et declarari an illo praecepto teneretur. Respondit autem illi quod matris suae tali praecepto obnoxia non erat, sed magis verae matris suae, id est, Ecclesiae suae catholicae praecepto teneretur, quae jubet pro defunctis omnibus orare, de quibus non est certum quod hinc in peccato mortali migraverint; et ita laeta et alacris illa mulier hoc responso accepto recessit.

842. In quodam pago, ubi P. Bernardus concionatus erat, in festo Pentecostes 300 plures solito ad sanctam communionem accesserunt, et quamvis obmurmurarent haeretici, tamen populus ille rusticus, errores haereticos detestando ac vitia, Deo servire multo devotius solito coepit; nec pigebat aliquos intempesta nocte surgere ut Tornacum mane pervenirent et concionibus P. Bernardi interessent. Accidit autem ut ex Torquinesi oppido, quatuor fere leucis, ut dixi <sup>1</sup>, distante, decem aut duodecim viri ad audiendam unam concionem venerint, et octo vel novem foeminae ut concione audita confiterentur, quod in oppido suo id facere non potuissent; quae media fere nocte profectae, quia multum pluerat, aliquando per aquas transire debuerunt fere usque ad pectus pervenientes; nec destiterunt a suo proposito propter haec incommoda, et omnes tempestive ad audiendam concionem pervenerunt, et postquam eidem confessae sunt, cum magna consolatione et alacritate domum redierunt.

---

<sup>1</sup> Pag. 306, n. 830.

843. Aliquando eos, qui peste laborabant et ab omnibus fere destituti erant, P. Antonius <sup>1</sup> accedebat, qui etiam missus est ad aliquos pagos, et perutilem ipsis operam navavit, ac propterea ab illis subinde evocabatur.

844. Familia quaedam circa Pentecostem P. Quintino confessa est, in qua maritus, uxor, et complures filii ac filiae haeresi infecti erant. Accessit Patrem vir, sequuta est uxor, ac deinde complures filii ac filiae, ex quibus una sacramentaria erat, et altera minorem perverterat, et tamen simulate confessione et communione utebantur. Sed sic a Domino omnes adjuti fuerunt, ut jam sincere et frequenter ad sacramenta accederent, et tota familia ad Ecclesiae gremium rediret. In quemdam etiam, qui in carcere graviter vulneratus detinebatur, P. Quintini charitas eluxit; cum enim confiteri nollet aut non posset ob cerebrum concussum, instigavit eum Pater et clamoribus excitavit, donec paululum loqui et multa signa contritionis dare coepit, quem cum Pater ille absolvisset paulo post expiravit. Si valetudinem recuperabat, capite alioquin puniendus erat.

845. Quemdam etiam usurarium idem, simul cum Patre Bernardo, primum tentaverat ad mentem sanam revocare; sed cum is peste laborare coepisset, secundo eundem adiit P. Quintinus, et consolatus est eum, et in bono proposito et voto nunquam amplius exercendi usuram et restituendi quidquid per eam lucratus fuerat, confirmavit, qui paulo post cum multis de sua familia ex hac vita migravit.

846. Cognosci et illustre fieri nomen Societatis nostrae Tornaci coeperat, et nobilissimi quique afficiebantur nostris et eorum concionibus intererant, quamvis Episcopus Cameracensis <sup>2</sup> toto hoc anno negaverit nostris concionandi facultatem. Quidam ex ejus ministris significaverat Episcopum suum a quodam Cardinale litteras accepisse, quarum habita ratione, constituerat facultatem hanc concionandi in tota sua dioecesi dare, et quia significatum nostris fuerat ut se praesentarent ad eam facultatem obtinendam, P. Quintinus cum ipso Patre Bernardo Episcopum adierunt; sed ille ne audire quidem illos voluit, quin potius eis significavit se satis superflue praedicato-

<sup>1</sup> P. Antonius Bouclet.

<sup>2</sup> Robertus de Croy.

res <sup>1</sup> habere in sua dioecesi et quod quotidie mendicantes conquerebantur se necessaria ad victum [non] habere; multo tamen mitius quam solitus erat respondit. Referebat aliquis quod vellet Episcopus Cameracensis expectare an novus Pontifex <sup>2</sup> tanto favore nostros prosequeretur, quam Julius tertius fuerat prosequutus.

847. Aliter se res habebat in Episcopatu Tornacensi; nam Vicarius, non solum se nolle impedire tales operarios tamquam utiles, sed quodcumque posset auxilium se velle impendere affirmabat. Interim, post creationem Pauli IV, litterae quaedam aulicis Bruxellensibus datae, et ab eis sparsae fuerunt, quibus hoc continebatur: pium ac probum nos habere Pontificem Paulum IV, qui omnes religiones approbaverat, unica excepta, in qua erant maximi hypocritae, quam omnino deleri voluit; et hae litterae discurrerunt per totum oppidum, et multi earum exemplum ceperunt, et qui amici Societatis erant, irrisiones, scommata et injurias non paucas ferre oportebat.

848. Tornaci etiam et alibi rumor ille increbrescere coeperat, ubi paulo ante diversi alii rumores circumferebantur, scilicet, Pontificem esse de nostra Societate, et quod factura esset Societas quidquid vellet. Sed hi falsi rumores facile a veritatis luce dissipantur; nec propterea deerant ex primoribus multi Tornaci, qui magnum favorem nostris impenderent. De collegio tamen ibi instituendo nulla mentio fiebat, nec mirum id est, cum ab Imperatore nondum esset facultas obtenta ut Societas in illis ejus ditionibus radices ageret, aut ulla stabilia bona haberet.

849. Congratulabantur autem nostris de perutilibus ipsorum laboribus, et vir quidam magnae auctoritatis nostris retulit se mira audivisse spargi de nostris, tam a tornacensibus, quam ab externis, dicentibus se quasi novam faciem videre ejus civitatis et aliorum locorum, in quibus nostri versati erant, et felicem esse civitatem, quae tales haberet concionatores et operarios. Aliqui tamen religiosi, ac praecipue franciscani, nostros exercebant, praecipue post Commissarii cujusdam adventum, qui in monasteriis suarum monialium nostros concio-

<sup>1</sup> *Praedicatorum* habet Ms.

<sup>2</sup> Paulus IV.

nari prohibuit <sup>1</sup>. Nec mirum est si aliqui fidem his hominibus haberent, cum plena haereticis, etiam sacramentariis, regio illa et civitas ipsa tornacensis esset. Unde et pios catholicos non parum pati necesse erat, cum, ut diximus <sup>2</sup>, Missam audire peccatum mortale esse dicerent.

850. Mense Augusto P. Bernardus Oliverius litteras Patris Ignatii accepit, quibus in Angliam mittebatur <sup>3</sup> propter negotia Collegii Romani <sup>4</sup> ac Domini Joannis de Mendoza <sup>5</sup> et quoddam aliud, quod ad civitatem Limericensem [spectabat] <sup>6</sup>. Aliquam tamen occasionem idem P. Bernardus habiturus videbatur verbum Dei praedicandi in Anglia, ubi plurimi gallicam linguam callebant. Et quia socium aliquem sacerdotem deducere secum debebat, re collata cum P. Adriano <sup>7</sup> Rectore, P. Adrianus Candidus electus est, qui tunc non bene admodum valebat, et quamvis Antuerpiae, quae patria ejus erat, ex medicorum praescripto medicinis remediis usus fuit, nihilominus [male] habens Lovanium rediit. Iter autem Antuerpia Londinum (quae civitas caput est Angliae) fere navigatio duorum dierum est. Sed cum jam ad iter parati essent, intellexerunt ex amicis (inter quos primo loco computandus erat D. Alexius Fontana, Imperatoris Secretarius <sup>8</sup>), Regem ipsum Philippum intra paucos dies

<sup>1</sup> Hujus Commissarii difficultatibus respondet fuse, *ex com.*, Polancus litteris ad Patrem Adriaenssens datis 8 Julii hujus anni, ubi haec inter alia: "nihil enim, quod nos sciamus accidit unquam nobis Romae vel cuiquam ex nostra Societate, quod contra aedificationem esse intellexerimus, per Dei gratiam, sive ea quae morum sunt, sive quae Religionis catholicae, sive quae doctrinae, spectes."—Cum autem rescripsisset Adriaenssens, nova quaedam de Commissario addens, fusius adhuc respondet, *ex com.*, Polancus 27.<sup>a</sup> Julii.

<sup>2</sup> Pag. 304, n. 825.

<sup>3</sup> Has Ignatii litteras reperire non valuimus. Dari autem eae debuerunt ante diem 4.<sup>am</sup> Julii aut forte ipsa die 4.<sup>a</sup> Tunc enim misit Polancus Patri Bernardo "quattro plichi diversi..., nel quarto si contengono le istruzioni et lettere per V. R., Loquitur deinde de eligendo itineris socio, de iis quae in Anglia agenda sunt, de pecunia ad iter necessaria non in Anglia emendicanda sed in Belgio mutuo accipienda Polanci nomine, qui eam Romae solvet, etc., etc.

<sup>4</sup> Sc., ut penuriam Collegii Romani sublevaret et praesertim ut commendatitias ad Pontificem a Rege Philippo litteras impetraret. Vide supra, pag. 26 et 27, n. 44 et 45.

<sup>5</sup> Vide supra, pag. 27, n. 45.

<sup>6</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 391 et 249.—Vere mirum est nullum hujus negotii, quod ad Limericensem episcopatum spectabat, extare vestigium, quo innixi, conjectando saltem dicere possimus quid illud fuerit.—Patri Edmundo Hogan, dum suum opus *Ibernia Ignatiana* composuit, ignotae supra memoratae Ignatii litterae fuisse videntur. Nos, si quid forte repererimus, in *Nova Serie litterarum Sancti Ignatii* aperiemus.

<sup>7</sup> Adriaenssens.

<sup>8</sup> Vide supra, pag. 297, n. 810.—Inter amicos, qui rem Societatis Bruxellis agebant,

Belgium venturum esse; et ita supersedendum esse ab anglica profectione visum est, et Regis adventum Lovanii expectandum; ubi otiosus non erat hospes P. Bernardus, nam et gallice concionatus est, et confessiones in eadem lingua, et latina et Flan-drica, audivit, simulque intellexit <sup>1</sup> Regis adventum Bruxellas, quae civitas quatuor leucis Lovanio distat <sup>2</sup>.

851. Pervenit autem eo Rex Philippus octava Septembris <sup>3</sup>, sed monitus <sup>4</sup> ab Alexio Fontana ut aliquot dies subsisteret, 11.<sup>a</sup> die Septembris Bruxellas venit ac D. Gondizalvo Perez <sup>5</sup>, Secretario Regis Philippi, litteras P. Ignatii <sup>6</sup> ac D. Joannis de Mendoza <sup>7</sup> dedit, a quo amanter admodum fuit exceptus; noluit tamen litteras ad Regem Philippum eorumdem Ignatii ac Joannis de Mendoza <sup>8</sup> ipse suscipere, sed ut <sup>9</sup> per D. Ruigomez <sup>10</sup>, qui primum locum apud Regem tenebat, ipsi praesentarentur; et hortatus est ut ab ipso <sup>11</sup> negotium dirigi sineret.

852. Adivit ergo eumdem Ruigomez, a quo etiam benigne exceptus fuit, et, litteris acceptis P. Ignatii ac lectis, suscepit negotium reddendarum litterarum Regi, et negotiorum etiam expediendorum, quae in litteris continebantur. Non tamen res tam expedite atque optabatur confecta fuit; nam quod attinet ad litteras Summo Pontifici scribendas in collegii <sup>12</sup> commendationem, quamvis facile alioqui fuissent expeditae, cum perla-

---

numerandus est quidam Petrus del Castillo, cui gratias agens scripsit Ignatius 25.<sup>a</sup> Januarii 1555.

<sup>1</sup> Intellexisset habet Ms.

<sup>2</sup> Hic Ms. sic habet: ... Lovanio distat, venturus. Sed venturus redundare videtur.

<sup>3</sup> "Le 29 août, à Greenwich, il (Rex Philippus) prit congé de la reine, et, voyageant par la poste, avec une suite peu nombreuse, il alla s'embarquer à Douvres (*Journal Ms. des voyages de Charles-Quint et Philippe II par Vandenesse*). Le 8 Septembre il arriva à Bruxelles." GACHARD, *Retraite et mort de Charles-Quint au monastère de Yuste*, t. I, pag. 65.—Idem, *ibid.*, annot. 3: "Philippe écrivait de Bruxelles, le 14 Septembre, à la princesse doña Juana: «Yo llegué aquí á los 8 del presente, bueno, á Dios gracias... (Archives de Simancas, *Estado*, liasse 510)»."—His corrige LUIS CABRERA DE CORDOBA, *Felipe segundo, Rey de España*, qui lib. I, cap. VII, ait: "Salió Don Felipe á ocho de Octubre de Londres, y en pocos días se presentó á su padre."

<sup>4</sup> P. Bernardus Oliverius.

<sup>5</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. IV, pag. 30.

<sup>6</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. V, pag. 239 et 241.

<sup>7</sup> Vide *ibid.*, t. V, pag. 242 et 243.

<sup>8</sup> His patet non Ignatium tantum sed etiam Joannem de Mendoza ad Regem Philippum scripsisse. Joannis tamen litteras non vidimus.

<sup>9</sup> quia habet Ms.

<sup>10</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. IV, pag. 13.

<sup>11</sup> Rui (Roderico) Gomez de Silva.

<sup>12</sup> Romanus. Vide supra, pag. 26, n. 43.



tum esset ad Curiam quod Summus Pontifex Paulus IV res novas moliretur (nam Marcum Antonium Columnam ditione sua, quam habebat in Ecclesiae regno, vel privaverat vel in eo ipso id temporis erat <sup>1</sup>, et aliquid ulterius ipsum cogitare forte jam innotuerat), non visum est expedire ut Regis litterae hujusmodi ad ipsum mitterentur. Et quod attinet ad negotium D. Joannis de Mendoza, differendum etiam illud necessario fuit tum propter occupationes gravissimas Regis Philippi, cum omnes status illarum ditionum congregati essent Bruxellis, eo quod Imperator Carolus coram ipsis renuntiare vellet filio Philippo omnes illas provincias sui patrimonii, quod et fecit hoc ipso anno.

853. Et primo quidem congregato consilio omnium illorum statuum, qui ad Burgundiae domum pertinebant, coram Regina Maria Gubernatrice et Equitibus velleris aurei, quem *tusonem* vulgo vocant, hujus ordinis caput illum fecit. Deinde <sup>2</sup> illi omnes hos status resignavit die 25.<sup>a</sup> Octobris <sup>3</sup>, ac paucos post dies regna Hispaniae ac reliqua eidem reliquit <sup>4</sup>; ac digni-

<sup>1</sup> Hoc est: in id ipsum ut Marcum Antonium Columnam ditione privaret intentus Pontifex tunc erat.—“Mandó (Paulus IV) encarcelar á Camilo Colonna por las palabras adversas al Papa, que se le imputaban, y hubiese hecho lo mismo con Marcantonio Colonna, si con anticipación no se hubiese refugiado en Nápoles. Fueron citados Marcantonio y su padre Ascanio á comparecer en Roma en muy breve término; y no queriendo el primero obedecer porque tenía ante sus ojos el ejemplo de Santa Fiore y de Camilo Colonna, y no pudiéndolo el segundo, por hallarse detenido en Nápoles á causa de haber intentado sublevar los Abruzzos, fueron juzgados en contumacia y despojados en el acto de sus estados.” LIKO MUÑOZ, *Guerra de un año entre el Papa Paulo IV y Felipe II*, cap. 1.

<sup>2</sup> Sic; et respondere videtur subintellectae voci *ordinis*.

<sup>3</sup> Haec, a verbis *quem tusonem*, manu propria ad paginae oram scripsit Polancus, apposito signo quod indicat hic debere inseri.

<sup>4</sup> Haec etiam die 25.<sup>a</sup> Octobris manu propria inseruit Polancus.—“Les lettres adressées aux états avaient fixé l'abdication au 14 octobre; cette cérémonie fut successivement reculée jusqu'au 25.” GACHARD, l. c., pag. 72.

<sup>5</sup> Vere non paucos post dies, nec quidem hoc anno 1556, hanc renuntiationem fecit Carolus, sed post tres fere menses, sc., 10 Januarii sequentis anni 1556.—“Le temps, qui s'écoula entre la cérémonie du 25 Octobre et la transmission à Philippe II des couronnes de Castille, d'Aragon et de Sicile, autoriserait à croire que Charles V eut le projet d'attendre, pour effectuer celle-ci, qu'il fût arrivé en Espagne, mais que la prolongation forcée de son séjour aux Pays-Bas le détermina à prendre un autre parti. Quoiqu'il en soit, cette transmission donna lieu à trois renonciations successives, qui se firent le 16 janvier 1556, en la petite maison de l'Empereur, au Parc.

La première renonciation comprenait les royaumes de Castille, Leon, Grenade et Navarre, les Indes, îles et terre ferme de la mer Océane découvertes et à découvrir, les grandes maîtrises des ordres de Saint-Jacques, d'Alcantara et de Calatrava...

La seconde renonciation s'appliquait aux royaumes d'Aragon, de Valence, de Sardai-

tatem etiam imperialem Fratri Ferdinando resignavit; et ipse cum sororibus et Leonora <sup>1</sup> et Maria profecturus erat, nec solum propter occupationes Regis in negotiis tam gravibus, haec nostra dilata fuerunt; sed etiam quia expectare rex Philippus volebat profectionem patris in Hispaniam, antequam mutationem aliquam faceret, quae momentum haberet, in rebus Neapolitani regni, cujusmodi erat D. Joannem a praefectura Castelli novi liberare et in fratrem ipsius, D. Alvarum, eam transferre.

854. Et quia cum eodem Rege Philippo jam agendum erat de facultate erigendi collegia in Belgio et non cum Imperatore ipsius patre, expectandus videbatur Reginae Mariae recessus in Hispaniam; cum enim male sentiret de rebus Societatis ob multas calumnias, quae auribus ipsius inferebantur <sup>2</sup>, expediebat ut, ea absente, negotium hoc tractaretur, ad quod aliquem natione hispanum mittendum esse nostri Tornacenses ac Lovanienses sentiebant. Quod inter caetera satis movit P. Ignatium ut P. Ribadeneyram eo mitteret <sup>3</sup>.

855. Manebat interim minus occupatus Bruxellis, quam voluisset, P. Bernardus, quia nec praedicandi facultatem ab Episcopo Cameracensi habebat, nec sine illa expediebat nostris privilegiis uti, et alioqui gallica lingua, quae vernacula erat Patri Bernardo, populo Bruxellensi non erat vernacula, quamvis curialibus sit valde familiaris. Audiebat quidem confessiones quorundam, et tota illa familia, quae hospitium illi praebebat, confessa ei fuerat, et familiaribus colloquiis de rebus spiritualibus multum profecerat, ut religiosa domus [potius] quam saecularis videri posset; operario tamen, messi Tornacensi uberrimae assueto, ea valde exigua videbatur; et cum alioqui D. Alexius Fontana ac D. Petrus de Zarate et Garcias Lope de Alvarado <sup>4</sup>, sollicitudinem circa nostra negotia tractanda et curam suam offerrent et ad aedificationem magis id facere,

---

gne, de Majorque, à la principauté de Catalogne, au comté de Barcelone, de Roussillon, de Cerdagne, et aux îles adjacentes...

La troisième et dernière renonciation était relative au royaume de Sicile. GACHARD, l. c., pag. 110-112

<sup>1</sup> Sic; scribendum forte *Eleonora* pro *et Leonora*. Haec erat vidua primum Emma-nuella, Portugalliae Regis. dein Francisci, Galliae; Mariae Ludovici, Hungariae.

<sup>2</sup> Vide supra, t. II pag. 289, n. 249, et t. IV, pag. 281, n. 608, et pag. 284, n. 611

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 41, n. 73.

<sup>4</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 79.

quam si ipse diu in Curia ad haec negotia curanda maneret, Bruxellis profectus est et praedictis amicis commendata reliquit negotia sua; sed praecipue D. Petro de Zarate suis etiam litteris P. Ignatius commendavit <sup>1</sup>.

856. Tornacum ergo rediens sub initium mensis Novembris, in parochia S.<sup>ti</sup> Jacobi ipso die omnium Sanctorum concionatus est mane et post meridiem, et cum dixisset mane de Purgatorio se acturum, quod multi Tornaci esse non credebant, tam frequens auditorium eo confluit, ut tres vel quatuor horas ante concionis tempus plena esset ecclesia; et postea intellexit concionem illam multis perutilem fuisse, qui non credebant Purgatorium esse; multos etiam in ea fide confirmatos esse.

857. Sequenti autem dominica in Torquinensi oppido concionatus est, et quidem bis eodem die et tanta cum frequentia, ut comprimerentur aliqui gravissime ac laederentur prae nimia multitudine.

858. Audiebatur pluribus ex locis magnam esse in Anglia bonorum operariorum necessitatem; nunquam tamen occasionem habuit Societas nostra eo veniendi, quamvis Cardinalis Polus aliquando scriberet Patri Ignatio aliis de rebus et pro partu <sup>2</sup> Reginae, quam gravidam scribit, orationes postularet <sup>3</sup>; sed postea satis intellectum fuit quod vere gravida non erat nec Deo placuit ex <sup>4</sup>optima Regina filium Angliae praeficere.

859. P. Quintinus, cum praedicto Patre Bernardo ac Patre Antonio, hoc mense Novembri multis confessionibus, et quidem generalibus, occupati fuerunt, et multi infirmi in fide per easdem confirmati sunt; quamvis enim conversi fuerant et confirmati in fide catholica plurimi, erant nihilominus in ea civitate lutherani, sacramentarii et imaginum osiores et fractores. Diebus autem dominicis, tam ipse quam P. Bernardus in Evangelio praedicando pergebant; non tamen statim absolutis concionibus ad confessiones audiendas sedebant, ne valetudinem, plus quam satis erat, affligerent, sed ad eos audiendos, qui confiteri volebant, P. Antonius vacabat. Quotidie autem sedebant nostri ad confessiones audiendas in Cathedrali ecclesia, prope magnum altare extra chorum. Inde tamen exturbare illos ali-

<sup>1</sup> *Ibid.*, pag. 49.

<sup>2</sup> *Ms. habet parte.*

<sup>3</sup> *Vide Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 426.

qui ex canonicis nitebantur. Sed cum in congregatione <sup>1</sup> ea de re agerent, nihil evincere potuerunt.

860. Commiserat autem capitulum nostris duorum coenobiorum, in quibus religiosae mulieres erant, instructionem; Vicarius etiam Episcopi beghinagium (id est, mulierum religiose viventium sine professione congregationem) <sup>2</sup> eidem Patri Quintino commendaverat, ubi dominicis diebus praedicabat ipse, et P. Antonius confessiones audiebat. Studebant autem coenobia praedicta ad disciplinae monasticae rigorem revocare; sed cum coenobia religiosorum, quae illis adjumento esse possent, Tornaci non essent, minus quam optabant nostri in hac parte praestiterunt. Habebant quidem suos confessarios et monasteria, sed nostrorum opera in extraordinariis requirebatur.

861. Confitebatur inter alios nostris pia quaedam foemina, insignis medici uxor, quae magnopere laetabatur quod Romae in Societatem admissus fuerat ejus filius magister Hermes, professione etiam medicus, cujus deinde frater, canonicus tornacensis, Societati domum Tornaci dedit <sup>3</sup>.

862. Spargebatur Lovanii rumor sicut et Bruxellis de nostris fratribus Caesaraugusta ejectis, ut inferius dicitur <sup>4</sup>; sed facile, informatione rei data, cujus culpa id accidisset videbatur. Curavit autem diligenter P. Ignatius ut in curia Regis et ratio ejectionis et etiam reductionis constaret <sup>5</sup>.

863. Quod ad temporalia attinet, tres nostri sacerdotes, qui

<sup>1</sup> Intellige canonicorum conventum, cum, ut de rebus suis agant, congregantur, qui etiam *capitulum* nonnunquam dici consuevit.

<sup>2</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. I, pag. 550, annot. 1.

<sup>3</sup> Nusquam adhuc alias in hujus Hermetis cognomen incidimus, nec P. DELPLACE in opere *Le Protestantisme et la Compagnie de Jésus à Tournai*, ejus mentionem facit, nec domus ab ejus fratre, Tornacensi canonico, Societati donatae.—Suspicamur tamen hunc Hermetem illum esse, quem anno 1561 Viennae agere et Praefectum esse bibliothecae nos docet *Index eorum, qui in Collegio Societatis Jesu Viennae Austriae versantur*, editus a Sommervogel in opusculo *Les Jésuites de Rome et de Vienne en MDLXI, d'après un catalogue rarissime de l'époque*. Ibi, pag. xvii, sciscitatur editor num ille sit "P. Hermes Clerus (*le Clerc*) de Sotwell, «natione belga, Tornacensis, qui claruit in Gallia pietate et doctrina in Billomensi Collegio» et qui mourut avant 1609. Il était poète et canoniste». Nos affirmare certi nihil possumus.—Addemus tamen ejus patris, medici insignis, nomen fuisse etiam *Hermes*; cumque Romae aliquantisper versatum, priusquam animum ad Societatem adjiceret. Ita in Polanci, *ex com.*, litteris ad P. Adriaënsens datis 19 Martii 1555.

<sup>4</sup> Num. 1047 et seq., dum de Collegio Caesaraugustano agetur.

<sup>5</sup> Praestitit hoc Ignatius litteris ad Alexium Fontanam datis 29 Octobris 1555, quas habes in *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 56-58.

Tornaci agebant cum uno vel altero, qui eis inserviret, ex redditibus canonicatus Patris Quintini sustentabantur; et supererat unde multis pauperibus eleemosynae donarentur. Romam etiam hoc anno in Collegii eleemosynam 40 ducatos misit. Cupiebat quidem suum illum canonicatum resignare P. Quintinus, a quo <sup>1</sup> post quam liber esset, professionem emittere a P. Ignatio concessum erat, sed hoc anno nulla se obtulit occasio vel resignandi, vel, quod ipse optabat, commutandi cum aliis ecclesiasticis redditibus, qui ad Tornacensis Collegii foundationem, vel saltem foundationis initium, deservirent.

864. Miserat Bruxellas aliquot exempla jubilaei, ex quibus unum voluit a D. Fontana accipi, qui curavit per Parochum <sup>2</sup> majoris ecclesiae Bruxellensis illud manifestari et etiam sacellano <sup>3</sup> Imperatoris et Nuncio apostolico <sup>4</sup> ejus concessionis dedit notitiam, quae a Julio III facta erat; et omnes ea usi sunt; nam hujusmodi concessionis non magna habebatur ratio in illis locis, ita parum sollicitè exempla earum eo trans mittebantur <sup>5</sup>.

865. Pro magno etiam beneficio ducebat idem Fontana, dum per eum litterae crebro ad nostros mitterentur, ut quae ad aedificationem spectabant, ei apertae mitterentur <sup>6</sup>; et praeter benevolentiam erga Societatem, quae in eo nutriebatur, et favorem ac auxilium, quae negotiis nostris amanter impendebat, cum fructum ex collegiis provenientem videret, accensus est ad Collegium Turritanum vel Sassarense suo testamento insti-

<sup>1</sup> Ms. habet *cui*; sensus tamen et syntaxis exigunt ut scribatur *a quo*. Est ergo sensus concessum fuisse Patri Quintino a Patre Ignatio professionem emittere statim ac liber a canonicatu suo, illum resignando, evaderet. Hinc autem novum argumentum erui potest adversus auctorem Historiae Tornacensis, Dnum. Cousin, de quo haec DELPLACE, l. c., pag. 25, annot. 2.: "Toujours fort exact, Cousin, commet seulement l'erreur de considérer le P. Charlart comme n'appartenant à la Compagnie que de cœur et d'affection. Il semble ignorer son séjour à Rome; or, quoique le Père n'eût pas fait les dernières vœux, il était vraiment religieux de l'Ordre."

<sup>2</sup> Emendata sunt haec verba, nec satis liquet quid tandem legendum sit, *per Parochum*, vel *a Parocho*, vel *Parocho*.

<sup>3</sup> Ms. habet *sacello*; rectius tamen videtur *sacellano*. Non unus erat in curia sed plures sacerdotes hoc nomine *sacellanus* appellati. Item non unum sed duo erant Imperatoris sacella (*chapelle*), magnum et parvum. Illi praeerat anno 1547 *Maitre Corneille de Hont*, *Prevost de la Chapelle*; huic *Maitre Odard de Barsaques*, *Grand Aumonier*. BUTKENS, *Supplément aux trophées du Brabant*, t. I, lib. III.

<sup>4</sup> Vide supra, t. IV, pag. 288, n. 617, annot. 1.

<sup>5</sup> Sensus est ideo Ignatium sollicitiorem fuisse in mittendis Bruxellas apostolicis de jubileo litteris, quia minus ibi in hac parte alii erant solliciti.

<sup>6</sup> Vide *Cartus de San Ignacio*, t. VI, pag. 81.

tuendum <sup>1</sup>, quamvis, dum viveret, nihil cum Patre Ignatio ea de re contulerat <sup>2</sup>.

866. Ex secundo etiam jubileo, Augusto mense misso, exemplum ad se missum accepit <sup>3</sup> ut in curia Imperatoris, quem admodum et prius, fructum aliquem adferret.

867. Idem etiam magnopere probabat ut aliquis de Societate nostra, qui plusquam mediocri talento ad praedicandum ornatus esset, ad eam curiam mitteretur, non jam Imperatoris, sed Regis Philippi, cui omnia sua regna et dominia Imperator resignaverat <sup>4</sup>.

868. D. Petrus de Zarate ipsa vigilia Corporis Domini Antuerpiam cum Episcopo Trigestino venerat <sup>5</sup>, et coram Nuncio apostolico <sup>6</sup> Doctori Malvendae <sup>7</sup>, qui curiali quodam modo mordebat exercitia spiritualia, se opposuit; sed demum doctor ille approbabat quod Sedes apostolica Societatem [confirmaverit, et] utilem esse Ecclesiae Dei confitebatur, et retulit prophetiam quodammodo Ludovici Vives <sup>8</sup>, quem cum inviseret olim P. Ignatius in Belgio, ubi habitabat, dixerat quod alicujus religionis auctor et caput futurus erat, et tamquam virum sanctum eum commendabat. Exceptus ipse D. Zarate fuit perhumaniter a Rege Philippo, et ejus negotium, ad sanctum sepulchrum pertinens <sup>9</sup>, suo secretario videndum dedit, ut ad se referreret.

Et haec de Tornacensibus ac toto Belgio dicta sint.

<sup>1</sup> Vide supra, t. III, pag. 282, annot. 2.

<sup>2</sup> Haec, ne quis intelligat Ignatium Alexio Fontana supervixisse, quod ita non est, hoc modo compingenda videntur: *quamvis dum viveret P. Ignatius, nihil cum eo ea de re Alexius contulerat.*

<sup>3</sup> Alexius Fontana.

<sup>4</sup> Vide de hoc plura in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, et litteras Patris Petri de Rivadeneira ad Ignatium Bruxellis datas 11 Decembris 1555 in opusculo Patris DELPLACE, *L'établissement*, etc. in Appendice, docum. VI.

<sup>5</sup> Vide supra, pag. 266, n. 742, et pag. 284, n. 776.

<sup>6</sup> Supra, pag. 318, n. 864.

<sup>7</sup> Dr. Petrus de Malvenda, seu Maluenda, Burgensis, qui ut Imperatoris theologus, licet saecularis seu non sacerdos, Concilio Tridentino interfuit (Vide supra, t. II, pag. 252, n. 191), et curiam sequebatur. Vide SAINZ DE BARANDA, *Noticia de los españoles que asistieron al Concilio de Trento*, in volum. IX operis *Colección de documentos para servir á la Historia de España*, t. IX.

<sup>8</sup> Scilicet illud, quod prophetia quodammodo videri potest, Ludovici de Vives. Vide supra, t. I, pag. 43.

<sup>9</sup> Vide supra, t. II, III et IV et in hoc t. V, praesertim pag. 266, n. 742 et pag. 268, n. 746.

## DE PROVINCIA GALLIAE

AC PRIMO

### DE COLLEGIO PARISIENSI

869. Quamvis jam pridem facultatem Provincialis in Gallia ore tenus Patri Paschasio <sup>1</sup> fuerat a P. Ignatio communicata <sup>2</sup>, litterae tamen patentes officii Provincialis sub initium Augusti hujus anni ad eum missae sunt <sup>3</sup>. Et postquam nostri Billiomi residere coeperunt et collegium ibidem instituebatur, Provincialis publice haberi et vocari coeptus est, quamvis in tota Provincia Galliae tam pauci essent ut vix duodecim vel quindecim numerarentur <sup>4</sup>. Parisiis autem initio hujus anni nostri omnes residebant; quamvis hoc ipso primo vere Robertus Clayssonius, nondum sacerdos, cum Episcopo Claramontano in Alberniam missus est.

870. Exercebantur autem mirum in modum Parisiis nostri,

<sup>1</sup> Patri Paschasio Broët.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 327, n. 700.

<sup>3</sup> Has patentes litteras non vidimus nec earum factam mentionem reperimus in iis, quas Polancus, *ex com.*, dedit Patri Paschasio Broët, 11.<sup>a</sup> Augusti 1555. Verum in aliis, quas portabant Hieronymus Lebas et Petrus Canalis, datis 12.<sup>a</sup> Septembris, ait ipse Polancus: "V. R., come Provinciale, farà (Superiorem Billomi, a chi li parerà.,

<sup>4</sup> En quorundam e Societate nomina, qui Parisiis hujus anni initio debebant: 1. P. Paschasius Broët, Superior; 2. M. Robertus Clayssonius; 3. P. Hieronymus Le Bas; 4. P. Joannes Arnoldus (*Arnauld?*); 5. Dnus. Nicolaus Bellefille, Andegavus, Ingrandien-sis, quadragenarius, Societati ascitus anno 1554 mense Septembri Parisiis; 6. M. Jacobus Morellus, normannus, ebroicensis, annum agens 35, Parisiis Societati aggregatus anno 1544 mense Aprili; 7. Alanus Dava'yus, normannus, abricensis, annos natus 22, Lutetiae in consortium admissus anno 1554 mense Octobri; 8. Oliverius Hameleus, picardus, bellovacensis, annos natus 20, in consortium Lutetiae admissus anno 1554 mense Aprili; 9. Simon Campensis, charnotensis, natus anno 34, sutor. Societatem accessit anno Domini 1547 (*Litterae Quadrimestres*, t. iii, pag. 538-542); 10. Antonius de Lassar, burgundus (*Ibidem*, pag. 111, et infra, n. 894).

Aliorum nomina, ad duodecim aut quindecim, ut ait Polancus, commemorare certo non licet. Clayssonius quidem die 1.<sup>a</sup> Decembris scribens, postquam et Paschasii Broët, Superioris, et Michaelis Potminii, tunc aegrotantis et ante mensis finem mortui, et suimetipsius mentionem fecisset, ait reliquos esse decem. Erant igitur tunc tredecim.

post decretum illud facultatis theologiae <sup>1</sup>, et omnia calumniarum atque aerumnarum plena erant. Illi quidem, qui institutum et mores Societatis nostrae noverant, in nullum offendiculum offendeabant; qui tenui nostrae Societatis odore imbuti erant, alieno a nostris animo reddebantur; qui penitus nostros ignorabant, gravissimum quoddam vulnus per Societatem nostram Ecclesiae infligendum, velut pronostici, ominabantur. Nostri interim, divinae providentiae praesidio freti, bono animo ac spe erant; et quia suum decretum theologi Summi Pontificis judicio submiserant, a P. Ignatio sperabant id efficiendum ut Summus Pontifex huic malo sua declaratione remedium adhiberet. Sed partim quod his primis mensibus, id est Martio, Pontifex Julius obiit et post paucos dies Marcello successit Paulus IV, a quo non opportune videbatur remedium postulari posse, partim quod sine nota illius facultatis ac sine offensione suavius remedium adhibendum P. Ignatius censuit; potius elegit viam, quam praediximus <sup>2</sup>, testimonia ab his Principibus et civitatibus ac praelatis petendi, in quibus Societas versata fuerat <sup>3</sup>. Ex his enim et ex instituti cognitione sperari poterat quod facultas theologica, quae in ipsa facti informatione longe falleretur, suum decretum sponte revocaret. Sed hoc remedium tam cito adhiberi non potuit, ut interim multa et gravia a nostris parisiensibus essent perferenda.

871. Ex quatuor doctoribus, qui Cardinalem Lotharingum Romam sequuti sunt, unus fuit magister Benedictus, Ordinis S.<sup>ti</sup> Dominici, qui omnes probationes decreti praedicti contra Societatem fecerat <sup>4</sup>; alter doctor Despanse <sup>5</sup>, qui nostro insti-

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 328, n. 703.

<sup>2</sup> Supra, pag. 11, n. 12.

<sup>3</sup> Rectius a Principibus, civitatibus ac Praelatis [eorum locorum] petendi, in quibus Societas versata fuerat, vel versabatur.

<sup>4</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. iii, pag. 468 et 540, et PRAT. *Memoires pour servir à l'histoire du Père Broet et des origines de la Compagnie de Jésus en France*, part. iii, lib. i, pag. 303, et supra, pag. 11, n. 12.

<sup>5</sup> "Despence ou D'espence (Claude), théologien, né à Chalons-sur-Marne en 1511, mort en 1571. Il fut chanoine de Gerberoy et devint recteur de l'université de Paris. Sincèrement dévoué à l'Eglise catholique, il avait néanmoins, comme beaucoup d'autres, adopté en partie la Réforme et fut même accusé d'hérésie et condamné à faire amende honorable; il se soumit le 22 juil. 1543, tout en gardant ses opinions. Néanmoins, les catholiques le considéraient comme un des leurs et il fut envoyé comme théologien au concile de Trente (1545), puis aux Etats d'Orléans en 1560; il prit part ensuite au colloque de Poissy (1561) dont il nous a laissé trois récits, deux manuscrits à la Bibl. nat. et un qui a été imprimé dans les *Annales ecclésiastiques* de Raynaldi (t. xv). On lui at-



tuto valde se contrarium praeberat; et hi, longe aliter sentientes, Roma redierunt, ut videbatur <sup>1</sup>. Interim fama jactabat nostros a causa sua contra theologos cecidisse, quibus tamen nullam litem Societas intenderat. Aliqui dicebant nostrum institutum vafrum quoddam commentum et artem subdolum daemonis fuisse; spargebatur etiam rumor quod auctor nostri instituti judaeus quidam fuisset, qui in expiationem suorum flagitiorum hanc formam religionis instituisset.

872. Fuit Cardinalis quidam <sup>2</sup>, qui apud Episcopum Claramontanum <sup>3</sup> id obtinere conabatur ut ex aedibus suis <sup>4</sup> nostros tanquam nullius frugis homines expelleret. Intellexerunt etiam nostri, quod etiam Cardinalis Lotharingus <sup>5</sup>, protector Societatis in Gallia, dum theologorum familiarium sinistras relationes de nobis audit, remissiori affectu quam antea nostros prosequeretur, immo et Christianissimum Regem <sup>6</sup> parum ipsi grata de nostra Societate ex theologis nonnullis audivisse, ita

tribue encore le compte rendu d'une assemblée théologique réunie par la reine mère à Saint-Germain le 27 janv. 1561 (1562) (Bibl. nat., f. fr. 15812<sup>v</sup>), et un recueil de sermons prononcés en 1557 (f. fr. 451). Parmi ses ouvrages imprimés, nous pouvons citer des *Traité sur les épîtres de saint Paul*, sur la *Contenance*, sur l'*Eucharistie*, sur la *Prédication*, réunis et imprimés en 1609 (in-fol.); le *Traité sur l'utilité des lettres et des sciences*; la *Louange des trois lys de la France*; l'*Institution d'un prince chrétien* (Lyon, 1518); etc. C. St.-A. *La Grande Encyclopédie*, t. xiv, pag. 265.—Vide etiam *Instructions et lettres des Rois Très Chrétiens et de leurs Ambassadeurs et autres actes concernant le Concile de Trente*. A Paris. Cramoisy, M.DC.LIV.

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 11, n. 12. — "Nous avons encore les raisons qu'il P. Olave) donna aux quatre docteurs; et, quand on les lit sans passion, on n'est pas étonné d'apprendre des historiens contemporains que la cause de la Compagnie obtint un complet triomphe dans cette circonstance. Le cardinal de Lorraine, après les avoir entendues, déclara hautement que les théologiens de Paris n'avaient pas suffisamment connu la question; que le P. Ignace avait agi avec autant de modestie que de charité, en s'abstenant de dénoncer leur décret au Souverain Pontife. Les docteurs en convirent; Benoît lui-même fut de cet avis, et depuis lors, il l'affirma toujours par son silence, jugeant avec raison, ajoute Launoy, qu'il n'y a pas moins d'honneur et de probité à abandonner une opinion reconnue fautive, qu'à la soutenir et à la défendre tant qu'on la croit vraie. (Launoy, *Regii Navarrae Gymnasii hist.*, cap. LIII (in *Joann. Benedictum*). Il aurait été encore plus glorieux pour Benoît de soutenir hautement ce qu'il avait attaqué avec tant de passion et de bruit. Quant à Claude d'Espence, le plus autorisé de tous, il avoua franchement la vérité et ne fit aucune difficulté de convenir des erreurs contenues dans le décret des adversaires du P. Paschase Broet. (Idem. *Ibid.*, cap. LIII).", PRAT, l. c., part. III, lib. 1, pag. 308 et 202.

<sup>2</sup> Quisnam hic fuerit certo affirmare non valemus.

<sup>3</sup> Gulielmum du Prat.

<sup>4</sup> L'Hôtel Clermont, quod Parisiis in nostrorum usum commodaverat Claramontanus.

<sup>5</sup> Carolus de Guise.

<sup>6</sup> Henricum II.

ut non obscuri nominis aulici vanum huiusmodi rumorem <sup>1</sup> inter se circumferrent, quamvis dominus de Monte, de quo alias mentio facta est <sup>2</sup>, nihil horum se olfecisse in curia diceret. Hoc constabat nostris, quod diplomata nostra Facultas theologica asservabat (Doctori Demochari, ex scriptis cognito <sup>3</sup>, tradita fuerant) ut nostros oppugnaret, nec reddere illa nostris volebat, donec conaretur, illis exhibitis, Cardinalem Lotharingum a nostrorum favore revocare. Itaque satis constabat quod praeter decretum, aliqua alia praeterea clandestine contra Societatem moliebantur. Sed Episcopo Claramontano tantum abest ut persuaserint quod conabatur ille Cardinalis, ut nostrae conditionis misertus, propensiore quam prius affectu res nostras amplecteretur; quod et hoc anno ipso opere ostendit.

873. At P. Paschasius, praepositus, nullis tempestatibus contra Societatem concitatis, subcubuit animo aut promovendae Societatis studium remisit, quamvis Episcopus ipse Parisiensis <sup>4</sup> super dolorem vulnere adderet, ac nostros graviter insectaretur. Vacabat ille <sup>5</sup> jaciendis collegii Parisiensis fundamentis prout in tanta contradictione fieri poterat; sacramentorum confessionis et communionis pio ministerio, tam festis, quam profestis diebus operam dabat; in aedibus infirmorum nocte vigilabat, victorum custodias publicas invisebat, ut afflictis auxilium et consolationem impenderet; et alia pietatis opera diligenter tractabat. Reliqui fratres nostri suis studiis sedulo vacabant.

874. Duorum accessione crevit nostrorum numerus, quod in tanta perturbatione rerum mirandum erat; eorum alter nepos erat ex sorore ejus Doctoris Benedicti (quem diximus contra Societatem probationes decreti illius confecisse), acris ingenii juvenis, nomine Sylvester <sup>6</sup>. Cuidam etiam religioso ordinis S.<sup>ti</sup> Benedicti, cum spiritualia exercitia fuissent proposita, ma-

<sup>1</sup> Illum, scilicet, de quo sub finem praecedentis numeri sermo factus est.

<sup>2</sup> Supra, t. iv, pag. 320, 323 et 330.

<sup>3</sup> Vide supra, t. iv, pag. 323, n. 691, et annot. 6.—Edidit is, inter alia, libellum quemdam *De Sacrificio Missae*.

<sup>4</sup> Eustachius du Bellay.

<sup>5</sup> P. Paschasius Broët.

<sup>6</sup> Hunc Jacobus Morellus (*Litterae Quadrimestres*, t. iii, pag. 540) appellat Jacobum Forestierum (*Jacques Forestier*), "quod cognomen in *Sylvestrum* Societas postea commutavit.", POLANCUS, infra, n. 895.

gnopere in eis, juxta suum institutum profecit. Duo alii in hujusmodi exercitiis ad Societatem nostram animum adjecerunt; quorum alter, 2.<sup>ae</sup> licentiae bachalaureus <sup>1</sup>, decrevit, ante Societatis ingressum, periodum theologicam percurrere; forte etiam expectare voluit, ut videret quorsum hae procellae tandem evaderent, quae contra Societatem erant excitatae. Alter autem mense Septembri Romam venire ad Societatem proposuit <sup>2</sup>.

875. Ultima die Januarii Romam missi fuerunt P. Hieronymus Bassius, cum P. Joanne Arnaldo <sup>3</sup>, qui per unum annum cum dimidio facesserat negotium Patri Paschasio ob propheti- cam quamdam revelationem de Antichristo, quem esse dicebat Solimani, Turcarum Regis, filium et intra sex menses nostros omnes martyrio coronandos esse, et ideo frustra in collegiis erigendis eos laborare, cum intra tres menses Antichristus ille venturus esset et omnes provincias christianorum subversurus. Cum ergo nec orationibus, nec disputationibus adduci posset ut se delusum esse crederet, cum ex Propheta Daniele suam illam phantasi- am clare deduci sibi persuaderet, Romam eum misit; et tribus illis mensibus in itinere fere exactis, in quibus venturum esse illum Antichristum dicebat, facile putabat suum errorem esse deprehensurum. Sed ille Romam veniens et in scriptis omnia, quae ipsum movebant, Superiori tradens ac se judican- dum relinquens facile remedium accepit, et cautior in posterum futurus, cum alioqui vir optimus esset, in Galliam remissus est, ubi usque ad mortem egregie vineam Domini excoluit <sup>4</sup>.

<sup>1</sup> Idem, ut videtur, ac *licentatus*; ille, scilicet, baccalaureus, cui a Cancellario data est, post consuetas exercitationes, facultas seu *licentia* publice docendi. Vide CREVIER, *Histoire de l'Université de Paris*, lib. VII, t. IV, pag. 37, et CLAIR, *La vie de Saint Ignace de Loyola*, cap. V.

<sup>2</sup> De iis, qui Societatem Parisiis inter has turbas ingrediebantur, haec Polancus, *ex com.*, Patri Paschasio Broët: "Ci siamo rallegrati nel Signor nostro di quelli che nella Compagnia hanno ricevuto; et quelli che in tempo di tanti travagli si muovono ad intrare nella Compagnia in Parigi pare mostrino bene essere spinti dallo Spirito di Christo N. S. A loro dirà V. R. quello li parerà per parte di Nostro Padre." 15 Decembris 1554.

<sup>3</sup> *Arnoldus*, scribit Sacchini in ora paginae.

<sup>4</sup> Omnia haec, quae, si verba tantum Polanci perpenderimus, de Joanne Arnaldo intelligenda videntur, intellexit SACCHINI, *Hist. S. J.*, part. II, n. 15, de Hieronymo Bas- sio seu *Le Bas*. Et hoc Patri Sacchini testimonio innixus (nullum enim aliud affert tes- timonium) P. PRAT, *Mémoires pour servir à l'histoire du Père Broët et des origines de la Compagnie de Jésus en France*, part. III, lib. I, pag. 321-325, hunc Hieronymum, quem discipulum fuisse ait Guilielmi Postelli, magistri opiniones tenuisse affirmat et, quo eas deponeret, Romam missum.

Certe hujusmodi aliquid in causa fuit ut Hieronymus hoc anno Romam ad Ignatium

876. Sub Martii finem ex obedientia magister Robertus Clayssonius ad pagum quemdam, Boysilianum nomine <sup>1</sup> vicinum Lutetiae missus est, in quo cum anno praecedenti fuisset concionatus, et a quodam Doctore Carmelita traductus, et in concione multis injuriis oneratus, amici Societatis, qui auctores extiterant ut eo magister Robertus concionaturus mitteretur, aegre admodum id tulerunt et via juris illam injuriam, quam sibi factam interpretabantur, ulcisci volebant; sed cum non ad lites, sed ad pacem conciliandam se vocatos nostri dicerent, et ille Doctor nec per se nec per alium, ut promiserat, bono nomini magistri Roberti consuleret, haec via ut suavior inita fuit, ut hoc anno eo rediret magister Robertus et eodem in loco concionaretur; et bina concione ibi habita (prior fuit in festo Annunciationis B. Virginis), nota illa, a Doctore Carmelita inusta, prorsus abolita est, ipso Vicario in patrocinium magistri Roberti properante ac valde demirante quod ab ipso nulla fieret objectae calumniae mentio, nulla querela, sed hoc tantum dixerat, in exordio primae concionis, se a paracho solemniter missum ad ecclesiastici muneris functionem obeundam; et hac sola apologia contentus fuit; et ita res omnis bona pace composita est.

877. Dominica quarta Quadragesimae in pago Nanduino <sup>2</sup> Senonensis dioecesis, concionem habuit, humanissime a Vicario et incolis exceptus; cum autem postridie Annunciationis in pagum celebrem Champaueile <sup>3</sup> nuncupatum profectus, dominum ejus loci salutaturus accessisset (ipsi enim familiariter notus erat), eum quidem, qui jam dudum aberat, non invenit; sed miro affectu ab utroque vicario et illius uxore exceptus fuit, quia ibidem anno praecedenti concionatus erat; et cum ab eo inter prandendum peterent num postridie ipsis concionari pos-

---

mitteretur; verum de eo ita caute et subobscurè Polancus, *ex com.* scribens, loquitur ut quid illud sit certo erui ex ejus verbis non possit. "Li duoi Sacerdoti., alt litteris ad P. Paschasium datis mense Aprili hujus anni 1555. "mandati di Parigi arrivorno in Roma; et Mtro. Hieronymo si è rimesso al giudicio del Superiore, di esser fatto il giudicio sopra quel caso che sa V. R., benche non gli è stato intimato. Del successo sarà avisato V. R. In questo mezzo lui sta coi nostri in casa."—Et Ignatius ipse Episcopo Claramontano: "D.<sup>1</sup> V.<sup>mo</sup> Rmae, cui Hieronymus quidem notus est satis, sed Dei gratiam in ipso (Hieronymo) non parum augmentum accepisse, ex quo in Urbem venit, confido." Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 323, 326 et 406.

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 326, n. 696.

<sup>2</sup> Ms. habet *nduino*; sed vide *Litterae Quadrimestres*, t. iii, pag. 469, ubi ex autographo ipsius Clayssonii scripsimus *Nandino*.

<sup>3</sup> Ipse Clayssonius *ibidem*, *Champeneille*.

set, suam operam illis addixit; et cum ulterius illi peterent an sacra hebdomada et in festis solemnibus placeret ipsi verbum Dei incolis praedicare, qui ecclesiaste destituti erant; dixit in hac parte se sui praepositi auctoritati pariturum, si parochi etiam consensus accederet. Cum autem paulo post utriusque auctoritas accessisset, quod reliquum erat Quadragesimae in eo loco transegit, et sic verbum Dei proposuit ut multorum animos ad Dei obsequium et quae salutis suae erant serio curanda magnopere commoveret affectumque omnium sibi valde conciliaret. Diebus autem festis in tribus pagis diversis concionabatur, raro duobus contenti (*sic*). Cum multi multa ei offerrent, et pro Societatis instituto ipsa recusaret, in magnam admirationem, tam nobiles quam populares rapiebat, et optime audire vel eo solo nomine coepit Societas, quod munera non admitteret. Alter ex vicariis cum ludimagistro exercitia Societatis subire propediem decreverunt, propenso animo erga Societatis institutum affecti. Itaque inter contradictiones theologorum, Senatus et Episcopi, augebat Dominus quorundam erga nostrum institutum piam voluntatem.

878. De Cardinali etiam Lotharingo hoc constabat: cum Dominus De Monte ipsum moneret ne patrocinium Societatis apud Regem omitteret, quod suam operam officiose pollicitus est; et Claramontanus Episcopus collegium Billiomi instituere, ubi primum aliqui Roma missi essent, eodem tempore constitueret. Placebat autem his et aliis amicis humanissima illa ratio et mitissima nostros defendendi, adductis Principum ac Praelatorum testimoniis; et cum jam dictus Cardinalis Lotharingus id tractari intellexisset, conventurum se theologos parisienses promisit ut censuram de nostra Societate editam corrigerent; et totum negotium bona pace componendum censebatur; et curandas esse litteras a Pontifice Julio III censebant, ad theologicam facultatem, quae suam de Societate sententiam suumque studium explicarent et sine ullis censuris aut mandatis theologicam facultatem moneret et hortaretur ad ea, quae decerent, in hoc negotio facienda. Ad Episcopum etiam Parisiensem similes litteras curandas arbitrabantur, ut oblatos a Praeposito Generali ad sacros ordines suscipiendos, verbi Dei et sacramentorum ministeria, foveret ac promoveret, aut saltem non impediret. Quod si refragarentur exhortatoriis litteris Pon-

tificis, tum aliam viam severiorem tenendam censebant; et hoc quidem amici nostri, sicut et ipsa Societas, amanter et humiliter cogitabant.

879. Interim tamen theologi suam sententiam retinebant (quamvis constitit fuisse aliquos inter eos, qui nunquam subscribere decreto vel censurae voluerunt et alios complures fuisse, qui plurium sententiae suam submitterent), et si quid eis dicebatur in Societatis favorem, tanquam oraculum neutiquam orandum, Facultatis suae de nostris arbitrium in medium proferebant. Immo relatum est nostris quod ultro supremae curiae, quam Parlamentum vocant, censuram suam obtulissent, quod nostri aegre sibi persuadere poterant, quamvis Procuratori regio illam oblatam non dubitarent, et duos theologos ad aulam regiam a Facultate theologica missos fuisse, et aulam regiam contra nostros obmurmurare, et Regi multa sinistra fuisse relata, ut de expulsionem nostrorum a regno inter pocula agebatur. Et quidam theologus, qui ad nostrum consortium brevi convoluturus videbatur, non solum ipse frigescere coepit, sed et aliquos, qui ipsum consulebant de nostro instituto sectando, deterruit: complures etiam Episcopi, aliorum forte sequentes auctoritatem, adversarios se nostris exhibebant. Decanus ipse Facultatis theologicae <sup>1</sup> fatebatur facultates Societati nostrae concessas a Summo Pontifice (nam hae molestiae nobis causa fuerunt in Gallia) non esse perniciosas nationibus externis aut peregrinis, quae Episcoporum et curionum praesidio destitutae essent, sed Franciae regno parum utilem fore Societatem cum his facultatibus; alioqui, ut aiebat, Praelati ac pastores nihil habituri essent quod agerent. Et tamen ex duobus diplomatibus, alterum nostris reddiderunt, duobus notariis id testantibus, alterum sibi omnino retinere voluerunt <sup>2</sup>; ipsi viderint quae ratione vel facultate, contra nostrorum facultatem <sup>3</sup>, id fecerint.

<sup>1</sup> M. Nicolaus le Clerc. Vide supra, t. iv. pag. 324, n. 692.

<sup>2</sup> Haud facile est discernere quodnam hoc sit discrimen, quod Polancus hic instituit inter *primum* et *alterum* diploma Facultati theologicae traditum. P. quidem Broët Facultati tradiderat duo diplomatum genera, alterum Apostolicarum litterarum et privilegiorum Societatis, alterum regiae concessionis pro Gallia (Vide supra, t. iii, pag. 290, n. 648; *des Bulles pontificales et des lettres patentes du Roi.* (PRAT, l. c., part. iii, lib. i, pag. 290). Et hoc postremum forsitan est, quod contra jus fasque Facultas theologica nunc apud se retinuit.

<sup>3</sup> Sic; *voluntatem?*

880. Addebant autem nostris animos contradictiones hujusmodi, ut sperarent, si usquam locorum, Parisiis aliquando Societatem celebrem futuram; cum per tot persecutiones solidiora fundamenta jacerentur. Episcopus autem, quem litterae apostolicae protectorem et quasi murum aeneum contra calumniatores dederant <sup>1</sup> Societati, postquam censura Sorbonica fuit instructus, animum suum, evertendi nostram Societatem, declaravit. Et cum nostros in jus vocari faceret, indicta causa, probris et contumeliis innumeris ab ejus officialibus nostri excipiebantur; minae addebantur; hypocritas, schismaticos, conventicularios, novarum sectarum auctores vocabant; censuras ecclesiasticas et carcerem et saecularem etiam potestatem advocandam contra nostros dicebant, si in posterum religionis formam juxta institutum nostrum observarent. Prohibuit ne Missas nostri dicerent, ne confessiones audirent, aut ulla sacramenta ministrarent <sup>2</sup>. Nostri vero ad Sedem apostolicam provocarunt, praeter eorum spem, qui ad Archiepiscopum <sup>3</sup> nos pertrahere nitebantur; et ita qui cruces nostris parabant, ipsi cruciari et angī coeperunt.

881. Et primo quidem litteras provocationis concedere quantum licuit distulerunt, et molestiis magnis P. Paschasium, urgentem ad has litteras dandas, affecerunt <sup>4</sup>; quas postquam obtinuit, loco minarum jam verbis demulcere eum studebant; id tantum se optare ostendebant, ut Episcopi imperio nostrum institutum subjiceremus.

<sup>1</sup> Ms. habet *dederat*.

<sup>2</sup> Continentur haec omnia in *ammonitione* per officialem Parisiensis Episcopi Patri Paschasio Broët facta die 27.<sup>a</sup> Maji hujus anni 1555, quam affert latine P. CARAYON, *Documents concernant la Compagnie de Jésus*, t. 1, *Commencements de la Compagnie de Jésus en l'Université de Paris*, cap. xi, et gallice PRAT, l. c., pag. 300 et 301.—Vide infra, n. 888.

<sup>3</sup> Ad Cardinalem Franciscum de Tournon, Archiepiscopum Lugdunensem, *primate de France?*

<sup>4</sup> Della quale sententia (Episcopi Parisiensis, de qua fusius infra, n. 888) io n'ho appellato ad Summum Pontificem, quale ha riservato a se la cognitione et censura delle bolle nostre, etc., dicendoli che non facemo conventicoli et che siamo approvati dalli Summi Pontifici, come lui medesimo haveva visto nelle bolle nostre et non ci poteua commandare ne excommunicare ne incarcerare, perche non siamo della sua jurisdictione.

Mando a V. R. con la presente la copia della citatione et de l' appellatione et il consiglio d' uno avvocato del Parlamento amico nostro, accio possi uedere ogni cosa et che meglio possi provedere., P. Paschasius Broët Patri Ignatio 9.<sup>a</sup> Junii 1555.—Cf. BOZZO, *Vita del servo di Dio, P. Paschasio Broët*, lib. II, cap. 2, et PRAT, l. c., pag. 302

882. Quandiu provocationis litterae non erant extortae, suasu amicorum intermissae fuerunt confessiones apud Sanctum Germanum<sup>1</sup>; non minus tamen aliis pietatis operibus nostri dabant operam, piis consiliis et exhortationibus multos juvando; apud infirmos etiam, dum animam agerent, pernoctando et ad transitum ad meliorem vitam eos adjuvando; et quia rarum et inusitatum erat hujusmodi opus pietatis gratis omnino exhibitum, ita magnae aedificationis omnibus erat.

883. Ipse autem P. Paschasius nunquam minus otiosus fuit, quam cum hoc otium ipsi injunctum est. Monialium interim frequentabat monasteria, quas multum in confessionibus earum audiendis et in exhortationibus promovit. Invisabat eodem tempore eos, qui in carcerem coniecti erant, tam Episcopatus, quam Senatus, cum maxima victorum aut ibi detentorum consolatione; apud quos aliquando sacrum faciebat; et frequenter illorum confessiones audiebat; et magna in ipsorum moribus metamorphosis visa fuit. Et hujusmodi eo tempore agebantur, quo nondum erant obtentae litterae provocationis ad Summum Pontificem; sed simul atque illas obtinuit, licet reclamantibus amicis et pericula gravia imminere dicentibus, omnia haec postponenda divino honori censes, ac divina spe freti, rursus ad Sanctum Germanum reversi sunt, et instituti nostri munia pro viribus obire nitebantur.

884. Sed non pauci eorum, qui ad nostros accedere consueverant, confessionis et communionis gratia, et ex familiaribus colloquiis non exiguos progressus in pietate fecisse videbantur, tam viri quam foeminae, deterriti censura Episcopi et quorum-

---

<sup>1</sup> "Et benche con buona conscientia noi hauessimo potuto andare a Santo Germano per audire confessioni et comunicare secondo il consueto, nondimeno non siamo andati (contra il mio giudicio) per qualche tempo, secondo il consiglio de mos.<sup>r</sup> Picardo, dottor theologo amico della Compagnia, et di molti altri amici nostri, insin a tanto che sia passato il primo fuoco et grande impeto loro, quali diceuano che si andassimo a S.<sup>to</sup> Germano et fare secondo il solito, tutto il comun popolo sarebbe contra di noi, et se scandalizzarebbe, perche il Vescouo per darci fastidio potrebbe de facto, etiam pendente appellatione, excommunicarci et attaccarci excommunicati per compita; et si questo fossi così tutto il simplice et ignorante popolo si scandalizzarebbe di noi. Noi sappiamo che de jure non potrebbe excommunicarci, et che si lo facesse, la sua excommunicatione sarebbe nulla et ideo non timenda, et noi securi in conscientia; ma il popolo non saperebbe tutto questo.", P. Paschasius Broët, *ibid.*—Unde satis liquet Patrem Broët non tam excommunicationis et censurarum ab Episcopo parisiensi latarum metu quam timore ne scandalum pusilli paterentur, ab adeundo ad tempus S. Germani aedes ut ministeria ibi exercebat, deterritum fuisse.



dam doctorum consilio revocati, huic tempestati cesserunt; nec enim deerant, qui technis et arte magna nostros invisos et suspectos omnibus omnium ordinum hominibus et statibus reddere nitebantur; et si Rex fidem illis praestitisset, haud dubie ex Gallia fuissent nostri profligati; nam et ipsae aulicae mulieres, ab his hominibus instructae, in nostros coram ipso Rege debacchari non erubescabant; doctores enim et religiosi, sicut vulgus et jurisperitos, ita et aulicos, contra nostros concitabant, suum decretum et Episcopi edictum jactantes; nec ullum convivium fiebat, ubi de nostris non ageretur, qui quodammodo omnium eo tempore fabula erant.

885. Immo et ipsi professores theologiae in suis lectionibus nostrum institutum non raro proscindebant; Inquisitorem etiam quemdam Ordinis Sancti Augustini, sorbonici, ad nostros, quasi schismaticos, mittendum curarunt, virum alioqui probum et mansuetum, qui, ne suo deesset officio, alium accersivit virum doctissimum ac valde sincerum, ut uterque simul nostrum institutum explorarent. Quemdam autem ex nostris <sup>1</sup> conveniunt, cui diuturna experientia nostra omnia satis nota erant, quem cum de multis interrogassent, ac potissimum de ratione victus et habitus et an omnes sine aliquo discrimine religiosos, facinorosos et id genus, admitterent, quibus votis adstringeremur, quando profiteremur, quas probationes haberemus, quomodo studiis daremus operam.

886. Cum responderet ille frater noster quod res habebat, obstupescere coepit Inquisitor cum socio et admirari unde tot calumniae et rumores improbi orirentur, et quam periculosum esset eis assensum praebere dicebant. Approbantes itaque cum magna congratulatione nostrum institutum, veniam ab illo fratre precabantur quod haec ab eo interrogassent, et non malevolo animo se accessisse, sed sibi ex officio incumbere declararunt; et tunc demum aperuerunt quinam essent (nam prius ab illo fratre nostro non cognoscebantur) et obnixe se piis nostrorum orationibus commendarunt.

---

<sup>1</sup> Hunc facile putaremus fuisse vel M. Nicolaum Bellefille, qui haec omnia Ignatio scripsit (Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 617) vel potius fortassis M. Jacobum Morellum, cui diuturnior longe erat nostrarum rerum experientia; annus enim jam undecimus elabebatur ex quo Societati nomen is dederat (*Ibid.*, pag. 539, et supra, pag. 320, n. 869); sed nullo id indicio certo fulcire valemus.

887. Cum autem ad Doctores, a quibus missi fuerant, rediissent ac testarentur se nihil invenisse quod non orthodoxum, pium ac sanctum esset, illi, denuo suam censuram obtrudentes, novos ingerere scrupulos Inquisitori pergunt. Quare Inquisitor iterum ad nostros rediens, nostra diplomata sibi ostendi rogat, dubius ne nostris an theologis fidem adhibere deberet. Cum autem in ipsis litteris omnia sese habere, ut a fratre nostro acceperat, comperisset, non poterat non succensere theologis; et cum nostri eos excusare quodammodo conarentur, quod non satis ea intellexissent, ait ille: "quis tam rudis est, qui haec non percipiat?," Et sic cogitabundus et admirans recessit; et res plane deflenda videbatur viros illos theologos, a quibus aliquo modo sinceritas fidei in Gallia pendere videbatur, sic affectibus suis obcaecari ut dicerent bonum malum, et lucem tenebras, et insontes persecui tam sollicitè curarent.

888. Nam illi ipsi cum viderent nostros non cedere ipsorum decreto, et consueta Societatis munia prosequi, nec ipsorum acquiescere consiliis (suadebant enim ut carthusiani nostri fierent) apud Episcopum sunt conquesti, qui 27.<sup>a</sup> die Maii tunc nostros citari fecit, et sub poena excommunicationis latae sententiae et carceris praecepit per suum officialem ne nostri conventicula facerent, aut sacramenta cuiquam ministrarent, donec diplomata nostra ab ipsomet Episcopo et facultate theologica et senatu essent approbata <sup>1</sup>. Cum autem respondisset P. Paschasius quod Episcopo non licebat haec nobis praecipere aut excommunicare vel in carcerem conjicere, cum sub ejus jurisdictione nostri non essent, et ad Summum Pontificem appellasset, alias rationes nostros eliminandi a Gallia, vel saltem Lutetia, inierunt, et ad id omnes (*sic*) moverunt lapidem, sed et <sup>2</sup> doctores aliqui, Priorem (quem vocant claustralem S.<sup>ti</sup> Germani) convenerunt, et suadere nitebantur ne perditos hujusmodi homines et nihili sacra celebrare in illa sua ecclesia permetteret (erat ab Episcopi enim jurisdictione immunis) cur etiam confessiones audire, et sacramentum Eucharistiae [ministrare] permetteret, cum intelligeret censuram facultatis theologicae, et quod nostri reprobati essent a Senatu et ab Episcopo? Respon-

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 328, n. 880.

<sup>2</sup> Haec, a verbis *alias rationes*, signo addito ut hic insererentur, scripsit ad oram paginae manu propria Polancus.

dit ille quod numquam nostros ab ecclesia sua esset exclusurus, cum tam multa christianae vitae exempla et documenta in hominibus Societatis Jesu observasset <sup>1</sup>.

889. Cum autem ex sententia D. Picardi et aliorum amicorum aliquandiu cessassent nostri a sacramentis ad divum Germanum ministrandis, donec deferret adversariorum impetus, ad curiam Regis se contulit P. Paschasius ut litteras regias commendatitias ad Episcopum Parisiensem obtineret ut desineret nostris molestus esse. Cum autem Dominum de Monte absentem a curia invenisset, cujus opera eas impetraturus erat, tunc re infecta rediit. Cum autem Cardinalem Lotharingum protectorem alloquutus esset, dicebat ille non posse dari <sup>2</sup> privilegia nostris contra jurisdictionem Regis, et hoc futurum aiebat, si exempti ab omnium jurisdictione essemus. Sed ne difficultatem novam P. Paschasius excitaret, dixit nos contentos fore ut in hac parte aliis religiosis pares essemus. Addidit Cardinalis de administratione sacramentorum non posse dari privilegia contra jurisdictionem Episcoporum (nam haec et hujusmodi verisimile est doctores ipsi inculcasse).

890. Respondit ei P. Paschasius audire confessiones privilegio, quemadmodum nos facimus, non esse usurpare jurisdictionem Episcoporum aut curionum, quia neminem cogere possumus ut nobis confiteatur, sed ultro venientes audire et quidem nullo premio accepto; et ita nullum detrimentum accedere cuiquam; immo Episcopis et Parochis sive curionibus nos subsidio esse et quidem cum maximo fructu. Facile admisit rationes has Cardinalis, et perutilia fore testimonia Principum, Praelatorum et universitatum ut innotesceret quod ipsis auxilio essent et non impedimento vel incommodo.

---

<sup>1</sup> "Considerando li dottori che dipoi che hanno data la censura contra li nostri privilegii, imo più presto contra l' Instituto della Compagnia, per abolirla del tutto, saltem in Parigi, et che non l' hauemo presentata al Parlamento accio fosse data la sententia diffinitiva della reprobatione della Compagnia nostra in Parigi, sono di novo andati a S.<sup>to</sup> Germano, dicendo al padre priore, perche permetteva che noi andassimo la al monasterio per audire le confessioni et fare tante communioni, sapendo che la facultà de theologia haueua data la censura contra di noi, et che eramo reprobati dal Parlamento et dal Vescono di Parigi. Allì quali rispose il detto padre priore che giamai ci scacciarebbe della sua chiesa, per li buoni essempli del viuere christiano, che già tanto tempo hanno visto in quelli della Compagnia del nome di Jesu." P. Paschasius Broët Patri Ignatio, *ut supra*.

<sup>2</sup> Ms. habet *dare*.

891. Recedens mense Majo Episcopus Claramontanus secum deduxit magistrum Robertum Clayssonium et commendavit Patri Paschasio ut duos alios huic similes a P. Ignatio obtineret, et ita pro P. Hieronymo Bassio ac P. Petro Chanali in Galliam remittendis P. Paschasius instare coepit; nec enim solum Episcopus Collegium Billioniense, sed Parisiense etiam, se fundaturum promittebat.

892. Timebat P. Paschasius ne tres aut quatuor juvenes bonae indolis, qui in Societatem recens admissi fuerant, his fluctibus contradictionum obruerentur, sed, Deo juvante, tam firmi ac stabiles fuerunt, ut ne minimum quidem de suo priori proposito remiserint, quin potius, firmiores effecti fuerint; et ad opprobria pro Christi nomine toleranda, alacriores; quod non parum erat, cum apud vulgus magna esset auctoritas Facultatis theologiae (quamvis non ita apud prudentiores) et ita, quodammodo digito, cum per vias incederent, [nostri] monstrarentur. Omnes autem nostri numero septem vel octo erant Parisiis <sup>1</sup>.

893. Dominica die, quae septima fuit Julii mensis, ad S.<sup>m</sup> Germanum nostri redierunt; et tum Priori, tum ministro cuidam Cardinalis Turnonensis <sup>2</sup>, qui praeerat Abbatae S.<sup>ti</sup> Germani, gratias egit, nomine P. Ignatii, P. Paschasius, quod non acquievisset eorum suasionibus, qui nostris prohiberi usum illius templi persuadere nitebantur; quae gratitudo ipsis gratissima fuit, et omnem operam suam nostris obtulerunt.

894. Inter nostros fuit initio hujus anni quidam Antonius de Lesart <sup>3</sup>, qui sesquiannum in collegio fuerat; prius autem quam ad Societatem admitteretur, lectionibus ac praedicationibus Gulielmi Postelli <sup>4</sup> assuetus, opiniones quasdam paradoxas et stultas imbiberat, et cum eas valde fixas haberet, nec reprehensiones aut admonitiones eum a sua obstinata sententia

<sup>1</sup> Postremum hoc intellige de fine hujus anni, cum jam eorum quidam, qui Parisiis degerant (vide supra, pag. 320, n. 869), alii Romam, alii in Auverniam destinati fuerant.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 328, n. 880.

<sup>3</sup> Sic; ipse tamen Polancus (supra, t. iv, pag. 321, n. 687) hujus cognomen scripserat Lassar. Vide etiam *Litterae Quadrimestres*, t. iii, pag. 111.

<sup>4</sup> Hujus jam saepius mentio in hoc *Chronico* facta est. Hic, postquam multas, ex quo a Societate expulsus est, peragraverat terras, anno 1552 Parisios, ubi olim docuerat, reversus, "somnia sua de futura omnium restitutione narrare incoepit." Vide Wenzl, i. c., cap. i, pag. 28.

deducerent, in Quadragesima hujus anni extra domum P. Paschasius eum constituit <sup>1</sup>. Ille autem, tam multis abstinentiis et jejniis ac indiscretis laboribus sese exercuit ut 16.<sup>a</sup> Maji ex aegritudine, in quam inciderat, moreretur.

895. Erat inter alios, Jacobus Forestierus, (quod cognomen in Sylvestrum postea Societas commutavit) <sup>2</sup>. Hic cum nepos esset D. Benedicti, ut diximus, haeredem ille relinquere volebat <sup>3</sup> cujusdam abbatiae ac prioratus, quo ipse vivens potiebatur. Sed juvenem, in vocatione stabilem, promissiones hujusmodi nihil movebant. Studebat nihilominus D. Benedictus nepotem ab instituto Societatis revocare, et dicebant aliqui ex religiosis dominicanis (nam hujus familiae erat ipse D. Benedictus) Societatis nostrae Praepositum Romae combustum fuisse; sed nec fidem illis habuit, nec sententiam unquam mutavit.

896. Redibant autem paulatim ad nostros, qui soliti erant sacramenta apud illos in templo D. Germani frequentare. Non tamen ad vicinam domui nostrae parochiam pro more se contulit ad confessiones audiendas P. Paschasius, quia illa Episcopo subdita erat, quem suspectum esse in negotio religionis nonnulli suspicabantur, et ideo minus mirum est, si nostris adversaretur. Oblatum est nihilominus ex ejus parte Patri Paschasio an reformare vellet aliquot articulos, quos abusivos vocabat, sic appellationem a Sede apostolica interrompere tentans; sed notario respondit P. Paschasius in nostris bullis nullos contineri articulos abusivos, ut ipse vocabat, cum Summus Pontifex omnes approbasset, et si quid esset reformatione dignum, id ab eodem Summo Pontifice, et non ab alio, reformandum esse.

897. Non omittam quod cum aliis contradictoribus religiosi ordinis S.<sup>ti</sup> Dominici, S.<sup>ti</sup> Francisci, et Charmelitae se adjunxerant, ac S.<sup>ti</sup> Bernardi et S.<sup>ti</sup> Benedicti familiae eis socios se praebebant <sup>4</sup>; ac demum expellendam e Gallia Societatem, flagris

<sup>1</sup> Verba haec, ni multum fallimur, indicare satis videntur hunc non e Societate ejectum, sed emendationis ergo et ne alios inficeret, extra domum constitutum.

<sup>2</sup> Vide supra. pag. 328, n. 873.

<sup>3</sup> Ipse Dr. Benedictus.

<sup>4</sup> Meminisse probe hic oportet, et cum his similia narrantur, inter causas, quae aliorum Ordinum religiosos Societati quandoque et ad tempus infensos reddebant, hanc vel potissimam fuisse, scilicet, quod periculi plena erant propter ubique fere pullulantes haereses tempora; quo fiebat ut, si quid, quod novum aut non usitatum tunc esset,

caesam, complures dicebant. Interim tamen cogeantur fateri detractores, nostros vitam irreprehensibilem ducere; sed cum personas probarent, institutum funditus delendum censebant.

898. Forte plures tunc habebat amicos secretos Societas; sed inter aulicos, solus Cardinalis Lotharingus et supplicum libellorum magister, D. Montanus, nostris aperte favebant, et inter theologos, Dr. Picardus; quem cum P. Paschasius consuluisset de sententia excommunicationis latae sententiae, quam Episcopus contra nostros tulerat, si pergerent in suis ministeriis, et quod carcerem etiam minabatur; id non posse facere Episcopum dixit; et si in carcerem de facto quemquam ex nostris coniecisset, cautionem promittebat se daturum ut ex carcere educeret, etiam si corpus suum offerre deberet; et magnopere nostrorum persecutionibus compatiebatur <sup>1</sup>.

899. Cum autem aliqui ex illis, qui nostris confiteri apud S.<sup>m</sup> Germanum solebant, eundem D. Picardum consulissent an deberent abstinere a sacramentis de manu nostrorum suscipiendis, ob Episcopi prohibitionem nostris factam, respondit ille (ut consultores ipsi retulerunt) illos non debere privare se fructu sacramentorum, sine quo cibo animae languescere solent; et sic illi, scrupulo deposito, ad nostros revertebantur. Multi tamen alii conjungere se nostris timebant, ne et ipsi male audire nobiscum cogerentur.

---

quis moliretur, vel hac sola ratione iis, quibus cordi maxime erat fidei integritas et ecclesiasticae disciplinae, suspectus redderetur. Adde haereticorum pravorumque hominum in Societatem dictoria late per orbem diffusa, quae incautis ingenuisque mentibus, saepius et a pluribus iterata, sui aliquod vestigium, ut assolet, impingebant.

<sup>1</sup> Lubet hic quaedam ex P. PRAT, l. c., pag. 299, annot. 1, exscribere ut exemplo pateat quae fides osoribus Societatis, dum haec et similia narrant, adhibenda. Postquam de Doctore Picardo et Domino de Monte Orlandini testimonium (lib. xv. n. 42) adhibuit, haec addit: "De Launoy rend le même témoignage à Francois Le Picart, en ces termes:

"...Inde a partibus Ignatii Loyolae semper stetit, et institutae ab eo Societatis causam publice et ubique sustinuit, atque adversariorum facta damnavit. Id expresse tradit editus anno 1557 Parisiis libellus, quo publica omnium super excessum Picarti desideria repraesentantur. Quare Nicol. Orlandinus veram doctoris constantemque benevolentiam non immerito extollit et eum virum sincerum fidelemque amicam Societatis appellat." (*Reg. Navar. Gymnasii*, hist. cap. xxxviii.)

Pasquier, fidèle à son habitude de mentir, prétend que le docteur Le Picart eut part à la censure de la Faculté et prit fait et cause contre les Jésuites; c'est pourquoi il avoue toutes les qualités et les vertus que lui reconnaissent les historiens. "Cet admirable prédicateur, dit-il, après la mort duquel, son corps étant exposé en sa maison, doyen de Saint-Germain-de-l'Auxerrois, le peuple de Paris, pour sa sainte vie, luy baysoit à l'envi les pieds..." (*Catech. du Jés.*, liv. 1, chap. vi). Cela est vrai, mais ce qui ne l'est pas, c'est la haine de ce docteur pour la Compagnie. C'est à ce titre cependant que Pasquier le loue de ses vertus. C'est-à-dire que le témoignage de Pasquier n'est acceptable que lorsqu'on prend tout le rebours de ce qu'il dit..

900. Scripserat Dux Ferrariæ <sup>1</sup>, et filius ejus Episcopus Ferrariensis <sup>2</sup>, in commendationem Societatis, Duci Guisiano, genero suo <sup>3</sup>, et Legato, quem apud Regem Christianissimum habebat <sup>4</sup>; et ultimas quidem reddidit P. Paschasius Legato scilicet Ducis Ferrariæ, qui suam operam diligenter obtulit, quandocumque opus esset. Sed Duci Guisæ non existimavit suas esse reddendas, quod in bellicis rebus esset occupatus et alias ob causas.

901. Signum autem videtur, quod sibi timeret Episcopus <sup>5</sup>, quod, cum nostri pergerent in suis ministeriis, non solum apud S.<sup>m</sup> Germanum, sed in domibus aegrotantium et carceribus, nihil tamen amplius contra eos attentavit eorum, quæ suo edicto comminatus fuerat; et aliquando satis foecunda messis confessionum nostris sese offerebat, ut ad multam usque noctem in eis audiendis esset vigilandum.

902. Acceperunt et nostri diploma indulgentiarum jubilai, Roma missi, cum aliis P. Ignatii litteris, quibus tantopere laetati et animati sunt, ut ne mortem quidem detrectarent, nec quidvis aliud; immo et anhelarent ad vitam pro Christi amore exponendam; et in suis studiis diligenter pergebant et cum fructu; tantum id ægre ferebant operarii, quod laboris materia continua pro animarum auxilio non daretur.

903. Hoc autumno Cardinalis Lotharingus Romam profectus est, ad aliqua negotia cum Summo Pontifice Paulo IV tractanda, et secum deduxit illos quatuor doctores, de quibus superius mentio facta est <sup>6</sup>; et quia P. Ignatius scripserat, certandum esse cum contradictoribus humilitate, patientia et longanimitate, ut sic victoriam reportarent, libentissime id nostri parisienses se facturos polliciti sunt; et tamen illa testimonia Principum, Praelatorum, etc., saltem Cardinali Lotharingo ostendenda censebant <sup>7</sup>.

<sup>1</sup> Hercules d'Este.

<sup>2</sup> Aloysius d'Este. Vide supra, t. III, pag. 143, n. 289.

<sup>3</sup> Franciscus de Guise, qui uxorem duxerat Annam d'Este, Herculis filiam. Vide supra, t. IV, pag. 68, annot. 3.

<sup>4</sup> Is erat Julius Alvarotti. Vide FONTANA, *Renata di Francia, Duchessa di Ferrara*, t. II, pag. 293.

<sup>5</sup> Parisiensis.

<sup>6</sup> Pag. 11, n. 12.

<sup>7</sup> Acrius nonnihil quam Ignatius cum Societatis adversariis agendum putaverat P. Broët. Litteris enim 9 Junii datis et supra memoratis hæc ait: "Bisognarebbe (pa-

904. Et quia Episcopus Claramontanus significabat se expendere velle 7 aut 8 millia francorum in aedificatione Collegii Billionensis, et optabat P. Baptistam Violaenum, ad designandum aedificium illius Collegii, [et] in Auverniam ut etiam ille mitteretur instare P. Paschasius coepit.

905. Consolatus est Dominus, inter afflictiones, nostros parisienses conversione quorundam deploratae vitae hominum, de quorum salute cum perexigua spes esset, illi tamen, Dei gratia, in spiritu renovati, in dies magis in pietate proficiebant. Paulatim etiam coeperunt nostri apud S.<sup>m</sup> Lupum, S.<sup>m</sup> Aegidium, et S.<sup>tos</sup> Cosmam et Damianum, et apud S.<sup>m</sup> Gervasium confessiones audire; quamvis, ut nullibi major necessitas quam in custodiis publicis, ita nec uberius fructus quam in illis provenit.

906. Tyrunculi autem domestici, tum disputationibus, tum declamationibus vernacula lingua domi habitis, se exercebant, ut aliquando prodire in publicum certamen ad proximorum auxilium utiliter possent.

Et haec de Collegio Parisiensi.

## DE INITIO COLLEGII BILLIOMENSIS

### ET DE MISSIONE P. ROBERTI CLAYSSONII

907. Decima sexta die Maji cum Episcopo Claramontano iter in Auverniam P. Robertus ingressus est, qui humanissime et paterno quidem affectu et ab ipso Episcopo et ejus familia semper tractatus fuit. Cum in itinere, in oppidum (quod S.<sup>ti</sup> Pe-

---

rendo così a V. R.) impetrare da sua Santità uno breve apostolico con precepto sub poena excommunicationis latae sententiae non c' impedischino nell' administratione delli sacramenti, et che siamo admessi alli ordini sacri et alla predicatione et di tutte altre cose secondo l' Instituto della Compagnia; perche tanto più che saremo dolci et beniuoli et patienti, tanto più si mostrano loro feroci contra di noi. Et se vederanno che la pigliamo da vero et caldamente, penso che taceranno et non ci molestaranno tanto. Pure sia sempre fatta la volontà di V. R. et noi ci prepararemo con gratia del Signore Dio alla obedientia insin alla morte.,



tri vocant <sup>1</sup>) pervenissent, ejus Praefectus, vir probus et eruditus, et insignem affectum in Societatem gerens, precibus, a Magistro Roberto contendebat ut duo de nostra Societate eo mitterentur, qui erudiendae juventutis curam susciperent, et alter saltem divini verbi ministerium obiret, quibus propriam domum ad habitandum, victum et vestitum, suis impendiis pollicebatur. Sed ad P. Paschasium, ut Praepositum suum, negotium hoc ille rejectit.

908. Ipso in itinere commendaverat Episcopus Magistro Roberto orationem in synodo sacerdotum haberi solitam post Pentecostem, quod munus in se recepit; sed cum postea eam curam alteri demandatam a Vicario Episcopi rescivisset, ne quod offendiculum pateretur is, qui munus illud susceperat, pacis praetextu legitimo, ab Episcopo impetravit ut, cui ejus Vicarius rem commiserat et orationem paraverat, ei habere illam publice liceret. Jam res eo processerat, ut idem Vicarius denuntiaret ei, qui orationem erat habiturus, ut ab ea desisteret; sed omnibus nervis contendit Magister Robertus ut mentem Episcopi inflecteret, multis admirantibus et simul commendantibus quod ultro oblatum honorem ab Episcopo alteri cessisset, quem ambire ibidem precibus et obsequiis alii solebant. Non tamen immunis omnino evasit magister Robertus, nam proximo Octobri mense hoc munus se subiturum in alia synodo polliceri debuit <sup>2</sup>.

909. Cum ad oppidum Euscopiam (*Beoreghart* <sup>3</sup> vulgo vocant) 24.<sup>a</sup> Maji pervenissent, ubi Episcopus sedem figere consuevit, postridie (dies enim erat dominicus), primam in paroechia illius loci habuit concionem coram Episcopi familia et frequentissima hominum turba, et auditorum consolatione non exigua. Deinde, comitante medico Episcopi, Billionem postrema die Maji ingressus est. Ibidem feriis Pentecostes concionabatur. Triduum autem in ea urbe concionatus est, cum maximo populi confluxu et applausu, adeo ut non deessent qui clama-

<sup>1</sup> Rectior et brevior via Parisiis Claramontem euntibus illa fuisse videtur, quae, praeter alia plura, sequentia attingit loca: Fontainebleau, Nemours, Montargis, Briare, Neuvy, Meves, la Charité, Nevers, *St. Pierre le Mouliez*, Moulins, St. Pourcain, Ganat, Riom, Clermont. *La France divisé par Provinces ou Gouvernements militaires, avec les Routes, dressée... par le Sr. Janvier, Geographe, à Paris.*

<sup>2</sup> Vide infra, n. 934.

<sup>3</sup> Sic; est autem *Beauregard*.

rent beatum uterum, qui eum genuisset, et alia non pauca, quae insignem Canonorum, Magistratus, Professorum Universitatis ac studiosorum, ac denique civium omnium affectum declarabant.

910. Mirabantur autem omnes quod laborum nullum stipendium vellet recipere, quamvis vinum honorarium <sup>1</sup> a Magistratu oblatum, admittere debuit, ne incivilis haberetur. Transactis autem festis Pentecostes, ipso die mercurii, qui Junii 5.<sup>a</sup> fuit, sacrae scripturae lectionem auspicatus, B. Pauli ad Romanos Epistolam operariis diebus explicandam suscepit cum numero canonorum, scholasticorum et civium conventu, attentione et fructu non poenitendo. Gratulabantur cives (praeter ipsos auditores) tantae commoditatis occasionem sibi obtigisse; et hoc nomine valde [se] devinctos Episcopo profitebantur.

911. Septima autem ejusdem mensis Claramontem profectus, ab Episcopo postridie ad Diaconatus ordinem promotus est. Inde ab Episcopo missus est Montem Feranum <sup>2</sup>, quod oppidum Claramonti proximum est, ubi die dominico, gravissimorum virorum conventu, concionatus, non mediocri sui desiderio relicto, Episcopum Euscopiam reversum postridie subsequutus est.

912. Interea Billiomenses, reditum ipsius suspirantes, canonicos quosdam ad Episcopum miserunt, ut ab eo impetrarent maturius ad se magistrum Robertum mitti; sed et cives, die sequenti, cum Praefecto ad hoc ipsum Euscopiam venerunt, et cum exorassent Episcopum, 12.<sup>a</sup> Junii Billiomum reversus cum Praefecto urbis, hospite suo, die sequenti, quo festum corporis Christi celebrabatur, concionatus est in foro, ubi sanctissimum Christi corpus, quiescentibus qui illud deferebant, praesens erat, et innumerabilis hominum turba illud comitabatur.

913. Die veneris sequenti theologicam lectionem prosecutus est; dominico autem die sequenti, ante meridiem in paroecia S.<sup>ti</sup> Lupi, post meridiem autem in summo templo concionem cum solita populi frequentia habuit. Tantumdem praestitit 23.<sup>o</sup> die Junii, qui dominicus erat, et in die Nativitatis S.<sup>ti</sup> Joannis Baptistae in eodem summo templo. Feriis autem D. Petri et Pauli in aede S.<sup>ti</sup> Lupi.

<sup>1</sup> *onerarium* habet Ms.

<sup>2</sup> Mont-Ferrand.

914. Decreverat autem Episcopus Claramontem et ad vicinas urbes ad verbum Dei praedicandum eum mittere, quamvis circumjacentium pagorum immemor esse nolebat. Voluit Episcopus ut a Praefecti domo ad aliam, quam ipsemet Episcopus comparaverat, apud honestum quemdam et provectae aetatis virum hospitium haberet. Optabat autem magister Robertus aliquos de Societate nostra suppetias ipsi mitti, quia spiritualis messis uberrima et jam alba apparebat, nam affectu insigni homines magistrum Robertum prosequerantur, inter quos erat aliquis, qui cum inter blasphemos vel maxime infamis esset, alia negotia relinqueret, licet ipsum urgerent, ne concionum fructu privaretur. Aliqui etiam multis annis inter se dissentientes in concordiam redacti sunt.

915. Trigesima Junii, postquam supplicatio sollemnis celebrata fuerat, quia dominicus erat dies, ante meridiem quidem in templo D. Lupi concionatus est, sed post vespertinum officium apud Montem Morinum, milliario inde distans <sup>1</sup>, a domina loci per litteras invitatus, concionem habuit, ac modo simili, ipso die Visitationis B. Virginis mane in summo templo Billiomi, post meridiem apud Montem Morinum evangelium enarravit. Sed et Riomum, quae celebris est civitas <sup>2</sup>, 6.<sup>a</sup> die Julii profectus, multumque expectatus, duas ibidem conciones habuit usque adeo civibus gratas, ut litteris ad Episcopum missis, in diem dominicum proximum eum impetrare curaverint. Itaque ibidem 14.<sup>a</sup> Julii, concedente Episcopo, bis de pauperum subventionem (nam eo die processio pauperum agebatur) concionem instituit. Cives autem, diutius ipsum retinere optantes, multa offerebant, si apud ipsos commorari vellet; et concionandi munus in Adventu Vicarius Generalis ei obtulit; sed respondit magister Robertus fidem ab Episcopo Billiomensibus datam, et cum alii id niterentur obtinere ab Episcopo in Adventum vel Quadragesimam, repulsam passi sunt. Et succensebant pia quadam aemulatione Riomensibus cives Billiomenses, apud quos sequenti dominica magister Robertus concionatus est; et in die S.<sup>tae</sup> Mariae Magdalenae in pago Extendeul <sup>3</sup> rogatu

<sup>1</sup> "Mont-Morin..., de Billom (5 kil).", JOANNE, *Dictionnaire géographique de la France*.

<sup>2</sup> urbem ingratis celebrem. Ipse CLAYSSONIUS, *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 636.

<sup>3</sup> Sic; est autem *Estandeul*, milliario meridiem versus Montemorino distans.

Praepositi Riomensis concionem habuit, compluribus, ad eam audiendam, ex diversis pagis confluentibus. Sic pergebat partim Billiomi, partim in locis vicinis concionari, nam cum ipso die, qui S.<sup>to</sup> Jacobo sacer erat, Billiomi praedicasset, 28.<sup>a</sup> Julii Issorii <sup>1</sup> binas conciones habuit, cui civitati, adeo gratus fuit, ut illi domum et stipendium liberale perpetuum offerrent, si manere ibidem vellet; et saltem in Adventu proximo, ejus operam sibi concedi optabant.

916. Tres ergo civitates, Billiomus, Riomus atque Issorium, miro studio ejus concionibus afficiebantur; plurimum autem Billiomi et in vicinis locis ecclesiastes munereungebatur. Itaque, quod Parisiis deerat, occasio scilicet talenti exercendi, in Avernia supplebatur, cum tam multorum civitatum ac locorum studiis satisfacere minime posset.

917. De rebus autem necessariis ad victum et vestitum ipsemet Episcopus magistro Roberto prospiciebat, et de sua bibliotheca libros illi opportunos mittebat.

918. Scholasticus <sup>2</sup> autem ecclesiae Billiomensis, cum aliquot canonicis, convenit magistrum Robertum et praefecturam Academiae ac primariam auctoritatem ut administrare vellet postularunt, et id nomine non solum Academiae <sup>3</sup> sed ipsius etiam Capituli offerebant, cujus hic erat animus ut Societati curam ejus Universitatis injungeret. At magister Robertus, aetatis minus provectae praetextu <sup>4</sup>, nihil alioqui acturus sine Praepositi Generalis consensu, hoc munus detrectavit, et sub finem Junii mensis, ex recepto more, studiorum inducias, quas vacationes vocant, usque ad festum B. Mariae Magdalenae permisit. Et die 28.<sup>a</sup> Junii in illas aedes ab Episcopo comparatas commigravit, quae collegio Societatis extruendo dicatae jam erant.

919. Sed non proinde a concionibus vacavit; immo liberius eo tempore ad alias urbes et loca vicina excurrere potuit, ut de

<sup>1</sup> Issolre.

<sup>2</sup> "Dignitas ecclesiastica, qua qui donatus est, Ecclesiasticis [scholis] praeest. Gallice *Ecolâtre*." Du CANGE, *Glossarium*.—Hispanice *Maestrescueta*, et aliquando (a vocibus *caput scholae*) *capiscot*, quo tamen nomine plerumque designatur Cantor (quasi *caput chori*), hisp. etiam *Chantre*.

<sup>3</sup> Ms. habet *Capituli*, sed aut hic aut quarto proxime sequenti loco voce *Academiae* substituendum videtur.

<sup>4</sup> Cf. dicta supra, t. iv, pag. 320, n. 685.

Riomo diximus, ubi suprema Averniae curia est, ac proinde civium opulentia et externorum confluentium frequentia celebris est, et Issorium, quatuor milliariis Billiomo distantem, ubi populus suum affectum non verbis tantum sed et lacrymis inter concionandum ostendebat.

920. Sed Riomenses collegii etiam instituendi apud se desiderio tenebantur, et Billiomensibus se praeferri debere contendebant; et quidem absque ullis impendiis Episcopi hanc provinciam illi suscipere volebant; et ut hoc impetrarent, atque etiam ut proximo Adventu, aut saltem Quadragesima, apud ipsos magister Robertus concionaretur, Euscopiam ad Episcopum eorum aliqui venerunt, qui tamen sententiam suam minime mutavit, et respondit eis, post Billiomense collegium extractum, placere sibi ut Riomi alterum extruatur, quam conditionem cives acceperunt <sup>1</sup>.

921. Invisibat autem xenodochium Billiomense aliquando magister Robertus, et ut aegris bene consuleretur dabat operam. Infirmos etiam in privatis domibus, adjuncto semper comite, adire frequenter, et quidem cum maxima eorum consolatione, consueverat; cum enim sacerdos non esset, confessiones eorum audire non poterat.

922. Vicarius autem Generalis Riomensis (ab abbate S.<sup>ti</sup> Amabilis <sup>2</sup> is constituitur Riomae <sup>3</sup>), Euscopiam veniens, et in Adventum aut Quadragesimam magistrum Robertum ab Episcopo postulans, minime impetravit ad hunc annum, sed ad sequentem, si id ipsi exposcerent, et medio tamen tempore eosdem frui posse interdum ejus opera.

923. In more erat magistro Roberto diebus dominicis et festis bis praedicare, mane de epistola et a prandio de Evangelio, in diversis ecclesiis Billiomensibus; aut altera concio Billiomi, et altera in locis vicinis habebatur; nam summo desiderio undecumque ejus ministerium expetebatur; et ita accidebat

<sup>1</sup> Nunquam tamen Societas Riomi stabile domicilium habuit.

<sup>2</sup> In *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 637, dum Clayssonii litteras, ex quibus haec deprompta sunt, edebamus, ad paginae calcem dubitantes scripsimus hic *Saint-Amant-Roche Savine?* Est autem hic sermo non de oppido, sed de Abbatia, quae Sancti Amabilis Ricomagensis (*S. Amable de Riomi*) appellabatur. Cf. MAS-LATRIE, *Trésor de Chronologie, etc.*, *Geographie ecclesiastique*, col. 1895.

<sup>3</sup> Sic, quasi *Rioma, ae*; alibi *Riomi* quasi ex *Riomus*, aut *Rionum*, *i.*—Aliis est *Ricomagum*,

ut aliquando tribus in ecclesiis ac diversis locis eodem die concionaretur; et tamen multis suam operam negare subinde cogebatur, ut Ambertensibus, quorum oppidum septem milliariibus Billiomo distabat <sup>1</sup>, et aliis non paucis, tam urbibus, quam pagis vicinis, quos tamen verbo Dei consolari, cum primum posset, proponebat.

924. Septima die Augusti lectionem theologicam resumpsit et prosequutus est, ad quam audiendam cum Episcopus Billiomum venisset, eidemque interfuisset, coram multis testibus quam sibi ea placuisset testatus est. Ipso die S.<sup>ti</sup> Bartholomaei in pago quod Bor <sup>2</sup> nominatur, duobus milliariibus Billiomo distante, dominica sequenti in viciniore, nomine Fagheto <sup>3</sup>, et eodem die post meridiem, apud Montem Morinum. Ipso die S.<sup>ti</sup> Agustini Soriaci <sup>4</sup>, sequenti autem Billiomi; et ita verbum Dei multis in locis seminabatur et optime audiebat Societas apud Auvernos.

925. Sed flagrabant Billiomenses usque adeo desiderio collegii erigendi, ut morae impatientes Episcopo offerrent centum coronatorum annum redditum; canonici praeterea unius canonicatus proventum ad nostros alendos, ut ipse Episcopus statim ad aedificium ac templum extruendum manus admoveret: sed ipse Episcopus, cum Billiomi esset id temporis, omnia impendia se subiturum et civitati et canonicis dixit; et cum locum ac domum inviseret, quam jam tunc incolebat magister Robertus, coram medico suo affirmavit se usque ad octo millia francorum aedificio et templo extruendo impensurum in situ jam designato, qui amplius erat; et sexcentos francos annui redditus jam tunc promisit, quamvis postea non parum ipso opere promissionem suam superavit. Licet tamen urgerent cives ut statim inciperet aedificium, consultius existimavit differre, donec ali-

<sup>1</sup> Ambert.

<sup>2</sup> Sic; scribendum vero videtur BORT, "*Puy-de-Dôme*, c. de 930 h., au pied d'une colline de 436 m., sur un affluent du Litroux, cant. de Billom (12 kil.), arr. de Clermont-Ferrand (34 kil.)," JOANNE, l. c.

<sup>3</sup> Sic; esse tamen videtur FAYET, "*Puy-de-Dôme*, c. de 1025 h., sur un affluent naissant de l'Allier, à 663 m., cant. de Saint-Dier (7 kil.), arr. de Clermont (35 kil.)," Id., *ibid.*—Distat hoc a Montemorino, ubi eodem die post meridiem concionatus est Clayssonius, duobus fere milliariis.

<sup>4</sup> In *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 630, cum in Clayssonii litteris in hoc nomen incidimus, ad paginae calcem haec scripsimus: "Sic; *Sauriac*? At in vicinia urbis Billom nullum reperimus hujus nominis oppidum.—Verum duobus fere milliariis ab urbe Billom distans reperimus *Chauriat*, quod in veteribus chartis est *Chauriac*, "*Puy-de-Dôme*, c. de 1370 h., dans de collines de 600 m., à 4 kil. de l'Allier, cant. de Vertaizon (3 Kil.), arr. de Clermont (24 kil.)," Id., *ibid.*

quis Societatis nostrae rationem aedificii praescriberet; et ita aliquos de Societate ad se mitti, ac nominatim P. Violaenum postulabat <sup>1</sup>.

926. Discipulorum caterva obruisset magistrum Robertum, si eos admittere voluisset; et Praefectus Billiomensis ac primarius Consul Issoriensis filios suos apud hospitem magistri Roberti collocarunt, ut ejus vitae exemplo et arbitraria opera ejusdem ad meliorem frugem proveherentur. Tanto autem honore atque obsequio eum prosequabantur et Billiomenses et externorum locorum homines, ut illi quodammodo jam molestum esset. Prima die Septembris, postquam mane in summo templo concionatus esset, disputationibus publicis post meridiem interfuit, in quibus, cum primus disputandi locus ei assignatus esset, honorem hunc ipse detulit claramontanae scholae moderatori, qui tunc aderat. Sed secundum locum, vel invitatus, sortiri debuit, nec sine favore auditorum eo disputandi munere functus est.

927. Eodem die litteras accepit a Praeposito ac Vicario Generali Riomensi, quibus ex communi suffragio canonicorum invitabatur ad solemnem concionem, ipso die Nativitatis B. Virginis habendam; et ignorans magister Robertus quod hanc concionem Priores Dominicanorum, Carmelitarum et Augustinensium, ac denique Guardianus Minorum, sibi deferri postularant, quia percelebris erat, et repulsam tulerant, fidem habendae concionis dedit.

928. Venit itaque Riomum pridie Nativitatis B. Virginis, et ipso die duas conciones in ejus templo habuit, cum unica haberi solita esset, cum tanto populi confluxu, quantum locus capere potuit. Canonici autem cum Praeposito, post gratiarum actionem, cum stipendium offerrent solitum et dolerent quod nihil admitteret, talem esse consuetudinem Societatis nostrae eis significavit, ne amplius eum urgerent. Sed de hospitio ipsius inter primarios viros altercatio erat, cum domi suae quisque cum habere vellet; et quamvis optabant ut in festo Exaltationis Sanctae Crucis ibidem concionaretur, quia Billiomi agebatur haec festivitas, non alibi concionari eum oportuit; et pacavit interim animos offensos aliquo modo ob piam aemulationem harum civitatum.

<sup>1</sup> P. Joannem Baptistam Viola.—Cf. etiam supra dicta pag. 333, n. 891.

929. Cum autem 21.<sup>a</sup> die Septembris ad sacerdotium Claramonte fuisset promotus, postridie Billiomi in summo templo sacrificium Deo obtulit, nam prius quam sacerdotium susceperet, jam se exercuerat in sacro dicendo. Et complures ex vicinis locis ac civitatibus, ut ejus primitiis offerendis adessent, confluxerunt.

930. Prius tamen, ubi cum frequenti admodum auditorio in die Exaltationis S.<sup>tae</sup> Crucis Billiomi fuisset concionatus, demonstrato ibidem Christi sanguine, qui <sup>1</sup> in ea civitate magna cum veneratione habetur, a prandio Issorium, consulis litteris evocatus, se contulit, ubi postridie bis concionatus est. Erat ipsemet Episcopus Issorio oriundus, et ibi consanguineos non paucos habebat; et hac confidentia, ut in Adventu altero apud se concionaretur, ab eodem Episcopo postularunt, quorum pio voto Episcopus nec suffragari nec refragari voluit; et non exiguus in ea civitate fructus sperabatur, in qua nonnulli, ob haeresis suspicionem, male audiebant. Inde reversus Billiomum, et die ipso S.<sup>ti</sup> Matthaei, ut diximus, promotus, singulis diebus Missae sacrificium percontare coepit; et cum, praeter lectionem D. Pauli quam prosequeretur, hebraicam etiam lectionem auspicatus esset, vacaret nihilominus consolationi infirmorum, reconciliationi dissidentium, et definitioni casuum conscientiae, de quibus consulebatur, nec suam operam cuiquam se vocanti ad functiones nostri instituti negaret, confessiones etiam audiret, obstupescabant homines, quod tam multis laboribus obeundis par esset; et [cum] dona quae in primo Sacro plurimi offerebant non admitteret, immo, missa aliunde extra Billiomum, remitteret, bonus odor Societatis mirum in modum per ea loca diffundebatur.

931. Claramonte autem summo in templo, praesente Episcopo, et aliis in locis ejusdem urbis, et extra illam in compluribus aliis, conciones ante Adventum habuit, et frugem Evangelii non vulgarem retulit, ac Societatis desiderium ubique reliquit.

932. Billiomum inde reversus, cum vacabat, arbitrariam operam discipulis hospitis sui non raro impendebat <sup>2</sup>. Adven-

<sup>1</sup> Ms. habet *quod*.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 344 n. 926, et infra, n. 938.



tum autem Billiomi transegit, Epistolam ad Hebraeos enarrando, cum tanta auditorum turba, potissimum diebus festis, ut ipsemet non parum miraretur ob rei novitatem; et passim nova civitatis ejus facies videbatur, si cum olim consueto more vivendi eam quis contulisset; plurima peccata ipsius concionibus praepediri passim ferebatur, et magna prorsus reverentia ac observantia populus ipsum, licet aetate et vultu juvenem <sup>1</sup>, colebat; nec quisquam erat, qui coram ipso ad Dei offensam quidquam dicere non vereretur, et si forte lapsu linguae aut imprudentia juraret quispiam, statim erubescere quasi sibi iudex ipse esset.

933. Quoties Billiomi, alio vocatus, non poterat concionari, absentiam ejus Billiomaei aegre ferebant; arbitrio tamen ipsius proprium affectum submittebant; et in dies in eo lux divinae gratiae splendidior ei populo videbatur. Episcopus autem Claramontanus, pio uberius lucris spiritualis studio ad confessiones audiendas eum est adhortatus, suam illi jurisdictionem ac potestatem omnem ad casus reservatos committens. P. etiam Paschasius Societatis facultatem et administrationem, Episcopi arbitrio subscribens, commisit; et quatenus per occupationes licebat, eam exercebat.

934. Vigesima quarta Octobris in synodo Claramontana, ad quam curiones universae Dioecesis convocandi [erant] ex more, orationem de pastorum officio, praesente ipso Episcopo, cum aliquot Abbatibus ac frequentissima auditorum corona habuit <sup>2</sup>; quae usque adeo placuit, ut Episcopus eam jusserit typis excusam in lucem prodire; doctis etiam aliis viris magnopere ea placuerat <sup>3</sup>.

935. Vigesima sexta Octobris P. Hieronymus Bassius cum magistro Petro Chanale Claramontem ad Patrem Robertum pervenerunt, quibus statim Episcopus simul cum Patre ipso Roberto vestes necessarias, contra hyemis injuriam, confici curavit, et Patrem Hieronymum Claramonte ad tempus collocavit; qui in xenodochio quotidianis Missae sacrificiis, verbi Dei praedicatione, ac pauperum cura domestica, hospitalis totius

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 320, n. 685.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 338, n. 918.

<sup>3</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. iii, pag. 701.

consolationi suam operam impendit <sup>1</sup>, cum celebris Societatis fama in magnam admirationem homines excitante <sup>2</sup>. Et singularis ejus viri modestia, mansuetudo, ac prudentia effecit ut merito aliis nostris auctoritate Patris Ignatii praefereretur <sup>3</sup>.

936. Concionatus est et ipse quotidie, toto Adventus tempore in xenodochio, priorem Petri Apostoli Epistolam Canonicam explicans, et quidem cum maxima auditorum gratia et frequentia; et ob zelum pietatis, qui in eo foris elucebat, frequentius in hospitali auditorium habuit professore theologo Franciscanorum in sui coenobii aede concionante. Maximam autem apud cives claramontanos benevolentiam et auctoritatem studio suo indefesso ad animarum auxilium conciliavit.

937. Magister autem Petrus Chanalís, valetudinis resarciendae gratia, et ut sacros ordines reciperet, Euscopiae ab eo <sup>4</sup> retinebatur, et suo interim exemplo et colloquiis, omnibus amabilem se reddebat; et sub initium anni sequentis socium adjungere Patri Roberto eum Episcopus cogitabat.

938. Familiae, in qua versabatur P. Robertus, domestici singulis mensibus confitebantur, non absque virtutum profectu; diebus singulis pias precationes vespere, coram crucifixi imagine, more Parisiensis Collegii, simul omnes effundebant. In christianae doctrinae rudimentis et in re literaria exerceri [eos] curabat, et demum omnes in virtutibus proficiebant.

939. Quod ad externos attinet, jurandi abusus passim in familiis relinquebatur, et si quis aliter quam deceret nomen Dei usurpasset, mutuo se admonebant. Scurrarum copia, diebus sacris ludis ac lucris vacare solita, conviciis ac perjuriis infamis, e plateis evanuit, turba undique ad concionem confluenta; fructus etiam signa erant suspiria frequentia, confessionum antidota a multis postulata, et frequens hominum ad Missae sacrificium concursus, praesertim cum ipse P. Robertus Sacrum faciebat.

<sup>1</sup> Similem jam olim operam huc hospitali impenderat Hieronymus le Bas, ut videre est supra, t. III, pag. 297, nn. 662 et 663, et in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 593.

<sup>2</sup> Sic, nec sensu nec syntaxi satis consistentibus. Verum definire non valemus an scribendum sit *cum celebris Societatis fama homines... excitaret*, an vero *cum celebris Societatis fama homines... exultando*, aut quid simile.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 324, n. 875.

<sup>4</sup> Scilicet Episcopo.—Librarius scripserat *ut sacros ordines ab Episcopo reciperet*, *Euscopiae ab eo retinebatur*; at verba *ab Episcopo*, ut vere redundantia, verso calamo cancellavit.

940. Protrahere aliqui confessiones Adventus usque ad Epiphaniam cupiebant; sed hoc a P. Roberto non impetrarunt. Nitebatur autem eos, qui conciones ipsius sequebantur, ad poenitentiae et Eucharistiae frequentationem adducere. Aliqui eidem Patri confitentes, aut extra confessionem consulentes, a peccatis emergerunt, quibus implicati erant; et ab aliquo non exigua pecuniae summa restituta est. Cum parochis gravis ipsi conflictus erat, qui, quamquam negligentes et obstinati propemodum viderentur, increpantem tamen venerabantur et amabant, et tandem emendationis spem bonam praebebant. Usurae, perjuria et concubinatus gravem ei regioni pestem adferebant; tyrannis tamen hujusmodi vitiorum energia verbi Dei sensim expugnabatur cum multorum consolatione. Quaedam autem loca ante Quadragesimam, ad quae prius non accesserant (*sic*), invisere et verbo Dei consolari decreverat.

941. Episcopus autem, qui jam tres operarios nactus erat, quatuor praeterea professores a P. Ignatio obtinere nitebatur, nam in nostros totam Academiae illius curam transferre, quam eatenus collegium canonicorum tenebat, constituerat <sup>1</sup>; aedes autem conductitias Episcopus nostris parare statuerat, donec in illis, quas P. Robertus habitabat, collegium erigeretur. Domum quamdam, cognomine Gibot, emere nostris voluit, sed quia duobus millibus coronatorum eam dominus indicabat, noluit Episcopus sumptus hos facere, a fundamentis alioqui aedificaturus.

942. Claramontenses aliquot cives praecipui, ut in sua civitate collegium erigeretur et optabant et ab Episcopo impetrare nitebantur; sed firma ejus stetit sententia ut Billiomi potius illud institueret.

Et haec de initiis Billiomensis Collegii.

---

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 341, n. 918, et Episcopi Claramontani ad Ignatium litteras in *Acta Sanctorum*, mense Julio, t. vii, n. 450 et seq., PRAT, l. c., pag. 313 et 319, et *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 589.

---

## DE MISSIONE P. PONTII COGORDANI

### ET PRIMIS INITIIS COLLEGII AVENIONENSIS

943. Superius attigimus in gratiam Cardinalis S.<sup>tae</sup> Crucis missum fuisse P. Pontium <sup>1</sup>, qui Romanae domus procurator erat, ut cujusdam monasterii reformationi in Provincia operam daret. Et quia Cardinalis Farnesius, Avenionem proficiscens, Patri Ignatio scripserat aliquem de Societate nostra postulando, cujus ibidem opera uteretur, jussus est idem P. Pontius et huic etiam justae postulationi Cardinalis pro virili parte satisfacere. Roma ergo profectus mense Februario Cardinalem Gradoli <sup>2</sup> (ad Ducatum Castri locus is pertinet) invenit, qui perlectis litteris Cardinalis S.<sup>tae</sup> Crucis ac P. Ignatii, laetitiam prae se ferens non mediocrem, et Patrem Pontium cum socio Julio Onofrio <sup>3</sup>, perbenigne accipiens: “bonam,, inquit, “societatem in hoc itinere habiturus sum,,.

944. Tres autem triremes habiturus erat valde bonas Prioris Capuae, in quibus Marsiliam se conferret <sup>4</sup>. Interim tamen nostri, quandiu Gradoli haeserunt, abunde patientiam exercendi occasionem habuerunt, quod ad habitationem attinet, cum tamen ibi frigus vehemens vigeret, licet Cardinalis serio ut nostris prospicerent suis injunxerit; triduo autem, quod ibi primo exegerunt, quamdam concordiam non exigui momenti

---

<sup>1</sup> Patrem Pontium Cogordanum. Vide supra, pag. 8, n. 8.

<sup>2</sup> Oppidum in Pontificiis Statibus ad lacum Bolsenae.

<sup>3</sup> P. Julio Onfroi.

<sup>4</sup> Prior Capuae (quae dignitas est in Melitensium equitum Ordine), Leo Strozzi, paucis ante mensibus occisus fuerat. Dicuntur autem hae triremes *Prioris Capuae*, quia ad classem pertinebant, cui praefectus ille fuerat. Ejus loco classem regebat nunc *Baccio Martelli florentino*. Vide infra, n. seq. annot. 4.

P. Pontius confici curavit. Ipsa Communitas Patrem Pontium mediatorem effecerat, qui cum Cardinale rem transegit.

945. Castrum <sup>1</sup> inde venerunt, ubi Cardinalis litteras ad Regem Poloniae scripsit in commendationem Patris Bobadillae, qui, vivente Julio III, cum Veronensi Episcopo mittendus erat, quamvis sub Paulo IV ejus loco P. Salmeron eo profectus fuerit <sup>2</sup>. Ibi etiam pacem aliam, non exiguo cum fructu, Deo juvante, conciliari P. Pontius curavit. Montem altum <sup>3</sup> inde profecti, primo die Martii triremes conscenderunt, et in sua Cardinalis Farnesius esse voluit, ut ipse joco dicebat, ut, inter multos non tales, boni aliqui essent. Magnam et devotionem et venerationem semper nostris et ipse et, propter eum, alii clari viri nostros prosequerantur; inter quos erat, D. Paulus Jordanus Ursinus, Praefectus Generalis in Corsica, pro Rege Galliae futurus <sup>4</sup>. Septima die Martii Marsiliam prospera navigatione pervenerunt, cum omnes portum Herculis <sup>5</sup>, et S.<sup>6</sup> Bonifacii, et Ajacii <sup>6</sup>, ac Tolonis <sup>7</sup> (qui omnes Regi Galliae tunc parebant) attigissent.

946. Cum autem Tolone Marsiliam trajicerent, ultimo die navigationis morbus quidam (quem schinanciam <sup>8</sup> vocant) tam graviter P. Pontium opprimere coepit, ut affirmaret medicus mortem ipsi imminere, si navigatio diutius durasset; sed remediis adhibitis, praesertim sanguine emisso et magna abstinencia, periculum illud evasit. Postridie quam pervenisset, Cardinalis Farnesius per equos dispositos Avenionem profectus est,

<sup>1</sup> *Castro*, latine aliis Volscia, Valentiana, Bisoncio (*Gams*).

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 8, n. 8.

<sup>3</sup> *Montalto*, ad fluvium *Fiora*, qui non procul in Mediterraneum mare mittitur.

<sup>4</sup> "En 1555, Jourdain des Ursins (Paolo Giordano Orsini) remplaça le Maréchal de Thermes dans le commandement des troupes françaises en Corse.", *Histoire de l'Isle de Corse*, cap. iv, in *Histoire universelle... par une Société de gens de lettres*, t. lxxxvi. —"Il Re di Francia o sia per le rappresentanze fatte da Sampiero; oppure per servirse-ne in altre guerre, o finalmente per qualche politico fine richiamò in Francia il Termes, facendovi ripassare Giordano Orsino, che avea già compito il tempo promesso al d' Oria di non guerreggiare, allor ch'è colla sua guarnigione se ne dovè passare in Francia..... L' Orsino adunque da Roma, ove trovavasi in compagnia di Alessandro Farnese Cardinale, a tenore dei Reali comandi, sopra le galere di Baccio Martelli approdò in Ajaccio ai primi di Marzo. Il Cardinale poi proseguì il viaggio per Marsiglia.", *CAMBIA- CI, Istoria di Corsica*, lib. vii. —Nondum, dum haec scribebat Polancus, clarus! evase- rat Paulus Jordanus primae uxoris, Elisabeth de Medici, occisione.

<sup>5</sup> *Porto Ercole*, in Italia, in ditone tunc Senensi.

<sup>6</sup> *San Bonifacio* et *Ajaccio*, portus in insula Corsica.

<sup>7</sup> *Toulon sur-mer*, portus Galliae notissimus.

<sup>8</sup> *Squinancia* italice, *esquinencia*, *angina* hispanice

D. Juliano Ardingelo <sup>1</sup>, suae domus praefecto, ac medico ut curam P. Pontii haberent, commendans; quo jam convalescente, pecuniam eidem reliquit, ut paulatim et commode Avenionem veniret. Quamdiu navigarunt, et ante navigationem, Cardinalis Farnesius cibum nullum prohibitum in Quadragesima sibi proponi voluit, et semper suae mensae assidere P. Pontium voluit, et ad optima quaeque animum propensum semper exhibuit, et in tota trireme religiose se gerere P. Pontio videbatur; nec omittam tam districte Marsiliae et in Provincia abstinentiam quadragesimalem id temporis fuisse observatam, ut cum medicus necessarium esse usum carnum P. Pontio diceret, et confessarius ac Vicarius Marsiliensis idem confirmarent, vix tamen, sine offendiculo aliorum, carnibus vesci potuerit, et antequam medicus consuluerat, ejus usum relinquere debuit.

947. Avenionem demum pervenit et a Cardinali atque ejus curia amanter exceptus est; et cum ab eo facultatem peteret ut Brugnolam <sup>2</sup> ire sibi liceret, dissimulabat Cardinalis, et alia de re sermonem inferebat, aliquandiu enim eumdem ibi retinere cogitabat. Vocavit autem Pro-legatum Avenionensem <sup>3</sup> et Vicarium, commisitque illis Cardinalis ut singillatim omnes concionatores, Avenione ea Quadragesima praedicantes, simul cum Patre Pontio audirent. Ad monialium etiam monasteria omnia cum eodem ire jussit. Vicario autem seorsum ac Patri Pontio commisit, ut confessarios Avenione idoneos constitui curarent; et quidem eo tempore erat magnus poenitentium ad hoc sacramentum concursus propter festum Annuntiationis B. Virginis et indulgentias quasdam. quae tota Quadragesima magnae sunt, atque Romae.

948. Vicarius ergo, vir doctus, secum deduxit P. Pontium ut insignem quemdam praedicatorem Ordinis S.<sup>ti</sup> Dominici audiret; et deinde concionatorem simul cum eodem Patre ad

<sup>1</sup> Sic; rectius et frequentius *Ardinghello*, vel *Ardinghelli*. Is jam plures annos Cardinali inservierat, cujus nomine Imperatorem adiverat anno 1550. Vide ADRIANI, *Istoria dei suoi tempi*, fol. 285, A.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 9, n. 9, annot. 2.

<sup>3</sup> Jacobum Mariam Sala, Episcopum Vivaniensem. CHOSAT, *Les Jesuites et leurs œuvres à Avignon*, cap. 1, pag. 4. Auctor lectorem remittit ad P. PRAT, *Mémoires pour servir à l'histoire du père Broet*, etc., pag. 214; verum in ea pag. nihil tale reperitur, sed in pag. 338, ubi tamen mentio non fit Vice-legati.—Vide infra, n. 966.

prandium invitavit; et in ipsa mensa cum de multis rebus esset disputatum, dixit P. Pontius sibi non magnopere probari quod concionatores catholici multum temporis in haeresibus explicandis et confutandis consumerent; sed ad ea potius se converterent, quae populum instruerent et incitarent ad vitia fugienda et virtutes consecretandas; et si quando de haeresibus fieret mentio, non esse immorandum in sententiis haeticorum explicandis, sed in eo quod teneri debet a viris catholicis. Et hujusmodi colloquium perutile fuit; nam ille concionator conciones perutiles in posterum habuit, et in rebus moralibus totus fere versabatur, egregie populum docens et tantum per transennam de haeresibus agens.

949. Visitavit autem cum Vicario omnia monasteria, et coepit in eorum singulis P. Pontius concionari; nobiles autem Cardinalis Farnesii <sup>1</sup> fere omnes eidem confiteri volebant. Ipsa vero monasteria et urgebant eum ut ipsis concionaretur, et etiam ut earumdem confessiones audiret. Satis liberae moniales avenionenses erant, et fere omnes nobiles, et non alia via reformari posse quam per frequentationem sacramentorum et concionum videbantur, nam vim ipsis inferre perdifficile erat.

950. Injunxit etiam Cardinalis P. Pontio ut libros judaeorum, quos Talmud vocant, videret, et eos comburendos curaret, qui id mererentur, sicut Romae et Anconae factum fuerat <sup>2</sup>; et hujusmodi librorum catalogum ei dari voluit; quamvis judaei officiales eum <sup>3</sup> donis corrumpere et Cardinalem decipere nitebantur, ac suum Talmud duorum annorum millia ante Christi adventum confectum fuisse mentiebantur, quibus sese opponens P. Pontius, recepit se ad P. Ignatium scripturum, et catalogum librorum hujusmodi Romae combustorum postulaturum, ac propositiones, quas ex hujusmodi libris [excerpsit] Alexander Franciscus, vir eruditus ac pius, quem superius ex judaeis conversum fuisse meminimus <sup>4</sup>, ac demum lucem omnem, quae

<sup>1</sup> Intelligendi videntur nobiles, qui de familia Cardinalis erant.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 141 et 142, n. 282.

<sup>3</sup> Ms. habet *ejus*, et forte deest verbum *integrālem* aut quid simile; nos tamen brevius rem componimus substituentes *eum* pro *ejus*.

<sup>4</sup> Vide supra, t. ii, pag. 215, n. 110.—“Ho dimandato a Mtro. Alessandro quella nota delli libri hebrei si sono bruciati qui in Roma, et non l' ho havuta insin' adesso. M' ha detto volerla dimandare a fra Michele, Commissario della Inquisitione; et forse con questa o con altre prime si manderà alla R. V.ª Polancus, *ex com.*, Patri Pontio Cogordano, 6 Maji 1555.

adferri poterat ad hoc negotium conficiendum, postulavit. Prosequebantur autem judaei odio maximo Alexandrum; nec mirum, cum ipsorum fraudes ac impietatem detegeret.

951. Cum autem ad curiam Regis Gallorum Cardinalis esset iturus, commendavit ei negotium P. Pontius, ut simul cum Cardinali Lotharingo res nostri Collegii Parisiensis promoveret. Pollicitus est omnem suam operam Cardinalis; sed tunc rebus avenionensibus vacandum esse dicebat.

952. In templo B. Virginis, quam donorum <sup>1</sup> vocant, exposuit se confessionibus audiendis P. Pontius; plurimae enim ob populi concursum audiebantur; nec omittebat praeterea suas conciones in praedictis monasteriis, et quandiu Avenione esset Cardinalis, Brugnolam ire Patrem Pontium non permittebat. Commisit eidem ut magnates quosdam, quos haereticos esse suspicabatur, alloqueretur, ut quomodo se res haberent erga catholicam fidem intelligeret. Cleri etiam visitationem eidem commisit.

953. Quod ad collegium attinet Avenione inchoandum juxta ipsius Cardinalis voluntatem, injunxit P. Pontio ut domum aliquam commodam quaereret; et multum se sperare ex hujusmodi collegio instituendo significabat; et, hoc instituto, alia in regno Galliae erigenda esse affirmabat. Sed ecce, dum res hujusmodi Avenione tractantur, Cardinalis, qui 9.<sup>a</sup> die Martii Avenionem venerat, 30.<sup>a</sup> die ejusdem mensis de morte Julii III Pontificis intellexit, et totum reformationis negotium, cui serio his diebus vacaverat, et cum magno fructu prosequuturus sperabatur, interruptum fuit.

954. Cum ergo Cardinalem eadem nocte adiisset P. Pontius, litteras ipsi ostendit Cardinalis Roma acceptas, quibus de morte Pontificis Julii, quae 23.<sup>a</sup> die ejusdem mensis acciderat, certior reddebatur; et postridie se Romam versus profecturum dixit. Tunc P. Pontius eundem serio adhortari coepit ut, Deum ante oculos et commune bonum proponendo, electioni novi Pontificis sincere daret operam, et ut ipse confiteretur et communicaret ante ingressum in conclave; quod Cardinalis libenter promisit; et ejus devotio ad cultum Dei promovendum longe superavit ipsius P. Pontii expectationem. Et quia vacabat et reformationi

<sup>1</sup> Sic; est autem *Notre Dame des Doms*.



ministrorum justitiae, religionis et cleri, et haereses fortiter oppugnabat, et multa alia pietatis opera fovebat, si diutius Avenione mansisset, insigne fructum P. Pontius consequuturum sperasset. Et rediturus credebatur, et tunc demum institutioni Collegii dandam esse operam Cardinalis Farnesius dicebat. Viderat quidem domum quamdam magnam ac pulchram cum horto et area, quam Cardinalis in usum collegii comparaturus erat; sed nuncium illud et profectio statim sequuta rem infectam reliquit. Mille et quadringentis aureis, et forte mille et ducentis, domus ea haberi poterat, quae, praeter habitationes commodas et multas, in usum scholarum inferius aulas quasdam habebat. Inhabitabat eam tunc Salerni Princeps<sup>1</sup>; et in eadem domo aliquando de collegio quodam saeculari instituendo tractatum fuerat.

955. Avenionensis civitas pernobilis est, et in comitatu Provinciae primas tenet, divitiis et rerum omnium copia satis abundat, et in universum loquendo, probitas vitae christianae omnibus placet; sed religiosis et ecclesiasticis nostrorum adventus non admodum gratus videbatur. Obtinuit autem facultatem a Cardinali P. Pontius, (licet renitente Pro-legato, qui retinere ipsum voluisset) ut Brugnolam pergeret ad monasterium illud juvandum, quod Cardinalis S.<sup>tae</sup> Crucis ei commendaverat.

956. Cum itaque fere in omnibus monasteriis concionatus esset, bono Societatis odore Avenione relicto, inde profectus est, et antequam Brugnolam perveniret, Auxium (*Aix* vulgo dicitur) ubi Provinciae Senatus vel Parlamentum residebat, se contulit; nam cum Praeside hujus Senatus, cognomine Duppe-da, atque adeo cum ipso Parlamento, prius agendum erat, quam ad monasterium Cellarum prope Brugnolam quidquam, ad reformationem pertinens, agere tentaret, et omnes significabant P. Pontio quod duram admodum provinciam susceperat. Et ipse facile id conjectare poterat avenionensium monasteriorum qualitatem expertus.

957. Octava ergo die Aprilis, die lunae hebdomadae sanctae, Brugnolam pervenit, ubi jam publice circumferebatur nostros cum potestate magna venisse ad reformandas moniales.

---

<sup>1</sup> Ferdinandus (Ferrante) Sanseverino, qui ab Imperatore ad Galliae Regem transfugerat. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. II, pag. 11.

Cellae; et cum ubique in Provincia honorifice et amanter excepti essent, Brugnolae tamen ne hospitem quidem, apud quem diverterent, invenerunt, nec fere cui loqui possent; nullus enim publice audebat favorem ullum nostris ostendere, cum propter potentiam monialium non solum rebus suis, sed et vitae propriae timerent. Nomen enim reformatoris ac reformationis valde odiosum est illis in locis. Moniales autem illae in primis nobiles erant, (hujusmodi enim solum monasteria in Provincia ingrediuntur) et eorum consanguinei optassent quidem reformationem universalem, quae ab ipsis capitibus Provinciae, id est, Marsilia et Auxio, inciperet; illas tamen privatim reformari nolebant, ne Genevam fugerent, multarum, quae id fecerunt, exemplum imitatae. Si timor hic non impedivisset, libentissime nostrorum amicitia et familiaritate usi fuissent. Cum ad Procuratorem Cardinalis S.<sup>tae</sup> Crucis venissent, ille etiam, sicut et caeteri, a nostrorum familiaritate se alienum ostendit; sed nec ille, qui ejusdem Cardinalis reditus colligebat, domi suae nostros admittere voluit, quia seipsos periculo exponere nolebant; et nostri serio admonebantur ut vitae suae rationem haberent.

958. Ipse quidem P. Pontius prae se ferebat, quod ad visitationem et consolationem monialium, et non ad cujusquam confessionem (*sic*) veniebat, nomine Cardinalis, nec ab eo quidquam alia via quam charitatis tentandum esse; se, quod posset, per confessiones et exhortationes aut praedicationem effecturum esse. Si id non satis esset, eadem se via rediturum in Italiam, qua venisset in Provinciam. Et quamvis id serio affirmasset, nullus tamen postridie nostros comitari volebat ad monasterium; quamvis qui reditus colligebat, tandem nostros eo deduxit, qui tamen praemonuit eum quod moniales portas monasterii erant clausurae; quod prorsus ita evenit; quae enim omnibus aliis patere solebant, nostris occlusae fuerunt; nec admittere volebant quidquam quod Cardinalis nomine ipsis nunciaretur; nec ipsa Priorissa nostros alloqui, aut ullam ex monialibus id facere, voluit.

959. Interim quidam procurator monialium, a P. Pontio instructus, impetravit ut Priorissa ipsum audiret. Salutavit ergo illam, et causam sui adventus sic exposuit, ut illis videretur satisfactum esse non parum. Alius nihilominus procura-

tor, qui Auxio venerat, litteras suae commissionis ac facultatis a P. Pontio postulavit <sup>1</sup>. Respondit P. Pontius suo tempore se ostensurum; se interim nihil acturum, nisi quod per solita charitatis ministeria fieri posset. Hujus procuratoris uxor, pia, ac devota, et P. Pontio nota erat, a qua cum procurator multa bona audisset, Priorissae ac monialibus ea retulit.

960. Constituerat P. Pontius ad hospitale divertere; sed cum litterae Cardinalis S.<sup>tae</sup> Crucis eodem die Brugnolam pervenissent, quibus injungebatur, ut in monasterio Cellae, loco sacristae demortui, nostri diverterent, ibidem manere decrevit. Sed cum diu cibum expectasset, ut Daniel in lacu leonum, nullus Abachuc ei attulit, et ita oportuit ut post longam jejurationem, Brugnolam ad diversorium, cibi capiendi gratia, iret. Declaravit Priorissa nolle se ut P. Pontius in loco sacristae maneret in monasterio suo; et ita necesse fuit ut ad hospitale se conferret.

961. Hae moniales, non sine causa timebant reformationem, nam usque adeo a clausura abhorrebant, ut publice Brugnolam et per prata, deambulandi gratia, incederent; ad domos etiam parentum ibant, et aliquando tres et quatuor menses ibidem agebant. Unicus inventus fuit in eo oppido vir, professione Doctor, qui nostros humaniter alloqueretur, et eis faveret. Et ipso die Paschae cum postquam praedicasset P. Pontius, jejunus tamen post meridiem relinqueretur cum socio Julio, hic Doctor panem, vinum et carnes liberaliter, cum omnibus necessariis, ad eos transmisit.

962. Concionatus erat P. Pontius cum magna, tum monialium, tum aliorum, qui aderant, satisfactione ipso die Paschatis; et tunc Priorissa, quae nullum benevolentiae signum eatenus ostenderat, misit quemdam ad ipsum P. Pontium salutandum et dona quaedam ei afferenda; sed eam officiose resalutando, dona remisit. Duas etiam moniales eodem die allocutus

<sup>1</sup> Munitus fuerat P. Pontius, cum Brugnolam missus est, non solum patentibus *suae commissionis* litteris a Cardinale Cervini datis sed etiam testimonio, notarii auctoritate firmato, illius privilegii nostris a Rege Galliae concessi, quod *naturalitatis* vocabant. Ait enim Polancus, *ex com.*, Patri Paschasio scribens: "Una copia autentica di quella gratia, che il Re christianissimo fece a la Compagnia della naturalità di Francia, sarebbe necessaria per uno delli nostri il quale si manda in Provenza dal Reverendissimo Cardinale di Santa Croce per la riformatione di un monasterio della diocesi di Aix. V. R. per carità, quanto prima potrà, mandi detta copia cavata per mano o almeno con sigillo di notario. Quello che si manda è Mtro. Pontio., 15.<sup>a</sup> Decembris 1554.

est, et satis intellexit indomitas ibi aliquas esse mulieres, et non paucos esse, qui earum libertatem foverent.

963. Optabat autem semel earum audire confessiones, ut eas sigillatim in Domino juvaret; sed illae pro suo arbitratu confessarium sibi deligebant. Prorsus autem intellexit sine ulla vi procedendum esse, licet coercere illas quam maxime posset; et praeter reformationis officium, in alio quovis ministerio grati esse futuri videbantur; et ita constituit patentes litteras suae potestatis eis non ostendere. Experimento etiam didicit, ad hujusmodi ministerium missos, non debere ex mendicato vivere, in locis praesertim Brugnolae similibus; ii enim qui negotia Cardinalis S.<sup>tae</sup> Crucis agebant (qui hoc tempore Papa Marcellus erat), de victu nulla ratione nostris prospiciebant, et monialibus gratum fore videbatur, si nostri fame compulsi inde recederent. Alia tamen via curavit P. Pontius necessaria sibi subministrari <sup>1</sup>.

964. Sub finem autem Aprilis, in gravissimam aegritudinem incidens, negotium reformationis ejus monasterii, quae paulatim successum aliquem habitura videbatur, reliquit. Fuit autem tam gravis aegritudo, tamque diuturna, ut saepius mortem non evasurus esse videretur; refluxus quidam sic omnia ejus membra occupavit, ut praeter linguam nullum movere posset, nec manibus aliorum tractari fere poterat. Tres ejus fratres, ex vicino quodam oppido <sup>2</sup>, et mater octogenaria, ut ipsius curam agerent, venerunt; et ita socius Julius Onofrius, qui solus non potuisset curam illius habere sine summo detrimento valetudinis, habere potuit. Ut paralyticum eum medicus initio curabat, sed post evacuationes aliquas in aliquot dolores paralysis est conversa, quibus acerbissime vexatus est; et ex vigiliis ac sollicitudine, vir alioqui impiger, in negotio magnopere difficili morbum hunc contraxit.

965. Moriente interim Papa Marcello, cum monasterium illud Cardinali Crispo fuisset collatum, cessavit commissio P. Pontio data, quam alioquin propter aegritudinem exercere non potuisset.

966. Toto hoc anno nullas a P. Ignatio litteras accepit,

<sup>1</sup> Haec ipse P. Pontius litteris ad Ignatium datis in *Cella di Brugnola* die 15.<sup>a</sup> Aprilis 1555.

<sup>2</sup> Vide infra, n. 966.

praesertim ex quo Brugnolam pervenit, quas interceptas aut fractas esse intellexit. Evocatus autem a Pro-legato Avenionensi, Avenionem venit, ubi a medicis optimis curatus fuit; sed prius in oppido Eghino <sup>1</sup> (quod patria ipsi erat), vires ex parte recuperavit, et ita 30.<sup>a</sup> die Augusti, postquam inviserat locum, ubi B. Magdalena poenitentiam egerat (Sanctam Baomon <sup>2</sup> vocant), Avenionem pervenit, et a D. Sala, Pro-legato, magna cum charitate exceptus et tractatus fuit, et quia tantum ad sex menses a P. Ignatio missus fuerat in Provinciam, eo redire primo quoque tempore cupiebat; et cum saepius ad mortem se accedere videret, cum esset Brugnolae, hoc desiderio magnopere tenebatur inter nostros ac praecipue Romae moriendi.

967. Fatetur autem quod, quamvis fructus speraretur in illo monasterio Cellae, reformatio integra sperari non poterat; nec alium ipse modum reformationis cognoscebat, quam ut Rex Galliae consanguineis monialium juberet ut domi suae hujusmodi moniales consanguineas reciperent et illis, dum viverent, ex monasterii redditibus, sua cuique portio daretur; et aliae novae moniales sub regulis ac disciplina monastica in monasterium illud inducerentur.

968. Quod ad Collegium Avenionense attinet, frigere satis eo tempore Pro-legatus videbatur, cum Cardinalis Farnesius non rediturus Avenionem videretur; et eo magis ad reditum in Italiam P. Pontius properabat. Interim autem, dum propter adversam valetudinem hoc anno non poterat itineri se dare, concionabatur interdum; et, cum incalesceret praedicando, dolores arthriticos non sentiebat; unde facile cognovit ex frigida causa morbum profectum esse. Hospitalia etiam visitabat, et ut aliqua bona ibidem instituerentur curabat, donec inde Romam versus recessit <sup>3</sup>. Et ita eo tempore institutio Collegii Avenionensis, in aliud tempus rejecta est.

<sup>1</sup> Sic; sed sermo est de oppido *Aiguines*, Var, c. de 845 h., près du Verdon, cant. d'Aups (19 kil.), arr. de Draguignan (45 kil.). JOANNE, l. c.

<sup>2</sup> Sic; *la Sainte Baume*.

<sup>3</sup> His quae supra, pag. 9, n. <sup>o</sup>, et hic a n. 943 hucusque, de Patris Pontii Cogordani in Provinciam missione et Collegii Avenionensis initis, vel potius spe, dicta sunt, commendanda nonnihil videntur ea, quae habet CHOSSAT, l. c., cap. 1. Ex ejus enim narratione facile quis colliget Patrem Pontium Cogordanum et Julium Onfroi (*Onufri*) scribitur a CHOSSAT Cardinalem Farnesium fuisse comitatos, dum is anno 1553 Avenionem ingressus est, ideoque Societatis ministeria ibi *depuis deux ans* exercuisse, cum tandem in Italiam ipse Pontius reversus est.

Verum l. <sup>o</sup> certum est ex his, quae narrat Polancus et ex autographis Patris Pontii

## DE PROVINCIA ARAGONIAE

### AC PRIMUM DE COLLEGIO VALENTIAE

969. Rector Valentini Collegii P. Baptista de Barma <sup>1</sup>, cui Provinciae Aragoniae cura sub P. Strada demandata erat <sup>2</sup>, Complutum sub finem anni praecedentis ad quaedam illius Collegii negotia accedens, natalitiis festis rogatu multorum concionatus est, cum magna hominum frequentia et applausu <sup>3</sup>. Inde Concham <sup>4</sup> ad D.<sup>rem</sup> Vergaram <sup>5</sup> profectus, et eodem concionandi munere functus, demum Caesaraugustam, summo itineris et temporis admodum asperi labore, pervenit; ubi statim

---

Cogordani, quarum meminimus, litteris eum, cum socio Roma 13.<sup>a</sup> Februarii hujus anni 1555 excedentem, in oppido Gradoli Cardinalem Farnesium ejusque familiam convenisse et cum eis *ai primi di Marzo* Ajaccium in Corsica, et ejusdem mensis *septima die* Massiliam, appulisse, ubi cum convalescendi gratia paulisper commoratus esset, Avenionem tandem *medio saltem mense Martio* pervenit. Quare 2.<sup>o</sup> quandoquidem P. Pontius Cogordanus Romae fuit cum P. Ignatius mortem obiit, scil. trigesima prima die mensis Julii anni 1556 (PRAT, l. c., pag. 339), satis liquet eum, quamvis temporis, quod Brugnolae et valetudinis curandae gratia in aliis Provinciae locis exegit, nullam velimus habere rationem, nonnisi quatuordecim aut ad summum quindecim mensibus Avenione fuisse.

<sup>1</sup> "CATÁLOGO DE LOS RECTORES DE ESTE COLEGIO.

El P. Diego Miron, año 1544.

El P. Gerónimo Domenech, año 1552, algo más de año y medio.

El P. [Juan] Gamero, año 1554.

El P. Juan Baut.<sup>a</sup> de Barma, 1555.

El P. Marcelo [de Salazar].

El H.<sup>o</sup> Miguel Gobierno.

El P. Carvajal.

El P. Antonio Cordeses. Comenzó el año 1558.

.....  
*Historia ms. de la fundación y progresos del Colegio de la Compañía de Jesús de San Pablo de Valencia*, fol. 232.—Vide supra, t. III, pag. 372, annot. 1.

<sup>2</sup> Vide supra, t. IV, pag. 482, n. 1019.

<sup>3</sup> Vide infra, n. 1207.

<sup>4</sup> Cuenca. Vide infra, n. 1195 et seq.

<sup>5</sup> Doctorem Alphonsum Ramirez de Vergara.

templum ei est oblatum, in quo complures, qui eum audiendū percupidi erant, suis posset concionibus consolari, et erudire <sup>1</sup>. Interim P. Antonius Cordeses, Gandiae Rector, Valentiam ejus loco venit, quamvis Gandiensis Collegii curam non omitteret <sup>2</sup>.

970. Quod ad confessiones attinet, fructum non mediocrem sacerdotes nostri percipiebant, et ex illis, qui semel confiteri coeperant, multi adducebantur, ut sacramenta frequentarent. Longum autem esset referre sigillatim quae ad Dei gloriam et animarum salutem hoc ministerio evenere; aliqua tamen ex multis insigniora referam.

971. Quidam mortem sibi inferre parabat, dolorem non ferens rerum adversarum, quae ipsi acciderant, et commodam nactus occasionem, laqueo se suspendit; sed cum divina pietas hunc hominem nollet perire, hac illi ratione subvenit. Quidam enim alius, cum suspensum videret, accurrit, et jam fere morientem a corporis et animi morte eripuit. Sed cum rei hujus fama evulgaretur, tanta affectus fuit tristitia ille ipse, ut mortem denuo putaret vita sibi jucundiorē fore; et ita quod semel attentaverat, perducere ad finem usque cogitabat. Quidam autem ex nostris Patribus hac de re certior factus, in hujus hominis domum se conferens, eum consolatus est, et ad confessionem adhortatus, quam simul atque ille fecit, sic a Domino per sacramentum et ministerium ejus adjutus est, ut jam nec infortunii prioris nec ignominiae recordaretur. Et domo sua eggressus (prius enim in cellula se continebat, nec quemquam prae pudore loquebatur), ad Collegium nostrum venire coepit, et tepiditate abjecta, ferventer se tradere exercitiis pietatis coepit.

972. Alterius generis fuit illud opus, quod foemina quaedam [fuit], quae clandestino matrimonio contracto, cum admoneretur ut publice in facie Ecclesiae illud contraheret, maluerat 25 annis a confessione abstinere, nimium timens ne dispendium honoris faceret, cum homines aliqui concubinam ipsam et non uxorem extitisse suspicari poterant, si eam contrahentem matrimonium in facie Ecclesiae viderent. Cum quidam ex nostris hoc intellexisset, magnam diligentiam adhibuit, ut sine honoris detrimento posset haec mulier matrimonium contrahere; prius

<sup>1</sup> Vide infra, n. 1049 et seq.

<sup>2</sup> Vide infra, n. 996.

tamen eam ad confessionem induxit, et ab Archiepiscopo <sup>1</sup> facultatem obtinuit, ut ipsa sibi sacerdotem eligeret et eodem loco ac modo, quo ipsa postulavit, negotium perageretur, et ita in statum salutis foemina haec reducta fuit.

973. Alius etiam quidam a conjugis suae contubernio 24 annos separatus vixerat, et ita ipsius uxor alii cuidam adhaeserat. Quum ergo in quemdam nostrum confessarium vir incidisset, persuasit ei ut suam legitimam uxorem ad se reduceret, et foeminam securam redderet, ut auderet ad ipsum redire. Illa vero, de sua salute nimium timens, recusabat ad maritum venire, donec intellexit virum suum cuidam sacerdoti nostrae Societatis fuisse confessum. Tunc enim eam fiduciam animo concepit, ut sola in mariti domum se reciperet, et ad ejus pedes se abjecerit, ac ejusdem potestati se subdens, etiamsi quodvis de ipsa supplicium vellet sumere. Sed vir, omnium criminum oblitus, magna cum alacritate animi eam domi suae excepit, et quietam cum ipsa vitam agere perseveravit.

974. Nec minor in alio quodam viro fuit efficacia hujus sacramenti qui, cum cuidam ex nostris confessus esset, ne redire quidem in domum suam voluit, in quam mulierem quamdam, e domo sui patris abductam, induxerat; et maluit suppellectilem non modicam, quam domi habebat, amittere, quam, ut eam recuperaret, periculo gravioris jacturae se exponere. Nec eo contentus, dedit operam ut mulier illa in honesto loco collocaretur, ut se totam divino servitio traderet, quemadmodum et ipse, Deo adjuvante, facere proposuit.

Hujus generis non pauca dici possent, quod ad avaritiam attinet.

975. Alia etiam rara exempla in quibusdam conspecta sunt, qui lucra minus honesta ac divitias pro animae suae salute contempserunt. Alii etiam injurias gravissimas condonarunt; inter quos quidam fuit, qui diu sacramenta frequentaverat, et cum ligno publice percussus esset, quam injuriam morte expiandam mundani homines censerent, de morte adversario inferenda graviter a daemone tentabatur. Sed ejus confessarius ut inimico injuriam condonaret facile ab eo impetravit. Et sic hujus et alio-

---

<sup>1</sup> Sancto Thoma a Villanova. Vide supra, t. iv, pag. 335, n. 712, annot 1.



rum generum varia emolumenta spiritualia ex hoc sacramento [provenientia] referri possent.

976. Constat etiam quod multi scholastici varias religiones ingrederentur, et ferebatur tam multos esse eos, qui talia perfectionis consilia sectabantur, ut monasteria regni Valentiae vix tam multos simul admittere possent, et ii, qui admissi inter alios essent, tam suavem aedificationis odorem praebebant, ut et aliis religiosis antiquis magnum essent solatium ac simul ad perfectionem consecrandam stimulus.

977. Christianae doctrinae institutio, eodem modo quo alias dictum est <sup>1</sup>, Valentiae a nostris est observata, et non pauci, de rebus animae suae parum solliciti, hujus doctrinae cognitione cautiores effecti sunt, dum animadvertunt vitae suae rationes plurimum a regula divinorum mandatorum dissonare.

978. Quidam autem ex nostris in Quadragesima hujus anni, ad concionandum in oppido quodam Conchae vicino <sup>2</sup>, missus est; cum quo socius missus est quidam ex fratribus, qui, dum concinator verbo Dei proponendo dat operam, christianam ipse doctrinam non illi tantum populo, sed et aliis, qui vicina oppida habitabant, explicabat.

979. Ipse autem Rector Collegii <sup>3</sup>, cum magno applausu et animarum profectu, hoc eodem munere Valentiae in anni progressuungebatur.

980. Quidam etiam ex fratribus in templo nostro conciones prosequutus est, nam in alio pueri in christiana doctrina instituebantur. Populi autem erga nostros amor magis accendebatur, et existimatio bona, quam de Societate conceperant, augebatur; et ex laboribus, in quibus perseverare videbant nostros ad proximorum auxilium, nullo alio premio expectato ab eis, charitatem conjectabant; et sicut filios suos gaudebant in christiana doctrina institui, ita et ipsi interdum hac honesta exercitatione occupabantur, quibusdam ex una parte canentibus, quae christianam doctrinam spectabant, aliis autem vicissim respondentibus. Et cum pueri, ipsos jurantes, flexis genibus et reverenter admonebant et obsecrabant ne jurarent,

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 343, n. 731, et *Litterae Quadrimestres*, t. iii, pag. 219 et 433.

<sup>2</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. iii, pag. 434, annot. 2.

<sup>3</sup> P. Joannes Baptista de Barm

non solum iniquo animo non ferebant, sed libenter auscultantes, et se ipsos ipsi reprehendentes, iuramenta se vitaturos in posterum pollicebantur.

981. Interpretabatur autem christianam doctrinam nondum sacerdos, Michaël Govierno, quem perlibenter valentini de hac doctrina disserentem audiebant, et fructus huic eorum satisfactioni respondebat, sicut et auditorum concursus.

982. Quod ad templum materiale attinet, ipso anni initio opus aedificii prosequi constituerunt, et diligenter manum operi admoverunt, et quaedam impedimenta, quae a nonnullis ecclesiasticis ac religiosis fiebant, ne absolveretur coeptum opus ecclesiae, qui reipublicae valentinae praeerant <sup>1</sup>, omnibus rationibus hinc et inde perspectis, auferre mandarunt plenamque aedificandi potestatem nostris benigne fecerunt. Et qui Collegio praeerat <sup>2</sup>, Pro-regi <sup>3</sup> gestae rei causam narravit; qui in omnibus se promptum exhibebat ad res Societatis promovendas; et semel atque iterum ad nostros accessit, ut res exactius inspiceret, et suam coram omnibus erga nostros benevolentiam significabat. Ad templi etiam aedificium non mediocrem eleemosynam dari iussit.

983. In Natali ergo Virginis Mariae, octava Septembris, primum Missae sacrificium in novo templo celebratum est, et ejus fores apertae, ut tam viris, quam mulieribus paterent; nam ad hoc usque tempus viris tantum accessus ad nostrum domesticum sacellum patebat, quia intra Collegii claustra erat; in aliis autem templis mulieribus sacramenta ministrabant <sup>4</sup>.

<sup>1</sup> I. e. Jurati. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 595, et *Sanctus Franciscus Borgia*, t. I, pag. 739. annot. 3.

<sup>2</sup> "Con la fama de esta mision (*Supra*, t. IV, pag. 342, n. 729), tan felizmente concluida, á porfía deseaban al P. Barma en otros lugares; pero el P. Barma, temiendo algun menoscabo en las cosas de su Colegio en tan larga peregrinacion, se volvió á Valencia á cuidar del gobierno de sus súbditos y de la fábrica de la Iglesia dando calor al edificio y deshaciendo los nublados, que contra él se levantaron, como ya dijimos...., *Historia ms. de la fundacion y progresos del Colegio de la Compañía de Jesus de S. Pablo de Valencia*, c. 14. Vide *Litterae Quadrimestres*, loc. cit., annot. 3.

<sup>3</sup> Bernardino de Cárdenas et Pacheco, Maquedae Duci.

<sup>4</sup> Exhortationes tamen in quadam domus aula ad mulieres habebantur. "..... y aunque la Iglesia, por estar de fábrica, no estaba todavía apta para los ministerios de la Compañía, no por eso el fervor de nuestros Padres les permitía estar ociosos; y así juntando á los hombres en una Capilla y á las mujeres en una sala á manera de Congregaciones, les platicaban con mucho fruto de sus almas." *Historia ms. de la fundacion y progresos del Colegio de la Compañía de Jesus de S. Pablo de Valencia*, loc. cit.

984. Accesserunt autem Pro-rex et ipsius uxor <sup>1</sup> et urbis nobilitas primaria, et frater noster Governus concionem habuit, cum maximo omnium applausu; et ibidem usque ad meridiem et confessarii poenitentium confessionibus audiendis vacarunt; et SS.<sup>mum</sup> Eucharistiae sacramentum ministrare coeperunt in eodem novo templo, et exinde frequentia hominum non exigua ad sacramenta percipienda eo confluere coepit; ut pauci essent sacerdotes ad tam copiosam messem in horrea Domini inferendam <sup>2</sup>.

985. Archiepiscopus Valentinus, cognomine Thomae de Vilanova, cum gravi morbo correptus esset et sibi mortem imminere suspicaretur, advocato notario, quinque millia ducatorum <sup>3</sup> quae ipsi debebantur a Rege <sup>4</sup>, in duas partes distribuit, et duo

<sup>1</sup> "D. BERNARDINO DE CÁRDENAS Y PACHECO, segundo duque de Maqueda y primer marques de Elche, grande de Castilla, adelantado mayor del reino de Granada. . . . sirvió en sus primeros años al emperador Carlos V, con el cual se halló en la jornada de Tunez, y más tarde al católico rey D. Felipe II en varios cargos importantes, y muy particularmente en los de virey de Navarra y de Valencia (ab anno 1553). Murió en 1560, dejando de su matrimonio con D.<sup>a</sup> Isabel de Velasco, hija del condestable D. Íñigo Fernandez de Velasco, segundo duque de Frías, y de D.<sup>a</sup> Maria de Tovar, señora de Berlanga, su mujer á . . . . ., Burgos, *Blason de España*, t. iv, pag. 32.—Praedicti "D. Íñigo Fernandez de Velasco, qui obiit 17 Septembris 1528, filius etiam fuit ille Castellae Comes stabilis "D. Pedro Fernandez de Velasco, sine liberis mortuus 12 Novembris 1559 (Burgos, *op. cit.*, t. iii, pag. 44), de quo, non de ejus patre "Íñigo, agitur saepe in hoc *Chronico*. Vide praecipue t. iv, pag. 402, n. 865, annot. 1, et pag. 433. n. 930, annot. 4. Corrige ergo apud *Litterae Quadrimestres*, t. ii, pag. 359, annot. 4.

<sup>2</sup> "Con la edificación que daban los H.<sup>os</sup> estudiantes por su parte, y así mismo con la que daban los Padres operarios por la suya, y con los ministerios, que se ejercitaban siendo ya más en número, y teniendo Iglesia donde ejercitarlos con mayor comodidad, iban tambien en aumento los que acudían á valerse de ellos y servirse de nuestros Padres; porque eran tantos los que venían a confesarse á nuestro Colegio, que los confesores, con ser muy continuos en el confesonario, no podían dar abasto, y así por esto, como porque las otras sagradas Religiones y las Parroquias con el mismo celo se habían dispuesto, como ya dijimos, á ayudar á tirar la red, los que en ellas frecuentaban los sacramentos eran muchos. Los que cabían á nuestro Colegio se tiene por cierto llegaban á tres mil de todos estados, caballeros, ciudadanos, mercaderes y oficiales, y las mujeres de ellos; y de todos estados dichos hubo muchos que notablemente se aventajaron en los ejercicios de la vida espiritual, y con ejemplo de ella compusieron á otros que llevaban la suya muy descompuesta." ALVAREZ, *Historia ms. de la Provincia de Aragon de la Compañía de Jesus*, t. i, cap. 43.

<sup>3</sup> Vide *Sanctus Franciscus Borgia*, t. i, pag. 693, annot. 4, pag. 762, annot. 1, et pag. 782, annot. 3.—Alii, ut videbitur annot. seq., aiunt fuisse *quatuor* millia.

<sup>4</sup> "En este tiempo pues hizo el santo Arzobispo donación á este nuestro Colegio de dos mil y quinientos ducados de cuatro mil que el Emperador Carlos quinto le quedaba debiendo de los diez mil, que le había prestado para fortificar la isla de Ibiza, cuando se temía no viniese sobre ella una gruesa armada del Turco. Pídióle el Emperador al santo Arzobispo prestados veinte mil ducados para este efecto: respondióle el Arzobispo como santo, que su Magestad perdonase, que él no tenía una blanca, porque todo era de los pobres. Oh dichosos tiempos en que Dios concedió á Valencia tal Prelado! Al fin, después de varias y muchas demandas y respuestas, dió el Arzobispo diez mil

millia quingentos Collegio nostro legavit, bonum suum animum erga nostros opere ipso obtestans. Reliquam praedictae summae hospitali pauperum legavit. Ordinis fuit S.<sup>ti</sup> Augustini monachus, sanctitate insignis et doctrina, ac talento praedicandi singulari <sup>1</sup>. Ex his pecuniis aliqui redditus empti sunt <sup>2</sup>. Dum Archiepiscopus viveret, de situ obtinendo pro domo professorum agebatur, quamvis res ad optatum finem non fuit perducta <sup>3</sup>.

986. Erant ex nostris primis mensibus hujus anni Valentiae sexdecim; tres autem novi fratres admissi erant, inter quos, quidam, Puellas cognomine, in litteris non mediocres progressus fecerat, sed felici alioqui ingenio praeditus habebatur <sup>4</sup>; duo praeterea sacerdotes in anni progressu, aetate juvenes, nostris se adjungere studuerunt <sup>5</sup>; quamvis non illi soli admissi sunt

---

ducados con palabra real, que se habian de volver despues y desde luego consignar de dónde se habian de cobrar. De estos cobró en vida su Ilustrísima los seis mil, y de los cuatro mil testó con licencia de la Sede Apostólica. . . . . *Historia ms. de la fundación y progresos del Colegio de la Compañía de Jesus de S. Pablo de Valencia*, cap. 15.

<sup>1</sup> "Hizo el santo Arzobispo esta limosna al Colegio á los tres de Setiembre, y á los ocho, día del Nacimiento de la SS.ª Virgen Maria de 1555, renació para la inmortalidad de la gloria. . . . . Perdió mucho Valencia con la muerte de tan santo Arzobispo . . . . . perdió mucho la Iglesia, y cupo gran parte de la pérdida á la Compañía, como se deja entender: la cual, aunque conocia la poca necesidad, que aquella bendita alma tenia de sufragios, pues le sobrarian méritos y satisfacciones; con todo, por darlas al pueblo pio valenciano, y muestras de agradecimiento y amor, hicieron en esta parte todos los Padres y Hermanos de este Colegio lo que debian." *Op. et loc. cit.*

<sup>2</sup> "Esta limosna la cobró el Colegio por entero de allí á pocos años del Rey D. Felipe segundo, en quien el Emperador su Padre en este mismo año renunció sus Reinos, porque su Magestad por su Tesorero General D. Diego de Azebedo consignó la deuda en la Generalidad de Valencia, para que se cobrase de lo que este Reino le ofreció de servicio en las Cortes de Monzon el año 1552. De esta cantidad se compraron algunos censales [Vide *Sanctus Franciscus Borgia*, t. 1, pag. 677, annot. 2.] (rentas que en aquellos tiempos se apreciaban mas que en estos) de que goza el Colegio; y de alguna parte de ella se aprestaron materiales para la obra del cuarto, que despues se edificó." *Op. et loc. cit.*

<sup>3</sup> Id, quod etiam, S. Francisco de Borja Praeposito Gen. S. J., et ipso probante, tentatum fuerat, tandem effectum est anno 1579, cum esset Valentinus Archiepiscopus, alius Sanctus, B. Joannes de Ribera, Antiochiae Patriarcha, et postea (1692) etiam Valentiae Pro-rex, qui in templi nostri dedicatione concionem habuit et illius Domus primordia juvit quingentorum ducatorum elemosyna. Vide ALVAREZ, *Historia ms. de la Provincia de Aragon de la Compañía de Jesus*, t. II, lib. 3, cap. 16.

<sup>4</sup> Hunc esse existimamus P. Didacum vel Jacobum Puellas (alias Puella, et Puellas), de quo SACCHINI, *Hist. Soc. Jes.*, part. III, lib. v, n. 189, DREWS, *Fasti Soc. Jes.*, t. 1, ad diem 4 Januarii, NADASI, *Annus dierum memorabilium*, et *Menologium Loyolaenum*.

<sup>5</sup> Duos sacerdotes, qui hoc anno Societati nom:n dederunt in Collegio Valentino, numerat saepe laudata *Historia ms. hujus Collegii*: Patres Joannem Baptistam Espina et Joannem Ramirez.

De P. Espina haec habet cap. 19: "Dien podemos contar entre los otros, con grande

hoc anno <sup>1</sup>, qui omnes, quod ad valetudinem attinet, bene se habebant, et satis rerum spiritualium profectui vacabant; ex scholasticis autem tres theologiae, quatuor philosophiae, reliqui latinis et graecis litteris vacabant, et singulis dominicis diebus, in more habebant positiones in suis facultatibus, quibus stude-

gloria de esta ciudad y Colegio, al P. Juan Bautista Espina, que entró en este Colegio el año 1555. Era ya sacerdote y natural de esta ciudad: tenía bien con qué vivir y vivía con mucho regalo. . . . . De allí á dos meses, que entró en la Compañía, salió un domingo de carnestolendas por las calles y plazas más públicas de la ciudad en cuerpo con un crucifijo en las manos y un H.<sup>o</sup> que le acompañaba con una calavera. Iba el P. Bautista Espina diciendo en voz alta: *Acordaos que habeis de morir*. . . . . dió su hacienda á este Colegio para que se pudiese en renta perpetua: fué de vida muy penitente, ayunaba casi cada día, dormía en el suelo ó, cuando mucho, sobre unos sarmientos, y así estaba muy exhausto, y muriera de pura penitencia si no hubiera muerto de pestilencia en el contagio de Gandia, donde trabajando en ayudar á sus prójimos, heridos de peste, le llamó el Señor para premiar sus muchos trabajos, y le encontró martir de la caridad.

De Patris autem Ramirez ingressu ita cap. 21: "Más insigne fué la entrada del P. Doctor Juan Ramirez, uno de los más apostólicos misioneros que ha tenido la Compañía. Entró en la Compañía en este Colegio á los 34 años de su edad, á 24 de Marzo del año 1555; y fué recibido de N. P. S. Francisco de Borja, siendo Comisario General en España. Porque aunque el P. Juan Eusebio Nieremberg en el t. 4 de los "Varones Ilustres," dice que fué recibido en el Colegio de Alcalá, se opone á la verdad de esta noticia. En de un libro antiquísimo, que hay en este Colegio, donde están escritos los que se recibieron y entraron en la Compañía por este Colegio, los que aquí hicieron los votos y los que despues profesaron. Y en la primera hoja de este libro se dice cómo entró en este Colegio el P. Doctor Juan Ramirez á los 24 de Marzo 1555, siendo de 34 años de edad. Y en la misma página á la margen está notado cómo el dicho P. Doctor Juan Ramirez hizo la profesion en Salamanca, y or no haberla hecho aquí. Pero los votos, que hizo al fin del noviciado están escritos todos de su mano, y firmados de su nombre en la misma fórmula que ahora usamos, en la página 94 del mismo libro. De donde se colige con evidencia haber sido este Colegio feliz cuna de tan insigne varon. que tanto ilustró á la Compañía, y tantas almas ganó á Dios con su predicacion evangélica, como veremos en adelante en esta misma historia.—Non Compluti, nec Valentiae hunc Patrem Joannem Ramirez in Societatem admissum ait SAKTIVAÑEZ, l. c., lib. II, cap. 9, n. 2, scđ Ocanniae, et quidem anno 1554; quod vere mirum est quia nondum eo tempore domicilium habebat Ocanniae Societas. Verum haec omnia facile explicantur, si ipsius SAKTIVAÑEZ verba perpendantur. Ait enim: "Aquí en Ocaña fué recibido en la Compañía en el año de 1554, y remitido á la probacion de Simancas gozó buena parte de aquellas primicias de espíritu, en que aprovecharon unos y otros con santa emulación, ganando cursos de año en ejercicios de mes. Estuvo muy pocos aquí el fervoroso novicio, porque de orden de San Francisco de Borja partió á predicar á Valencia en compañía del P. Diego Miron, que acabado en Portugal el oficio de Provincial, volvía á ser Rector de aquel Colegio. En aquella gran ciudad, cabecera de reino, trabajó como veterano, *probó como novicio*, predicó como apóstol." Ex quibus eruitur Patrem Ramirez Ocannia Complutum venisse ut post consueta examinationes in Societatem admitteretur; Compluti in Societatem admissum, Septimancas ad probationis domum missum; ibi paulisper moratum et exercitiis excultum, Valentiam tandem, cum adhuc novitius esset, pervenisse ibique, biennio expleto, vota scholasticorum emisisse.

<sup>1</sup> "El año 1555 fué recibido en el Colegio de Valencia el P. Luis Beuter con un modo que para los nuestros no vendria mal escribirle, para que se vea la sencillez y pureza de aquellos primeros Padres como en las costumbres tambien en el gobierno. Cuando pidió la Compañía Luis Beuter tañeron la campana de la comunidad, y al son de ella se juntaron los Padres y Hermanos de aquel Colegio, que serian hasta veinte, y el Rec-

bant, tueri; et disputationis gratia, satis multi scholastici externi accedebant; nec in academia publica, ad quam illi se conferbant, vel in modestia, vel in doctrina, nostros ulli superabant.

987. Alia plurima charitatis opera a nostris, Deo propitio, utiliter admodum peracta sunt, cujusmodi erant paces inter aliquos confectae, et inter eos aliquando, quorum alter alterum occidere constituerat. Fuit et mater, quae interempti filii mortem, de qua apud iudicem vindictam postulabat, condonavit. Hoc non omitam, quod cum puella quaedam Deo suam virginitatem consecrare cuperet, et parentes ab eo proposito ipsam averterent, cum virgo quemdam ex nostris consulisset, et ejus fidei se commisisset, impetravit ille parentum consensum, ut liceret filiae sui corporis sacrificium Deo offerre. Detentis in custodia publica christiana doctrina utiliter a quodam ex nostris proponebatur; juramenta, ludos, mutuas maledictiones, et convicia inde expellere nitebatur; et aliquorum etiam ex eis confessiones audiebat, et demum non mediocri cum fructu id genus hominum visitabat.

988. Exercitia etiam spiritualia tam multis proposita fuerunt, ut nunquam Collegium nostrum ab eis vacuum fuerit; et aliquando tres vel quatuor<sup>1</sup> simul exercebantur. Et his recedentibus, alii succedebant. Vix tamen unus aut alter fuit ex eorum numero, qui animum ad statum vitae perfectioris non adjecerit, ex quibus aliqui ad nostram Societatem admissi fuerunt; alii ad alias religiones destinati, licet cum lacrymis quidam eorum admitti in Societatem nostram postulasset; et eorum profectum in spiritu viri religiosi monasteriorum, in quibus admissi fuerant,

---

tor de ellos, que era el H. Miguel Gobierno (Vide t. III, pag. 372, annot. 1, et in hoc t. v, pag. 359, n. 969, annot. 1.), como ya dijimos, el cual en buena conversacion les propuso si seria bien recibir el pretendiente. Dijo cada uno su parecer y llegó su vez al H.<sup>o</sup> José Guimerá de edad de 16 años y novicio de pocos meses, y responde: "que me parece lo reciban luego; porque los muchachos somos fáciles y prontos en todas nuestras cosas y deseos, y si no nos conceden al punto lo que pedimos, luego á vuelta de cabeza lo olvidamos.". Digeron todos: "*Optima propositio*."; y así del pie á la mano le admitieron. Salíó tan escogido sujeto en virtud y letras como lo dirá la Provincia de Portugal, que le gozó más años que la nuestra.—El P. Jáime Guarín de la isla de Mallorca y villa de Inca, de cuya vida y muerte diremos algo despues en su año. . . . .—El P. Andres Perez, natural de Jumilla en el reino de Murcia, que vivió y trabajó en esta provincia muchos años con tan grande satisfaccion y ejemplo como se dirá en el de su muerte.". ÁLVAREZ, *Historia ms. de la provincia de Aragon de la Compañía de Jesus*, t. I, lib. I, cap. 46.

<sup>1</sup> Ms. habet *ter vel quater*.

non mediocriter mirabantur. Et ex eis monachis aliqui se in contemplationibus vel exercitiis Societati consuetis exculi fuerunt; et demum Societas nostra in ea civitate ab omnibus hominum statibus, non solum saecularibus, sed ecclesiasticis et religiosis, communi consensu in pretio habebatur; et plurimi in suis calamitatibus aut in rebus adversis ad Collegium consilii et auxilii gratia confluebant; et potissimum post mortem Archiepiscopi, qui magna benignitate pauperes suis eleemosynis sublevabat, qui nostros etiam sacerdotes, non solum nominatim cognoscebat et amabat, sed, si quando aliquis ex operariis Valentia discedebat, conqueri solebat quod oves ipsius tali auxilio in posterum essent cariturae.

989. Virgo quaedam Deo sacra, quae jam professionem emiserat, cum a coenobio suo latenter fugisset ac Valentiam venisset, cujusdam fratris nostri concionem audit, et ita compuncta est, ut facti sui poenitens, quemdam ex nostris confessorium adierit, qui, morbo ipsius cognito, sine famae ipsius detrimento in statum pristinum eam restituendam curavit. Alia etiam virgo, cujus corpus per biennium a daemone fuerat vexatum, qui eandem urgebat ut se totam ipsi traderet, ad eundem illum concionatorem adducta est, a quo adhibitis exorcismis liberata ad tempus fuit, ac deinde exhortationibus ejusdem tanta animi laetitia fuit repleta (cum prius etiam relicta a daemone tristitia quadam absolveretur) ut promptissimo et alacri animo Dei voluntatem in se fieri vellet ac peteret.

990. Liberati sunt et duo viri primarii a dissensionibus inter ipsos gravissimis, occasione servi cujusdam eorum, ad quem moribundum quidam ex nostris vocatus est, et ita se insinuavit in domini ejus familiaritatem, et paulatim ad injuriam condonandam et lites componendas induxit.

991. Insignis fuit et conversio mulieris cujusdam, quae pene ab infantia corpus suum inhoneste prostituerat, et cum in ecclesiam nostram venisset, exemplo eorum, quos accedere ad confessionem videbat, commota fuit et ipsa ad confessionem cum maximo dolore peccatorum instituendam; et cum de vitae totius peccatis generalem, post aliquod tempus, confessionem instituisset, tanto Dei amore succensa fuit, ut non solum sacramenta frequentaret bis et ter in hebdomada, sed a matrimonio abstinere decrevit, ad quod praeclaris naturae dotibus erat

idonea, et monasterium ingredi, ubi se totam hostiam viventem Deo offerret. Et quia differendus fuit ejus ingressus aliquandiu, morae impatiens, castitatem interim perpetuam Deo obtulit. Sic et in alia contritio admiranda conspecta est, quae cum plurimos annos inhoneste vixisset, ad eam venit mentis puritatem, ut etiam peccata venialia amarissime defleret nec consolationem acciperet, donec ea confiteretur.

992. Aliam ad desperationem propemodum induxerat imperitus quidam confessarius, ad quem cum vicina partui accederet, cum intellexit <sup>1</sup> quod ab alio concepisset quam a viro suo, non solum eam terruerat, sed sine absolutione dimiserat; quae propinquam mortem in partu timens, quemdam ex nostris ad se vocari jussit, cui confessa, omnino amatorem deseruit, et singulis hebdomadibus confiteri perrexit; et aliam suam sororem ad hoc ipsum adduxit.

993. Alium intolerabilem errorem quidam ex nostris deprehendit in viro quodam, qui propriam filiam in uxorem duxerat, quam ignorabat quidem esse filiam (nam ex concubina quadam illi nata fuerat). Sed postea, re cognita, quemdam sacerdotem adivit, qui nescio cujus bullae praetextu eum absolvit, et ita in nefario crimine sexdecim annos aut eo amplius cum filia vixit, donec in quemdam ex nostris incidens, et mali status sui admonitus, eam dimisit.

994. P. Baptista de Barma, quamvis hujus Collegii Rector esset, quia collateralis datus fuerat Patri Francisco Stradae, Provinciali <sup>2</sup>, aliis in locis extra Valentiam aut praedicationis aut gubernationis gratia fuit, nam ab eo pendere voluit P. Ignatius ejus Provinciae administrationem, cum Patri Francisco Borgiae, Commissario, idipsum placuisset. Reversus est autem mense Majo Valentiam, cum quadragesimalibus concionibus Caesaraugustae perfunctus esset, et magna cum consolatione tum nostrorum tum externorum fuit exceptus.

995. Curam a P. Ignatio susceperat testimonia illa publica curandi, quae ratione decreti parisiensis undecumque curanda erant in his quidem locis, ubi Societas residebat <sup>3</sup>. Optabant quidem valentini P. Francisci Stradae conciones; sed idem

<sup>1</sup> confessarius.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 482, n. 1019.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 11, n. 12.



P. Baptista magis eas necessarias esse Barchinonae arbitrabatur, ut Collegium illud juvaretur. quod magnopere hujusmodi auxiliis indigebat. Ipse autem P. Baptista Murciam paulo post ire debuit, ut constitueret cum Episcopo Carthaginensi (qui Murciae residere solitus est <sup>1</sup>), quae ad collegium ab eo erigendum ad eum pertinebant. Sed de hoc inferius agetur <sup>2</sup>.

Interim haec de Valentino Collegio sufficiant.

## DE COLLEGIO GANDIAE

996. P. Antonius Cordeses hoc anno simul Gandiensis Rector et theologiae lectionis professor fuit, et aliquando Valentiam, absente P.<sup>e</sup> Baptista <sup>3</sup>, se conferebat, ut valentinos sua praesentia et opera interdum juvaret. Porro Gandiae hoc anno nostri conciones crebras habuerunt; tempore tamen Quadragesimae propter confitentium multitudinem aliae intermittendae fuerunt, quae domi et foris habebantur, praeter unam Patris Santander <sup>4</sup> qui Ducis <sup>5</sup> ac populi precibus adductus, totam Quadragesimam in hoc munere consumpsit. Est utcumque laboriosum hoc praedicandi munus Gandiae, cum plusquam sexaginta conciones haberi solitae sint; sed tamen, Deo adjuvante, tam prospera valetudine usus est hic P. Santander, ut melius haberet in earum fine quam in principio; et tantum cum applausu populi curriculum suum emensus est, ut neminem antea illo fuisse gratiorem, immo nec perinde gratum, publice diceretur.

997. Multi, ejus adducti concionibus, confessiones, quas complures annos omiserant, fecerunt; complures, qui mutuis dissidiis fraternam charitatem laeserant, amicitiae foedera inter se percusserunt. Observatum est etiam multa peccata, quae

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 343, n. 736, et *Litterae Quadrimestres*, t. iii, pag. 671, annot. 2.

<sup>2</sup> A n. 1456 ad 1469.

<sup>3</sup> P. Joanne Baptista de Barma, Valentini Collegii Rectore, et Provincialis collator. Vide supra, pag. 369, n. 991.

<sup>4</sup> Ludovici de Santander.

<sup>5</sup> Caroli de Borgia, quinti Gandiae Ducis.

idem concionator acerbe increpabat, deleta fuisse. Aliqui etiam parentum et cognatorum mortem suis adversariis remiserunt.

998. At doctrina christiana hoc Quadragesimae tempore omissa fuit propter confessionum occupationes; sed statim post ferias Paschales resumpta, plusquam trecenti pueri et interdum quadringenti Gandiae ad eam audiendam conveniebant. Diebus autem festis natu grandiores ab alio quodam sacerdote explicationem hujus doctrinae audiebant; nam pueri quotidie congregabantur; sed post aliquot dies et ipsi festis tantum et dominicis diebus vocabantur, ubi jam minus rudes in catechismo esse coeperunt. Quam multiplex fructus ex hac institutione sit consequutus, scribunt vix credibile esse iis, qui confitentium errores et ignorantiam in rebus fidei non cognoscunt, et erant qui crederent nullas conciones tam fructuosas in eo populo fuisse quam has christianae doctrinae exercitationes; plurimi enim, quae fidei sunt, et quidem tritissima, non intelligebant. Erat etiam populo gratissimum quod inhonestae cantilenae, quibus Gandia plus satis abundabat, jam fere in christianae doctrinae cantus jucundissimos erant commutatae. Habebantur autem hujusmodi de christiana doctrina conciones, tres fere horas post meridiem, ad quas magno studio etiam viri confluebant, nec minus ad alias conciones, quae mane in templo nostro habebantur.

999. Crevit et hoc anno confitentium numerus et deprehensum est eo in oppido supra quadringentos fuisse, qui hoc anno confessi sunt, et in praeteritis confessi non fuerant; et die quadam dominica ad SS.<sup>mam</sup> Eucharistiam mille et quingenti accesserunt, cum alioqui oppidum sit exiguum; et si omnibus, qui ad nostros confessuri accedebant, nostri sacerdotes satisfacere potuissent, pauci aut nulli videbantur alio ad confessionem accessuri, nam et illi, qui antea parum studiosi Societatis fuerant, studiosissimi nostrorum effecti jam erant.

1000. Diu multumque curaverant nostri abusui juramentorum obsistere, nam in regno Valentiae vitium hoc, si quod aliud, maxime viget. Tandem ergo id effectum est ut Gandiae leges sancirentur, omni populo consentiente, ut qui jurasset, statim nummum pauperibus erogandum persolveret. Et qui hanc confraternitatem ingredi vellent, cum primum alium jurasse conspicerent, eum admonere debebant ne juraret. Quod si propter paupertatem nummum persolvere non posset, aut

nollet, crucem in terra depictam deoscularetur. Mirum quanta laetitia hae sanctiones fuerint acceptae, et quam diligenter observatae; vix enim uni iuramentum excidebat, cum ante se tres aut quatuor haberet, qui eum reverenter accusarent et blande corrigerent <sup>1</sup>.

1001. Venit Gaudiam Episcopus Segrianus ab Archiepiscopo, qui tunc vivebat, missus (suffraganei officio is fungebatur) <sup>2</sup> ut christianos novos, qui, scilicet ex saracenis conversi erant, inviseret, et eos in rebus divinis erudiret; haec enim opinio in populo christiano de his hominibus habebatur, quod nomine christiani, reipsa saraceni essent. Cum autem diu dubitatum esset ab eodem Episcopo qua tandem ratione horum hominum pertinaciae remedium adhiberi posset, inter alia id iudicavit potissimum ut nostra Societas eorum curam peculiarem assumeret, et, eisdem frequenter concionando, duritiam ipsorum lenire studeret. Hoc itaque, et Archiepiscopi et suo nomine, Episcopus Segrianus multis precibus postulavit; et ita octavo quoque die conciones in hunc usum a nostris habitae sunt.

1002. Erant plurimi, ut et hodie sunt, in toto regno Valentiae; et quod Machometi cultores essent, quaedam ipsorum jejunia et affectus ad Alchoranum satis demonstrabant et animi aversio ab eis audiendis nedum amplexandis, quae ad christianam veritatem pertinent, ac potissimum cum sermo esset de Domino nostro Jesu Christo. Coepit autem quidam ex nostris Patribus summo studio magistros hujus sectae pestilentis inter ipsos convenire et cum eis secreto loqui, ut hac ratione quid in animo haberent certius deprehenderet et facilius ad veram religionem eos posset revocare. At illi, post multa ultro citroque transacta, suum errorem ingenue confessi sunt, et libenter se peccata confessuros pollicebantur; sed statim promissi obliviscebantur, quamquam primarios eorum et hortari et monere Pater ille non desisteret. Quidam autem, qui inter eos primas obtinebat et alios edocebat, confitendi gratia ad Collegium venit, et quidem recte quod debebat praestitit, ita ut nostri sperarent multos alios idem esse facturos; quod et fecit quidam ex eis valde ingeniosus.

<sup>1</sup> Similia jam dicta sunt de hac confraternitate, quae *nominis Jesu* vocabatur, supra, t. iv, pag. 358, n. 765, et pag. 514, n. 1088.

<sup>2</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. iii, pag. 446, annot. 4.

1003. In duobus pagis, qui hujusmodi neophytis pleni erant, quidam ex nostris aliquot diebus dominicis concionatus est, et decem praecepta decalogi eis explicavit, quibus visi sunt profecisse, praesertim senex quidam acuto ingenio, cum quo postquam saepe disputatum fuit, dixit tandem se decernere ex animo complecti fidem Christi; quamvis enim baptismum omnes suscipiunt, rara inter illos, ut diximus, vera fides est; et non poenitendi fructus paulatim capiendi ex labore assiduo in illis instruendis videbantur.

1004. In oppidum Deniae, quod Gaudiae vicinum est, et unde partem reddituum suorum habet Collegium Gandiense, duo ex nostris tempore Quadragesimae missi sunt. Alter pueros christianam doctrinam docuit, alter concionatus est. Ut autem in ea exercitatione christianae doctrinae perseverarent, juratis et populo persuaserunt ut hominem ad hoc munus obeundum idoneum eligerent; quod ipsi libentissime fecerunt, cum uberrimum fructum tam pueri, quam natu grandiores, ex hac institutione christianae doctrinae collegissent, et ita in futurum colligendum sperarent.

1005. Oppidum hoc redditum est hujusmodi operibus benevolum Societati nostrae, cum antea apud ipsos non bene audiebat; aliqui enim obtrectatores nescio quae ipsis retulerunt, quae falsa fuisse ex ipsa vita et conversatione nostrorum, ac ex ipsis charitatis operibus cognoverunt.

1006. Quamdiu apud ipsos versati sunt, ostiatim victum nostri quaerebant, nec aliter etiam oblata et ad xenodochium a populo allata admittebant. Tam suavis ratio victum quaerendi ex mendicato eis videbatur.

1007. Duo ex nostris ad idem oppidum redierunt pridie Assumptionis B. Mariae, qui suis concionibus frequentibus et auditione confitentium peccata, et instructione in christiana doctrina, ut ex multis colligi licuit, gratum Deo obsequium et perutile huic populo praestiterunt; et ad doctrinam salutis suscipiendam ex nostris bene admodum deniensium animi dispositi erant.

1008. Vocati fuerunt nostri a Judice Gandiensi <sup>1</sup> ut virum

---

<sup>1</sup> Illo scilicet, qui *Justitia* vulgo appellabatur. Erat is hoc anno 1555 Onophrius Ros. Vide infra, n. 1015.

quemdam, morti condemnatum et sua peccata confiteri volentem [inviserent] et eidem morituro assisterent; quam provinciam cum duo ex nostris sacerdotibus suscepissent, noctem unam integram cum parte sequentis diei, donec ultimo supplicio ille affectus est, ita locuti sunt cum eo de omnibus, quae ad salutem animae pertinebant, ut ille, qui supplicio erat afficiendus, cum magna lacrymarum copia animi sui contritionem quoad admissa peccata contestaretur, spemque maximam suae salutis consequeretur. Agnovit praeterea singulare ac manifestum beneficium Dei, quod hujusmodi supplicio extremo se affici permetteret, quod tam lubens subibat, ut de dilatione propemodum conquereretur. Rogatus autem num cibi aliquid capere vellet, negavit dicens quod sperabat se brevi cum Christo pransurum; ac affirmabat se multo libentius ad sibi praeparatum supplicium ire, quam si ad nuptias fuisset invitatus. Multi sublevare illum volebant in grandi catena ferrea portanda, quibus ille dixit multo graviores crucem Jesu Christi fuisse. Tandem cum magna animi constantia, immo et consolatione a Domino accepta, usque ad mortem perseveravit; ita ut omnes pro tam singulari Dei dono Deo gratias agentes et illius morti inviderent, [et] in animi pietate ac desiderio eum imitari cupiunt. Referebant omnino duo illi sacerdotes se numquam vidisse mortem tam dignam admiratione.

1009. Tres meretrices, Deo adjuvante, in meliorem vitae statum se receperunt, et a quibusdam ex nostris, post confessionem peccatorum, in fide instructae fuerunt. Quidam etiam neophytus ex praedicto saracenorum genere, cum in carcere detineretur, a nostris in eadem fuit institutus, quam cum diligenter disceret, multos alios, ex suae gentis hominibus, se in eadem Christi fide instructurum pollicebatur.

1010. Janitor etiam ipse Collegii multos servos aethiopes privatim in rudimentis fidei erudiebat. Foeminae etiam pleraeque in templo, etiam grandaevae, erudiebantur. Cum vacabat, invisendis aegrotis et aliis piis operibus nostri suam operam impendebant; et omnis aetatis ac sexus homines libentissime et addiscebant et decantabant etiam hujusmodi doctrinam et quidem cum fructu emendationis suae non mediocri.

1011. Perrexerunt nostri, post Quadragesimam, rogati in summo templo concionari, quos frequens populus attentissime

audiebat et sequebatur, etiam si extra oppidum eis concionandum esset.

1012. Concurrerant praeterea ad nostros non raro sacerdotes saeculares, magistratus et plebeji, cupientes aliquid spiritualis auxilii sibi a nostris impendi. Cum autem ibi jubilaum promulgatum est, tanta poenitentium copia nostri obruebantur, ut vix conquiescendi locus ullus daretur. Hoc tempore duo ex magistris saracenorum regni Valentiae, (*Alfachs* vocant) perditam suam vitam in melius mutare, peccata confiteri, ac mores, ut christianos decebat, componere decrevere. Alter etiam ex eis postea bis confessus est; quae pietas in illo hominum genere nova valde erat. Sed et alius quidam ejusdem gentis, incredibilis obstinationis in sua perfidia, qui saepissime viris religiosis adhortantibus, rogantibus et consulentibus, per quadraginta annos, ut ipsemet referebat, semper restiterat, tandem veritate compulsus, cuidam ex nostris Patribus aures praebuit, et eidem confessus est. Et plane id observabatur, quod si inter hujus gentis homines aliqui ex nostris assidue versarentur, ostium magnum eorum reductioni aperiendum merito sperari, et ingentem animarum thesaurum ex hac India, in medio Hispaniae sita, posset in aerarium Domini reportari, quia illi homines nostros magnopere diligere coeperant, et cum ad eos proficiscebantur, valde laetari ac congratulari nostris cernebantur.

1013. Ex hac vita migrantes aliquot adjuverunt, miseros consolati sunt, iratos aliquos placaverunt, et inter multas paces, quas conciliarunt, una fuit magni prae caeteris momenti. Occisus fuerat civis quidam non obscuri nominis, et cum Praetor urbis, ut pax conciliari posset, patrem interfecti et qui ejus sectatores erant, cogeret inducias facere cum altera factione, a qua filius fuerat interfectus, negabant illi id fieri oportere, et vehementer obsistebant. Tum Praetor illis omnibus praecepit ut Gandia discederent, qui libenter in eo ei obsequebantur; sed si id fiebat, in magnam populi cladem et quasi bellicum incendium res successura videbatur. Praetor ergo id praevidens, Patres nostros convenit, et cum eis facinoris perpetrati rationem contulit. Nostri autem, cum demortui civis parentibus agentes, Deo adjuvante, obtinuerunt ut tota perturbatio tumultus sedaretur cum magna hominum admiratione.

1014. Quod ad nostros attinet, litteris theologicis illi dabant operam, et praeter Patris Rectoris lectionem, aliam a P. D. Christophoro Rodriguez audierunt, sed sub finem hujus anni ex praescripto P. Francisci Borgiae lectiones hae fuerunt omissae, nullus enim de Societate reliquus erat auditor, aliis alio missis, nullus propemodum externus. Praeterea Collegium illud propere aedificatum, magno sumptu resarciendum erat; parietes firmandi, tectum conficiendum; et ita paucis ibi relictis, studia alibi ad tempus nostri sunt prosequuti. Ibidem tamen quatuor sacerdotes, partim confessarii, partim concionatores, substituerunt, qui studia sua privatim vel audita retractabant, vel audienda praevidebant. Duo insuper sacerdotes grammaticam docere sunt aggressi; poenitens enim illud oppidum facti sui, quod scholas hujusmodi a nostro Collegio ad se transtulisset <sup>1</sup>, a P. Francisco tandem impetrarunt, per Ducem Gandiae ac nostros ut ad pristinum statum scholae redirent. Quinque autem fratres nostri, post festum D. Lucae laurea magistrarii in ea Universitate sunt insigniti; et duo alii in sacra theologia doctores, alter externus, alter de nostra Societate, creandi erant.

1015. Testimonium Societatis hujus oppidi magistratus, prout expeti poterat, dederunt <sup>2</sup>.

1016. Cum agrum quemdam haberet Collegium Gandiense, qui inutilis reddebatur, vineam in eo plantandam curavit P. Antonius <sup>3</sup>, qui intra aliquod tempus exinde centum aureos annuos redditus Collegio accessuros sperabat; sed et domos quasdam ipsius Collegii, quae nondum erant absolutae, et ita inutiles erant, absolvendas idem P. Antonius curavit; et ex illarum locatione nonnihil redditus Collegii auxit.

Et haec de Gandiensi Collegio.

<sup>1</sup> Vide supra, t. II, pag. 666, n. 561, et t. IV, pag. 346, n. 738.

<sup>2</sup> Testimonium hoc a *Justitia* (judice) Onophrio Ros, et Juratis. Vincentio Perez, Jacobo Fuster et Francisco Sans, subscriptum, affert P. PINE, in *Acta Sanctorum*, mense Julio, t. VII, n. 506.

<sup>3</sup> P. Antonius Cordeses, Rector.

## DE COLLEGIO BARCHINONENSI

AC REBUS

### P. FRANCISCI STRADAE, PROVINCIALIS

1017. Sub finem anni praecedentis cum domum in optimo situ emendam curasset Caesaraugustae P. Strada <sup>1</sup>, inde Barchinonam profectus est; aliqui nobiles atque alii amici fere usque ad vesperam sunt eum comitati. Pervenit autem ille ad quoddam monasterium prae caeteris regni Aragoniae [insigne], nomine Sichsena <sup>2</sup>, ubi multae nobiles moniales habitabant, quarum precibus illac iter habuit P. Strada; et cum dies quatuor apud eas egisset, quatuor concionibus illas consolatus est, et aliis colloquiis variis de his, quae ad ipsarum conscientias pertinebant, cum eisdem egit, cum totius monasterii aedificatione et laetitia spiritali quam maxima.

1018. Inde comitatus est eum vir quidam ecclesiasticus, qui illis in locis duas parochias habebat et domi suae hospitem P. Stradam excepit, et hunc hospitii fructum retulit, quod in Quadragesima futura se ad exercitia spiritualia accessurum promisit, et ex duobus beneficiis curatis se alterum relicturum est pollicitus; et per quatuor leucas P. Stradam comitans, cum aedificatione et consolatione animi ad sua rediit.

---

<sup>1</sup> P. Franciscus de Estrada. Vide supra, t. iv, pag. 373, n. 802, et infra in hoc t. v, n. 1047.

<sup>2</sup> Sic; est autem *Sixena*, quandoque etiam dictum *Sexena*, Sixenense vel Sexenen-se monasterium monialium sub regula Sancti Augustini et protectione seu patronatu equitum Ordinis militaris Sancti Joannis de Jerusalem, in dioecesi Oscensi. Vide Migne. *Patrologiae cursus completus*, t. ccvi, col. 1001, et t. ccxv, col. 1155.—Praeter alias manu scriptas hujus monasterii historias, quas recensent LATASA, *Biblioteca nueva*, et MUÑOZ, *Diccionario bibliográfico histórico... de España*, exstant duae typis editae: prima a P. Josepho del Val, Ordinis B. V. M. de Mercede, altera a P. Marco Antonio Varon, O. S. F.



1019. Cum Ileridam <sup>1</sup> venisset, multi eum ex nobilibus et scholasticis adierunt; sed cum ibidem subsistere non posset, quia Barchinonam properabat, vir quidam jurisperitus et honoratus, ut ejus frueretur colloquio, et interim eum diverteret, bi-duo Patrem Stradam comitatus est, et cum eidem confessus esset, et de ejus manu Sanctissimum Christi Corpus accepisset, et ad spiritualia exercitia se accessurum esset pollicitus <sup>2</sup>, èo cum animo domum rediit, ut totius vitae suae rationes ad Dei obsequium dirigeret.

1020. Cum autem die sabbati sub vesperam, ad locum quemdam Vicensis Dioecesis venisset, nomine Iqualada, liberare voluit fidem quam dederat Vicensi Episcopo, qui Inquisitor Caesaraugustanus erat <sup>3</sup>, quod praedicaturus erat in ipsius Dioecesi, si in aliquo ipsius loco dies dominicus aut festus eum deprehendisset; et ita cum Vicarium ejus populi accersivisset, concionem in diem dominicum sequentem se habiturum admonuit, quod praestitit satis magna cum consolatione illorum hominum, qui spirituali cibo non parum indigebant.

1021. Inde ad insignem domum B.<sup>mae</sup> Virginis Montis Serrati profectus est, et a monachis magna cum charitate exceptus, qui, cum urgerent eum ut apud ipsos concionem haberet, acquievit eis libenter. Illi autem solitarios monachos, qui in superioribus heremitoriis agebant, ad coenobium invitarunt et simul cum eis monachi, ab ipso choro descendentes ad ecclesiam, attentissime eum audierunt. Et prospexerant ut peregrini et alii, qui in dies religionis ergo eo veniunt, strepitu nullo eis impedimento essent. Est autem per horam cum dimidia concionatus, et referebant monachi nunquam se majori cum consolatione concionem audivisse. Deinde veniebant ad ejus habitationem primarii monachi, et heremitae, cum quibus de rebus spiritualibus varia colloquia cum eorundem consolatione miscuit; et quamvis aliquandiu detinere ipsum voluerunt, quia

<sup>1</sup> Ilerdam, *Lérida*.

<sup>2</sup> Vide infra, n. 1037.

<sup>3</sup> Acisclo Moya de Contreras, "bachiller en derecho, natural de Pedroche, del obispado de Córdoba. fué elegido (?) el 22 de Julio de 1537. Salió por Inquisidor del reino de Aragon, donde estuvo doce años. Despues en el año 1554, S. M. le hizo merced del obispado de Vique en la corona de Aragon.,, ANTONIO LÓPEZ, in *Biografía eclesiástica completa*, t. xiv, pag. 613.

properabat Barchinonam, non admissio viatico, quod liberaliter monachi offerebant, inde discessit.

1022. Cum Barchinonam pridie S.<sup>ti</sup> Antonii <sup>1</sup> sub vesperam pervenisset, ejus urbis jurati ab eo postularunt ut in festo S.<sup>ti</sup> Sebastiani <sup>2</sup> concionem haberet, cum ad ejus templum Episcopus <sup>3</sup>, Canonici, Consules et alii nobiles viri in processione pro more suo erant ituri. Postridie quo eo venerat, Episcopum et Pro-regem <sup>4</sup> et alios ex primoribus urbis invisit, et ab omnibus cum magna benevolentiae significatione fuit exceptus. Et abbas Petrus Domenech <sup>5</sup> cum alio quodam ecclesiastico, viro primario, eum comitabantur. Nondum solverat sua debita abbas hic, et ita nondum poterat se expedire ut Societatem ingrederetur <sup>6</sup>. P. Balthasar Pignas assignatus fuerat socius Patri Stradae ut studia scholastica simul cum ipso conferre possêt; sed quia per occupationes non vacabat Patri Stradae his studiis scholasticis seriam dare operam, et in confessionibus P. Pignas erat Caesaraugustae necessarius, eum ibidem reliquit et P.<sup>m</sup> Sanctamcrucem in socium secum deduxit.

1023. Invenit, Praepositum ejus Collegii, P. Joannem Cherald <sup>7</sup> ex aegritudine convalescentem, et P. Gestì <sup>8</sup>, quem primo quoque tempore, ut Procurator esset Generalis, Romam erat missurus, si segura navigatio daretur <sup>9</sup>. Ecclesiam inchoatam invenit, sed nondum absolutam; dederat ei Episcopus Segorbiensis <sup>10</sup> ad eam absolvendam trecentos et quinquaginta ducatos <sup>11</sup>; sed nostri barchinonenses aes alienum fere mille ducatorum contraxerant; et libenter Patri Baptistae de Barma curam aliorum collegiorum suae Provinciae relinquebat <sup>12</sup>, ut ipse Barchinonensi sublevando et ei civitati per praedicationem

<sup>1</sup> 16.<sup>a</sup> Januarii.

<sup>2</sup> 20.<sup>a</sup> Januarii.

<sup>3</sup> Jacobus Cazador. Vide supra, t. iv, pag. 357, annot. 2.

<sup>4</sup> Petrum Afan de Ribera et Portocarrero. Vide supra, t. iv, pag. 356, annot. 2, et infra in hoc t. v, n. 1033.

<sup>5</sup> Villabeltranensis Abbas, cujus jam saepius mentio facta est et fiet in hoc *Chronico*.

<sup>6</sup> Vide supra, t. ii, pag. 695 et 696, n. 613, et t. iii, pag. 386, n. 849.

<sup>7</sup> Sic; est autem *Cherald*, vel rectius *Queralt*.

<sup>8</sup> P. Joannem Gestì.

<sup>9</sup> Vide supra, t. iv, pag. 373, n. 802, et pag. 491 et 492, n. 1040.

<sup>10</sup> Gaspar Jofre de Borja.

<sup>11</sup> Vide supra, t. iv, pag. 343, n. 730, et pag. 351, n. 756, et pag. 491, n. 1014.

<sup>12</sup> Vide supra, pag. 369, n. 994.

juvandae <sup>1</sup> daret operam, quod ab eo Pro-rex et Consiliarii postulaverant.

1024. Optabat autem a P. Ignatio jubilaei gratiam, quae in novo templo Barchinonensi obtineretur, ad festa natalitia futura sibi communicari, ut homines ad nostrum templum magis afficerentur. Nomen autem ecclesiae imponendum censebat Dominae nostrae de Bethleem <sup>2</sup>.

1025. Contradictores imminui et fautores augeri in dies cernebatur, quamvis aliqui reliqui erant ad nostros in patientia exercendos.

1026. Abbas autem Petrus Domenech, qui adstitit Patri Stradae, cum primum Barchinonam venit, ad Pro-regem, Episcopum et alios comites et primarios viros utriusque sexus invisendos <sup>3</sup>, ad suum illud oppidum Villae Beltranae redire debuit, nam per ejus absentiam quinque fere mensium profectus ille in reformatione monasterii inchoatus, sic desierat, ut jam illi monachi ad mores pristinos redirent, et concubinas in ipsum monasterium, ac ludos et alia profana inducerent, et ipsi per oppidum noctu vagarentur. Ejus autem reditus effecit ut denuo honestam vivendi rationem susciperent <sup>4</sup>.

1027. Curavit etiam ut multi societatem illam, quam vocabant Nominis Jesu <sup>5</sup>, ingrederentur; ut jam in albo suo viginti duo millia <sup>6</sup> fratrum et amplius haberet; et in quibusdam locis prope suum illud oppidum <sup>7</sup> offensis Dei remedium adhiberi curavit. Ad arcem portus, quem vocant *Rosas*, se conferens, Ducem cum uxore, familia et omnibus militibus praesidiariis in praedictam confraternitatem adscripsit; et in usurpatione Nominis Dei magna in omnibus emendatio cernebatur.

1028. Et haec et alia pietatis opera, et quod etiam debita sua nondum solverat, effecerunt ut hic P. Petrus Domenech, qui se voto Societatis obstrinxerat, suam illam <sup>8</sup> Abbatiam relinquere hoc anno non potuerit.

<sup>1</sup> Ms. habere videtur *inuanti*.

<sup>2</sup> Et ita appellatur etiam nunc.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 379, n. 102<sup>1</sup>.

<sup>4</sup> Vide supra, t. III, pag. 386, n. 84<sup>o</sup> et t. IV, pag. 357 et 358, n. 764.

<sup>5</sup> Vide supra, t. IV, pag. 338, n. 765.

<sup>6</sup> In Ms.  $\frac{m}{xv}$ .

<sup>7</sup> Villa Beltran.

<sup>8</sup> Ms. habet *ille*.

1029. Antequam tamen Barchinona recederet, domos quasdam Collegio nostro vicinas emere conatus est, suo quidem nomine, sed ut cederent in Societatis usum; sed res non e sententia ipsius successit, quod ille, cujus erat domus, non adductus est ut eam venderet. Aliae tamen duae domus ac deinde etiam tertia a nostris emptae fuerunt, ut ecclesiae et Collegio aedificando situs commodior et amplior esset.

1030. Aperiri ostium Barchinonae videbatur ad non medio-crem ejus civitatis in moribus emendationem; multi enim non solum unum et plures annos sine sacramento confessionis exigebant, sed id etiam publice dicere non erubescabant. Pastores autem se excusabant, et culpaе bonam partem rejiciebant in quasdam Litteras apostolicas, quibus facultas dabatur eligendi sibi confessarium, quem quisque vellet; et ita qui curam animarum gerebant, sui pecoris vultum non agnoscebant. Remedium autem hujus incommodi fore censebatur si daretur facultas eligendi confessarium, non quemlibet, sed ex his quos Episcopi approbassent.

1031. Conciones Patris Stradae primas Pro-rex et Regium Consilium cum multis utriusque sexus nobilibus audiebant; et id observabatur quod, cum templum D.<sup>ae</sup> Nostrae del Pino, ubi ipse praedicabat <sup>1</sup>, magnum esset et auditoribus plenum, cumque ad horam cum dimidio fere sermonem P. Strada protraheret, nullus videbatur pedem, aut caput, aut manum movere, et ne tussire quidem ac spuere; sed velut suspensi ab ejus ore usque ad finem perseverabant; et nunquam sic hominem locutum esse ad cor ipsorum dicebant; et tantus animorum motus in audientibus cernebatur, ut passim de rebus in concione auditis homines loquerentur, et fructum insignem sperarent, si Quadragesima proxima ibi concionaretur.

1032. Barchinonae allocutus est cum P. Strada Abbas monasterii Montis Serrati, qui non erat in suo monasterio, cum illud adierat P. Strada, et quantopere commoti fuissent monachi ejus doctrina et colloquiis ei significavit; et toti Societati se valde affectum cum suis monachis ostendit.

1033. Tempus autem illud ante Quadragesimam ea in civitate ludicris ac vanis rebus impendebatur juxta communem or-

---

<sup>1</sup> Ms. *praedicaverat*.

bis abusum. Conatus est autem P. Strada in concione quadam, cui Pro-rex et magna nobilitas aderat, hunc abusum reprehendere et moderari; et quamvis multae lachrymae in ea concione profusae a multis fuerint, et Pro-rex (qui tunc Marchio Tarifae dicebatur, postea Dux Alcala dictus et Neapolitanus Pro-rex factus fuit <sup>1</sup>) statuerat larvarum abusum tollere simul atque domum <sup>2</sup> veniret; aliqui tamen ministri daemonis aut mundi, ne hic fructus verbi Dei consequeretur impedierunt. Nec mirum est, cum ea civitatis illius vanitas esset, ut ipsae moniales, cum professionem emittebant, suas illas spirituales nuptias parum honorari censerent, si ludicra spectacula ac musica in ipso refectorio, et choreae die toto in ipso monasterio publice non haberentur. Hinc caetera licebit conjicere <sup>3</sup>.

1034. Incalescebant autem amici in ratione aliqua ineunda Collegii nostri fundandi, et suggerebat aliquis monasterium quoddam S.<sup>tae</sup> Annae, quod Canonicorum regularium S.<sup>ti</sup> Augustini erat, ad dotem Collegii opportunum fore <sup>4</sup>. Alii de quibusdam redditibus Regis, quos Barchinonae habebat [cogitabant]; sed parum eisdem utebatur <sup>5</sup>; alii Universitatem ipsam Collegio applicari posse censebant. Ecclesia etiam expensis Episcopi Segurbiensis aedificabatur; sed exigua satis fore videbatur. Quibusdam theologis primariis communicatae fuerunt conclusiones impressae, quae a lectoribus Collegii Romani editae fuerant <sup>6</sup>, quae magnae ipsis aedificationi fuerunt; et unus eorum, Doctor Parisiensis et professor publicus Collegii Barchinonensis, cum concionaretur in Cathedrali ecclesia, multa in laudem Societatis ac Patris Stradae dixit. Quidam etiam alius concionator egregius in eodem templo suos auditores omnes animavit ad audiendum eundem Patrem Stradam et ejus doctrinae acquiescendum; et subdidit se cessaturum a suis concionibus, ne

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 379, n. 1022.

<sup>2</sup> e templo.

<sup>3</sup> Abusus hic non Barcinone tantum, sed in aliis in Hispania et extra Hispaniam locis illo tempore praevaluerat.

<sup>4</sup> Monasterium Sanctae Annae in urbe Barcinonensi erat regularium canonicorum Sancti Augustini, qui dicebantur *del Santo Sepulcro*. Multum huic monasterio faverunt Catholici Reges Ferdinandus et Elisabeth, ideoque vere mirum est tam cito defecisse ut de eo, jam hoc anno 1555, *ad dotem* Collegii Barcinonensis Societatis Jesu applicando ageretur.

<sup>5</sup> Emendatum est vocabulum hoc in Ms, nec facile perspicitur quid tandem legendum sit, *utebatur, fatebatur, fidebatur*.

<sup>6</sup> Vide supra, pag. 23 et 24, nn. 36-40.

abesse cogeretur cum idem P. Strada concionabatur, quem audire omnino volebat.

1035. Qui curam habebant ecclesiae, quam del Pino diximus nominatam, quamvis adversabantur nostris ne ecclesiam aedificarent, magnopere in Quadragesima eundem P. Stradam concionatorem habere cupiebant; nec propter molestias ab eis acceptas se continuit quominus aliquando in eorum ecclesia concionaretur.

1036. Quatuor erant nostri sacerdotes Barchinonae <sup>1</sup>, quibus messis non deerat confessionum ac piorum operum, quamvis existimabat P. Strada expedire ut alio mitterentur, quia aliquando, cum saeculares essent, ibidem noti fuerant, et ideo minus auctoritatis habebant quam alii, eorum loco missi, habituri videbantur; sed quamdiu manebat apud eos P. Strada, vel alii qui successerunt talenti dono praediti, id dissimulari poterat, cum doctrina evangelica et fervor spiritus, tam in concionibus quam in privatis colloquiis, magnopere barchinonensium animos nostris conciliarent. Sequebantur autem diligenter in Quadragesima tam Pro-rex quam multi nobiles, et aliquando sex hominum millia una in concione fuisse dicebantur. Venturus erat Segorbiensis Episcopus ad eum audiendum, sed negotium quoddam ab Imperatore ipsi commissum, hunc adventum ipsius coëgit differre.

1037. Jurisperitus ille ileridensis, de quo superius memini <sup>2</sup>, cum Barchinonam ad P. Stradam audiendum venisset, spiritualibus exercitiis instructus fuit, et ad optima quaeque propensum se exhibebat.

1038. Cum autem testimonia, sicut ab aliis locis, ita etiam ab hac civitate ex praescripto P. Ignatii peterentur, ratione saepius jam dicti decreti Parisiensis, non solum ab Episcopo Barchinonensi <sup>3</sup> et Urgellensi <sup>4</sup> et Condianensi <sup>5</sup>, qui Barchinonae

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 353, annot. 1.

<sup>2</sup> Pag. 378, n. 1019.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 379, n. 1022, annot. 3.

<sup>4</sup> Michaële Despuig.

<sup>5</sup> Sic; quis autem hic *Condianensis* Episcopus fuerit nescimus, cum nullum repariamur, aut episcopalis urbis nomen, aut titulum, ut dicitur, *in partibus*, qui huc voci *Condianensis* respondeat.—Vehementer tamen suspicamur sermonem esse de Fr. Joanne Jubl, O. S. Fr., qui ab anno 1543 coadjutor erat Jacobi Cazador, Barchinonensis Episcopi, quique ab aliis dicitur Episcopus *Constantiensis* (Fort, *España Sagrada*, t. LI, pag. 94), ab aliis *Constantinensis* (VILLANUEVA, *Viaje literario á las iglesias de Espa-*

versabantur, sed etiam ab Inquisitore <sup>1</sup> et ab aliis magnae auctoritatis viris, tam saecularibus quam ecclesiasticis, satis luculenter scripta P. Ignatio fuerunt <sup>2</sup>.

1039. Post Quadragesimae conciones molestiam exhibere nostris coeperunt aliqui, ac obtentis quibusdam Litteris apostolicis Romae a PP. Julio III, impedire nitebantur ne ulterius progrediretur ecclesiae coeptae aedificium. Visum est autem amicis, cum paulo post de morte ejusdem Pontificis nuncium eo perlatum esset, extinctam esse potestatem ejus Commissarii, cui Pontifex idem eam concesserat ut posset progressum aedificii impedire; et cum concordiam adversarii recusarent, quam nostri tentarunt, rem ad unum theologum et jurisperitum, ut arbitros, remittendo, opus coeptum nostri prosequuti sunt; et ne aliis litteris a novo Pontifice impetratis negotium nostris exhiberent, periti existimarunt causam Romam esse avocandam; et ita advocata <sup>3</sup> fuit; et nostri barchinonenses magna molestia liberati, suum opus libere prosequi potuerunt; quamvis tempestas contra nostros Caesaraugustae exorta, qua exturbati fuerant ex urbe, etiam Barchinonae aliquos ad contradicendum nostris animavit <sup>4</sup>.

1040. Missus fuit P. Joannes Gesti initio Aprilis ad portum quemdam vicinum, in quo navis erat, quae in Italiam trajiciebat, in qua et ipse venturus erat, sed ventus contrarius ejus navigationem aliquandiu impedivit, et interim significatum est portibus Catalauniae decem et octo [aut] viginti biremes Argelia egressas esse, quae mare illud Maioricam usque infestabant. Interim etiam a P. Francisco Borgia, Commissario, per litteras significatum est Patri Stradae, ut Patrem eundem Gestinum

---

*Id.*, t. XVIII, pag. 57). Cf. etiam AMAT, *Diccionario de escritores catalanes*; BOYER, *Escritores mallorquines*, pag. 152, et NICOLÁS ANTONIO, *Bibliotheca hispana nova*.—Anno 1571 adhuc superstes erat et Barcinone degebat; verum in munere coadjutoris Episcopi Barchinonensis jam ei anno 1560 successerat Gulielmus Cazador, Jacobi fratris filius. AYMERICH, *Nomina et Acta Episcoporum Barchinonensium*, pag. 410.

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 378, n. 1020, annot. 3.

<sup>2</sup> Ex his colliges Barcinona ad Ignatium missa in favorem Societatis testimonia sequentia: 1.<sup>um</sup> Episcopi Barchinonensis; 2.<sup>um</sup> Urgellensis; 3.<sup>um</sup> Condianensis; 4.<sup>um</sup> Inquisitoris; et alia aliorum tum ecclesiasticorum, tum saecularium (inter quos annumerandi sunt civitatis jurati, quorum testimonium habes in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 601-603; verum de his testimoniis ne verbum quidem habet PINZ, in *Acta Sanctorum*, mense Julio, t. VII.

<sup>3</sup> Ms. habet *Romae esse evocandam; et ita evocata*.

<sup>4</sup> Vide infra, n. 1042.

retineret, nam ipse alium in Procuratorem Generalem missurus erat. Profecta est itaque navis illa et statim acceptum est quod in manus saracenorum venerat, et peculiaris Dei providentia fuerit quod revocatus P. Joannes illam navigationem omiserit.

1041. Nullis censuris prohiberi poterat Barchinonae ne homines in templis deambulant. Observatum tamen est quod cum praedicaret P. Strada, etiamsi nullum praeceptum prohiberet, nullus prorsus deambulabat, immo, quodammodo contra honorem esse existimabant, si cum magna attentione concionem non audirent. Nec doctrinam ejus populus accipiebat, ut curiosa aliquando solitus erat ab aliis audire, sed tantum ad vitae ac morum mutationem; et in anni progressu et frequentia auditorum et devotio perseverabat; et simul atque concio nostro in templo haberi posset, fructus uberior sperabatur.

1042. Eleemosynae interim quaerebantur ab his, qui promiserant, ad aedificium ecclesiae prosequendum, quamvis aliqui parum essent memores sui promissi, vel in eo implendo parum diligentes. Venit et ipse Episcopus Segorbiensis tandem Barchinonam mense Julio, qui secum alium quemdam Episcopum ex his quos annulares vel titulares vocant [attulit]; et hanc occasionem excidere nostri non sunt passi, et curaverunt [ut] ecclesia, quamvis ejus media pars vix erat absoluta, benediceretur; et ita coram notario et testibus, sine ulla contradictione est factum. Pecunia tamen, quam dederat Episcopus Segorbiensis, jam fere tota consumpta erat; subsidium tamen adhuc majus ab eodem Episcopo sperabant, et ita paulatim media pars, quae reliqua erat, aedificabatur; nam in alia media, quae jam confecta erat, Missae sacrificium offerri jam coeperat et satis concinna, licet exigua, videbatur futura. Adversarii quidem parochiae del Pino et Carmelitae nova arma ad hoc aedificium oppugnandum a Sede Apostolica curabant, et ubi constitit adversariis Societatis quae Caesaraugustae gesta erant, contra ipsam animati non mediocriter, profitebantur se velle tentare ut et nostri Barchinona expellerentur.

1043. Miserat autem P. Strada Caesaraugustam P. Joannem Cheralt ut nostris subsidium ferret, eo quod P. Alphonsus Roman Vallisoletum ratione litis, de qua inferius agetur <sup>1</sup>, profectus erat.

<sup>1</sup> Scilicet, cum de Caesaraugustanis turbis sermo erit.



1044. Etiam in concionibus adversarii praedicti del Pino et Carmelitae nostros Barchinonae exagitabant et ad ipsorum infamiam loqui multi non cessabant. Et ita prima die Octobris citationem et inhibitionem ac avocationem causae ad curiam Romanam, quam P. Ignatius ipsis mittendam curaverat, praedictis adversariis praesentarunt; et sic demum a magna molestia sublevati fuerunt, quandoquidem in Urbe veritas et justitia suum locum habitura credebatur. Immo adversarios non esse prosequuturos quod coeperant verisimile erat; nam domi suae facile molestiam exhibebant, sed non ita in curia romana id ipsis facile erat. Et interim in templo nostro non solum aedificium nostri prosequerentur, sed etiam sacramenta confessionis et communionis ibidem frequentabantur.

1045. Nullus tamen adhuc ad foundationem ac dotationem Collegii sese offerebat, nec videbatur Barchinonae id temporis ullus esse, qui provinciam hanc esset suscepturus; quamvis urgerent Patrem Stradam aliqui ex primoribus ut etiam in sequenti Quadragesima in ecclesia del Pino, quae nostros persecuta erat, concionaturus maneret. Quod non obtinuerunt, cum Caesaraugustam ire ipsum oportuerit. Erant etiam molesti nostris creditores cujusdam mercatoris, cognomine Bolet, qui sexcentos aureos in hujus templi aedificationem dederat; et deinde, fortunis suis eversus, quod debebat solvere non potuerat; illi, inquam, creditores a nostris exigere sexcentos hos aureos volebant, qui tamen in magna paupertate versabantur, et aliis etiam debitis premebantur, et ecclesiae suae aedificio et sustentationi <sup>1</sup> necessaria ex eleemosynis quaerere cgebantur <sup>2</sup>.

1046. Hoc autumnio litteras accepit P. Strada a Patre Francisco Borgia, Commissario, quibus ei significabat Murciae necessariam esse praesentiam Patris Baptistae de Barma, et ideo Patrem Mironem mittebat <sup>3</sup> Valentiam ut ejus et Gandiensis Collegii curam gereret; eidem autem Patri Stradae Barchinonense et Caesaraugustanum commendabat; et ita, quod reliquum erat hujus anni, partim in hoc, partim in illo exegit <sup>4</sup>.

Et haec de Barchinonensi Collegio.

<sup>1</sup> Sic; rectius forte ita: *et ecclesiae aedificio et suae sustentationi*.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 355, n. 761.

<sup>3</sup> P. Franciscus de Borja.

<sup>4</sup> P. Strada.

## DE COLLEGIO CAESARAUGUSTANO

1047. Discesserat tertia die Januarii Caesaraugusta versus Barchinonam P. Franciscus Strada, Provincialis <sup>1</sup>, cum reliquis set in ea civitate multo latius, quam ante ipsius adventum, patientem Societatis nostrae notitiam ac bonum odorem, cum toto Adventu et quidem bis dominicis ac festis diebus, mane et vespere, fuisset concionatus; et frequentissimo cum auditorio et magna cum attentione et devotione auditus ibi fuerat; et eam animorum commotionem Dominus per eum fecerat, ut ei similem multis annis se non vidisse Caesaraugustani faterentur; et ita studiosiores solito nostrae Societatis effecti erant; et sedem fixam in sua civitate ipsi peroptabant, ut fructus ex ea proveniens esset perpetuus; nam confessionum et communionum numerus augebatur et quatuor confessarii ex nostris <sup>2</sup> satisfacere hominibus <sup>3</sup> non poterant. Et in ultima concione tanta confluerat audientium multitudo, ut nihil unquam simile Caesaraugustae visum esse diceretur. Ipsa autem vigilia Nativitatis Domini, emptio domorum quarumdam ac situs peracta est pretio duorum millium et quingentorum scutorum, quas *libras* <sup>4</sup> in eo regno vocant; et quamvis aedificia satis essent antiqua, ad multos annos usui adhuc esse poterant Collegio, et situs erat valde opportunus; quia tamen consensus multorum requirebatur, post contractum emptionis aliquamdiu nostri distulerunt migrationem suam in has aedes; ad quarum solutionem eleemosynae bona ex parte promissae erant; sed non facile, ne ab ipso quidem Pro-rege <sup>5</sup>, recuperabantur, immo P. Ignatius admonuit ne ab illo exigent[ur] <sup>6</sup>.

1048. P. Franciscus de Rojas, qui tunc praeerat nostris

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 377, n. 1017.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 365, annot. 3.

<sup>3</sup> Sic; *omnibus*?

<sup>4</sup> Vide in his *HISTORICIS MONUMENTIS Sanctus Franciscus Borgia*, t. i, pag. 698, annot. 4, pag. 782, annot. 3, et opera ibi commemorata.

<sup>5</sup> Didaco Hurtado de Mendoza, Comite de Melito.

<sup>6</sup> Vide supra, t. iv, pag. 370, n. 791, et annot. 3.

Caesaraugustae post discessum P. Stradae, intra unum aut alterum mensem alio recessurus erat ut studia sua proseguere - tur; quamvis, ut erat valde gratus civitati, ita ejus recessum, de quo certiores facti erant, moleste non pauci ferebant.

1049. Pervenit autem Caesaraugustam octava die Februarii P. Baptista de Barma <sup>1</sup>, cui ad praedicationem proximae Quadragesimae parochialem ecclesiam satis idoneam nostri praeparaverant. Coepit autem satis magna cum frequentia auditorum concionari, et tota Quadragesima id juxta morem facturum erat, sed cum in morbum incidisset, concionum telam abrumpi necesse fuit; et quamvis sanitatem brevi recuperavit, dominicis diebus dumtaxat conciones est prosequutus; quod suavi Domini providentia effectum interpretabatur, ut aliis negotiis Societatis vacare posset; et inter caetera studuit quae ad domum pertinebant expedire, et ita ante Pascha ad propriam domum migrarunt.

1050. Cogitabat autem rationem inire aliquam ut augeretur Caesaraugustae nostrorum numerus et saltem ad decem perveniret, ita ut, praeter quatuor sacerdotes, (quorum unus esset concionator), totidem essent scholastici, qui, peractis ibi duobus annis, alio mitti possent studiorum gratia, et alii eorum loco substituerentur; et praeter hos duo vel tres coadjutores necessarii videbantur; et ita disciplina religiosa, aucto numero, melius retineri poterat <sup>2</sup> et spiritualis fructus ad plures ejus urbis homines se extendere, et quamvis nullus totam provinciam hos sustentandi suscepturus videretur, a quibusdam sumptus ad unum alendum, et ab aliis ad mediam partem expensarum unius, facile impetrare posse judicabat. Et ita rebus Caesaraugustae compositis, Murciam ipse progredi cogitabat ut Cartaginensis Episcopi <sup>3</sup> pio desiderio satisfaceret, qui de collegio erigendo serio cum P. Francisco <sup>4</sup> agebat; et quia valde senex erat <sup>5</sup>, periculum in mora futurum esse timebatur. Curavit ergo instaurari domum <sup>6</sup> jam emptam, et ad Societatis usum accom-

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 369, n. 994.

<sup>2</sup> Vide supra, t. III, pag. 40, n. 72, et annot. 1.

<sup>3</sup> Stephani de Almeyda. Vide supra, t. IV, pag. 345, n. 736.

<sup>4</sup> P. Francisco de Borja, Commissario.

<sup>5</sup> Episcopus; obiit 23.<sup>a</sup> Martii 1563. GONZALEZ DAVILA, *Theatro eclesiástico*, t. I, pag. 335.

<sup>6</sup> Scilicet Caesaraugustanam.

modari, et sacellum quoddam, quod ad viam publicam aditum patentem haberet, concinnare fecit; et commodum illud utcumque fore videbatur.

1051. Poterant etiam usque ad sexdecim ex nostris in habitatione domus commode excipi; et usque ad Aprilem admirationi erat tam nostris, quam aliis, quod nullae contradictiones vel monachorum vel clericorum insurgerent, cum praesertim et domus jam empta esset et aedificaretur, cum ante electionem situs multi se adversarios fore minarentur. Et ita cum non mediocri sua consolatione nostros in propria domo, et quidem jam juxta Societatis formulam ordinata, reliquit; et P. Alphonsum Roman caeteris praefecit, cum quo relictus est P. Balthasar Pignas et Canonicus ille oppidi de Calatayud, quem anno superiori Societatem ingressum diximus <sup>1</sup>, et Patrem Santander <sup>2</sup>, ubi Valentiam pervenisset, quartum sacerdotem et concionatorem erat missurus, praeter fratres aliquos laicos.

1052. Et antequam Caesaraugusta discederet, ex Majorica litteras Pro-regis <sup>3</sup> et Inquisitoris <sup>4</sup> accepit, qui aliquos de Societate ad collegium inchoandum postulabant; et jam ducentos aureos annui redditus habebant, et alia auxilia a civitate et privatis domibus expectabantur. Sed hoc negotium ipse ad P. Franciscum Borgiam rejecit <sup>5</sup>; et ita Murciam profectus est.

1053. Ante recessum ejus 13.<sup>a</sup> Martii Barchinonam <sup>6</sup> pervenerat P. Petrus de Tablares, qui anno praecedenti curata navigatione nostrorum in Italiam <sup>7</sup>, et Pro-regi Catalauniae <sup>8</sup> commendatis nostris, qui Barchinonae habitabant (erat enim Marchioni Tariffae familiaris), evocatus fuerat Hispalim a P. Francisco Borgia, sed in itinere febribus ac nivibus detentus tres menses, rogatu Comitum Melitensis, Pro-regis Aragoniae (qui

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 370, n. 792, et pag. 376, n. 799 et annot. 2.

<sup>2</sup> Ludovicum de Santander. Vide supra, pag. 370, n. 996.

<sup>3</sup> Guilielmi (Guillen) de Rocafull. DAMEYO, MUT ET ALEMANY, *Historia general del reino de Mallorca*, lib. ix, cap. 7.

<sup>4</sup> Baccalaurei Nicolai de Montañans. IDEM, *ibid.*, lib. vii, cap. 12.

<sup>5</sup> Vide supra, t. iv, pag. 599 et 600, n. 1277.

<sup>6</sup> *Barchinonam* perspicue est in Ms. Existimamus tamen scribendum esse *Barcinonia*, ita ut sensus sit: *Antequam Caesaraugusta recederet Murciam versus P. Joannes Baptista de Barma, Barcinona Caesaraugustam 13.<sup>a</sup> Martii pervenit P. Petrus de Tablares, qui...*

<sup>7</sup> Vide supra, t. iv, pag. 356 et 357, n. 768.

<sup>8</sup> Is, qui paucis post verbis Marchio de Tariffa nuncupatur. Vide supra, pag. 379, n. 1022.

jam titulum mutaverat in Ducem Franchae villae, <sup>1</sup> et suo genero, D. Ruigomez <sup>2</sup>, comitis Melitensis titulum resignaverat <sup>3</sup>) Caesaraugustam rediit, et nostris subsidio fuit, apud quos multi viri primarii sacramenta confessionis et communionis frequentabant.

1054. Cum autem accepisset litteras, quibus de decreto Parisiensi nostri admonebantur et ejus exempla mittebantur, existimabat <sup>4</sup> ille <sup>5</sup> ab Archiepiscopo Toletano <sup>6</sup> et fratre Melchior Cano hoc decretum adjutum fuisse; nam fere eadem, quae in eo continentur, illi contra Societatem adducere solebant; et inter alios, frater Fresneda <sup>7</sup>, Regis Philippi confessarius, postea Conchensis Episcopus ac Cordubensis <sup>8</sup>, coram D. Ruigomez similia semel dixit. Cum tamen Patrem Tablares audivisset, qui tunc illis aderat, satisfactum sibi affirmabat ac suum favorem ac auxilium tum in concionibus ac privatis colloquiis promisit <sup>9</sup>.

1055. Archiepiscopus ipse Toletanus, quamvis publice nihil contra Societatem tentaret, parum se fautorem nostris praebebat, nec tamen contradicebat, et potius humanitatem exterio-rem nostris exhibebat.

1056. Quod autem P. Canus nulla ratione sententiam mutaret, hoc ejus naturae tribuebatur, quae angelicam apprehensionem immutabilem dicebatur imitari <sup>10</sup>. Sed hanc Parisiensem

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, in Indice voces *Hurtado de Mendosa*

<sup>2</sup> Vide praesertim supra, t. iv, pag. 288, annot. 2, et pag. 370, n. 789.

<sup>3</sup> Vide n. seq., annot. 9.

<sup>4</sup> Ms. habet hic *existimabat autem*; sed hoc *autem* redundare videtur.

<sup>5</sup> Ex illis, quae immediate sequuntur, evincit satis clare videtur voce hac *ille* intelligendum esse Patrem Petrum de Tablares.

<sup>6</sup> Joanne Martínez Siliceo, de quo jam saepissime in hoc *Chronico*.

<sup>7</sup> Fr. Bernardus de Fresneda, O. S. F. Vide DELPLACE, *L'établissement de la Compagnie de Jésus dans les Pays-Bas*, pag. 33, annot. 1.

<sup>8</sup> Promotus fuit etiam ad Archiepiscopalem ecclesiam Caesaraugustanam, ut bene habet DELPLACE, l. c.; verum ejus possessionem non adivit, ideo inter Caesaraugustanos Archiepiscopos non recensetur a GAMS, nec a pluribus aliis. Recensetur tamen a diligentissimo LA FUENTE, *Historia eclesiástica de España*, t. v, pag. 572.

<sup>9</sup> "Al Sr. Ruy Gomez, ya Conde de Melito, se escribirá lo que V. R. apunta entre otras cosas, y tambien al Sr. Virrey, aunque no por ventura con este correo, que no creo nos dará lugar. Tendrase memoria particular (como se ha tenido hasta aquí) de encomendar á Su Sria. y su ilustrísima casa muy especialmente á Dios Nuestro Señor, á quien plega haber dado salud á la Sra. Doña Ana, como para su divino servicio lo deseamos." Polancus, *ex com.*, Patri Petro de Tablares, 7 Maji 1555.—Et infra in eisdem litteris: "Cuanto al decreto Parisiense no es de maravillar en algunas cosas convenga con los conceptos de los que son movidos de semejantes causas en esos reinos."

<sup>10</sup> Vide CABALLERO, *Vida del Illmo. Sr. D. Fr. Melchor Cano*. Cap. xii, Condiciones y carácter.

et Caesaraugustanam (de qua paulo inferius <sup>1</sup>) et alias validas Societatis oppugnationes tempore P. Ignatii a Deo permitti existimabant, quod eam animi fortitudinem et prudentiam ei Dominus dederat ut per eum, ut nostrum Josue, contradictores prosternerentur.

1057. Testimonia tamen, quae Caesaraugustae petenda erant ratione praedicti decreti Parisiensis, sic postulanda videbantur Patri Tablares, ut nulla interim praedicti decreti mentio fieret, ne apud amicos quidem; et prudenter quidem, ne plantae, teneriores in cognitione et affectu erga Societatem, tam acerbi decreti vento percuterentur. Alias tamen ob causas testimonium hoc postulatum est.

1058. Nova domus nostra et sacellum in ea institutum admirandas Caesaraugustae tragoedias excitavit hoc anno, quas tamen divina Bonitas in magnum Societatis, immo et commune, bonum convertit; res autem sic gesta fuit. Simul atque possessio domus accepta fuit, nostri Missas ibidem celebrare et exercere alia Societatis ministeria coeperunt; sed antequam primum Sacrum diceretur, adierunt nostri Archiepiscopum <sup>2</sup> ut omnium rationem ipsi redderent ac benedictionem ipsius postularent. Ille ad Vicarium suum Generalem <sup>3</sup> nostros misit, quem, cum nostro nomine aliqui amici fuissent allocuti, dixit, ut, quandoquidem nostri facultatem habebant a Sede Apostolica, cum benedictione Domini ea uterentur.

1059. Cum haec ita se haberent, et nostri nobilissimos quosque ac praecipuos urbis viros ad primi Sacri solemnitatem in novum sacellum invitassent, ea nocte, quae diem hunc praecedebat, misit Vicarius Generalis domum nostram rogatum, ut cessarent nostri die sequenti a prima Missa celebranda, quia monachi et clerici ecclesiarum, domui nostrae vicinarum, apud eum conquesti erant <sup>4</sup>. Respondit autem P. Baptista

<sup>1</sup> A n. 1058.

<sup>2</sup> Ferdinandum de Aragon.

<sup>3</sup> Fr. Lupum (*Lope*) Marco, Ord. S. Bern., Verulensis Monasterii Abbatem, in spiritualibus et temporalibus Caesaraugustani Archiepiscopi Vicarium.

<sup>4</sup> Fuere hi, ut narrat P. Rivadeneira (*Vida de San Ignacio*, lib. iv, cap. xiv), "los padres de San Agustín (que eran entonces claustrales y ahora son observantes), aunque su casa estaba apartada de la nuestra. Y el Vicario de la Magdalena.—Alius etiam fuit "el Rector de San Miguel de los Navarros." Vide Principis Joannae litteras XXVII Julii 1555 datas in *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 605-607.—Vide etiam infra, n. 1061.

de Barma, qui nondum recesserat, hoc in detrimentum Societatis fore, et postridie se Vicarium alloquuturum esse. Consuluit interim peritos viros, qui censuerunt capiendam esse possessionem exercendi nostra ministeria antequam ad Vicarium iretur <sup>1</sup>; quia non dubitabant prohibitorium esse majori conatu ne id fieret, scilicet quod nostra ministeria ibi exercerentur; et si contra ipsius prohibitionem nihilominus fierent, graviolem fore indignationem.

1060. Die ergo eodem, prout constitutum fuerat, prima Missa dicta fuit <sup>2</sup>; quae dum diceretur, Vicarius affigi jussit in portis nostrae domus edictum, in quo Rectoribus et Vicariis ejus urbis praecipiebat ut admonerent sibi subditos ne ad nostrum sacellum ad missas audiendas, vel ad confessiones, aut ulla ministeria Societatis consueta venirent <sup>3</sup>. Et hoc edictum, absoluta solemni Missa et concione 17.<sup>a</sup> die Aprilis, legi potuit ab eis fere omnibus, qui eo venerant.

1061. Illi autem, qui praecipue adversarios se nostris exhibebant, monachi erant conventuales <sup>4</sup>, ordinis S.<sup>ti</sup> Augustini et Vicarius parochiae S.<sup>tae</sup> Magdalenae, sub qua domus esse solebat <sup>5</sup>. Hic autem nepos erat Abbatis Veruelae, qui Archiepiscopi Generalis erat Vicarius, qui ferebatur frui bona parte reddituum parochiae S.<sup>tae</sup> Magdalenae, et ita emolumenti proprii gratia hic Abbas credebatur bona ex parte moveri, et cum auctoritatem et gratiam haberet apud Archiepiscopum, ab his duobus creditur magna ex parte molestias nostris exhibitas processisse; et ita alii ex ecclesiasticis, qui litigabant, se excu-

<sup>1</sup> Intelligentur haec rectius eorum ope, quae habet ALVAREZ, *Historia de la Provincia de Aragon de la Compañia de Jesus*, lib. 1, cap. 51: "Acordó el P. Viceprovincial Baptista de Barma, con parecer de los demás, que el mismo día por la mañana, ántes del oficio público y solemne, se tomase la posesion con algun secreto en presencia de notario y testigos competentes; y así se dijo Misa, predicó el P. Viceprovincial, y algunas personas se confesaron y comulgaron."

<sup>2</sup> Solemnem intellige et publicam, ut ipse innuit statim Polancus; jam enim mane prima privata celebrata fuerat. Vide annot. praecedentem.

<sup>3</sup> "A este tiempo pues por órden del Abad de Veruela, Vicario General, se fijaron en las puertas de nuestro Colegio unas letras con censuras, en que se mandaba que ninguno oyese Misa, ni sermon, ni recibiese sacramento en nuestra capilla, porque era lugar profano; sin alegar otra causa del mandato ó prohibicion, el qual se hacia á instancia del Vicario de la Magdalena, y Rector de San Miguel, iglesias parroquiales de la ciudad." ALVAREZ. l. c.—Vide infra, n. 1062.

<sup>4</sup> Vide quae supra, n. 1059; annot. 4, ex Patre Rivadeneira retulimus.

<sup>5</sup> Scilicet, domus, quae nunc Societatis erat, prius, cum a laicis tenebatur, parochi Sanctae Mariae Magdalenae jurisdictioni subiacebat.

sare soliti erant, et causam litis in Archiepiscopum et ejus Vicarium rejiciebant <sup>1</sup>.

1062. Tenor ergo edicti, quod praedictus Vicarius Generalis nostris portis affixit, hic erat. "Quia quidam clerici, propria auctoritate, postposito Dei timore, missas dicebant, praedicabant et sacramenta ministrabant in profana quadam domo, quod praecipiebat omnibus Rectoribus et Vicariis ut in suis ecclesiis publicarent ne quisquam ad aliquod ex ministeriis praedictis in domum praedictam veniret, et si quis aliter faceret in excommunicationem incideret."

1063. Fuit autem hoc decretum magno offendiculo civitati; et cum Pro-rex et alii primarii viri saepius nostrorum nomine a Vicario postulassent ut illud edictum revocaret, et ad id litteras Apostolicas Societatis ostenderent, ex quibus de facultate, quam habebant, constaret, litteras quidem retinuit aliquot dies et officiali Archiepiscopi ostendit; nunquam tamen edictum revocare voluit. Suspendit tamen ejus publicationem per vicarios in ecclesiis faciendam, et cum peteretur facultas ad concionandum pro P. Santander, et quidem non semel, nunquam eam voluit concedere; quamvis examinador, quem designabat Archiepiscopus (a quo noluit P. Roman nostrum concionatorem examinari), dixit necessariam nobis non esse hujusmodi facultatem, et ita concionatus est in eodem nostro sacello, cum satis magna auditorum frequentia et satisfactione; sed valde commoti fuerunt adversarii, et Vicarius Generalis suum illud edictum, quod suspensum erat, publicari jussit in omnibus ecclesiis. Jussit etiam Archiepiscopus eisdem Rectoribus et Vicariis ut verbo publice declararent eos, qui animo diabolico (sic illi loquebantur) ad sacellum Societatis ierant post primum illum diem, quo edictum affixum erat, excommunicatione innodatos esse; quae res scandalo plena fuit; et eos, qui nostris addicti erant, ex ecclesiis suis ejiciebant cum ignominia; et ab eis, quos absolvebant, juramentum exigebant quod ad nostros venturi non essent; tamque gravia falsa testimonia de nostris diceban-

---

<sup>1</sup> Inconcinne satis haec dicta sunt, nec clare sensus apparet; verum si conjectura nobis uti liceat, ea ita exponeremus: *alii ex ecclesiasticis, qui nostris in hac lite adversarios se exhibebant, excusare suum agendi modum soliti erant, causam litis in Archiepiscopum et ejus Vicarium rejiciendo.*



tur, ut, si vera illa fuissent, combustos et in pulverem redactos esse oportuisset <sup>1</sup>.

1064. Et hoc fuit primum telum contra collegiolum illud auctoritate Archiepiscopi contortum. Secundum fuit per Tribunal quoddam summae auctoritatis ad vindicandam regni Aragoniae libertatem (quod vocant *Justitiam Aragoniae* <sup>2</sup>) et Tribunal hoc, licet saeculare est, quando aliqui conqueruntur quod sibi vis inferatur, ecclesiasticis causis etiam se immiscet, deinde summarie re cognita, vim illatam prohibendo ac possessione privando, ei parti favet penes quam jus esse illi videtur <sup>3</sup>.

1065 Postulabant ergo adversarii ab hoc Tribunali ne nostri aedificarent ecclesiam aut sacellum, nec exercerent alia ministeria Societati consueta. Duas autem sententias tulit illud Tribunal; alteram ne nostri expellerentur, altera ut liceret nostris sua ministeria exercere; sed tamen ne aedificarent ecclesiam pronunciarunt, quo videbantur approbare apprehensionem, quam illi vocant, contra nostros factam, in qua id praecipue petebatur, ne aedificarent contra usum et possessionem, quam dicebant parochiae se habere ut in ipsarum districtu possent prohibere aedificationes ecclesiarum; non animadvertentes quod nostrum privilegium nostris suffragatur contra jus illud commune parochiarum.

1066. Tertia molestia nostris illata fuit per conservatorem, quem monachi S.<sup>ti</sup> Augustini conventuales elegerunt, prout illis ipsorum bullae (quas *mare magnum* vocant) concedunt. Fuit autem electus Guardianus monachorum claustralium S.<sup>ti</sup> Francisci, qui etiam, quemadmodum et Generalis Vicarius, iudex et pars erat, nam sui ordinis privilegia per nostra infringi ipsemet dicebat. Hic ergo contra nostros procedens, eos citando injunxit ne aedificarent, aut celebrarent in illa domo nostra, quod esset

<sup>1</sup> Recesserant jam hoc tempore Caesar Augusta P. Baptista de Barma, Viceprovincialis, et P. Franciscus de Rojas, domus superior. "El trabajo de todo esto recaía sobre los hombros del buen P. Alonso Roman, que ya era Rector de aquel Colegio, y solo, por haberse ido el P. Francisco Rojas, que antes era Superior.", ALVAREZ, l. c.

<sup>2</sup> Vide in his MONUMENTIS HISTORICIS, *Sanctus Franciscus Borgia*, t. 1, pag. 684, annot. 1.

<sup>3</sup> "Viendo los contrarios que sin embargo de aquella prohibición los nuestros habían continuado el oficio divino, acudieron á la corte del Justicia de Aragon, la cual aun en cosas y causas eclesiásticas suele poner la mano para impedir violencias, segun dicen, y mantener á cada cual en su posesion hasta que la causa se averigüe.", ALVAREZ, l. c., cap. 52.

intra spatium trecentarum annorum contra Augustinianorum privilegia. Sed studiosi nostrae Societatis et ipsi etiam nostri in suum conservatorem elegerunt Episcopum Oscensem, virum optimum et justitiae amatorem <sup>1</sup>, qui munus hoc cum suscepisset, sic gessit, ut in tota civitate alius ei similis inveniri non posset res ipsa declararet. Agebat autem ille cum amicis nostris de ratione ineunda revocandi omnia, quae contra nostros attentata fuerant tam a tribunali Archiepiscopi quam etiam Justitiae Aragoniae et conservatoris Fratrum Augustiniensium. Ad primam (*sic*) ergo conservatoris hujus quem diximus Guardianum esse S.<sup>ti</sup> Francisci, procuratores nostri collegii comparuerunt, simul cum notario, et citaverunt illum ante Episcopum Oscensem, conservatorem Collegii Societatis, simul cum omnibus litterarum habentibus, et fuit inhibitus ne ulterius procederet. Fuit etiam interposita appellatio (ut si forte ea opus esset, tale praesidium non deesset), quae innitebatur nostris privilegiis, adhibita cautela necessaria ne eis jurisdictio concedi videretur.

1067. Uterque ergo ex conservatoribus dictis contra partem oppositam processerat usque ad terminum declarationis <sup>2</sup>; et ut scandalum evitaretur, si talis declaratio fieret, nostri subscriptionem obtinuerunt a Justitia Aragoniae contra Archiepiscopum et ejus officiales et Guardianum ac quosvis iudices, ne nostros molestarent, et haec subscriptio tantae auctoritatis est in illo regno, et in gravissimas incidit poenas qui eam infringit, antequam in ipso Tribunali pronuncietur. Et ita Guardianus per dies aliquot a censuris declarandis abstinuit; noster enim <sup>3</sup> sponte abstinebat. Sed Archiepiscopus, ipso die S.<sup>mae</sup> Trinitatis, cum videret alias vias occlusas esse, jussit in omnibus parochiis et monasteriis urbis excommunicatos declarari, ut superius tetigimus <sup>4</sup>, qui ad nostrum sacellum, post primam

<sup>1</sup> "Proveyó Dios que á este tiempo se hallase en Zaragoza D. Pedro Agustín, Obispo de Huesca, Jaca y Barbastro, que entónces era un Obispado, hijo de D. Antonio Agustín, Vicecanciller del Emperador, hombre de grande ser, valor y prudencia, el cual movido de compasión de los nuestros por verles tan combatidos y tan solos, y también por respeto de Micer Jaime Agustín del Castillo, deudo suyo y grande devoto y bienhechor (nuestro), aceptó el oficio de Juez Conservador... ALVAREZ, I. C.—Magna intercebat hoc tempore amicitia Ignatium inter et Oscensis hujus Episcopi fratrem, Antonium Agustín, Romanae Rotae Auditorem. Cf. supra, t. II, pag. 335, annot. I, et *Cartas de San Ignacio*, t. II, pag. 68, et t. V, pag. 26-32.

<sup>2</sup> Declarationis scilicet nominum eorum, qui censuris irretiti existimabantur.

<sup>3</sup> Conservator iudex.

<sup>4</sup> N. 1056.

illam prohibitionem venissent, et reservabat absolutionem sibi ac suo Vicario et aliis quibusdam, et tunc cautio juratoria, et ut diximus <sup>1</sup>, exigebatur:

1068. Cum caput sic esset affectum erga nostros, omnes Rectores et Vicarii congregati fuerunt aliquoties, ut corpus unum contra nostrum Collegium efficerent, eo quod nostri Caesaraugustae eis incommodarent; et hinc coepit crescere tumultus populi vehementer, quem adversarii, ut ferebatur a multis, contra Societatem populum incitabant, publicis et secretis mediis adhibitis.

1069. 23.<sup>a</sup> die Junii die dominico Guardianus S.<sup>us</sup> Francisci, conservator Augustiniensium, publicari jussit fere in omnibus ecclesiis et monasteriis urbis ut excommunicatos Patres Baptistam de Barma, Franciscum de Rojas, qui absentes erant, et Patres Alphonsum Roman et Pignas, quicumque <sup>2</sup> erant Caesaraugustae; quae res auxit scandalum magnopere; nam insolitum aut certe rarissimum est ut sic publice religiosi coram populo excommunicentur. Dira enim et execranda de nostris vulgus cogitabat; alii haereticos esse, alii nescio quam sectam aut exleges, et alia hujusmodi mussitabant. Tunc nostri juxta cujusdam amici theologi consilium, ne offendiculum esset vulgo justitiam ignorante, a celebratione publica abstinuerunt, quamvis privatim semper celebrarent, et aperte id dicerent amicis, qui certiores fieri poterant, quod censurae nullae essent, cum praeter jus nostrum a Sede apostolica concessum, ut Bullae ostendebant, legitime inhibitus esset judex ille franciscanus, et ad cautelam apposita fuisset appellatio suo tempore cum solemnitatibus requisitis, post quam constabat excommunicationes et censuras esse nullas.

1070. Tunc ut desinerent dubitare homines de nostra facultate, et demum ad defensionem permiserunt nostri ut Episcopus Oscensis sententiae suae contra adversarios litteras publicaret, quibus declarabat quod illi in excommunicationem inciderent; sed cum vellent eas in ecclesiis promulgare, intellectum est quod Archiepiscopus praeceperat ne quid eorum fieret, quae conservator noster praeciperet, nec ipsius litterae le-

<sup>1</sup> Supra, pag. 393, n. 1063.

<sup>2</sup> Sic: *qui tunc?*

gerentur; et cum ab ejus officiali nuncius <sup>1</sup> ad hanc publicationem peteretur, illum dare recusavit, quamvis adversariis omnes fere ecclesias ad suarum censurarum declarationem concessisset; et ita in uno solo monasterio publicatae fuerunt et in publicis locis affixae, ubi declarabatur incurrisse excommunicationem Guardianum S.<sup>ti</sup> Francisci cum fratribus S.<sup>ti</sup> Augustini et clericis S.<sup>tae</sup> Magdalenae. Sed post tres horas vel quatuor injunxit officialis <sup>2</sup> clerico cuidam ex eorum numero, qui excommunicati erant, ut litteras illas inde auferrat, quod ille publice fecit; et statim fratres S.<sup>ti</sup> Augustini, per totam urbem discurrentes, affixas hujusmodi litteras lacerarunt, et dicebant id sibi ab officiali Archiepiscopi esse injunctum; et tamen poena excommunicationis apposita erat ei, qui hujusmodi litteras abstulisset.

1071. Die sequenti interdictum contra nostros decretum est; et postridie P. Alphonsus Roman, ad curiam Principis <sup>3</sup>, Vallisoletum se contulit, ut contra scandala haec remedium aliquod impetraret: quamvis enim a Sede apostolica illud postulasset, periculum esse in mora videbatur. Post ejus recessum chartae affixae sunt per publica loca civitatis, in quibus quatuor illi nostri supradicti, depicti erant, propriis nominibus appositis, et ab utroque latere daemones depictos, et infra unumquemque illorum flammas, verbis magnae irrisionis adhibitis. Et bonus Episcopus Oscensis et conservator <sup>4</sup> Joannes Gonzalez, et alii amici Societatis etiam excommunicati notabantur; et tamen ipse Episcopus aegre ferebat quod ipsum simul cum nostris non <sup>5</sup> depinxissent, quibus socius hujus ignominiae honorificae esse cupiebat.

1072. Eodem die, turmae quaedam puerorum cum quodam vexillo, <sup>6</sup> in quo daemones quidam erant depicti et forte aliqui

<sup>1</sup> Idem ac *praeco*.

<sup>2</sup> Archiepiscopi.

<sup>3</sup> Joannae, Hispaniae, absente Philippo fratre, gubernatricis.

<sup>4</sup> Conservator Aragoniae.

<sup>5</sup> In Ms. vox haec *non* hic inter lineas superposita est et recentiori manu deleta; verum, ut sententia constet, restituenda videtur. Vide tamen infra, n. 1081.

<sup>6</sup> Vexillum illud confecere pueri ex chartis ipsis, in quibus depicti Patres, exhibebantur: "Viendo los muchachos y mozuelos de poca edad lo que habían hecho los clérigos cuando salieron en procesion, é incitados de otros de mayor edad y dignidad, juntanse en gran número, desapegan los cedulones de las paredes y puertas donde estaban, forman dellos una bandera, y de tropel y, como dicen, á pendon herido, dan sobre nuestro colegio una tan furiosa rociada de piedras, que puso cuidado á los nuestros y

ex nostris, armati lapidibus, contra domum nostram venerunt, et eam lapidibus petere coeperunt. Sed statim aliqui eo cucurrerunt ex ministris Pro-regis, et duos vel tres ex illis pueris coeperunt, qui confessi sunt quod a quibusdam clericis et nescio etiam a quibusdam monachis ad id inducti fuerant. Fiscalis autem Regis et civitas contra hos procedebant. Statim egressi sunt monachi et parochiae per universam civitatem per tres dies cum campana, procedentes per publicas vias contra domum nostram, et vulgus lapides ad terrorem jactabat. Ferebant autem crucifixum velo nigro coopertum, averso vultu, et psalmum illum publice cantabant: "Deus laudem meam ne tacueris"<sup>1</sup>, quibus maledictiones tam multae continentur; quae res horrorem admirandum excitavit, et tantopere vulgus fuit excitatum contra nostros, ut clamoribus omnia implerentur et stupenda quaedam contra nostros dicerentur.

1073. Jubente autem Archiepiscopo, omnes Religiones urbis (praeterquam S.<sup>ti</sup> Hieronymi) contra nostros congregatae sunt; et murmurationibus, minis ac falsis testimoniis nullus finis imponebatur. Et cum populus ille alioqui liber satis sit, et ab Archiepiscopo, ecclesiasticis et religiosis incitaretur, et ex paucis nostris qui Caesaraugustae versabantur, major pars castellanorum esset, a quibus aversionem quamdam aragoneses habere solent; timeri poterat non solum ne vita nostrorum periclitaretur, sed etiam ne nobiles, qui nostris favebant, in seditionem aliquam cum populo venirent; nam cum primum pueri lapidibus domum nostram sunt aggressi, multi nobiles, qui prope locum illum pila ludebant vel ludentes spectabant, seminudi accurrerunt ad nostrorum defensionem, quamvis alii ad Pro-regem iverunt, qui venit ipsemet cum magna nobilitate; et timeri poterat gravis aliqua seditio.

1074. Antequam res hucusque progredieretur, de concordia adversarii agebant; sed nolebant nos aedificare, nec praedicare, nec sacramenta ministrare, nec publicas Missas dicere. Et si hoc ultimum permisissent, quod ad Missas et confessiones attinet, forte nostri acquievisent.

1075. Princeps Joanna magno animo nostrorum justitiae

á muchos otros de fuera, pensando que fuese motin del pueblo y caso de mayor peligro., ALVAREZ, I. C., cap. 54.

<sup>1</sup> Ps cviii.

favere conata est; et scripsit Archiepiscopo et Abbati ejus Vicario, ac mandavit ut revocarent quidquid contra nostra privilegia egerant <sup>1</sup>. Consilium etiam Supremum Aragoniae suo decreto bullas nostras observari jusserat <sup>2</sup>; sed Archiepiscopus nulli acquievit, nec Litteris Apostolicis obedire voluit, nec Brevis, quod Nuntius Apostolicus <sup>3</sup> in hoc negotio ad eum miserat.

1076. Nostri ergo constituerunt civitatem alloqui, et P. Tablares in ipsorum congregatione significavit Societatis animum ad civitatis illius spirituale auxilium et consolationem; et illis obtulerunt se ex urbe cessuros, donec populi furor ille conquiesceret; nolebant enim occasionem tumultui dare <sup>4</sup>. Et ita domus nostrae claves juratis dederunt, protestando quod So-

<sup>1</sup> "Escribió luego (Princeps Joanna) siete cartas que fueron de grande importancia para el negocio, de grande consuelo para los nuestros, que se hallaban por todas partes tan apretados y afligidos, y dieron ánimo á nuestros devotos para que llevasen adelante el favorecer nuestro partido, viendo tan declarada por él á la princesa, que entonces tenía el gobierno. Remitióse el pliego al Regente Camacho, que en aquella sazón estaba en Zaragoza. Las cartas eran: para el Virey, Duque de Francavilla, para Don Hernando de Aragon, Arzobispo de Zaragoza, para Don Pedro Agustin, Obispo de Huesca, nuestro Juez conservador, para Don Lope Marco, Abad de Veruela y Vicario General, para Don Juan de Lanuza, Justicia de Aragon, para Micer Jaime Agustin del Castillo, nuestro consultor y valedor, en aquel año Jurado primero de Zaragoza.", ALVAREZ, l. c., ubi *septimam* Principis Epistolam recensere oblitus est. Has litteras habes, 1.<sup>am</sup> Pro-regi, 2.<sup>am</sup> Archiepiscopo, 3.<sup>am</sup> Conservatori nostro, 4.<sup>am</sup> Vicario, 5.<sup>am</sup> Justitiae Aragoniae apud ALVAREZ, l. c.—6.<sup>a</sup> Dno. Jacobo Agustin del Castillo nusquam comparat.—7.<sup>a</sup> cui data sit ignoramus; verum haud longe a vero aberrabit, qui putet eam datam fuisse Regenti Camacho, cui reliquae commissae fuere et plena de his informatio transmissa.

<sup>2</sup> "mandó hacer cierto despacho con consulta de los del Consejo Supremo de Aragon, remitidas las cartas al Regente M.<sup>o</sup> Camacho del dicho consejo, que ay esta al presente, por el qual se ordenava que el Vicario general y oficiales del Arçobispo y el Guardian de Sanct Franc.<sup>co</sup>, como conservador del prior y frayles del monasterio de Sanct Agustin, depussiesen dentro de tres dias todo lo que por parte dellos se havia procedido contra los religiosos de la dicha Compañía de Jesus.", Princeps Joanna Inquisitoribus Caesaraugustanis. ALVAREZ, l. c., *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 605 et 606.

<sup>3</sup> Leonardus Marini, Laodicensis Episcopus, "nombrado por Breve de 29 de Marzo de 1553. .... Paulo IV habiale confirmado en Julio de 1555 en el cargo de Nuncio en España.", Hinojosa, *La Diplomacia Pontificia en España*, t. i, pag. 88.

<sup>4</sup> Esta resolucíon (urbe cedendi) se tomó á los 27 de Julio, en el qual tiempo el P. Alonso Roman, Rector de aquel colegio, no estaba en Zaragoza, y hacia su oficio con nombre de Vice Rector el P. Tablares; el qual juntamente con el P. Luis Santander, que se halló en la mayor parte de estas revueltas, fué á las casas de la Ciudad, y entraron los dos en el consejo, luego que salió de él Micer Carlos de Santa Cruz, donde habia concurrido demás de los consejeros gran golpe de gente curiosa y deseosa de oír lo que los nuestros dirían. Mandáronlos assentar en medio de los consejeros, y el P. Pedro Tablares, que era Superior, dió la mano al P. Luis Santander para hablar por estar más al cabo del negocio y porque tenía más gracia y eficacia en razonar (que fué muy señalado predicador en su tiempo, como despues diremos), el qual hizo un razonamiento...., ALVAREZ, l. c., cap. 53.

cietas jus suum non amittebat, nec se propter aliam causam recedere, quam ob hanc, ne tumultus aliquis fieret, quo publicum bonum laederetur.

1077. Consignarunt autem eis omnia mobilia domus, et cum civitas offerret pecuniam, eam recusavit ac respondit P. Tablares, quod, si quidem nostri Caesaraugustae manerent, libenter ipsius eleemosynis uterentur; sed cum ituri essent ad quemdam locum, septem leucas inde distantem <sup>1</sup>, Comitibus de Rivagorza <sup>2</sup>, ibi se opus non habituros hujusmodi eleemosynis.

1078. Senatus autem et Magistratus gratias egerunt ex animo nostris quod, habita ratione communis boni, ex urbe vellent excedere; et notari ad memoriam in scriptis fecerunt quod tali tempore Societas in ipsorum gratiam faciebat. Nec alia ratio videbatur iniri posse ad quietem ejus urbis quam haec in tanta adversariorum obstinatione. Et forte si sponte nostri id non fecissent, coacta fuisset civitas ad hoc illis praecipendum. Cum autem suppellectilia domus nostrae et tenuitatem vidissent, cum jactarentur multa valde his contraria, admirati et quodammodo confusi fuerunt quod calumniantibus credidissent; et aliquis eorum veniam etiam postulavit. Nec sine lacrimis senatus vel congregationis civitatis ab eis recesserunt.

1079. In universum placuit illis admodum hoc nostrorum factum; et ne viderentur expellere nostros sed quod propria voluntate ipsi recedebant, unus ex juratis et aliquis ex senatoribus eos comitati sunt, cum e civitate egrederentur. Sed tanta erat multitudo eorum, qui ad nostros spectandos per publicas vias confluebat, ut viderentur ad aliqua publica spectacula venire; quod et alias non semel fecerant, cum nostri a domo sua alio egrediebantur; nam populus altis clamoribus et etiam injuriis eos incessebat; videbatur enim vulgus ab ecclesiasticis et religiosis persuasum quod nostri hujus tumultus et interdicti causa essent; cum praesertim depictos illos, ut superius diximus <sup>3</sup>, circumstantibus daemonibus viderent.

1080. Ubi ergo extra civitatem nostri deducti sunt ad oppidum quoddam nomine Pedrolam se contulerunt; quamvis enim

<sup>1</sup> Vide infra, n. 1080.

<sup>2</sup> Martini Aragon et Gurrea. Vide supra, t. III, pag. 366, n. 803, et *Sanctus Franciscus Borgia*, t. I, passim.

<sup>3</sup> Pag. 397, n. 1071.

alii alia loca obtulerant, Comitissa Rivagorza <sup>1</sup> (Comes Caesaraugustae non erat) <sup>2</sup> impetravit a nostris ut ad suum illud oppidum irent. Soror illa erat P. Francisci Borgiae et non solum bene de nostris merita fuerat eleemosynas nostris conferendo, quamdiu Caesaraugustae fuerunt, sed in hoc etiam negotio, praeter commiserationem nostrorum, qua valde afflicta fuit, cum sic nostros tractari videret, ipsa etiam excommunicata fuit et ab ecclesia ejecta, quod nostris faveret; quod et aliis nobilibus viris ac benefactoribus nostrorum accidit post interdictum, praeter priorem illam excommunicationem, quam parochos initio hujus controversiae declarasse diximus contra eos, qui nostrum sacellum adiissent.

1081. Sed Episcopus Oscensis, nomine Alphonsus <sup>3</sup> Augustinus, prae caeteris omnibus magnum animum ac fortem in rebus nostris defendendis semper exhibuit et tyrannidem opprimendum eos reprehendebat, et ea sollicitudine demum res nostras procurabat, ut quam maxime totam nostram Societatem sibi devinxerit; et praeter caetera, quae passus est, tandem inter excommunicatos depictus fuit, cum sua mitra sedens inter quosdam daemones, quibus[dam] ex nostris eum comitantibus. Sed primus ex juratis D. Augustinus nomine <sup>4</sup> et D. Joannes Ludovicus Gonzalez, conservator <sup>5</sup>, ac D. Moranus <sup>6</sup> veros se amicos Societatis aperte ostenderunt; alii, licet amici, furorem concitati populi timentes, suam benevolentiam silentio occultabant.

1082. Pervagata est haec fama per complura loca extra Caesaraugustam, de qua omnino relinquenda in mentem venerat P. Francisco Borgiae; sed bonae existimationi Societatis ubique in regnis Hispaniae convenire videbatur, ut nostri eo re-

<sup>1</sup> Ludovica de Borja et Aragon.

<sup>2</sup> Verba haec, uncinis clausa, ad oram paginae apposuit propria manu Polancus signo ut hic inserantur addito.—Martinus de Aragon, Comes de Ribagorza, erat tunc temporis in comitatu Philippi, Regis Angliae. NONELL, *La santa Duquesa*, cap. xvii.

<sup>3</sup> Sic; est autem *Petrus*; nec usquam alibi eum *Alphonsum* aut *Petrum Alphonsum* appellatum reperimus.

<sup>4</sup> Jacobus Augustinus (*Agustin*) del Castillo. Vide supra, pag. 399, n. 1075, annot. 1.

<sup>5</sup> Conservator Aragoniae. *Ibid.*

<sup>6</sup> Sic; sed dubium vix esse potest quin sermo hic fiat de Dno. Didaco de Morlanes. "Desamparole (Episcopus Oscensem) el Assesor que tenia, no queriendo más aconsejarle; pero proveyó Dios de otro, que fué Micer Diego Morlanes, que lo hizo con más voluntad y calor que el primero, comenzando á ser amigo y favorecedor en coyuntura que los que ántes lo eran lo dejan de ser, que es en la adversidad, prueba de muchas cosas y más de la fina amistad. Tal fué la de Micer Diego Morlanes.", ALVAREZ, l. c. cap. 54.



dirent, et suis ministeriis vacando, mendacii ac vanitatis rumores incertos, qui tam late patebant, convincerent et injustitia etiam adversariorum in Societate sic tratanda declaranda videbatur.

1083. Cum hujusmodi tumultum P. Strada Barchinonae audivisset et P. Joannem Cheralt eo <sup>1</sup> misisset ut eis aliquid subsidii ferret; ingressus ille Caesaraugustam cum peteret de domo Societatis Jesu, responderunt ei quidam: "Ecce illa domus est, in qua illi habitabant, et jam ex Aragoniae regno eos ejecerunt, et insignia regia, ut vides, in ipsorum domo posuerunt., Progressus ulterius et alios interrogans, "Nonne, inquit, de Ignatianis loqueris?, (sic enim nostros Caesaraugustae vocabant). "Nullus eorum relictus est Caesaraugustae, et ex ipso Regno sunt ejecti., Afflictus his responsis P. Cheralt Dominam Aldunziam Gonzalez <sup>2</sup>, nobilem foeminam et Societatis nostrae devotam adiit, a qua didicit quo in statu res erant, et manere Patrem Tablares apud Pro-regem intellexit <sup>3</sup>; nam aequiori animo id ferebat populus, quia nominatus inter excommunicatos non fuerat, quamvis nec ipse in publicum fere prodibat, immo admonitus est ipse P. Cheralt ne cui significaret se de Societate nostra esse, ne de vita periclitaretur, tumultu aliquo apud vulgus excitato; et tandem cum Patre Tablares loquutus, et a Pro-rege etiam mensa exceptus, intellexit aliquid expectari a curia Principis Joannae, et interim latere etiam ipse debuit in domo quadam, ubi Comitissa Rivagorzae eum excepit.

1084. Postquam P. Roman ad curiam se contulerat ut aliquid remedii inveniret, nostris ex urbe ejectis alii nuncii ad eandem curiam missi fuerunt. Princeps autem ipsa, quae magno cum fervore et quidem manu propria scripserat Pro-regi et Archiepiscopo, acerbè admodum ferebat, sicut et tota curia, quod Regia auctoritas tam parum potuisset apud Archiepiscopum et Abbatem Veruelae, ejus Vicarium Generalem; et jussit capi, si alia via fieri non posset, per Inquisitores (nam dederat Nuncius Apostolicus ad id facultatem) eos, qui praecipui fue-

<sup>1</sup> Caesaraugustam.

<sup>2</sup> Vide supra, praesertim, t. II, et *Cartas de San Ignacio*, passim.

<sup>3</sup> Is cum aliis Caesaraugusta excesserat et Pedrolam ierat; sed Caesaraugustam statim rediit in suam Provinciam, Castellanam scilicet, profecturus. ALVAREZ, l. c., cap. 19. Cf. etiam supra dicta, pag. 399, n. 1053.

rant hujus tumultus auctores et Vallisoletum ad se cum bono praesidio deduci <sup>1</sup>. Inter hos erat ipsemet Vicarius Generalis et curiones et Canonici et Guardianus S.<sup>ti</sup> Francisci, qui sententiam excommunicationis tulerat et interdicti, et Prior Augustiniensium, et alii qui insolentiores se praebuerant; et bene ligatos mitti jusserat, ut Vallisoleti per Inquisitionem punirentur, cum contra catholicam Ecclesiam et ejus auctoritatem facta fuissent, quae contra Societatem perpetraverant. Jussit etiam bona sua temporalia occupari; et Pro-regi manu propria scripsit, ut serio haec exequeretur <sup>2</sup>. Sed adhuc nuncius alius, ad curiam eandem missus fuit, ut ageretur de ipsomet Archiepiscopo Vallisoletum evocando, et de aliis quibusdam, quae ad hoc negotium melius conficiendum pertinere videbantur; nam magni momenti erat, ad hanc tempestatem sedandam, et emolliendam adversariorum duritiem, intelligi quod Princeps et eadem Gubernatrix Hispaniarum tam serio animum ad favendum Societati nostrae adjecissent.

1085. Nuncius autem, qui cum insigniis regiis litteras manu Principis scriptas ferebat <sup>3</sup>, venerat Caesaraugustam pridie quam P. Roman eo pervenisset, et intellexit quod Pro-regi scribebat Princeps, ut ipsemet daret Archiepiscopo litteras. Itaque Pro-rex accersivit Archiepiscopum, ut ad se veniret, et tamquam amicum admonuit per nuncium ne ullo modo renueret ad se venire, nam alioqui significabat ipsum e civitate expulsurum. Graviter hoc accepit Archiepiscopus quod Gubernatrix tam serio negotium hoc tractaret, et coepit de concordia agere cum his, qui nostris favebant. Sed Gubernatrix Joanna nullam concordiam ulla ratione admitti volebat, sed omnia, quae facta fuerant contra nostros, omnino revocari ad eorundem nostrorum satisfactionem; et postquam id factum esset, adhuc volebat ad curiam auctores hujus tumultus venire, ut protervia eorum, qui regiae auctoritatis rationem non habuerant, puniretur.

<sup>1</sup> Vide Principis Joannae ad Inquisitores Caesaraugustanos litteras 27.<sup>a</sup> Julii datas apud ALVAREZ, l. c., cap. 57 et in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 605 607.

<sup>2</sup> ALVAREZ, *ibid.*

<sup>3</sup> "No se contentó la Princesa Doña Juana con escribir cartas tan favorables á la Compañía y tan apretadas para los contrarios de ella; sino que mandó enviar desde la corte á Zaragoza un Rey de armas para que pusiese las del Emperador á las puertas de nuestro Colegio, tomándolo bajo la proteccion y salvaguardia real, al cual el Virrey recibió y dió asistencia para que libremente hiciese su oficio, como lo hizo.", ALVAREZ, l. c., cap. 54.

1086. Contulerat etiam P. Alphonsus Roman cum Patre Commissario Borgia an deferendi essent ad Inquisitores officialis Archiepiscopi et alii, qui litteras nostri conservatoris, ejus auctoritate, laceraverant, et nostros haeresis notaverant. Sed P. Franciscus rem ad Patrem Ignatium rejecit. Et omnino male se gesserant excommunicationem non curando, et sua nihilominus officia exercendo, cum appellationem suo tempore non interposuisset <sup>1</sup>. Mala etiam erat causa Archiepiscopi et officialium, qui Litteris Apostolicis obedire noluerant. Sed P. Ignatius potius ea, quae pacis erant, cogitabat, et id tantum effecit ut per citationem et inhibitionem tota haec causa hic, Romae, cognoscenda transferretur. Sed haec posterius, id est, sub anni finem, cum jam nostri Caesaraugustam rediissent, acta sunt. Interim dum procella durabat, publicis concionibus nostri, licet jam absentes, lacerabantur, et illis terror incutiebatur, qui sacramenta frequentabant; et libere nimis hac de re agebatur.

1087. Initio quidem, cum Majo et Junio mense notuisset in Hispania electio Cardinalis Theatini in Summum Pontificem, cumque nostros *theatinos* in magna parte Hispaniae vocarent, qui nostris adversabantur quasi freno quodam ipsis imposito coercerantur; sed postea cum contrarius rumor percrebuisset, contrarii effectus causa fuit; nam et Archiepiscopus dicebat se curaturum ne nostra Societas Caesaraugustae maneret et obtinere se sperabat a Pontifice Paulo IV, quod nobis esse valde contrarium intellexerat, et de nostrae Societatis subversione acturum. Sed cum se videret a Gubernatrice premi, obtulit Proregi se curaturum ut monachi et parochi parochiarum totum suum jus in Gubernatricis manibus constituerent; clerici quidem omnino ejus arbitrio starent; monachi ut ipsi parerent do-

---

<sup>1</sup> Sic perspicue in Ms.; sensus tamen elucescet melius, si scribatur sic: *Et omnino male se gesserant officiales Archiepiscopi excommunicationem a Conservatore Societatis latam non curando et sua nihilominus officia exercendo, cum appellationem suo tempore non interposuisset Archiepiscopus aut ejus Vicarius Generalis.* Excommunicatio enim, in Patres eorumque fautores lata per Guardianum Sancti Francisci, effectum ullum sortiri non poterat, quoniam ante eam latam Patres ad Apostolicam Sedem appellaverant. Vide supra, pag. 396, n. 1069. "El P. Baptista de Barma respondió apelándose de las censuras; aunque no era necesaria la apelacion, pues el notario no mostraba poder para hacer aquel mandato.", ALVAREZ, l. c., cap. 51. Et e contra excommunicatio per Societatis Conservatorem postea lata effectum sortiebatur, quia nulla ante eam nec postea ab Archiepiscopo vel ejus Vicario interposita fuit unquam appellatio. Vide infra, n. 1091.

nec Romae causa decideretur. Dicebat etiam se permissurum ut Episcopus Oscensis, qui noster iudex erat conservator, publicaret revocationem omnium eorum, quae contra nostros attentata fuerant ab ipsius Archiepiscopi officialibus. Sed verba videbantur dari Pro-regi, nec vicarii publicare volebant revocationem, a nostro jam dicto conservatore factam, censurarum, quas monachi decreverant, ad quod auctoritatem a Nuncio Apostolico acceperat.

1088. Die 13.<sup>a</sup> Augusti venit tandem Archiepiscopus ad Pro-regem, et dixit se non posse Religionibus praecipere, sed curaturum esse ut vicarii parochiarum omnia committant Gubernatrici, missis ad id procuratoriis litteris. Ipsa Cathedralis ecclesia, post quam laceratae fuerant litterae declaratoriae (ut superius diximus <sup>1</sup>) Episcopi Oscensis, admisit interdictum 12.<sup>a</sup> Julii a conservatore Augustiniensium decretum, et Archiepiscopus, arte quadam usus, se inhibitu esse dicendo, ad suum capitulum negotium rejecit, a quo, ut diximus, admissum fuit. Et cum per totam urbem extenderetur interdictum hoc, et statim subsequutae fuerint picturae jam dictae, non mirum si primo pueri, deinde vulgus, fuerit contra nostros concitatum. Et de cessatione a divinis curanda agebatur, nisi nostri cessissent et ex urbe egressi fuissent; tunc enim suspensum fuit interdictum, non sublatum.

1089. Multum contulit Patris Tablares opera in toto hoc negotio componendo, quamvis et ipse a Principe Gubernatrice Vallisoletum fuit evocatus, quae ab ipso melius informari volebat quomodo se res habebant Caesaraugustae.

1090. Cum autem per juratum, D. Augustinum <sup>2</sup>, litterae credentiales ad Abbatem Veruelae, Vicarium, datae fuissent, ei significavit nomine Gubernatricis, cum magnis querelis ejus inobedientiae, ut intra quindecim dies ante ipsam compareret, sub poena fidelitatis et sine excusatione. Lacrymas ille fundens, videbatur ad remedium ad ea quae acta fuerant a monachis, velle diligentiam adhibere; sed nihil se posse ab eis obtinere dixit. Aliquis tamen fide dignus admonuit nostros, quod secreto hortabatur religiosos ut constantes essent in prohi-

<sup>1</sup> Pag. 397, n. 1070.

<sup>2</sup> Vide supra, pag 401, n. 1081.

benda domo et habitatione nostris; et ita omnino obfirmati manebant, et aliquos religiosos ad hoc negotium Romam Augustiniani miserunt; quidam etiam nomine vicariorum ac clericorum aliorum Romam ivisse dicebatur, qui totus erat Archiepiscopi, et ferebatur quingentos aureos ei esse datos ad initium expensarum. Et differebat profectionem ad curiam Gubernatricis Abbas Veruelae; sed si non recedebat, fortia contra ipsum erant remedia; ipso autem recedente, Caesaraugustae omnia, quae ad Societatem pertinebant, recte transigenda sperabatur. Et per unum ex Inquisitoribus procedendum erat ad revocationem [eorum], quae contra Societatem fuerant attentata. Miserat enim Nuntius Apostolicus ad ipsum Breve quoddam, non solum ad cognoscendum processus habitos, sed etiam ad eos puniendos, qui male in hoc negotio processissent.

1091. Constabat autem nostros optime processisse; et ita pro certo habebatur censuras a nostro Iudice decretas validas fuisse declarandas; nullas autem eas quae contra nostros decretae fuerant. Sed via expeditissima visa est, ut Archiepiscopus declararet excommunicationem per Guardianum franciscanorum latam, instantibus Augustinianis, contra Societatem, nullam fuisse propter interpositam appellationem <sup>1</sup>. Et ita prorsus accidit; nam Archiepiscopus nostram justitiam hac ratione per <sup>2</sup> suam sententiam declaravit; et per ecclesias ea est publicata <sup>3</sup>.

1092. Et quia consulendum erat nostrorum bonae existimationi apud populum, Magistratus ac Senatus nostros per nuntium Pedrola evocant, venientibus obviam procedunt, et quamvis nostri humiliter recusarent ne tali eos honore afficerent, tamen impetrare id minime potuerunt; contumeliam enim ipsis injuste illatam justo honore compensandam esse dicebant, immo et obliterandam. Ad portam usque igitur, praeter Episcopum Oscensem <sup>4</sup>, Magistratus, Justitia scilicet Aragoniae, Jurati et Deputati regni, et alii officiales regii, ac <sup>5</sup> nobilissimi quique

<sup>1</sup> Totum hoc, a vocibus *Sed via*, manu propria inseruit Polancus.—Cf. supra dicta, pag. 404, n. 1086.

<sup>2</sup> Haec etiam vocabula *hac ratione per* sunt Polanci manu.

<sup>3</sup> *et per ecclesias est publicata*. Polancus ipse ad oram paginae.

<sup>4</sup> *praeter Episcopum Oscensem*. Polancus manu propria.

<sup>5</sup> *Justitia..... regii, ac*. Polancus manu propria.

virī, et ipse etiam Abbas Veruelae nostris occurrunt nona die Septembris<sup>1</sup>, sequente magna populi turba, ut publicae viae vix eam caperent. Et in mulis invitos imponunt, ac cives primarii in medio singulos eorum deducentes, per celeberrimam viam civitatis ad Collegium suum deducunt, ubi Pro-rex, Gerundensis Episcopus<sup>2</sup>, et Inquisitores eos expectabant ac Missae Sacrificium Pontificali ritu in nostro sacello celebratum est<sup>3</sup>. Et ita cum majori applausu revocati, quam ignominia expulsi fuerunt. Et approbante civitate tota, et in bonum cooperantibus praeteritis persecutionibus, domi suae pacifice consueta munia exercuerunt.

1093. Quamvis autem<sup>4</sup> populus conquievit, et ipsemet Archiepiscopus animum defendendi iustitiam nostrorum prae se ferebat, sicut coeperat, et Abbas Veruelae recesserat in suam, ut ferebatur, abbatiam, interius tamen<sup>5</sup> in monachis, immo etiam in ipso Archiepiscopo animos exasperatos manere signa non pauca ostendebant, quod, omnibus viribus suis et machinis adhibitis, pauculos illos nostros ex urbe et demo sua ejicere non potuerant.

1094. Conjici etiam poterat ex scriptis quibusdam, sine subscriptione inventis, aliquos esse inter oppugnatores Societatis, qui de rebus fidei non bene sentirent, et doctrinam parum sinceram inter has turbas seminare vellent, et ita Inquisitor huic rei dare operam se velle ostendebat. Sed quod ad Societatem attinet, revocatio causae in Urbem nostros domi suae pacatos Caesaraugustae reliquit.

1095. Hoc tamen non est tacendum quod hi conventuales religiosi Caesaraugustani et regni Aragoniae, qui nostros sedibus suis expellere nitebantur, paucis post annis, ipsomet Rege Philippo postulante, a suis monasteriis expulsi sunt; et

<sup>1</sup> nona die Septembris. Polancus manu propria.

<sup>2</sup> Gerundensis Episcopus electus hoc tempore erat Gundisalvus Arias Gallego. LA FUENTE, *Historia eclesiástica de España*; GONZALEZ DÁVILA, *Theatro eclesiástico de España*, GAMS, etc.—Existimari quidem potuisset hic perperam positam vocem *Gerundensis* pro *Oscensis*; nam hujus meminuit, non tamen illius, ALVAREZ, qui ad minutiora quam Polancus accurate satis descendit. Verum vix locus tali existimationi est, cum quod primo scripserat librarius, videlicet *Oscensis*, id Polancus cancellavit et manu propria superscripsit *Gerundensis*.

<sup>3</sup> Sacrum celebravit Oscensis Episcopus.

<sup>4</sup> Haec etiam a vocibus, in praecedenti n., *Et approbante* scripsit ipse Polancus.

<sup>5</sup> In Ms. autem.

eorum monasteria auctoritate apostolica observantibus data fuerunt, et ita qui observantium Institutum tenere noluerunt, omnino sedes alias quaerere compulsi sunt.

1096. Quamdiu nostri Pedrolae fuerunt, initio quidem domi se continebant in palatio Comitis Rivagorzae (qui postea Dux Villae-formosae dictus fuit, et non erat Caesaraugustae, cum turbae praedictae acciderunt <sup>1</sup>), quia homines ne alloqui quidem nostros audebant, et dicebant aliqui homines ibi esse ab antichristo missos. Ibi eum <sup>2</sup> amicus quidam Societatis ex civitate Calatayud, nomine Joannes Perez <sup>3</sup> eos invisit et consolatus est, et a Provinciali Ordinis Sancti Dominici <sup>4</sup> impetravit idem litteras ad suos, qui Caesaraugustae erant, quibus eis praecipiebat ne se cum adversariis Societatis nostrae conjungerent <sup>5</sup>.

1097. Cum Comitissa Rivagorzae ab Archiepiscopo facultatem postulasset, ut nostri possent sua ministeria ibi exercere, licet sanguine conjuncta esset <sup>6</sup>, non id obtinuerat. Sed Inquisitores, cum neophyti fere essent habitatores illorum locorum olim ex saracenis conversi, volebant ut nostri sua doctrina eos instruerent. Venerunt itaque ex neophytis illis multi, qui se doceri petebant viam eundi ad coelum, et quidem hi reliquerant in agris suum opus incoeptum. Jussi sunt autem post aliquot horas redire; cum autem rediissent simul cum multis aliis, concio habita est apud eos, quae magna eos consolatione perfudit. Et petebatur deinde ut christianam doctrinam nostri eis explicarent. Sed quia nolebant clerici in templis nostros admittere ne Archiepiscopum offenderent, in ipsa platea, ante domum Comitis, christiana doctrina quotidie eis proponebatur. Aliqui ex nostris auditores ex illo oppido colligebant, alius explicabat; et diebus dominicis ac festis et mercurii, perutiles concio-

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 401, n. 1080.

<sup>2</sup> Sic; sed vox *eum* redundare videtur.

<sup>3</sup> Hujus Societatis amici, quem existimamus esse Joannem Perez de Nueros, mentionit in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 144, fietque in *Nova Serie*.

<sup>4</sup> Erat is a die 20.<sup>a</sup> Januarii hujus anni 1555 "Fray Pedro Mátyr Coma, de hábito del conuento de santa Catherina mátyr de Barcelona, y Prior del de San Pedro Mátyr de Calatayud.", DIAGO, *Historia de la Provincia de Aragon del Orden de Predicadores*, lib. I, cap. 63.

<sup>5</sup> Postremum hoc, a vocibus *Ibi eum*, manu propria inseruit Polancus.

<sup>6</sup> Avunculus erat Comitissae de Ribagorza Caesaraugustanus Archiepiscopus. Sororem enim habuit Comitissae matrem, Joannam de Aragon. *Sanctus Franciscus Borja*, t. I, pag. 7, annot. 1.

nes quidam ex nostris de Symbolo Apostolorum habebat; et totus fere populus aderat, et ex neophytis vicinorum locorum plurimi et cum magna laetitia verbum Dei excipiebant. Et jam de ecclesiis concedendis agebatur, ut nostra ministeria in eis exercerent, per Inquisitores; et aegre jam ferebant oppidani quod nostri inde recessuri essent.

1098. Postquam Caesaraugustam redierunt, P. Santander conciones in nostro sacello est prosequutus cum frequenti auditorio et satisfactione non mediocri. Et tam multi etiam ad confessiones accedebant, ut alium confessarium ad se mitti tanquam necessarium peterent, quamvis P. Franciscus de Rojas ad tempus missus fuerat ut aliis nostris subsidio esset.

Et haec de Caesaraugustano Collegio ac Provincia Aragoniae <sup>1</sup>.

---

<sup>1</sup> Qui plenior de his Caesaraugustanis turbis narrationem desideret, adeat ALVAREZ, l. c., cap. 51-61.—Plura etiam sunt in *Cartas de San Ignacio*, t. v, et plura adhuc dabit *Nova Series*, edenturque alia in volumine altero vel tertio operis *Sanctus Franciscus Borgia*, quod in his HISTORICIS MONUMENTIS edere jam incoepimus.

---



## DE PROVINCIA CASTELLAE

AC PRIMUM

### DE COLLEGIO SALMANTICENSI

1099. Hujus Collegii Salmanticensis Rector erat P. Bartholomaeus Hernandez; sed superintendens P. Antonius de Cordoba. Initio quidem anni decem et octo erant simul omnes, sed in progressu viginti duo, et in fine viginti octo erant; et ex eis decem sacerdotes theologiae studiosi, ac sex alii scholastici ejusdem facultatis; sex autem philosophiae dabant operam. Missi autem fuerant alio non pauci; nam post Patrem Paulum Hispalim missum <sup>1</sup>, P. Pradanus Abulam, Rector futurus, missus est <sup>2</sup>; ad probationis domum, initio hujus anni, quinque Septimancas missi fuerunt. Unus etiam sacerdos Placentiam fuit destinatus, duo vel tres Conimbricam, ut ibi admitterentur. Est alioqui Universitas illa Salmanticensis foecundum seminarium ad eligendos operarios, qui in vinea Domini laborant. Sub initium anni sex scholastici urgebant nostros ut in Societatem admitterentur, et in anni progressu alii plurimi. Postquam autem P. Antonius de Cordoba Salmanticam venit, plures quam antea, et nobiliores, ac majoris auctoritatis in ea urbe ad Collegium nostrum accedebant, ut de rebus ad vitae suae profectum ac etiam ad statum pertinentibus cum nostris agerent.

1100. Primis mensibus novem scholastici admissi fuerunt, quorum aliqui juris canonici, alii philosophiae cursum absol-

---

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 464, annot. 5.

<sup>2</sup> Vide infra, n. 1189 et seq.

verant. Deinde usque ad mensem Junii absolutum, viginti fere, prioribus illis computatis, jam admissi erant; et alii complures etiam nobiles admitti cupiebant, et ut nostros moverent ad sui admissionem, sponte sua ad hospitalia, ut aegrotantibus inservirent, se conferebant, ubi in lectis aegrotantium sternendis, et ipsa hospitalia verrendo, et aliis humilitatis et charitatis functionibus se exercebant; et hac ratione ad ingressum in Societatem iter sibi parabant. Inter admissos sacerdos quidam fuit, qui philosophiae et juri canonico dederat operam, et donum concionandi habebat, et in quadam ecclesia ubi beneficium habebat, more Societatis de christiana doctrina praedicabat, et quidem cum auditorum satisfactione.

1101. Fuit etiam praeter alios quidam theologus admissus, et sacerdos item alius; alter ad domum probationis missus est, alter Salmanticae retentus fuit; et praeter hos nonnulli ex his qui sacramenta in Collegio nostro frequentabant, aliqui ad Patrem Franciscum Borgiam se contulerunt, et ab eo impetrarunt ut in Societatem admitterentur; nec enim tam multi poterant Salmanticae admitti, et ideo tres theologiae studiosi Septimancas se contulerunt, et ibi admissi sunt; et eorum unus nobilis erat <sup>1</sup>.

---

<sup>1</sup> En ex *Antiguo libro primero*, quem descripsimus supra, t. iv, pag. 376, annot. 1, quorundam nomina, qui hoc anno Salmanticae in Societatem admissi sunt:

"El hermano Carvallo, fué examinado á 28 de Marzo de 1555. Natural del Reino de Galicia.

El hermano Gonzalo de Hervas, fué examinado por el P. Bartolomé, Rector, á 8 de Abril de 1555. Natural de San Juan del Puerto, Obispado de Jaen.

El h. Antonio Alvarez, fué examinado por el P. Suarez (?), Rector (??) á 13 de Abril de 1555. Es natural de Coca, Obispado de Segovia.

El h. Antonio de Chaves, portugués, fué examinado por el P. Suarez (?) á 27 de Abril de 1555. Natural de Chaves, Obispado de Braga.

El h. Pedro Ramirez, fué examinado por el P. Suarez (?) á 15 de Mayo de 1555.

El P. Rincon, fué examinado por el P. Suarez (?) á 16 de Junio de 1555. Es natural de Valladolid, diócesis de Palencia.

P. Gaspar Astete á 1 de Julio de 1555.

El P. Pedro Sanchez, fué examinado por el P. Suarez (?) á 3 de Julio de 1555. Natural de Veganzones, diócesis de Segovia.

El P. Pedro Martinez, fué examinado por el P. Suarez (?) á 7 de Setiembre de 1555. Natural de Vayas, diócesis de Calahorra.,

Nomini Patris Suarez adjunximus dubitationis signa, quia is jam ab ultimis anni proxime elapsi mensibus in Provincia Baetica versabatur (Vide supra, t. iv, pag. 465, n. 994, annot. 1), ideoque non poterat Salmanticae examinitoris officio fungi multoque minus Rectoris, quod Patri Bartholomaeo Hernandez fuerat commissum. Unde, quoniam hujus *Antiguo libro primero* transumptum, quo nos utimur, indicia satis multa exhibet quod non nimium accurate factum sit, suspicamur id, quod in archetypo scriptum est, esse *Hrrs. (Hernandez)* (Vide *Litterae Quadrimestres*, t. II, pag. 121), quod noster librarius interpretatus est *Suarez*. Vide etiam infra, n. 1104.

1102. In admissis autem ad probationem, sive Salmanticae, sive alibi probarentur, profectus in spiritu ac virtutibus non poenitendus cernebatur.

1103. Quod ad litteras attinet, sparsa fuerat nescio a quibus fama quod in litteris parum proficerent <sup>1</sup>; sed res ipsa longe aliter se habebat et publice etiam coepit innotescere, cum publicae conclusiones dominicis diebus domi nostrae haberi coeperunt, ad quas multi scholastici etiam ex nobilibus et cathedraliticis accedebant, et cum magna aedificatione modestiam simul et acrimoniam in disputando ad veritatem enucleandam observabant, et quidam ex cathedraliticis Ordinis S.<sup>ti</sup> Dominici, inter alios, id commendabat etiam apud suos monachos; nam quiete de rebus hujusmodi disputando ulterius progredi licebat in veritate rerum declaranda; et tam haec exercitatio, quam diligentia in audiendis publicis lectionibus, et domi repetendis, valde praeceptoribus seu cathedraliticis probabatur. Domi praeterea legebatur lectio quaedam ex divo Thoma nostris scholasticis a quodam ex fratribus cum non mediocri nostrorum utilitate, qui non propter illam publicas scholarum lectiones omittebant. Dabatur praeterea una hora singulis diebus ad conferendum de rebus theologicis et ad conscientiam pertinentibus <sup>2</sup>.

1104. Hoc anno fuit admissus P. Petrus Sanchez <sup>3</sup>, qui beneficium curatum habebat in Episcopatu Segoviensi. Admissus est D. Laurentius de Padiglia <sup>4</sup> et D. Joannes Emmanuel <sup>5</sup>.

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 380, n. 816.

<sup>2</sup> "El modo de disputar, de tener conclusiones y otros ejercicios escolásticos parece acertado, así para lo que se pretende de las letras como para la opinión de ellas, que es necesaria para hacer mas fruto en las ánimas.", Polancus *ex com.*, Patri Antonio de Cordoba, 13.<sup>a</sup> Junii 1555.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 411, n. 1101, annot. 1.

<sup>4</sup> "Entró también Don Lorenzo de Padilla, natural de Málaga, muy noble y rico, que fué de rara humildad, como se vió en el libro 2.<sup>o</sup> en su vida, donde hay un raro ejemplo.", VALDIVIA, *Historia de la Compañía de Jesus en la Provincia de Castilla*, t. IV, *Colegios de Castilla*, cap. 2, *Colegio Real de Salamanca*, § 6.

<sup>5</sup> "No lo fué menos (de edificación) la (entrada) de Don Juan Manuel, natural de Sevilla, de ilustre sangre y emparentado con los mayores Señores de casas más nobles de España, que fué tan grande sujeto despues en la Compañía.", *Id.*, *ibid.*, ubi addit sequentes:

"Entraron tambien el año 1555 los Padres Antonio de Rueda, natural de Coca (erit- ne hic ille Antonius Alvarez, de quo supra, pag. 411, n. 1101, annot. 1?), y el P. Gaspar Astete, natural de Salamanca, de los cuales se hizo mencion en el libro 3.<sup>o</sup>

El hermano Pedro Ramirez, natural de Zafra en Estremadura, el cual despues de haber sido ministro algunos años en este Colegio con singular prudencia y agrado, pasó á las Indias de Portugal, y en el camino se lo llevó Nuestro Señor para sí, conten-

Quia vero P. Antonius de Corduba et P. Gutierrez male habebant, sub finem Junii a P. Francisco Borgia Xiarandillam ire jussi sunt, quod oppidum erat Comitibus de Oropesa <sup>1</sup>, ubi praeterquam quod valetudini suae consuluerunt, aliqua ad Dei gloriam ibidem per eos acta sunt.

1105. Quod ad confessiones attinet, multo plures erant quam ut eis satisfacere nostri sacerdotes possent; quamvis enim aliquando satis multi essent, quia recens admissi fuerant, non conveniebat in eis occupari, et ideo Patri Antonio de Cordoba visum est ut mulierum confessionibus nostri non vacarent; cum enim tam multi scholastici ad hoc sacramentum accederent, utilius apud eos collocari nostrorum industriam idem Pater merito censebat <sup>2</sup>. Non tamen omnium mulierum confessiones relinqui potuerunt; multae enim ex nobilioribus audiendae necessario erant, quae etiam in oratione non parum proficiebant et in eleemosynis erant liberales, et Collegii etiam nostri necessitatibus subveniebant <sup>3</sup>; sed messis uberior scholasticorum, ut diximus, erat, praesertim de his, qui sacramenta frequentabant. Et aliqui ex civibus pie conquerebantur se scholasticis posthaberi.

1106. In Quadragesima tamen cum jubilaeus a Julio III concessus promulgatus esset Salmanticae, magna fuit cujusvis conditionis hominum multitudo; et confessiones aliquae decem, viginti, et triginta annorum auditae fuerunt, in quibus videre erat immensam Dei bonitatem. Fuit inter eos aliquis, qui dicebat se confessurum non esse si nostri eum non audiebant. Fuit et unus, qui quoddam peccatum confessario in scriptis dedit, ad quod ore suo dicendum imperare sibi non poterat, et cum vidit sine admirationis ullius signo confessarium illud le-

---

tándose con las flores de sus deseos, que prometían sazonados frutos; era muy humilde y riguroso consigo y tenía don de lágrimas.

Otro fruto de este año fué Don José Gutierrez de Ayala, natural de Madrid, cuya entrada fué de gran edificacion, su vida, como vimos, gloriosa.,

<sup>1</sup> Ferdinandi Alvarez de Toledo. Vide supra, t. iv, pag. 594, n. 1263.

<sup>2</sup> Ha sido muy bien, no se pudiendo satisfacer á todos, que se desocupasen los confesores de las mujeres para atender á los escolares., Polancus, *ex com.*, Patri Antonio de Cordoba, Collegii Salmanticensis Superintendenti, 13.<sup>a</sup> Junii 1555.

<sup>3</sup> Ex his "fué la mas señalada Doña Bárbara de Herrera, Señora muy noble y emparentada, la qual nos cobró amor y afición de verdadera madre, y nos acudió con frecuentes limosnas, en que perseveró muchos años; y Dios la colmó de bienes espirituales, frecuentando los sacramentos y pegando esta devocion á sus hijos y nietos toda su vida., VALDIVIA, *ibid.*, § 4.

gisse, tantum animi sumpsit ut libenter illud et reliqua sit confessus. Et in hac parte plurimi a Deo adjuti fuerunt, ut quae nunquam, dum vixerant, confiteri aliis potuerant, nostris tamen sincere confiterentur. Multo plures autem confessi fuissent nostris, si plures confessarii huic ministerio vacassent. Eis autem, qui satis multi nostris confitebantur, persuaderi solebat orationis pius usus et hospitalium visitatio ut pauperibus inseruirent, quod libenter faciunt, et quia multi eorum viri primarii erant in ea universitate, non sine magna aedificatione spectantium his charitatis officiis fungebantur. Hoc autem frequentissimum erat ut qui confessiones generales vitae totius faciebant vel multorum annorum, cum singulari animi consolatione a nostris recederent.

1107. Concionator nullus insignis hoc anno Salmanticae fuit de Societate nostra; nihilominus in ecclesia christianae doctrinae lectiones atque exhortationes a primis mensibus continuatae fuerunt; et quamvis dominicis diebus post prandium fierent, qua hora non solet populus ille ad conciones accedere, nihilominus tam frequentes auditores, tum ex scholasticis, tum ex primariis civibus, conveniebant, ut dubitarent nostri num plures in ecclesia an in via publica ad has lectiones audiendas subsisterent, omissis illis, qui recedebant quod locum non habuissent ante tempus. Et ea sitis erat audiendi verbi Dei, ut aliqui sedes suas in publica via constitui juberent, et quidem inter eos aliqui non exiguae auctoritatis homines erant. Aliqui dicebant ad majorem aliquam ecclesiam hanc lectionem vel concionem transferri debere; alii ampliorem ecclesiam nostram ac domum ad hoc ipsum effici optabant. Fuit nihilominus post aliquot menses hoc concionum genus relictum, tum propter alias occupationes, conclusionum praesertim, de quibus mentio facta est <sup>1</sup>; tum propter recessum Patris Gutierrez, qui hujusmodi lectiones facere solitus erat, et ob valetudinem adversam hac aestate alio, ut diximus <sup>2</sup>, missus est.

1108. Quod ad exercitia spiritualia attinet, nunquam deerant aliqui, qui ea domi nostrae suscipere. Duo autem cives salmanticenses cum fructu maximo et insigni vitae mutatione

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 412, n. 1103.

<sup>2</sup> Supra, pag. 413, n. 1104.

ea peregerunt, qui, quod essent valde noti, alios exemplo suo et etiam verbo ad ea ipsa expetenda commovebant. Inter eos autem, qui exculti fuerunt hujusmodi meditationibus in anni progressu, aliqui ex primoribus erant, et inter alios quidam, ecclesiasticam dignitatem in quadam primaria ecclesia habebat, cujus conversio et mutatio rara admodum fuit. Quidam etiam ex cathedraicis (sic vocant publicos professores) in eisdem etiam multum profecit; qui brevi ad aliquod ex consiliis regni promovendus credebatur, et ex ejusdem Collegio <sup>1</sup> atque aliis Salmanticensibus, ejus vel exemplo vel hortatu, ad generales confessiones apud nostros faciendas venerunt, et ad Dei cultum magnopere afficiebantur. Alii autem ex his exercitiis ad nostram Societatem animum adjecerunt. Alii cum magno profectu suum statum retinuerunt.

1109. Fuit inter alios sacerdos quidam aetate proventus, qui bis aut ter religionem susceptam deseruerat, et tantam compunctionem et vitae praeteritae dolorem concepit, ut omni mora postposita, ad suam religionem regredi statuerit; et ita cum praelato ejus religionis res est transacta; qui praelatus cum quibusdam religiosis et aliis doctis viris, qui ejus hominis reductionem antea frustra tentaverant, hanc mutationem tanquam dexteræ excelsæ mirati sunt et magnopere approbarunt.

1110. Ante festa natalitia promulgatus est Salmanticae Pauli IV jubilaeus, qui tres dies confessioni tribuebat, et sequenti die dominica post promulgationem communicandum erat. His diebus nostri pene quadringentorum confessiones audierunt, quorum magna pars ex praecipuis collegiis ejus universitatis erat; et inter eos multi viri doctrina insignes extiterunt, et ex primoribus civitatis utriusque sexus.

1111. Moniales quaedam ordinis S.<sup>ti</sup> Jacobi <sup>2</sup> quas interdum Collegii nostri Rector invisebat, in orandi ratione instructae progressus magnos in ea fecerunt. Alterius etiam monasterii religiosae foeminae exercitiis spiritualibus adjunctae multum in Domino profecerunt.

---

<sup>1</sup> Scilicet ex collegio, in quo is professor publicus, qui exercitiis excultus fuerat, degebat.

<sup>2</sup> Comendadoras de Santiago. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 728.

1112. Ad aegrotantes et morientes cum nostri vocabantur, licet pauci essent operarii, suam operam minime negabant, et in hoc pietatis officio de civibus salmanticensibus benemereri studebant, qui satis devote illud a nobis expetebant et exigebant, sicut etiam ad componendas amicitias inter discordes ad nostros cum magna fiducia veniebant; et in quibusdam earum satis manifesta Domini manus apparuit; ut accidit cum vir quidam nullius precibus emolliri potuerat, cujus frater S.<sup>ti</sup> Domini-cii religiosus, ad Collegium nostrum venit ut sacerdotem quemdam secum haberet, qui aegrotantem illum; et tamen in sua obstinatione durissimum, ad confessionem adducere niteretur. Hic ergo sacerdos cum illo agens, cum verba non sufficerent, tam uberes effundebat lacrymas, ut saxeam cordis illius durtiam emollirent, et ita quidquid voluit ab eo impetravit; quod cum in monasterio S.<sup>ti</sup> Stephani <sup>1</sup> innotuisset, ejus Prior aedificationis plurimum inde accepit, et dicebat hic Patri Antonio de Cordoba (quem ipso die S.<sup>ti</sup> Thomae de Aquino in praedicto monasterio Ordinis Praedicatorum ad prandium retinuerat) quod cum praedicaret de zelo, quo praeditos esse oportebat confessarios, ille Societatis nostrae sacerdos ipsi in mentem veniebat.

1113. Alius quidam colaphum acceperat, quam injuriam cum nullius precibus adjutus condonare vellet, quidam ex nostris sacerdotibus genibus ante illum flexis, et se ipsum alapis caedens, sic illius animum inflexit ut in lacrymas prorumpens diceret ille: "Surge, Pater, ego illi injuriam condono,.." Alius etiam vulnus acceperat lethale, et quamvis coram Deo veniam daret vulneranti, tamen coram notario et publice ignoscere nolebat, sed ministris justitiae ut suum officium facerent rem mittebat. Sed cum videretur viris quibusdam religiosis, multarum dissensionum et malorum radicem ab eo relinquere, et eam excidi oportere, accersiverunt quemdam sacerdotem nostrum, cui cum vulneratus ille confessus esset, publice veniam dedit percussori; et satisfactionem in manu duorum virorum eruditorum ac bonorum ejusdem universitatis reliquit, et ita mortuus est.

1114. P. Antonius de Cordoba cum Patre Gutierrez sub initium Novembris cum studia renovanda erant, Salmanticam

---

<sup>1</sup> O. S. D.

redierunt, cum Xarandillae tum concionum tum confessionum non exiguum fructum percepissent <sup>1</sup>. In alios etiam pagos Salmanticae vicinos ad christianam doctrinam explicandam ac verbum Domini proponendum aliqui ex nostris egrediebantur.

1115. Religiosi aliorum Ordinum plerique de nostris bene se sentire verbis et factis ostendebant. Inter alios frater Dominicus de Soto, cum vir quidam apud eum quereretur quod filius ipsius in Societatem nostram esset ingressus, bono animo ipsum esse iussit, quod inter pios ac bonos viros et reipublicae utiles filius ipsius versaretur. Dixit idem Rectori Collegii nostri quod Societatis nostrae res semper ipsi placuerant, et ita primaria quaedam in regnis Hispaniae foemina <sup>2</sup>, quae ipsi, cum aderat, confiteri solita erat, cum abesset ipse, probabat quod nostris confiteretur. Provincialis etiam ejusdem Ordinis Praedicatorum, cum provinciam suam visitasset, et in eis locis, in quibus aliqui de Societate versabantur, optimum odorem et fructum spiritualem observaret, cum Salmanticam venisset et quosdam sui Ordinis religiosos contra Societatem aliqua dicere vidisset, 'Patres, inquit, nobis convenit vel tacere vel vitam mutare; nam vere magnus est fructus, qui Societatis opera provenit., Quidam etiam Fr. Ludovicus, ejus Ordinis concionator, in suo Collegio publice theologos reprehendit quod ad nostram ecclesiam ad frequentanda sacramenta non accederent, et studiosos juris et canonum in hac parte illis publice praetulit.

1116. Quidam etiam concionator Ordinis S.<sup>ti</sup> Augustini in monasterio suo Salmanticensi hac Quadragesima in suis concionibus multa in laudem Societatis dixit, quae nostri etiam referre erubescabant. Alii etiam saeculares fatebantur quod, postquam Societas nostra Salmanticam venerat, insignis reformatio in ea Universitate cerneretur; et cum aliqui primarii viri hac de re agerent, etiam in publicis concionibus nostros commendabant; et quidam religiosus S.<sup>ti</sup> Francisci, cum moniales subditas Ordini suo visitaret, in ipsarum Capitulo dixit gratum sibi futurum, si cum hominibus nostrae Societatis agerent aliquando, de rebus scilicet ad spiritualem profectum pertinentibus; et satis alioqui ex publico testimonio, quod Universitas

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 413, n. 1104.

<sup>2</sup> Comtissa de Monterey. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 308.



Societati dedit, tum ob decretum parisiense <sup>1</sup>, tum propter Pontificis Pauli IV animum minus propensum ad res nostras juvandas, ut videbatur, satis bonam existimationem et animi affectum erga Societatem nostram prae se ferebant. Populi etiam studium erga nostros in dies augeri videbatur.

1117. Non omittam tamen quod, ut P. Antonius de Cordoba scribit, aliqui offendeantur quod hujusmodi testimonium peteretur, Pontifici ostendendum; et non rationem reddiderunt, quod contra decretum parisiense peteretur; sed ut Summus Pontifex, fructum hunc cernens in Universitate Salmanticensi, foundationem ejus Collegii promoveret. Et ita Cancellarius, instante Rectore nostri Collegii, informationem accepit de functionibus ac modo vivendi Societatis, et ita viginti quatuor testimonia gravissimorum ejus Universitatis virorum accepta fuerunt, inter quos fuit magister Gallus <sup>2</sup>, quamvis, ob amicitiam magistri Cani, inter alios, suum testimonium subscribere noluit. Testabatur tamen eum successum habere res Societatis, ut in dies ad eam magis afficeretur <sup>3</sup>.

1118. Hic magister Canus multa Vallisoleti hoc anno contra Societatem publice, ut suo loco videbimus <sup>4</sup>, dixit; sed non solum Salmanticenses moti non fuerunt, ut potius videantur in affectu erga Societatem crevisse. Admonet autem idem P. Antonius, quod frater Dominicus de Soto cuidam dixerat displicere sibi rem quamdam ex nostris, vota scilicet nonnulla, quae faciebant <sup>5</sup>, et dixit se consultum a quodam, qui post emissam vota a Societate recesserat, [et] quod eum liberum esse a votis.

<sup>1</sup> Testimoniū, quod in Societatis favorem occasione parisiensis decreti dedit Salmanticensis Universitas, non meminit PINX, l. c.

<sup>2</sup> "Joannes Gallo, Burgensis, acerrimi ingenii, raraeque doctrinae, Theologus Salmantinus, quem ob praeclaras animi dotes virum vnum haec Academia delegit, ut ad Regem Philippum II. et Pontificem Maximum, de rebus magnis Legatum mitteret Romanam. Interfuit Concilii Tridentini ultimis sessionibus vnus ex Theologis à Philippo II Rege Catholico eo destinatis, ibique in festo Sancti Thomae habuit orationem ad Patres de Laudibus dicti Sancti, quae prodit Brixiae è typis anno 1563. In schedis quoque reliquit. *Lecturam super Quartum sententiarum*. Item *Moralia plura. De Ratione susceptae legationis pro Academia Salmantina*, ms., exstabat in Bibliotheca Ollivariensi, cuius Catalogus est Romae in Barberina. Obiit Salmanticae anno MDLXXVII. ALTAMURA, *Bibliotheca Ordinis Praedicatorum*, centuria quarta, ad an. 1577.

<sup>3</sup> "Del Mtro. Gallo yo creeria que él está mejor dispuesto de lo que solía, y de una ó dos letras, que acá hemos recibido suyas, aun se podría algo colegir de su buena afición." Polancus. *ex com. Patri Antonio de Cordoba*, 13.<sup>a</sup> Junii 1555.

<sup>4</sup> Infra, n. 1240.

<sup>5</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 307, annot. 2.

declarasset. Itaque vir alioqui valde doctus, parum perspectum habebat institutum Societatis et quamdam suam opinionem circa vota simplicia, parum communem, sequi videbatur; et tamen, aliam esse rationem votorum simplicium communium et nostrorum, auctoritas Sedis Apostolicae satis declaravit <sup>1</sup>.

1119. Idem Fr. Dominicus, alioqui vir optimus, cum de Societate bene se sentire testaretur, contemplationes tamen nostrorum dicteris aliquando suggillabat; et cuidam ex nostris de se ipso fatebatur, quod nesciebat de Deo cogitare, nisi evangelium coram se haberet, et cum Deus esset invisibilis, quod statim ab ejus oculis recedebat; et subjungebat nescire se quid cogitarent aliqui, qui duas horas genibus flexis coram altari orabant; et dicebat se tale quid non posse facere, et quamvis rationem illi reddidit P. Gutierrez <sup>2</sup> hujus rei, qui P. Antonium comitabatur, cui haec dicebat Fr. Dominicus de Soto, dixit demum quod haec non intelligebat; ut facile discerni possit quantum intersit inter speculativam et mysticam theologiam; et quia in priori bonus Pater valde versatus fuerat, et, ut videtur, parum in posteriori, sic de oratione et contemplatione loquebatur <sup>3</sup>.

1120. Quidam etiam Fr. Petrus de Sotomajori <sup>4</sup> dicebat, exercitia spiritualia, id est, examina in eis tradita, calculationes sibi videri; notabat etiam aliquis quod Creator creatura factus, assumpta natura humana, diceretur, ut in exercitiis haberetur, improbens quod Christus creatura diceretur, et in publicis disputationibus, quae in scholis habitae sunt, publice propositio haec fuit impugnata, quamvis exercitia nominata non fuerint; et qui praesidebat, egregie defendit propositionem eandem, et, ut credebatur, in gratiam nostrorum; nam valde nostris addictus erat <sup>5</sup>.

<sup>1</sup> Vide SUAREZ, *De religione Societatis Jesu*, praesertim lib. III, cap. III et IV.—“En lo del Mtro. Soto y su facilidad en absolver del voto de la Compañía, parecería cosa de reir, si no importase mal al que dió por absuelto de tanto. Parece poca teología sería menester para mostrar lo que obliga un voto simple de religion aprobada, y así no hay para qué se envíe resolucion de Roma...”, Polancus, litteris supra, pag. 413, annot. 2, memoratis.

<sup>2</sup> P. Martinus Gutierrez.

<sup>3</sup> “no hay para qué se envíe resolucion de Roma, ni tampoco sobre las calculaciones de los Ejercicios, que puede ser que aquel Padre se haya ejercitado más en otras que solía enseñar que no en estas del examinar de la conciencia...”, *Ibid.*

<sup>4</sup> Vide supra, t. IV, pag. 380, n. 816 et annot. 1.

<sup>5</sup> “Llábase el maestro Martín Vicente...”, *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 307.

1121. Hic P. Antonius, quamvis, ut studiis vacaret, onere gubernationis ejus Collegii liberatus fuerat, ut diximus <sup>1</sup>, mira tamen prudentia ac spiritu, superintendentis officium exercebat, et omnia, quae ad disciplinam Societatis pertinebant, et demum ad ejus progressum, diligenter admodum observabat, et aliquando etiam nostros suis exhortationibus et non minus humilitatis exemplo ad optima quaeque excitabat. Egregie etiam eo tempore se gerebat in his, quae ad spiritum et ad literas pertinent, D. Ferdinandus Teglio <sup>2</sup>; quamvis non idem in utroque perseverantiae donum fuit.

1122. Quod ad temporalia attinet, Salmanticense Collegium parum promovebatur; videbatur autem eidem P. Antonio quod si Cardinalis Burgensis, D. Franciscus de Mendoza, qui susceperat Collegium illud dotandum, ab ea voluntate desisteret, non defecturi erant alii, qui dotationis provinciam susciperent, et ita accidit; cum enim evanuisset, ut superius diximus <sup>3</sup>, capellania quaedam octingentorum ducatorum annui redditus, quam idem Cardinalis auctoritate Apostolica applicari fecerat, Cardinalis quidem ipse alios redditus non applicavit <sup>4</sup>; sed alii atque alii, temporis successu, id fecerunt, ut suo loco videbitur.

Et haec de Collegio Salmanticensi.

## DE COLLEGIO METHYMNENSI

1123. P. Seviglianus <sup>5</sup> huic Collegio Methymnensi hoc etiam anno praefuit; et quidem, quod ad confessiones attinet, nunquam nostris defuit messis copiosa, quam auxit duplex jubilaum, cujus occasione, ut et alibi diximus, confessiones multis annis intermissae, aut male factae, apud nostros institutae fuerunt; et

<sup>1</sup> Supra, t. iv, pag. 375, n. 803.

<sup>2</sup> Hispanice *Don Hernando Tello*. Vide supra, t. iv, pag. 491, n. 1037, et annot. 3.

<sup>3</sup> Vide supra, t. ii, pag. 9, n. 11, et pag. 107, n. 257, et infra, in hoc t. v, n. 1250.

<sup>4</sup> De his fuse Polancus, *ex com.*, Patri Antonio de Araoz, 3 Januarii 1555.

<sup>5</sup> P. Petrus Sevilliano.

aliis confessi interdum sibi non satisfaciebant, donec nostris confiterentur.

1124. Fuit autem templum nostrum inter ea designatum in quibus jubilaei gratia poterat obtineri, quod in causa fuit ut poenitentium numerus augeretur; et fructus insignis ex hoc ministerio sacramentorum confessionis et communionis sequebatur. Erat inter alios medicus quidam, qui sic gustaverat hunc fructum, ut quodammodo extra seipsum, cum de eo loquebatur, esse videretur, et cum fame ac siti horum sacramentorum admiranda ad ea accedebat et alios invitabat; et quamvis pauci essent nostri sacerdotes, mirum quam multis sua assiduitate et indefesso labore satisfacerent. In scholasticis autem adolescentibus imprimis hic fructus elucebat.

1125. Desiderabatur concionator aliquis Methymnae; tamen, aliis in locis cum illi occupati essent, minus potuit satisfieri quam optabatur methymnensium desiderio. Posterioribus tamen mensibus hujus anni P. S.<sup>ta</sup> Crux <sup>1</sup> ibidem concionatus est dominicis ac festis diebus, et quidem cum magna frequentia in templo nostro. In nundinis autem bis concionatus est, ante ipsas trapezitarum mensas, quem cum praedives quidam mercator audisset, facultatibus omnibus extemplo rejectis, in Monte Serrato monasticum ordinem S.<sup>ti</sup> Benedicti amplexus est.

1126. Quod concionibus defuit, ex parte scholae hoc anno suppleverunt; nam juxta formulam collegiorum Societatis nostrae, hac aestate tres classes grammatices fuerunt institutae, mense scilicet Junio; et, ut sperabatur, ita omnino fructum non poenitendum ex earum institutione nostri coeperunt; et in dies profectus in moribus et in litteris, in juvenibus, qui in scholis instituebantur, cernebatur, et latius patebat. Sub finem Julii supra octoginta jam erant scholastici; et post Augustum ex vicinis pagis et ex ipso populo plures venturi expectabantur. Sub anni finem circiter centum et triginta erant.

1127. Acta fuit tragoedia, quam unus ex fratribus, scilicet, Josephus de Acosta, [de] Jephte filiam trucidante composuit; quae cum applausu summo et populi acclamationibus, ac aedificatione non mediocri, et augmento existimationis scholarum

---

<sup>1</sup> Sermonem fieri existimamus de P. Joanne de Santa Cruz, Burgensis Collegii incolae.

peracta fuit. Et augebat spectatorum admirationem, quod ab adolescentulo ejusdem populi confecta erat <sup>1</sup>; et normam alioqui recte vivendi sparsam opportunis locis tradebat.

1128. Ad D. Lucae diem cum studia renovantur, habita est oratio de omnium scientiarum laudibus instituta, in consessu frequenti, et clero virorum methymnensium, quibus ea magnopere placuit. Ex vicinis autem locis non pauci studii gratia Methymnam accesserant.

1129. In festo S.<sup>ti</sup> Nicolai fingere quemdam puerum episcopum Methymnae solebant; et multae Dei offensae ex ludis hujusmodi sequebantur. Hunc abusum nostri expulerunt, scholasticos cum cereis candelis in templum nostrum convocantes ad rem divinam et preces vespertinas audiendas, ubi in honorem S.<sup>ti</sup> Nicolai varia carmina sunt recitata. Simili ratione propter festum Natalis Domini dialogus de ipso ortu Salvatoris a quodam ex praeceptoribus fuit compositus, qui et elegans et devotus visus est; et sic juventutis animos a vanis ad pia et studiosa fuit revocatus.

1130. Obiit hoc anno P. quidam nomine Gomezius decimo calendas Novembris, oriundus ex Lusitania, theologus, et latinis litteris et graecis eruditus, et qui brevi tempore, quo in Societate fuerat, in obedientia et aliis virtutibus egregie profecerat; nec tacebo hoc obedientiae ejus documentum: quod, cum, nauseabundus, buccellam cibi, quem ex obedientia, sumebat, ex ore decidisset <sup>2</sup>, memor deinde obedientiae, eam ipsam buccellam resumere et ad stomachum usque perferre conatus est; et cum mortuus putaretur, adveniens P. Seviglianus: "Mihi, inquit, non loqueris?," "Pater mi!, ille, quasi reviviscens, vultu tam sereno ei respondit ut si nihil mali pateretur; et sic evigilans SS.<sup>mum</sup> Eucharistiae Sacramentum accepit <sup>3</sup>.

1131. Ingressus est ejus loco Societatem Hieronymus de Acosta, qui quatuor fratres, natu minores, in Societate habebat <sup>4</sup> qui ex obedientia in varia loca dispersi jam erant, et ipse quintum se adjunxit; in exercitiis spiritualibus ipse Societatem

<sup>1</sup> Methymnensis erat Josephus de Acosta.

<sup>2</sup> Sic; rectius tamen Acosta in *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 718, *eructasset*.

<sup>3</sup> Cf. dicta in *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 718, annot. 2.

<sup>4</sup> Vide supra, t. III, pag. 305, n. 680, et annot. 2.

ingredi constituit sub anni finem, quamvis ingressum, ut negotia expediret, aliquantulum distulit.

1132. Ex tribus aliis, qui spiritualibus exercitiis fuerunt exculti, unus Carthusiensium Ordinem, duo alii Societatem ingressi sunt, quorum alter fuit Matthaeus de Duegnas, D. Roderici de Duegnas, qui Collegio Methymnensi initium dederat <sup>1</sup>, filius, latinis et graecis litteris et liberalibus etiam artibus instructus.

1133. Populi autem illius Senatus, qui nostris aliquando graviter adversabatur, mutavit sententiam et animum et nostris nihil petentibus, non mediocrem tritici eleemosynam dedit. Delectatus fuit non mediocriter populus officiis divinis <sup>2</sup>, quae P. Franciscus mediocri tono decantari praescripserat, et monumento <sup>3</sup> etiam confecto.

1134. Colloquiis privatis, carcerum et xenodochiorum visitatione, et confessionum ministerio <sup>4</sup>, pacibus conciliandis, et proximis demum juvandis per alia pietatis officia, nostrorum opera hoc anno methymnensibus perutilis fuit. Ipsum tamen aedificium non magnopere promotum est, quamvis jam ab initio anni materia lignorum ac lapidum comportata fuerit, et etiam in progressu Collegii opus surrexerit. Adjuvabat autem hoc opus egregie D. Antonius de Acosta, tam multorum filiorum in Societate pater <sup>5</sup>, et alii privati mercatores, quamvis omnes defatigari jam videbantur; eo tamen opus perductum est, ut hyeme hujus anni habitari posse videretur.

Et haec de Methymnensi Collegio.

## DE COLLEGIO VALLISOLETANO

1135. P. Joannes de Valderrabano huic Collegio praeerat, quamvis ipse Provincialis, P. Araoz, ibidem magna parte anni

<sup>1</sup> Vide supra, t. II, pag. 117, n. 273.

<sup>2</sup> Hebdomadae sanctae.

<sup>3</sup> Ubi repositum est die Jovis sancti Venerabile Sacramentum.

<sup>4</sup> Verba haec et confessionum ministerio scripsit ad paginae oram ipse Polancus.

<sup>5</sup> Vide supra, pag. 422, n. 1131.

resideret, et interdum etiam P. Franciscus Borgia, Commisarius, eo quod Princeps Joanna, Regni Gubernatrix, ibidem residebat. Erat autem ea poenitentium, qui ad sacramentum confessionis veniebant, multitudo, ut quinque sacerdotes, ministerio vacantes, satisfacere in multis non possent. Erant et aliqui scholastici, qui philosophiae vel theologiae dabant operam, quamvis pauci numero essent, quia omnes simul, ultra tredecim vel quatuordecim non erant. Disputabant illi tamen etiam aliquando in scholis publicis, cum praeceptor id injungebat, et quidem satis bono cum successu; nam ipsi professores sibi satisfactum esse significabant.

1136. Duplex jubilaeum hoc anno, sicut alibi, in hoc oppido publicatum, multum nostris exhibuit negotii, et quamvis aliqui obrectatores frequentiam sacramentorum suggillarent, non solum eam non impediabant, quin potius studium ea frequentantium, (quemadmodum solet aqua modica ignem fornacis) magis accendebant; et alii alios invicem ad sacram Domini mensam invitabant. Et cum aliquando quiescendum confessarii putarent post alicujus festi solemnitatem, nihilominus assiduis occupationibus sic distinebantur, ut denuo ad vigiliam festorum hujusmodi se redactos, quod ad laborem assiduum pertinet, existimarent.

1137. Sed in palatio Principis assidua etiam quibusdam ex nostris confessariis erat occupatio; nam ipsa Princeps exemplo suo caeteris praeibat, ut quodammodo alia de re non ageretur inter nobiles illas foeminas quam de frequentatione sacramentorum, de virtutis profectu, immo et de his, quae ad perfectiorem statum pertinent, ad quem multae ex praecipuis erant inflammatae. Nec tacendum est quod aliquae ipsarum inter se conveniant, ut sese in quibusdam exercerent, quae in religiosis monasteriis fieri solent, ut ea ratione se ipsas probarent (nam complures ad vitam religiosam propensae jam erant) et interim in ipso palatio religiosas imitarentur. Itaque statis quibusdam diebus et horis, se simul in secretum locum recipiebant et unam ex suo numero in superiorem eligebant, cui per unam hebdomadam omnes humiliter obedirent; et ipsi suas culpas, quae cernebantur, faterentur, et ab ea injunctam poenitentiam reciperent, quam coram aliis peragebant. Immo aliquae ex nobilioribus virginibus, suismet pedissequis, quae ejusdem erant propositi, ali-

quando obediebant; et ita, in humilitate et obedientia, sui periculum faciebant. Tres autem ex his nobilibus virginibus palatii Regii monasterium serio (*sic*) ingressae sunt, cum quibusdam aliis, quae eis serviebant. Tres etiam aliae hoc ipsum facere constituerant, praeter alias, quae tacite hoc ipsum animoolvebant et apud se deliberabant. Nunquam palatium huic simile visum in Hispania forte fuit; vacabant enim orationi assidue admodum, immo et flagellis carnem domabant, et a rebus vanis silentium observabant; et hoc praeter sacramentorum confessionis et communionis frequentiam; et cum haec esset vidua Princeps Joanna, decebat ipsam tam spirituale palatium, praesertim quod ad foeminas attinet. Sed non ideo minus studium rebus publicis illa adhibebat; sic enim virtutum exempla eximia in ea cernebantur ut Regni gubernationi nihilominus serio et diligenter vacaret.

1138. Extra palatium ipsum confessiones generales nostro in templo audiebantur, non ad devotionem tantum, sed ad necessitatem institutae, cum multa in aliis confessionibus tacita, et ideo non curata, vulnera sananda essent. Multi docti et primarii ejus curiae, quae Vallisoleti residet, viri et ministri praecipui domus regiae, pio ac devoto animo nostris confitebantur, et cum fructu non mediocri; aliqui etiam extra oppidum ipsum degentes, nec pluviis nec aliis incommodis arcebantur quominus ad ecclesiam nostram accederent. Inter complures autem restitutiones factas, insignis fuit quaedam non solum ob quantitatem, licet ad duo vel tria millia ducatorum ascendebat, sed ob promptum animum restituentis, qui etiam cum vitae suae periculo paratus erat ea <sup>1</sup> restituere, quae simul cum alio furatus fuerat; quia sine tali periculo restitutio fieri non poterat, cum pecunia ad manus socii in eodem crimine devenisset, et eo repente mortuo, ab ejus uxore mordicus retineretur; quamvis bonae menti Deus occurrit <sup>2</sup>.

1139. Duo praeterea ex palatio regio, post confessionem, aula relicta, ad religionem se contulerunt. Per eandem confessionem, inter quosdam mercatores magna discordiarum semina sublata, et pax composita est.

<sup>1</sup> Ms. habet *ei*.

<sup>2</sup> Cf. *Litterae Quadrimestres*, t. II., pag. 409 et 410.



1140. Aliquae moniales, quae partim cum licentia sui praelati, partim sine illa, extra monasterium vivebant, secreto, confessionis gratia, ad nostros accesserunt, qua peracta, statim ad suum monasterium regredi constituerunt. Una erat inter alias, quae, cum supra viginti annos in religione vixisset, cum facultate Superioris sic in saeculo vivebat, ut nullo modo ad monasterium redire vellet. Cum autem haec audisset poenitentes amanter et benigne a nostris confessariis excipi, venit et illa et cum omnia sua vulnera per confessionem generalem spirituali medico manifestasset, sic a Domino sanata est, ut ipsamet diligentem curam adhibuerit ut ad monasterium admitteretur; ubi perseveravit cum magna sua, Abbatissae, et religiosarum, consolatione. Aliae foeminae non religiosae a gravissimis peccatis, cum quibus saepe ad Domini mensam accesserant, per ejus gratiam, eodem sacramento fuerunt expiatae. In carceribus etiam confessiones complurimae auditaе sunt, et eodem modo multi aegrotantes Domino reconciliati.

1141. Quod ad conciones attinet, ipse P. Provincialis ecclesiastes officio fungebatur; sed de eo seorsum agetur <sup>1</sup>. Septimancas etiam aliquando Vallisoletto mittebatur ut Dei verbum illi populo proponeret, cum P. Bartholomaeus de Bustamante ibidem concionari et residere desiit <sup>2</sup>.

1142. Inter concordias Vallisoleti curatas, una fuit magni momenti, cum timeri posset ne res ad seditionem tandem vergeret. Cum enim nobilis quaedam et perdives foemina infimae conditionis viro nec ullis dotibus ipsi comparando, nupsisset, ejus consanguinei ea inimicitia contra maritum exarserant, ut multi jam in capitis discrimen venissent. Sed cum illa cuidam ex nostris intima sui animi aperuisset, quosdam ille allocutus est, et tempestatem omnem sic sedavit, ut nobilis mulieris consanguinei, ejus matrimonio libenter assentirentur; et omnibus admirationi fuit tantum incendium tam facile extinctum fuisse. Superflua ornamenta corporis in multis resecata fuerunt, et per corporis castigationem, in multis, vitia carnis, quibus diffuebant sublata fuerunt, adhibita sacramentorum frequentatione;

<sup>1</sup> Infra, n. 1237 et seq.

<sup>2</sup> Desiit autem Septimancas residere P. Bustamante, cum in Baeticam Provincialis, loco Patris Torres, missus est. Vide infra, n. 1445.

et quidam nobilis, inter alios, in hac parte eminuit, qui ut prius ad parum honestas delicias alios invitabat, ita velut speculum virtutis eisdem postea se praebuit.

1143. Morientibus etiam opportunum auxilium a nostris datum est. Quidam magno ex odio per octo annos ab uxore sua separatus vixerat, immo, cavebat ne locum adiret, ubi illa habitabat; timens ne illam offendere, aut in ipsam manus injicere, ob praedictum odium, cogeretur. Hic incidens in quemdam ex nostris sacerdotibus, et sua peccata eidem confessus, compunctionem maximam a Domino nactus, et in uberes lacrymas prorumpens, quasi ex tenebris ad lucem adductus, uxori reconciliatus est; et dedit illi Dominus prolem, qua per multos annos in matrimonio vivens caruerat; et hilaris et magna cum consolatione ad confessarium venit, hoc beneficium a Domino sibi collatum ejus opera agnoscens.

1144. Quidam etiam fuit ex domo regia, qui in eam resignationem animi venerat ut ne mendicare quidem ostiatim et humillimis indui vestimentis durum aut difficile existimaret, si talem esse Dei voluntatem intelligeret.

1145. Accedebant ad domum Societatis nostrae primores curiae utriusque sexus, Missae audiendae gratia, vel ut de suis tractarent rebus ad spiritus profectum pertinentibus; et ex his et aliis multi dominicis ac festis diebus ad sacramenta accedebant. Ipsa etiam Princeps Joanna Collegium hoc magni faciebat, sed praecipue P. Franciscum Borgiam, pro quo singulis diebus rosarium unum nominis Jesu Deo offerebat, et deinde P. Provincialem Araoz et reliquos.

1146. Invitati fuerant nostri a Senatu (*Cancellariam* vocant<sup>1</sup>) ut eos, qui in custodia publica detinebantur, inviserent. Quidam autem sacerdos ad doctrinam explicandam eis missus est, qui magna consolatione eos affecit, et praeterquam quod didicerunt quae ignorabant ex orationibus communibus, articulis fidei, praeceptis Dei et Ecclesiae, multa in eis vitia emendata fuerunt; et mulieres ibi detentae omnes confessae fuerunt, multi etiam ex viris; et aliqui etiam frequenter id faciebant; et fructus demum non mediocris ibi proveniebat. Inter alias mulieres quaedam damnata erat ad capitis abscissio-

---

<sup>1</sup> Vide supra, t. IV, pag. 383, annot. 1.

nem: curavit autem unus ex nostris ut ejus maritus ei condonaret acceptam injuriam. Hujusmodi alia plurima dici possent.

1147. Domi singulis noctibus confessarius <sup>1</sup> spirituale colloquium apud eos, qui in domo probationis exculti non fuerant <sup>2</sup>, habebat; sed veterani <sup>3</sup> etiam non sine fructu eum audiebant; et aliam faciem induisse tota domus videbatur. Tres aut quatuor, non mediocriter ad Societatis institutum affecti, se admitti postulabant; unus eorum theologus erat, qui animarum curam egerat, qui postquam exercitia spiritualia absolvisset, fatebatur se usque ad illud tempus veram viam Deo serviendi ignorasse, cum alioqui multis annis studiose vixisset.

1148. Officia S.<sup>tae</sup> Hebdomadae tanta cum devotione externi audierunt ut quodammodo per totum annum nostros huic piaee exercitationi vacare cuperent.

1149. Ad emptionem domus, de qua anno superiori scriptum est <sup>4</sup>, dederat sub finem illius mille et quingentos aureos Princeps Joanna, et cum totidem ad ejus solutionem sub tempus Paschae dandi essent, antequam tempus solutionis veniret, eadem Princeps eam summam, quae reliqua erat, dedit. Et quidem intellectum est quod mutuo accepisset, ne nostrorum commodis deesset <sup>5</sup>. Animus etiam ipsius valde benevolus ac regius spem faciebat quod in aedificanda ecclesia (nam in id incumberebat P. Franciscus) non essent ejus eleemosynae defuturæ. Mense autem Junio nostri novam hanc domum incolere coeperunt, et in ea, nostris usibus accommodanda, nostri diligentiam adhibebant; et quamdam aliam domunculam, aedificio ecclesiae necessariam, emendam etiam curarunt.

Et haec de Collegio Vallisoletano.

<sup>1</sup> Idem, qui postea *Praefectus spiritus don. us* appellari consuevit.

<sup>2</sup> Meminisse oportet, quod satis jam in hoc *Chronico* videre est, plures tunc temporis in Collegiis ad Societatem admissos esse, qui non aliam *probationem* subibant, praeter eam, quam Collegii occupationes et ministeria patiebantur.

<sup>3</sup> Qui, votis *biennii* emissis, plures jam annos in Societate exegerant.

<sup>4</sup> Vide supra, t. iv, pag. 396, n. 855.

<sup>5</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, praesertim t. v, pag. 38, annot. 8.

## DE DOMO PROBATIONIS

## IN OPPIDO SEPTIMANCAS

1150. Sub finem anni praeteriti miserat P. Franciscus <sup>1</sup> cum quatuor fratribus novitiis, qui erant Placentiae, et tribus aliis, qui Salmanticae, Patrem Bartholomaeum Bustamantem; et cum ibidem jam quatuor essent de Societate nostra, duodecim numero simul omnes initio hujus anni erant; quorum ipse P. Bustamante caput fuit; et in constitutionibus ac regulis Societatis et aliis documentis, a P. Natali receptis, Christi tyrones coepit exercere. Et fatebatur ipse experientia deprehendi perfectionem maximam, quae in praedictis constitutionibus ac regulis continebatur; et bonus senex <sup>2</sup> tunc videbatur sibi religiosus Societatis nostrae esse coepisse. Expectabat autem numerum copiosorem novitiorum; quamvis enim quatuor tantum fundator Moschera <sup>3</sup> suis expensis sustentaturum se promiserat; sperabat triginta et quadraginta posse ibidem sustentari, cum amici complures operam suam non denegaturi ad eorum sustentationem viderentur; nec eum fefellit spes hujus augmenti; nondum enim expleto hoc anno, triginta quinque aut eo amplius ex nostris in domo probationis habitabant. P. Baptista Sanchez, qui prius illi domui praefuerat et Septimancis concionatus fuerat, Hispalim ut verbum Dei praedicaret a P. Francisco accersitus fuit <sup>4</sup>.

1151. Convenerat inter Dominum Moscheram et nostros, cum domum suam et hortum donavit, ut ipse ad refectorium nostrorum, qui tunc quatuor numero erant, admitteretur, cum suum ipse cibum eo ferre vellet, et ut in quibusdam habitationibus separatis ejusdem domus ipsemet habitaturus erat; et quamvis nonnulli molestum ipsi futurum esse putabant si pro-

---

<sup>1</sup> P. Franciscus Borgia.

<sup>2</sup> Vide supra, t. II, pag. 601, n. 429.

<sup>3</sup> Vide supra, t. IV, pag. 599, n. 1253.

<sup>4</sup> Vide supra, t. IV, pag. 390, n. 838.

bationis domus ea fieret, longe aliter evenit, nam gratissimum illi fuit; non tamen cedere suo jure ad refectarium ingredien- di, quamvis alia jam ratio erat quam cum quatuor tantum, et veterani ab eo donatam domum habitabant; nec quicquam P. Bustamante cum illius offensione innovandum censuit, cum reditus ex Baetica Patris Francisci brevi spectaretur. Existi- mabat autem nullius etiam religiosi societatem, licet studiosis- simus esset, utiliorem nostris quam hujus nobilis viri futuram; cum magna enim humilitate et obedientia inter nostros se gere- bat, nec quicquam ulli ex nostris loquebatur, et cum magna modestia et temperantia tempore prandii et coenae refectarium ingrediebatur; et eis absolutis, post gratiarum actionem rece- debat; et tam religiose et tanta cum recollectione domi suae vi- vebat, ut non tantum nostris, sed toti oppido et curiae vicinae, aedificationi esset; et aliquando ministeria culinae et refecto- rii ipse obibat, cum esset alioqui miles Ordinis S.<sup>ti</sup> Jacobi, et reditus haberet satis magnos; et tantum habitu a nostris dif- ferre videbatur, quos sic diligebat, ut legitimos fratres suos esse diceret; germanis autem fratribus, quod velut spurii essent palam dicebat, et nostros ipsi futuros haeredes. Et id tantum sibi displicere quod minus haberet quam Imperator, ut id totum Societati daret. Et deflebat tempus illud, in quo contrariam existimationem de Societate habuerat. Fuerat olim hic notus in Italia et ordines duxerat inter milites; et ideo ejus exemplum sectatoribus curiae perutile erat; immo, et nostros novitios ad mortificationes libentius amplectendas ejus exemplum excita- bat. Consultus tamen fuit P. Ignatius an tolerandus esset con- victus hujus viri necne <sup>1</sup>.

1152. Nostri autem fratres, tum in disciplina nostri instituti, tum in his, quae ad abnegationem interiorem et exteriorem per- tinebant, diligenter se exercebant, et in obedientia atque aliis virtutibus mirum in modum crescebant; et cum aliqui eorum

---

<sup>1</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 298 et 299.—Spatium hic vacuum reli- ctum est a Polanci librario, in quo forte quid consultus Ignatius responderit scriben- dum erat. Respondit autem sic: "Cuanto al concierto hecho con el Sr. Mosquera, de los efectos se puede inferir que fué acertado; y con fundadores no es mucho se use de al- gun privilegio, y quien tambien quisiese que se le usase, habriase él de determinar á lo mesmo que el Sr. Mosquera y entonces tambien se dispensaria con él.", Polancus, *ex com.*, Patri Bartholomaeo Bustamante, 13.<sup>a</sup> Junii 1555.

per publicas vias et plateas missi [erant] in habitu aut exercitio ad humilitatem pertinente, pro nihilo id ducebant, quorum exemplo alii ferventer ad hujusmodi humilitatis exercitationes aspirabant; et cum fiebat periculum hujusmodi desideriorum, vera fuisse experientia docebat. Et post hujusmodi actiones, ad alias etiam desideria crescebant.

1153. Mane et vespere duas horas orationi mentali dabant <sup>1</sup>; unam horam utrique examini, et in officio Beatae Virginis Mariae dicendo duas alias horas, in rosario mediam occupabant. Duas etiam conciones a P. Bustamante quotidie audiebant, mane de beatitudinibus, a prandio de constitutionibus et regulis. Reliquas etiam horas piis et utilibus rebus impendebant. Sex horas cum dimidia quieti nocturnae dabant.

1154. Venit autem P. Franciscus 30.<sup>a</sup> die Martii cum Patre Antonio de Cordoba, qui vehementer in culina domus probationis habitare exoptabat. Rediens autem Princeps Joanna ex oppido Tordesillas Vallisoletum, posthabita arce <sup>2</sup>, in domo, quam Moschera dederat, divertit; et significavit se duobus nunciis ad id missis Patrem Franciscum evocasse, et ita postridie quam eo venerat Princeps, Pater ipse Franciscus eo venit. Ad infirmorum autem, si qui essent, subsidium delicata quaedam misit <sup>3</sup>, et eis omnia opportuna in posterum dari jussit. Voluit autem ut P. Bustamante in vicina Carthusiensium domo <sup>4</sup> sibi concionaretur, quod licet ex tempore, Deo adjuvante, egregie praestitit; et tam attente eum audivit Princeps Joanna, ut cuidam ex familiaribus mulieribus, quae in ipsius palatio erant, totum sermonem retulerit.

1155. Cum autem venisset P. Franciscus et inde Vallisoletum iret, ubi Princeps jam erat, dixit ei eadem Princeps se libenter ituram Septimancas, ubi officia Sanctae Hebdomadae audiret, si necessario habenda illi ratio non fuisset gradus sui. Sed ut Septimancas redeam, pergebat P. Bustamante populo concionari et tam ecclesiastici quam saeculares eum cum ma-

---

<sup>1</sup> Alteram mane, vespere alteram. Vide infra, n. 1169.

<sup>2</sup> Scilicet Regia, in qua nunc bona pars monumentorum ad historiam Hispaniae pertinentium asservatur.

<sup>3</sup> Ipsa Princeps.

<sup>4</sup> In monasterio Nostrae Dominae *de Aniago*. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 387, annot. 2.

gna consolatione audiebant; confessiones etiam frequenter audiebantur, et si satis multi confessarii nostri fuissent, totus populus nostris peccata confessurus videbatur.

1156. Quamdiu autem P. Bustamante ibidem versatus est, vivo exemplo humilitatis ac reliquarum virtutum magnae omnibus nostris aedificationi erat; et quamvis externis concionibus et domesticis satis esset occupatus, nihilominus ad ea, quae subditis imponebat, omnium primus manus admovebat; et ita nulli grave onus videbatur, cui primus humeros subiciebat ipsorum praefectus; et in his, quae ad abnegationem propriae voluntatis pertinebant, peculiari cura omnes exercebantur; et in vocatione stabiles erant; immo, si quis aliquas tentationes passus esset, ab eis liberari in hac domo probationis solebat. Qui etiam parum firma fuerant valetudine, eam confirmabant; sed, quod majoris momenti est, qui inter saeculares majores fuerant et majori in pretio habiti, in humilitate magis proficiebant; et tantum consolationis a Domino eis tribuebatur, ut vix illud posset explicare. De humilioribus et magis laceris vestibus et officiis abjectioribus certabatur.

1157. Inter alios, alio venit D.<sup>r</sup> Saavedra <sup>1</sup>, qui prius quidem vota Societatis emiserat <sup>2</sup>, sed in Societatem nondum admissus erat, et ut id impetraret a P. Francisco Compluto recesserat, et decem diebus aut duodecim, quibus ibidem fuit, ad stuporem usque aedificationem inde retulit et Vallisoletum ad Patrem Franciscum perrexit, a quo admittendus erat.

1158. Huc missus fuit Salmantica D. Ferdinandus Tellus ut a studiorum labore conquiescens ibidem aliquandiu in probationibus se exerceret <sup>3</sup>. Sed et P. Antonius de Cordoba mirum in modum hanc domum probabat et in ea multo libentius quam Salmanticae, ut spirituali profectui vacaret, manere elegisset <sup>4</sup>.

1159. Admissus ibidem est vir quidam nobilis, D. Josephus de Guevara, qui theologus erat et Salmanticae operam litteris dederat. Pater autem Franciscus tantopere hanc probationis domum diligebat ut suum affectum explicans diceret hanc esse gemmam Societatis, quodque si ipsius cor aperiretur, ibidem

<sup>1</sup> Doctor Complutensis, Petrus de Saavedra.

<sup>2</sup> Ms. habet *admiserat*.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 420, n. 1121.

<sup>4</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 61.

domum probationis inventuri erant. Fuit autem post recessum Patris Bustamante constitutus Superior P. Domenech <sup>1</sup>, quamvis ibidem hoc anno fuisset P. Hieronymus de Portillo.

1160. Schola anno praecedenti, antequam domus probationis fieret, erat aperta. Sed pauci scholastici in illo exiguo oppido inveniebantur; vix quatuordecim aut quindecim numero erant. Tamen alii complures pueri, simul cum his, in christiana doctrina instituebantur, qui simul cum puellis ad Sacrum quotidie accedebant; et eo absoluto, instituebantur in fidei rudimentis cum magna parentum consolatione. Sed postquam probationis domus ibi coepta est, lectio grammatices fuit omissa et studio mortificationis nostri serio vacabant; et hanc esse veram philosophiam et theologiam, discere mori sibi ipsis et mundo, et soli Christo vivere, existimabant. Quidam erat inter alios novitiis, qui, cum ad probationis domum venit, valde ad studia propensus erat et tacite id curaverat, ut ad studia, quadam occasione accepta, remitteretur. Sed postquam aliquandiu in hac domo fuit, hunc nimium affectum abiecit, et multo propensior jam erat ut in Indiam mitteretur, aut culinae ministeriis perpetuo addiceretur, quam ut ad studia proseguenda mitteretur. Immo quam prius adhibuerat diligentiam ut studia ipsi redderentur, adhibere coepit ut non ad ea redire cogeretur; et plane docebat ipsa experientia expedire imprimis ut studia litterarum ad aliquod tempus plane relinquerentur, et in studium vincendi seipsum solum incumberetur.

1161. Multa dici possent satis rara simplicitatis et obedientiae exempla, ex quibus unum tantum vel alterum referam. Prope domum nostrorum via erat publica, adjacens flumini, per quam currus et pedites aliquando prae luti altitudine haerebant, in flumine etiam ipso aliquando jumenta sub onere cadebant. Cum ergo quaedam ex illis ex ipso Collegio laborare vidissent, accurrerunt aliqui ex novitiis, ex obedientia missi, et ut vestiti erant, fluvium ingressi sunt usque ad genua, et jumenta illa inde simul cum aliis educere curarunt. Cum autem ageretur an fundum haberet solidum fluvius, an coeno oppletum, quidam ex novitiis, cui sic videbatur, dixit coenum ibi non esse. Et cum ei Rector joco diceret ut videret an ita se haberet,

---

<sup>1</sup> P. Petrus Domenech, Vallisoletto evocatus.



vix verba absolverat, cum ille vestitus flumen ingreditur, et perlustrare illud coeperat num lutum haberet, donec id animadvertens superior illum evocavit. Et cum lutum ex illo publico itinere, domui nostrae vicino, ad commune bonum removerent, quidam eorum dixit jam ad fundum solidum ventum esse, alius dicebat nondum eo esse ventum; tum superior, qui aderat, dixit fundum esse solidum; tunc qui negaverat ait: "dico fundum esse, et si tu, Pater, dicas esse coenum, fateor esse coenum,"; et alia hujusmodi plurima, quae ad obedientiam caecam pertinent, referri possent.

1162. Sub anni finem in gratiam populi et etiam fundatoris P. S.<sup>ia</sup> Crux <sup>1</sup> concionator eo missus est, cujus sermones non solum grati, sed et perutiles illi oppido fuerunt, et tam multi ad frequentanda sacramenta excitati sunt, ut et nostri et ipsemet populus miraretur; et cum prius vix quisquam toto anno communicare nisi sub pascha cerneretur, plurimi in sacello nostro in die Natalis communicarunt; sed et festis diebus, immo fere quotidie, confessiones audiebantur.

1163. Magistratus ejus oppidi ad gratias agendas Rectori accesserunt quod ipsorum oppido tam singularia beneficia per ipsos Dominus conferret. Parochi etiam, qui initio parum nostris favebant, immo Vallisoleti concionatores egregios quaerebant, ut, qui in nostro templo concionabatur, pauciores haberet auditores, sententiam omnino mutarunt, et ipsimet populum in ecclesia et in publicis viis hortabantur ut agnoscerent Dei beneficium, qui Societatem nostram ad ipsos misisset. Demeruit autem illos magnopere P. Bustamante, qui in praecipuo templo ejus oppidi, dominicis et festis diebus mane concionabatur, a prandio aut[em] domi nostrae; nam prius, cum Pater Baptista Sanchez in ecclesia nostra concionaretur, dum ad se auditores trahit studiose eundem sequentes, sine auditoribus alii concionatores manebant.

1164. Ex curia Vallisoletana multi primarii viri Septimanas ad Patrem Bustamantem veniebant, et inter hos primus Praeses Regii Consilii <sup>2</sup> eidem amicitia conjunctus ac devotus, qui cum eodem de rebus ad spiritum pertinentibus agere cupie-

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 421, n. 1125.

<sup>2</sup> Antonius de Fonseca, Episcopus olim Pampilonensis. Cf. *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 385, annot. 3.

bat. Alii etiam ex Senatoribus primis Regii Consilii eo, confitendi gratia, venerunt, et cum eis, ac praecipue cum Praesidente, quaedam magni momenti et ad commune bonum Regni tractata sunt.

1165. Venit et Episcopus Gienensis <sup>1</sup>, et Palentinus <sup>2</sup>, in cuius dioecesi hoc oppidum erat, qui etiam eleemosyna frumenti non mediocri nostros sublevavit <sup>3</sup>. Confessarius etiam Principis Joannae, Ordinis S.<sup>ti</sup> Hieronymi, diem unum cum nostris commoratus, significavit in votis sibi esse ad mensem unum eo se recipere, ut spiritualibus exercitiis vacaret; et coepit mittere aliquos ex suis religiosiis ut eadem ratione juvarentur, qui cum magno spirituali fructu et consolatione eis peractis discesserunt. Distabat autem eorum monasterium 25 leucis Septimancis.

1166. Fuit autem inter hos <sup>4</sup> quidam theologiae lector et concionator et vir magnae auctoritatis, quam ipsi et virtus et doctrina conciliabat. Hic tantopere in exercitiis huiusmodi profecit, ut fateretur ipse propter mundum hunc totum nolle se caruisse cognitione Societatis, illis paucis diebus, quos ea in domo exegit, et beatos esse illos dicebat, quos Dominus ad hanc Societatem vocasset. Postquam autem P. Franciscus eo venit, multi alii illustres viri eo confluxerunt, qui ejus et exemplo et doctrina valde adjuti recesserunt; et ejus profunda humilitas et nostros et externos confundebat.

1167. Inter alios, qui eum inviserunt, fuit Comes stabilis Castellae <sup>5</sup>, qui cum magna aedificatione ad sua rediit.

1168. Erat Septimancis P. Franciscus, cum Princeps Joanna ex oppido Tordesillas, post mortem aviae, Reginae Joannae <sup>6</sup>,

<sup>1</sup> Didacus de Tavera. Sed vide dicta in *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 385 annot. 4.

<sup>2</sup> Petrus de la Gasca.

<sup>3</sup> "y de que el Reverendísimo Obispo de Palencia se ofrezca de ayudar aquella obra, tambien nos hemos alegrado en el Señor; y parece que de tal persona no podrá esperarse ayuda, que no sea de importancia; y hubiendo de ser casa de probacion, parece ha menester buenas ayudas para entretener buen número de gente." Polancus, *ex com.*, Patri Francisco de Borja, 30 Decembris 1554.

<sup>4</sup> Fratres O. S. Hieronymi.

<sup>5</sup> Petrus Fernandez de Velasco.

<sup>6</sup> "Espiró el Viernes santo, 12 de Abril, á las seis de la madrugada, dejando admirados á todos del cambio que en sus últimos momentos se habia verificado en ella. Tenia á la sazón setenta y cinco años, cinco meses y seis dias de edad." RODRIGUEZ VILLA, *La Reina Doña Juana la loca*, lib. x, § II (ed. Madrid, 1892).

Vallisoletum redibat. Est autem <sup>1</sup> in via <sup>2</sup> et duabus leucis distans oppido Septimancis. Cum autem P. Franciscus Vallisoletum venisset, obtulit eidem Principi munus quoddam; id autem erat panis unus, cum frusto porcinae carnis, quem ex eleemosyna ipse acceperat; et ea cum animi hilaritate donum admisit, qua forte donatam civitatem non admisisset; nam summa devotione P. Franciscum prosequabatur.

1169. Demum haec domus ubique optime audiebat et optimus ejus odor late jam patebat <sup>3</sup>. A Patre tamen Ignatio rationem institutionis expetebant; interim simul duas horas quotidie, alteram mane, vespere alteram simul orabant; matutinum etiam officium Beatae Virginis simul dicebant, ne quis occasionem haberet illud omittendi <sup>4</sup>. Sed haec postea ex parte aliqua immutata sunt.

1170. Marchio de Tavora <sup>5</sup>, qui nostris valde familiaris erat, monachum quemdam Ordinis S.<sup>ti</sup> Francisci, qui triginta annos et eo amplius in religione exegerat, ad hanc probationis domum, ut exercitiis spiritualibus excoleretur, adduxit; qui, licet doctrina et aetate venerandus esset, cum magna tamen humilitate institutionem accipiebat. Cum autem in sacello nostro superiori Missam celebraret, nostri fratres eodem in loco suum examen, quod ante prandium fieri solet, faciebant. Cum autem elevaturus esset jam jam corpus Domini, audito campanae pulsu, quae illos ad refectorium vocabat, simul omnes ex eo sacello recesserunt. Dixit autem vir ille religiosus cuidam ex nostris: "De Societatis obedientia audieram ego quidem; sed non credebam. Sed jam experior majorem illam esse quam fama referebat,," et dixit se hanc obedientiam admiratum fuisse, cum Christi corpus, eis recedentibus, elevaturus esset, quodque venerat ei in mentem quod de monacho quodam intellexerat, cui cum puer Jesus apparuisset et campana sonuisset, [et,] relicto Jesu, quo illa vocabat ivisset, cum autem postea rediisset, invenit eundem puerum Jesum, qui dixit ei: "Si tu non recessisses, audita campana, ego recedebam.,"

<sup>1</sup> Oppidum Tordesillas.

<sup>2</sup> Qua Vallisoletum itur.

<sup>3</sup> Vide *Carlas de San Ignacio*, t. v, pag. 200.

<sup>4</sup> Vide supra, pag. 481, n. 1153.

<sup>5</sup> Sic; rectius tamen in *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 24 et 533, *Marques de Tavora*. Bernardinus de Pimentel.

1171. Hic ergo et alii, cum magna admiratione, novitiorum institutionem et profectum eorundem intuebantur. Populi etiam devotio erga Societatem crescebat, sed etiam externorum (*sic*). Crebro autem primus Praesidens <sup>1</sup> eo veniebat; et semel cum nostris pransus in refectorio, solum ex aspectu ordinis et modestiae magnopere commotus fuit. Cum autem ibidem aliquando prandebat Marchio de Tavora <sup>2</sup>, nihil aliud quam quod fratribus proponebatur, sibi proponeretur (*sic*); Marchio etiam Villenae <sup>3</sup> eo veniebat; et summopere sese colligere ad profectum suum spirituales ibidem optabant.

1172. Mittebantur aliquando novitii Vallisoletum ut hospitalibus inservirent, et summa cum aedificatione, tum pauperum, tum ministrorum, suum munus obibant. Testabantur autem oeconomi hospitalium, quod multitudo famulorum, quibus prius utebantur, satisfacere pauperibus non poterat; nunc autem duo ex his novitiis quinquaginta et sexaginta pauperibus sic satisfaciebant, ut non solum quod ad corpus attinet eos juvarent, sed etiam ad aequanimiter et laeto animo ferendos morbos suos exhortarentur; nec ullus jam erat ex aegrotantibus, qui conquereretur de suo morbo, immo alii alios invicem ad patientiam hortabantur.

1173. Erant autem quatuor in duobus hospitalibus, per mensem unum, deinde totidem submittebantur, quos cum instruxissent priores, per biduum vel triduum, ad probationis domum redibant. Ad peregrinandum etiam bini mittebantur, cum magno desiderio aliquid patiendi pro Christo; nec deerat occasio satisfaciendi huiusmodi desideriis. Singulis autem festis unus ex fratribus exhortationem habebat cum reliquorum satisfactione <sup>4</sup>.

1174. Quod ad rationem victus attinet, populus ipse panem, vinum et ligna abunde suppeditabat et alia quaedam: caetera aliunde quaerebantur. Die tantum sabbati petebant, et

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 434, n. 1164.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 435, n. 1165.

<sup>3</sup> Franciscus Pacheco et Bobadilla. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 24; sed *ibidem*, pag. 51, corrige annot. 2, ubi positum est *Didacus*.

<sup>4</sup> Delectabatur adeo Ignatius illis, quae de domo probationis Septimancis instituta Romam perferebantur, ut per Polancum haec Patri Francisco de Borja scribi fecerit: "El buen suceso de esa casa creo dará devocion á otras provincias de procurar otras semejantes; pero de esto ya se vé que la inclinacion de V. R. no habrá menester espuelas ningunas, quando la oportunidad se ofreciere..", 10.º Junii 1555.

tam libenter eis offerebatur, ut si accideret aliquem domo recedere, vicinis curam relinqueret ut nostris venientibus suo nomine darent eleemosynam.

1175. Domus autem satis capax erat et in prima ejus contignatione viginti tria cubicula nostri confecerant; praeter commune quoddam dormitorium, ubi aliqui esse poterant. In duobus superioribus, si necessitas id postulare, tantumdem fieri poterat.

Et haec de domo probationis.

### DE COLLEGIO BURGENSE

1176. Hujus anni initio tres sacerdotes cum uno vel altero coadjutore Burgis versabantur, quibus P. Gaspar de Azevedo praeerat. Omnes sacerdotes in audiendis [confessionibus] et ministrando Eucharistiae sacramento valde occupati erant, ut vix ad cibum capiendum tempus eis suppeteret. Et cum jubilaei gratia Februario mense ibi esset promulgata, licet ad confessionem non obligaret, multo plures solito ad Collegium nostrum confluerunt, quibus tamen indefesso labore satisfacere nostri studuerunt; nec solum vires corporis propter illum imminutae non sunt, sed crescere potius videbantur; et quamvis initio plures matronae quam viri ad nostros accederent, forte propter domus angustias et ipsius sacelli, postea nihilominus viri multi accesserunt.

1177. Infirmis etiam et morientibus suam operam nostri utiliter navarunt; et in aliis pietatis functionibus se diligenter exercuerunt; et si duplo plures fuissent sacerdotes, eis tamen multitudo poenitentium satis negotii exhibuisset, inter quos primarii ejus civitatis viri erant. Aliqui concubinas suas in uxorem duxerunt; inimicitiae inter quosdam extinctae fuerunt, et alia hujusmodi per ministerium hujus sacramenti ad Dei gloriam confecta fuerunt.

1178. Fuit inter alios, qui totos viginti quatuor annos ab hoc sacramento abstinuerat, et cum maximis poenitentiae signis confessus est. Fuit et foemina, quae duodecim annos per-

tinaciter peccatis inhaerens, nec tamen relinquere volens aut confiteri, nihilominus publice sanctissimam Eucharistiam accipiebat, quae, Deo propitio, ad cor rediit et integram confessionem, cum proposito vitam mutandi, prout debebat, instituit.

1179. Sub anni finem auctus fuit nostrorum numerus Burgis et ad decem pervenit; nam visum est Patri Commissario, Francisco Borgiae, satisfaciendum esse desideriis multorum, qui scholas a Societate nostra Burgis aperiri cupiebant, quamvis nondum ulla dotatio ejus Collegii praecessisset, nec D. Franciscus de Miranda, Abbas de Salas, id, quod proposuerat et promiserat, adhuc opere complevisset.

1180. Postquam ergo Abula evocatus esset P. Ferdinandus Alvarez, et P. Gaspar de Azevedo in Indiam, quae *del Perú* vocatur, destinatus <sup>1</sup>, et ad id Burgis evocatus esset, ipso die Nativitatis B. Virginis initium studiis humaniorum litterarum datum est; et in ipsa Cathedrali ecclesia, publica oratio a Patre Gaspare Fernandez habita est, qua instituti nostri rationem, quod ad pueros instituendos attinet, civitati declaravit.

1181. Idem Pater classis rhetorices munus susceperat, praeter quem, tres alii, tribus aliis inferioribus classibus praeerant, et in dies magis patebat quam magna spiritualia commoda ex nostro Collegio civitas caperet, quae filios modestiores et sibi magis obsequentes et magis etiam in litteris proficientes experiebatur. Optabat quidem D. Benedictus Ugucionius (qui, ut superius diximus <sup>2</sup>, inter optime meritos de Societate primas habebat), Roma mitti aliquem ex hujusmodi professoribus, quod in Hispania, quod ad has litteras docendi rationem attinet, minus dexteritatis habere existimabat; externos <sup>3</sup> etiam auctoritatem majorem habituros pro ejus gentis ingenio arbitrabatur; sed cum id facile fieri [non] posset, ex ipsamet Hispania praeceptores quatuor classibus praefecti sunt, et, Deo propitio, bene se gerebant et <sup>4</sup> civitatis benevolentiam hoc pietatis opere sibi conciliabant. Brevi autem crevit scholasticorum numerus ad

---

<sup>1</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 704, et *Cartas de San Ignacio*, t. V, pag. 201, 246 et 247.

<sup>2</sup> Vide *supra*, t. III, pag. 317, n. 710.

<sup>3</sup> Scilicet, professores, qui hispani non essent.

<sup>4</sup> *Ms. ut.*

ducentos, ut exigua domus et huic legendi instituto parum accommoda vix eos capere posset, et tamen in dies numerus augebatur. Exercitia etiam litteraria crebriora in dies erant, et aliquando publicae orationes habebantur, aliquando dialogi latini, a discipulis vel praeceptoribus compositi, animos reficiebant; singulis autem diebus sabbati a rhetoricis aliquae positiones defendebantur; sed in inferioribus etiam classibus suo modulo in exercitationibus se exercebant, quibus discipulorum animi excitabantur. Et sic suis praeceptoribus erant affecti, ut sub aliis operam dare litteris prorsus nolle viderentur.

1182. Aliquae foeminae primariae, quae nostrum sacellum adibant, cum solitae essent auro et gemmis, ac pretiosis vestibus ac monilibus, et omni fastu mundano ornari, eo deposito, ad magnam moderationem [se] reducerunt; multae orationi et rebus spiritualibus operam dare et de rebus divinis sermones miscere magnopere cupiebant. Concionatore tamen hoc anno Collegium illud caruit.

1183. Quidam ex amicis Lugduno bibliothecam satis instructam ad nostros adferri curavit, quae multum eis, et consolationis et utilitatis attulit. Ducentos aureos, aut forte amplius in ea <sup>1</sup> expenderat praedictus Abbas de Salas, qui intepescere coeperat in suo fundandi ac dotandi Collegii proposito. Nihilominus effodi fundamenta templi nostri jusserat, quod suis expensis volebat absolvere; sed in situ, quem dederat <sup>2</sup>, expensis Societatis aedificari domum volebat, et ad id vendi eam, quam nostri inhabitabant, domum; quae, ut erat incommoda nostris ministeriis, ita non difficile ad hunc usum concedebatur, et cum in optimo esset urbis situ, ad civis alicujus usum optime vendi poterat; et ita fundamenta novi Collegii jacere coeperunt, quae tamen postea nobis non surrexerunt, nec aurei nongenti annui redditus, quos obtulerat Abbas, ad maturitatem venerunt.

1184. Offerebat autem mutuo domum quamdam idem Abbas, quo nostri migrarent, interim dum alia aedificabatur, et ibi D. Benedictus Ugucionius inchoari lectiones et exercitia spiritualia cupiebat; immo et aliquem, qui philosophiam lege-

<sup>1</sup> Vocibus his *in ea* intelligenda videtur *bibliotheca*; verum si Ignatii et ex Ignatii *commissione* Polanci litterae expendantur, potius de *domo* sermo fieri videtur.

<sup>2</sup> Vide supra, t. II, pag. 633, n. 491.

ret, idem expetebat, et quamdam universitatis imitationem per-  
opportunam ibi esse censebat, quod ex Cantabria et montibus  
huic civitati vicinis hac ratione profundam ignorantiam evi-  
tari [et] eliminari posse existimabat; nam homines illarum pro-  
vinciarum Salmanticam aut Complutum, studii gratia, ire non  
possunt propter paupertatem, [et] satis se facturos arbitraban-  
tur, si aliquid grammatices attigissent et tantum Burgis profe-  
cissent in ea, ut, dum se patrimonialibus beneficiis opponebant,  
obtinere illa possent <sup>1</sup>. Interim tertia die Aprilis fundamenta  
aperiri coepta sunt ad usum ecclesiae; et tepiditate ac deinde  
morte Abbatis succedente, imperfectum totum illud opus reli-  
ctum est.

Et haec de Burgensi Collegio.

#### DE COLLEGIO OGNATENSI, ABULENSI ET CONCHENSI

1185. Praeerat Collegio Ognatensi P. Michaël Ochioa <sup>2</sup>, na-  
varrus, et duo ex nostris fratribus tantum cum illo erant. Ver-  
sabatur autem magno cum fructu in ministeriis consuetis, tum  
in eo, tum in vicinis oppidis, in quibus concionando, christia-  
nam doctrinam docendo, et confessionis ac communionis sa-  
cramenta ministrando, in vernacula cantabrorum lingua per-  
utilem operam illi genti navabat.

1186. Eo se contulit P. Provincialis, Araoz, Aprili mense <sup>3</sup>,  
obtenta a Principe Joanna facultate, ut quaedam gravia nego-  
tia cum Marchione de Sarria, qui Romam Legatus mitteba-  
tur <sup>4</sup>, tractaret; et tamen illum assequutus non est, nam pridie  
ejus diei, quo P. Provincialis eo pervenerat, inde jam naviga-  
verat. Itaque P. Araoz, quamvis in pleuritidem inciderat ex

<sup>1</sup> Sensus hic est:..... et tantum Burgis in grammatica profecissent, ut possent ad  
ecclesiastica beneficia, quae patrimonialia sunt, aspirare eaque, post consuetas exa-  
minationes et experimenta, obtinere.

<sup>2</sup> Sic; frequentius et rectius *Ochoa*.

<sup>3</sup> His robur accipiunt quae conjectando diximus in *Cartas de San Ignacio*, t. v,  
pag. 160, annot. 1.

<sup>4</sup> Ferdinandus Ruiz de Castro et Portugal, Marchio I de Sarria. Vide supra, pag.  
23, annot. 2.



labore et incommodis itineris ac temporis <sup>1</sup>, simulatque valetudinem utcumque recuperavit, rebus multis in oppido Ognatensi providit, et discordias magnas inter aliquos composuit, ex quibus oriri gravia scandala poterant. Visitavit etiam Ognatense ipsum Collegium, in quo animadvertit nostros satis utiliter occupatos et cum magna acceptatione ejus gentis.

1187. Pater autem Franciscus Borgia, sacerdotem aliquem, qui cantabricam linguam teneret, in subsidium paucis illis operariis mittere voluit.

1188. Idem etiam curabat ut collegium quoddam, ab Episcopo Abulensi <sup>2</sup> in eodem oppido de Ognate fundatum ac dotatum, Societati nostrae applicaretur; et Archiepiscopus Hispalensis <sup>3</sup> idem Patri Provinciali convenire dicebat; et quia Princeps Joanna tam erat propitia, non difficile consensum ad id datura credebatur. Erat insigne aedificium ejus Collegii et boni redditus; sed successum haec tractatio non habuit <sup>4</sup>.

---

1189. Quod ad Collegium Abulense attinet, primis mensibus hujus anni ibidem caeteris praefuit P. Ferdinandus Alvarez, donec sub finem aestatis Burgos rediit <sup>5</sup>. Solebat autem

---

<sup>1</sup> "Hemos entendido de la indisposicion de V. R.; y por las indicaciones (sindicaciones?) vemos que se trata mal Vuestra Reverencia en el comer y dormir, y que trabaja demasiado para lo que sufre su salud, aunque poco para lo que querria su caridad. Nuestro Padre encomienda á Vuestra Reverencia que tenga más cuenta con su salud..... Polancus, *ex com.*, Patri Araoz, 23 Aprilis? 1555. Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 163.

<sup>2</sup> Roderico Sanchez de Mercado et Zuazola, qui Episcopus fuit primo Majoricensis, dein Siguntinus et tandem Abulensis. Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 217, annot. 3.

<sup>3</sup> Ferdinandus de Valdes, qui, utpote Generalis Hispaniae Inquisitor, in Curia Principis Vallisoleti fere semper versabatur.

<sup>4</sup> Dimidium fere paginae vacuum relictum hic est, forte ut aliqua adderentur de Ognatensi Collegio, quae tamen non sunt addita.

<sup>5</sup> Vide supra, t. iv, pag. 398, n. 857.

habere Abulae conciones dominicis diebus post meridiem, et quidam ex fratribus christianam doctrinam explicabat; inimitiae inter discordes quosdam viros primarios compositae fuerunt, ex quibus magna incommoda nasci facile potuissent, nisi, Deo propitio, per nostros pax inter eos conciliata fuisset.

1190. Ipso autem die Purificationis B. Virginis jubilaum publicatum est, quod quamvis ad confessionem et communionem non obligaret, plurimi apud nostros confessi sunt et communicarunt; et ita alia charitatis opera Societati consueta a nostris exercebantur. Curabatur interim [ut] beneficia quaedam simplicia ipsius Ferdinandi Alvarez, ad initium dotationis ejus Collegii, auctoritate apostolica unirentur <sup>1</sup>.

1191. Augusto mense P. Provincialis Araoz, inter alia collegia, Abulense etiam voluit invisere, et quia Episcopus <sup>2</sup> ad visitationem suae dioecesis egressurus erat Abula, properavit ut eo ante discessum ejus perveniret, et die dominico post Assumptionem B. Virginis posset ibidem praedicare, si occasio ad id se offerret. Cum ergo sub vesperam veneris Abulam venisset, et fratres nostros magnopere consolatus esset, postridie Episcopum invisit, a quo amanter admodum exceptus est; et de his quae cum ipso egerat, contentum ac laetum admodum eum reliquit. Et urgebat Patrem Araoz ut apud se hospitium vellet excipere, quod cum [non] admisisset, multa esculenta domum nostram misit; et quia concionem dominicae sequentis alii Episcopus commendaverat, non praedicavit P. Araoz; ad quem resalutandum in Collegium Episcopus venit, quod nunquam eatenus fuerat ingressus.

1192. Rogavit autem eum Episcopus ut in Cathedrali ecclesia concionaretur; et quamvis diceret idem P. Araoz in aliquo monasterio potius se facturum, cum nullum festum vicinum esset ut in Cathedrali ecclesia concio haberetur, sic eum urserunt Episcopus, et capitulum, ac multi nobiles et devoti viri, ut eis acquiescere oportuerit. Cum ergo die mercurii intra octavas in Cathedrali templo concionatus esset, vix credi potuisset tali

<sup>1</sup> Vide supra, t. III, pag. 366, n. 804.

<sup>2</sup> Didacus de Alava et Esquivel. Erat is Praeses Regii tribunalis Granatensis; sed Philippus II, cum in Angliam profectus fuerat, statutum in *Instructione* Principi Joannae data reliquerat "Los Obispos y Prelados residiesen en sus iglesias, y el Presidente de Granada en la de Avila en cada un año noventa días, en que se incluyese la Cuaresma.", CABRERA, *Historia de Felipe II, Rey de España*, t. I, cap. IV.

die tantum hominum concursus conventurum. Et cum frequentissimi essent auditores, tanto cum silentio audiebant, ut quodammodo nullus ibi esse videretur. Dedit illi Dominus gratiam ut magno cum spiritu et doctrina, et ita cum consolatione et applausu audientium, suo munere fungeretur. Cum etiam a prandio in quodam monialium monasterio in gratiam Episcopi etiam praedicasset, et domi nostrae varias exhortationes et spiritualia colloquia, quibus proceres ecclesiae Abulensis et alii viri devoti ac familiares aderant, habuisset, quosdam etiam ex primariis civitatis viris invisisset, commotam maxime et affectam eam civitatem et admirabundam etiam reliquit.

1193. Pro-episcopus autem tam saepe tamque amanter ad Collegium venit eo tempore, quo P. Provincialis Abulae fuit, ut sperarent nostri quod in posterum et ipsi, et alii primores urbis et ecclesiae, Collegium hoc non parum essent promoturi.

1194. Quamdiu autem Provincialis cum nostris abulensibus versatus est, id est, octo diebus, quotidie duas apud eos conciunculas aut colloquia spiritualia habuit, et cum magna eos animi consolatione reliquit.

---

1195. Conchae P. Alphonsus Lopez Collegio praeerat. Socium habebat et sacerdotem Patrem Pertusam <sup>1</sup> et quinque fratres, ex quibus duo philosophiae studebant, tertius litteris humanioribus. Cum autem post Epiphaniam P. Baptista de Barma Concham venisset <sup>2</sup>, Compluto rediens et iter Caesaraugustam instituens, ter aut quater in Cathedrali ecclesia, et bis in quadam alia parochia concionatus est; et memores non erant homines quod tantam auditorum frequentiam unquam concionator ullus habuisset; et mirum in modum eis satisfacit, et fructus satisfactioni ac frequentiae consonus credebatur.

1196. Hoc experti sunt nostri quod multi obrectatores Societatis priora obloquia in laudes convertebant, et institutum Societatis, quod prius ignorabant, melius intelligere coeperunt. Quoddam etiam impedimentum vel obstaculum ea ra-

---

<sup>1</sup> Gundisalum Pertusa.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 369, n. 969.

tione remotum est, quod complures retinebat ne nostrorum opera ad suum spirituale auxilium uterentur <sup>1</sup>.

1197. Nullus ex nostris ad hoc usque tempus de christiana doctrina conciones pro more Societatis habebat, quia nec templum proprium nostri habebant, nec Patri Alphonso López id fuerat a superiore injunctum; sed visum est Patri Baptistae de Barma, ad fundatoris <sup>2</sup> postulationem (nam ille aegre ferebat quod nullus ex nostris concionatoris officio Conchae fungeretur), hoc eidem Patri Alphonso Lopez injungere; et ita ultima dominica Januarii in quadam parochia ex praecipuis post meridiem coepit concionari, et prosequutus est hujusmodi conciones cum non mediocri concursu, satisfactione et fructu auditorum. Invitabatur etiam a curionibus aliarum parochiarum, et eorum rogatu in Quadragesima multas conciones in variis ecclesiis habuit; et quamvis in eo verbi Dei ministerio adhuc tyro esset, egregie tamen in eo se gerebat, et perlibenter audiebatur, nec tam multis poterat satisfacere conciones ab eo postulanti-bus, quam voluisset; quia nec ejus valetudo debilis, nec occupationes confessionum et aliorum pietatis operum id permittebant. Fiebat enim concursus non mediocris poenitentium ad nostros, et eas frequentantium numerus in dies crescebat tam domi nostrae, quam foris, et fructus hujusmodi sanctae exercitationis quotidie magis Conchae cognoscebatur.

1198. Cum Januario mense P. Baptista Concham venit, coepit cum canonico Del Pozo (qui eo tempore fundator futurus Collegii credebatur <sup>3</sup>) agere de ecclesia aliqua construenda, qua nostri, saltem ad tempus, uterentur; et cum inter domos quasdam, ab eodem canonico Collegio datas, una, quae conjuncta erat habitationi nostrorum, idonea videretur ad sacellum conficiendum, libenter hanc provinciam canonicus suscepit, et unius mensis spatio ex praedicta domo sacellum fuit confectum, et quidem satis venustum longitudinis viginti qua-

<sup>1</sup> Subobscurae haec dicta sunt; verum nihil aliud his significari videtur, nisi id quod clarius exprimitur infra n. 1206.

<sup>2</sup> Canonici Petri del Pozo. Vide n. seq.

<sup>3</sup> Recte hic ait Polancus *credebatur*, quia tandem non Petrus del Pozo, sed alius ejusdem ecclesiae conchensis canonicus, amicitia peculiari jam a multo tempore Ignatio conjunctus, Petrus de Marquina fundator evasit Collegii, quod templo et redditibus dotavit. Vide ALCÁZAR, l. c., Dec. III, an. IV, cap. I, §. I, et SACCHINI, *Hist. Soc.*, part. II, lib. V, n. 5.

tuor, latitudinis viginti et unius pedum. Chorus etiam confectus est, in superiori quadam parte, ad nostrorum usum. Itaque ad aliquot annos nostri, ad confessiones audiendas et Missarum sacrificia celebranda et ad quaedam alia ministeria, utcumque commoditatem aliquam habuerunt.

1199. Prima autem Missa ibidem celebrata fuit sabbato primae hebdomadae Quadragesimae, et eam celebravit ipsemet canonicus Del Pozo cum magna solemnitate cantus et organorum ac variorum aliorum instrumentorum; et concionatus est ipse P. Alphonsus Lopez in eodem novo sacello cum magna spirituali consolatione, tam ipsius canonici, quam reliquorum auditorum.

1200. Dedit autem idem canonicus varia ornamenta, tum ad ipsum sacellum ornandum, tum ad ipsos sacerdotes sacrificium offerentes, et ad ipsum Sanctissimum Sacramentum decenter tenendum; et si potuisset Collegii aedificio suppeditare sumptus, libentissime etiam fecisset; sed ad sacellum ipsum concinnandum vasa quaedam argentea et aurea vendere debuit. Fuit autem sacellum sub Nomine B. Virginis Mariae dedicatum <sup>1</sup>.

1201. Spiritualia exercitia fere semper alicui proposita fuerunt; et praecipue vir quidam ecclesiasticus, doctus, et prudens, et beneficium in eadem habens civitate, non mediocriter in eis profecit, quamvis et reliqui satis profecissent. P. Pertusa carcerem visitabat, et cum jubilaum ibi publicatum est, ne ea gratia privarentur, qui in praedicta custodia detinebantur, fere omnium confessiones audivit, et post Pascha ad eos audiendos, qui reliqui erant, rediit.

1202. In festo S.<sup>ti</sup> Michaëlis vel circa illud, ad novam domum, commodiorem ad nostra ministeria, nostri migrarunt, quae portam habebat ad viam quamdam publicam primariam, et ecclesiae novae conjuncta erat, quae ad eandem viam exitum habebat.

---

<sup>1</sup> "Que el Sr. Canónigo, fundador de ese Colegio, vaya creciendo en afición para con esa obra, que ha comenzado, no es de maravillar; pues ultra de lo que inclina la natura cada autor á sus obras, aumentará la caridad en su ánima el que es infinita y suma caridad, pues tan bien ha ejercitado y empleado la que le era dada; y así se lo suplicaremos todos, como el beneficio y más aun el ánimo nos obliga. Ntro. Padre besa sus manos, encomendándose en su gracia.", Polancus, *ex com.*, Patri Alphonso Lopez 18 Junii 1555.

1203. Expectabatur autem adventus P. Provincialis ut ageret cum canonico fundatore de dotatione Collegii; nam prorsus ad eam faciendam et propensus et animatus erat canonicus; sed scholae magnopere expetebantur et perutiles futurae civitati credebantur.

1204. Cum sacellum initio hujus anni concinnabatur, ecclesiastici litem nostris intendere et aedificium illud impedire volebant; sed cum hac occasione Litteras Apostolicas nostri instituti ipsis oblatas vidissent, et puritatem ab omni specieavaritiae quam alienissimam, et nostrum procedendi modum intellexissent, non solum a litigando destiterunt, sed optime de Societate [sentire] et ad eandem affici coeperunt.

1205. Fuit, inter hos ecclesiasticos, Archipresbyter quidam, nomine Antonius Barba, qui nostrae Societatis initiis et contradictionibus Romae fuerat, nec ei nostrum institutum perspectum erat; et ita prout a contradictoribus forte acceperat, obloqui Societati solitus erat. Vir ille, postquam magis habuit perspecta quae ad institutum Societatis pertinebant, ab ejus laudibus non cessare videbatur. Rogavit autem P. Alphonsus Lopez ut in ecclesia quadam concionaretur, quae ipsi Archipresbyteratui annexa erat. Quod cum fecisset, et ipsemet concionantem audisset, ejus aedificatio et amor erga Societatem auctus est; quod aliis, quibus is notus erat, admirationi non mediocri fuit.

## DE COLLEGIO COMPLUTENSI

1206. Hujus anni initio praeerat nostris P. Emmanuel Lopez, et absente P. Francisco de Villanova, toto anno nostris ejus loco praefuit; quamvis P. Ignatius Doctori Vergarae suis litteris concessisset, ne sine ipsius consensu in posterum praedictus P. Villanova Compluto educeretur. Eidem etiam concessit, ne quemquam alium ex operariis, eo renuente, alio mitterent, quae litterae Doctori Vergarae supra modum gratae fue-

runt <sup>1</sup>; nec enim crux levis ipsi erat quod, propter novas collegiorum foundationes, illi ex Complutensi Collegio alio mitterentur, qui eidem necessarii videbantur; nam cum triginta de nostris essent aut eo amplius Compluti <sup>2</sup>, pauci nihilominus erant confessarii, id est, praeter ipsum Patrem Emmanuelem unus vel alter <sup>3</sup>; et tamen messis copiosa plures operarios exigebat.

1207. Cum Complutum venit P. Baptista de Barma, ut superius tetigimus <sup>4</sup>, partim concionibus, quas in ecclesiis primariis habuit, cum magna auditorum frequentia, partim colloquiis privatis cum viris ejus Universitatis, qui frequenter eum invisebant, fructum non poenitendum paucis diebus coepit; et magnopere eum retinere Compluti, saltem ad tempus, plurimi expetebant, et ad magnum Dei servitium id cessurum existimabant.

1208. Coepit autem primis mensibus hujus anni tantopere numerus confitentium et communicantium crescere, ut diebus festis ante meridiem necesse esset Collegii ostium apertum tenere propter ingredientium et egredientium multitudinem; et sic Universitas illa et populus hujusmodi frequentationi afficiebatur, ut nunquam antea quid simile Compluti visum fuerit; et quamvis domi nostrae omnes sacerdotes dominicis ac festis diebus, et quibusdam etiam profestis, se totos audiendis confessionibus exponerent, paucis poterant satisfacere, si cum his compararentur, qui ad hoc sacramentum confluebant. Sed quamvis domi nostrae non potuit horum omnium devotioni satisfieri, effecit eorumdem diligentia et studium ut circa hoc tempus in variis aliis ecclesiis essent, qui confessiones frequenter audirent; et fidedignorum relatu cognitum est supra mille homines octavo quoque die Compluti ad confessionem et communionem accedere.

1209. Inter eos autem, qui nostris confitebantur et familiariter domi nostrae agebant, aliqui erant illustres et clari viri, qui studii gratia ad eam Universitatem venerant, quorum

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 481, n. 1016, et pag. 494, n. 1023 et annot. 5.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 407, annot. 3.

<sup>3</sup> Patribus Villanova et Salinas absentibus (Vide supra, t. iv, pag. 423, n. 912), remanserunt Compluti, cum P. Lopez, PP. Carrillo, Viñas et Christophorus Lopez, at hi duo studiis operam navabant.

<sup>4</sup> Pag. 356, n. 969.

exemplum in sacramentorum frequentatione alios ad imitationem incitabat.

1210. Inter duos insignes et magni nominis viros, qui litteras easdem profitebantur, periculosa quaedam dissensio orta fuerat, quod alter alteri gravem injuriam verbis et manibus in publico scholarum loco intulisset; et quia is, qui offensus fuerat, multos consanguineos nobiles habebat, ipsius injuriam ut propriam accipiebant, et ita de ultione serio agebant. Multi viri graves eorum reconciliationem tentarunt, sed cum diffiderent se posse rationem inire ad pacem hanc faciendam, duobus sacerdotibus Societatis negotium hoc commendarunt. Qui de hac concordia cum agere coepissent, Dei gratia adjuvante, eam impetrarunt; et ut stabiliior concordia fieret, Missa in sacello nostri Collegii dicta est, quo duo illi convenerant et multi alii generosi scholastici, qui ad rem summo opere optatam convenerant. Illi autem duo, se cum multis lacrymis invicem amplectentes, tam suis quam spectantium, prae animi laetitia, simul deinde communicarunt; et, ut ipsimet postea fatebantur, nunquam tam arcta dilectione prius se dilexerant, quam ex eo tempore se diligere coeperunt et vicit mutuae charitatis magnitudo inimicitiae maximae gravitatem.

1211. Eodem tempore quoddam aliud discordiarum seminarium extinctum fuit; cum enim mulier quaedam clandestinum matrimonium cum alio <sup>1</sup> contraxisset, persuaserunt ei parentes ejus ut veritatem negaret; displicebat enim eis hujusmodi matrimonium; et publice filiam alii viro nuptui tradiderunt, et per biennium coram diversis iudicibus cum suo perjurio mulier perseverabat et plurimorum malorum ac offensarum Dei causa erat, cum duo populi ob hanc discordiam et litem factiose inter se contenderent. Sed ubi quidam ex nostris sacerdotibus mulierem hanc alloquutus est, sic ejus animus Dei gratia compunctus, et sententia mutata est, ut, contemptis minis patris et consanguineorum, veritatem sit confessa et ad suum legitimum maritum reducta; quod laboribus et dissidiis maximis finem imposuit; et magna cum pace et admiratione hominum in hoc matrimonio praedicto perseveravit.

1212. Ludi, [qui] in quibusdam domibus publice exerceban-

<sup>1</sup> Scilicet, cum alio ab eo, quem parentes ei destinabant.



tur, cessarunt, in quibus magnae erant occasiones Deum offendendi; multae veteres inimicitiae extinctae, sublatis de medio occasionibus ex quibus illae ortum habebant, et propter quas aliqui etiam ad caedes parati erant. Alii ab aliis peccatis gravibus et diuturnis emergerunt. Erant enim aliqui, qui decem et viginti annis, unus etiam qui quinquaginta, in gravissimis Dei [offensis] immersi erant; et ultimus hic eum callum obduxerat, ut jam ipsi impossibilis emendatio videretur, et aliis etiam, cum quibus familiariter agebat; sed ille generalem vitae totius confessionem instituit, et constanter in emendatione vitae suae perseveravit, cum non minori admiratione quam gaudio eorum, quibus notus erat.

1213. Unus inventus est inter alios, quem eo dementiae consuetudo peccandi adduxerat, ut se daemone offerret, et in testimonium servitutis quamdam sui corporis partem ei sacrificaverat; in quo infelici statu perstitit, stipendium illud referens, quod solet suis servis daemon persolvere, continuas scilicet desolationes, afflictiones animi et terrores; et tamen ad sacramenta ecclesiae, tacens hoc peccatum, accedebat. Hic etiam per unum ex nostris a Dei misericordia sublevatus, ab hac misera tyrannide daemonis ereptus est, et gustato suavi Christi iugo, in vita studiosa ac sacramentorum frequentia perseveravit.

1214. Alia plurima singillatim dici possent, quae ex praedictis colligi facile poterunt; sed illud novum fuit, quod vir quidam, qui septem annos inter saracenos vixerat, et quidem ipsorum more, cum etiam uxorem saracenam duxisset, ad sanctae Ecclesiae gremium rediit, et ad legitimam, quam reliquit uxorem, et sic vitam institu[it], ut se non immemorem tam insignis beneficii accepti ostenderet.

1215. Spiritualia exercitia primis quatuor mensibus hujus anni fere sexaginta personis fuerunt proposita; et plures fuissent, si domus nostrae capacitas et quotidianae nostrorum occupationes pluribus locum dedissent. Ea enim fames proficiendi in rebus spiritualibus in multis erat, ut non solum qui familiariter cum nostris agebant, sed et alii non pauci ex remotis locis ad hoc ipsum Complutum venirent, ut spiritualibus his exercitationibus serio de hoc profectu interioris hominis agerent. Et cernebatur in variae conditionis et status hominibus

fructus insignis, cum mutatio vitae et morum perditorum reformatio in multis observaretur.

1216. Aliqui ex his redditus ecclesiasticos, quos ante non ut par erat expendebant, in eleemosynas et pia opera cum magna populi aedificatione convertebant. Alii in varias religiones sunt ingressi; et satis in illis hujusmodi exercitiorum fructus perspectus jam erat; cum per ea, tamquam instrumenta quaedam, tam multos divina Bonitas ad mundi contemptum et perfectioris status viam moveret, et in ea semel suscepta cum aedificatione constantes perseverarent.

1217. Eisdem quatuor mensibus primis, sex viri dotibus egregiis praediti in Societatem admissi sunt: nam fere qui ad nostrum institutum aspirabant, ex selectissimis scholasticis erant, qui ingenio, eruditione et virtute inter caeteros eminebant; adeo ut, quasi proverbium esset in Complutensi Universitate, quod optimi quique ex cursibus philosophiae essent ut decimae ipso jure debitae Societati nostrae; quod eorum praeceptoribus satis displicebat, quod ab eis honorem potissimum sperarent, quos videbant ante promotionem <sup>1</sup> in Societatem nostram se conferre.

1218. Ipso initio hujus anni duo collegiales cujusdam praecipui Collegii, qui in tertio cursu prae suis condiscipulis florebant, filium studiorum abscindentes, nostram Societatem sunt ingressi, nec obloquia quorundam et conatus ad vocationem impediendam eorum, qui ad nostrum institutum aspirabant, eos retardabant. Tertius, et divitiarum et aliis saeculi vinculis abruptis, relicto etiam cursu philosophico, nostris se adjunxit. Quartus canonici juris cursus absolverat, et in eis egregie profecerat, ut quintus in humanioribus litteris. Sextus autem sacerdos erat, qui postquam exercitia spiritualia apud nostros suscepit, curatum beneficium, cum magna aedificatione sui gregis et spirituali utilitate tenuerat; quod satis ostenderunt, cum gravissime sui pastoris recessum ferrent.

1219. Cujusdam ex praedictis deliberationem pater, natu jam grandis, rescivit, et aegre ferens eum, quem baculum suae senectutis fore sperabat, huic instituto se addixisse, litteras ad

<sup>1</sup> Scilicet, antequam ad gradus in universitate, studiorum curriculo expleto, promoverentur, quod grave nimis et offensionis causa erat professoribus, non Complutantum, sed Lovanii, Parisiis et in aliis universitatibus.

filium scripsit, lacrymis, querelis, minis, precibus, et omni ea rhetorica plenas, quam paternus amor eum docebat. Sed cum filius ei respondisset, et Societatis institutum ei explicuisset, quamque singulari beneficio a Deo in hac vocatione affectus fuisset, sic per filii litteras immutatus est a Domino patris animus, ut denuo longe differentes a prioribus litteras scripserit, laetitia et gratiarum actione plenas, perinde atque si ab ejus oculis divina Bonitas velamen aliquod abstulisset ad hujus vocationis gratiam cognoscendam. Hortabatur ergo filium ad perseverantiam, et se, licet senem, negotiis et filiis oneratum, non spem abjecisse dicebat tanti boni consequendi, ut et ipse Deo servire in Societate mereretur.

1220. In reliquo hujus anni decursu alii viginti sex, et quidem talentis egregiis praediti, admissi fuerunt, his moribus ingenio et litteris praediti, ut in Societate nostra usui esse ad magnam Dei gloriam possent. Omnes egregia quadam animi firmitate diu Societatem expetierant et obtinuerant. Ex his duorant theologi, unus medicus, duo juri Pontificio dederant operam; octo rhetores erant; septem ex artium liberalium cursibus; unde semper amplissimi fructus Christo obvenire solebant. Reliqui sex, partim sacerdotes, partim ministeriis domesticis obeundis idonei <sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Quorundam Compluti hoc anno admissorum nomina, a Polanco ideo praetermissa quia in litteris, e quibus in hoc *Chronico* inserenda excerpebat, non reperiuntur. affert P. CHRISTOPHORUS DE CASTRO in *Historia ms. del Colegio de la Compañía de Jesus de Alcalá*, lib. vi, cap. 2, ubi ait: "Mientras que el P. Francisco de Villanueva estaba en la fundacion del Colegio de Plasencia, hacia su oficio en Alcalá el P. Manuel Lopez, muy hijo suyo, que llevó muy adelante sus intentos en el acrecentamiento espiritual y temporal deste Colegio; y así con su cuidado y diligencia fué el año de 1555 la cosecha de los que se recibieron en la Compañía más crecida que nunca, pues llegaron á cuarenta, de algunos de los cuales será razon decir algo, porque hablar de todos sería prolixidad.

El Doctor Diego Paez, natural de Peñalver, Diócesi de Toledo, entró el primero de todos á los 13 Henero, siendo de diez y siete años, acabados sus cursos de Artes, en que había mostrado su grande ingenio.....

Entró con él otro conterráneo suyo, Gaspar de Sotomoco, de diez y ocho años....

El P. Francisco de Heredia, colegial, natural de la Puebla de Montalvan, entró á 27 de Henero, oydas sus Artes, siendo de 17 años.....

El P. Juan Bravo, natural de Cogolludo, Diócesi de Toledo, entró, siendo Artista, á los 27 de Febrero, de 22 años.....

El Doctor Antonio Ramiro, natural de Calatayud, haviendo hecho ejercicios y en ellos movido de Dios N.º S.r, siendo de quince años, fué recibido á siete de Mayo.....

El P. Antonio Marcen, natural de Tاراçona en Aragon, entró en el mismo día, de edad de diez y seis años.....

El P. Alonso de Cardona, natural de Moros, del Obispado de Tاراçona, entró jueves á 9 de Mayo, siendo de edad de veinte años ....

1221. Itaque hoc seminarium Complutense compluribus collegiis, quae, vel inchoata erant, vel brevi inchoanda, operarios hoc anno non paucos, nec exigui talenti, praeparavit. Sexdecim autem, tum ex his, tum ex aliis, qui adhuc Compluti tyrocinium agebant, Simancas apud Domum Probationis missi sunt, ex quibus tantum quatuor, magnis in rebus spiritualibus factis progressibus, ad Complutense Collegium redierunt. Alii partim ibidem edocebantur Christi militiam, partim Cordubam, Burgos, Placentiam missi sunt. Praeter hos, Complutense Collegium duos Concham, unum Valentiam, tres Plasentiam et duos Conimbricam<sup>1</sup> misit.

1222. P. Emmanuel Lopez ad quaedam loca Compluto vicina rogatus accessit et cum aliquot dies ibidem exegisset, multorum confessiones ibidem audivit; paces aliquas inter dissidentes conciliavit; abusus nonnullos publicos sustulit, et populum ad frequentiam sacramentorum inducere studuit; et alia ad Dei gloriam utiliter est exequutus, ac populos illos erga Societatem valde propensos et cum siti majori animarum suarum reliquit.

1223. Hac aestate nostros complutenses, magna vi morborum immissa, Dominus exercuit, ut pene omnes actiones et conatus ad aegrotantium curationem convertere omnes oportuerit; nam multitudine febricitantium, et aliis morborum generibus affectorum, pene obruebantur. Plusquam quadraginta, licet non simul omnes, satis graviter aegrotarunt, ut ne unus quidem reliquus videretur, qui domestica ministeria curare posset.

---

El P. Luis Muñoz, colegial Artista, natural de Belmonte, siendo de veintian años, entró Pascua de Espíritu Santo, que era á 2 de Junio.

El P. Alonso de la Membrilla, de tierra de Chinchon, del Arzobispado de Toledo, entró á 23 de Junio.....

Et cap. 3.:

"El P. Juan Rodriguez, que fué uno de los que este mismo año entraron en la Compañía, nació en Cervera de Aguilar, del Obispado de Calahorra, de padres labradores de mediana condicion, el año de Xpo. de 1515....."

Et cap. 4.:

"Nació el P. Baltasar Alvarez en la villa de Cervera, del Obispado de Calahorra, el año de 1533;..... pidió ser admitido en la Compañía y fué en ella recibido á los 3 de Mayo del año de 1556....."

Et cap. 5.:

"El P. Mtro. Estéban Perez nació en la villa de Montalto, del Obispado de Cuenca, de Padres labradores honrados el año del S.<sup>r</sup> de 1539, ... y fué recibido en la Compañía á los 15 de Junio de 1555, siendo de diez y seis años....."

<sup>1</sup> Unus eorum, qui Conimbricam hoc anno missi sunt, fuit Gaspar de Sotomozo. Castro, l. c., lib. v, cap. 2.

Aliqui etiam Simancis et Concha missi, ad eosdem complutenses juvandos, in graves morbos inciderunt. Ipsum morbi genus non solum grave et periculosum, sed et diuturnum erat, et in quod, postquam sublevati videbantur, saepius recidebant, nec pristinae saluti ac viribus restitui poterant <sup>1</sup>.

1224. Studia itaque, aliquot mensibus intermitteri oportuit, quia nondum confirmata horum valetudine, illi in morbum incidebant. Paucissimi itaque publica et privata negotia curare poterant. Nec vero solis nostris morbus hic damnum intulit, immo ut pestis quaedam longe lateque saeviens, non solum in urbem complutensem, sed circumquaque in finitos <sup>2</sup> quoque populos irruit, et magnam hominum stragem edidit.

1225. Ex nostris tamen, quamvis plerosque usque ad desperatam salutem adduxerit, duo tantum desiderati sunt. Alter, dum Simancis Complutum venit, morbo in itinere contracto paucos post dies mortuus; alter acuta feбри et difficili quadam apoplexia Compluti correptus, brevi tempore extinctus est; uterque in ipso flore adolescentiae, hisque moribus ac vitae exemplo et puritate, quam usque ad extremum spiritum retinuerunt, ut de divina Bonitate facile nostri sperarent ex corporis hujus carcere evolantes, in Societatem alteram Christi admissos in coelis esse.

1226. Cum in morborum aestu versarentur, P. Franciscus Borgia Complutum veniens <sup>3</sup> omnes mirum in modum consolatus est; et propter gravia negotia non amplius quam octo dies ibidem commorari potuit; multa tamen eo brevi tempore ab eo

<sup>1</sup> Fusius haec exposita reperies apud Castro, l. c., cap. 6. *De muchos enfermos que uvo en el Colegio de Alcalá y cómo para su remedio se buscó la hermita de Santo Domingo de Loranca*, unde sequentia juvat excerptare: "no habiendo hombre en pié que pudiese hacer los oficios de casa ni exercitar los ministerios con los de fuera, fué necesario ayudarse de los devotos. que se ofrecieron de buena gana, haciendo uno el oficio de comprador y otro de enfermero para traer lo necesario de la botica y otros los demás oficios en que se pudieron ocupar; y si algun Padre pasaba de camino, se quedaba á curar á los enfermos; y aun los Reverendos Padres de San Francisco, viniendo á saber la necesidad, se ofrecieron á ayudar. Estando desta manera la casa, al fin de Setiembre vino el P. Comisario Francisco de Borja con otros Padres, y viendo tantos enfermos y el colegio tan arruinado, ordenó que los que iban mejores se enviasen por diversas partes á convalecer, segun que á la salud de cada uno convenia. Curaba entónçes en nuestra casa el Doctor Mena, que leia cátedra de prima de medicina en la Universidad, el cual, saliendo un día de visitar los enfermos, y viendo el peligro á que cada año se ponian estando el verano en Alcalá, dixo á grandes voces en el patio: Si no buscáis donde saliris el verano en Alcalá, morireis muchos de vosotros.,,

<sup>2</sup> Sic; rectius fortasse *in finitimos*.

<sup>3</sup> Vide supra, n. 1223, annot. 1.

confecta fuerunt, et ad ipsius Collegii ordinem quaedam constituit, ex quibus magnum spiritualem profectum postea sunt experti.

1227. Non multo post discessum P. Francisci, amandatis in alia loca salubriora <sup>1</sup> eis, qui non adhuc bene valebant, instaurari coeperunt intermissa studia, et quidem majori cum quiete et ordine quam inter occupationes tam laboriosas et multas fieri posse prius credidissent, quamvis adhuc sub anni finem novem aut decem febricitantes haberent.

1228. Ex his autem, quae non parum consolationis nostris complutensibus attulerunt, illud fuit, quod duo collegia, scilicet Ocagnense et Seguntinum, ad quae instituenda, qui profecerant opera nostrorum complutensium, vel ejus Collegii odore excitati fuerant, erigere volebant, P. Franciscus Borgia Commissarius admisit; de quibus inferius plura dicentur <sup>2</sup>.

1229. Positiones Romani Collegii <sup>3</sup>, quae impressae Complutum missae fuerunt, opportune admodum acceptae ibi fuerunt, ut, primariis ejus Universitatis hominibus eas ostendendo, falsam quamdam opinionem, quam de Societate conceperant, quod scilicet studia non diligenter tractarent, sed toti devotioni incumberent, possent adimere, et in posterum, quae hujusmodi essent, ad se mitti magnopere postulabant.

1230. Religiosi aliorum Ordinum jam satis cognoscebant nostram Societatem ipsis utilem esse; nam ex his, quos ad consilia Christi sectanda, nostrorum ministerio Deus movebat, cum non omnes possent admitti in nostram Societatem, ad alias sese convertebant; et ut fundamentum solidum in frequentatione sacramentorum, meditationis et orationis usu haberent, ad quamcumque se religionem conferrent, egregie se ad Dei gloriam et constanter gerebant.

1231. Accidebat autem octo et novem simul domi nostrae in spiritualibus exercitiis versari, et cum aliis alii succederent, magnus ex his numerus singulis annis egrediebatur. Et ita, qui ad Societatem et ad alias religiones per ea disponebantur, satis multi erant.

1232. Hoc anno monumentum Compluti fieri in Hebdo-

<sup>1</sup> Praecipue in eremitorium Sancti Dominici de Loranca.

<sup>2</sup> De Ocagnensi vel Ocanniensi, n. 1521; de Siguntino vero, n. 1527.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 23 et 24, nn. 36-39.

mada Sancta coeptum est <sup>1</sup>, juxta Patris Natalis praescriptum, et quidem cum magna populi et Universitatis aedificatione ac satisfactione.

1233. Quod de Jubilaeis alibi dictum est, Compluti dictum intelligatur; et quamvis bonam noctis partem cum die conjungerent, satisfacere nostri tamen confluentium scholasticorum multitudini non poterant, inter quos tam multi erant, et nobilitate et litteris clari.

1234. Hac aestate P. Emmanuel, [qui] complutensibus praeerat, a seguntinis quibusdam primis viris evocatus, ibidem concionatus est, et quorundam audivit confessiones, qui aliquando Compluti exercitia spiritualia susceperant. Ibi etiam de Collegio instituendo decanus ejus Cathedralis ecclesiae cum eo egit; de quo inferius plura <sup>2</sup>.

1235. Mense Septembri vir quidam magnae auctoritatis ac nominis et in omni litterarum genere <sup>3</sup>

1236. Quod ad temporalia attinet, D. Hieronymus de Vivero <sup>4</sup> quoddam suum beneficium, quod *de Priego* dicebatur, ad dotationem augendam Collegii Complutensis resignare voluit et ad id procuratorium instrumentum misit; sed amicus quidam ipsius, qui in curia versabatur, et regressum, ut vocant, ad illud habebat, rem distulit. Responderat autem insignis doctor Manzius <sup>5</sup>, Compluti consultus, quod licite et cum merito poterat Collegio simpliciter applicare, a quo confideret fructus sibi viventi dandos esse perinde atque si auctoritate Apostolica sibi reservasset. Doctor autem Vergara <sup>6</sup>, expedita quaedam beneficia sua, etiamsi, dum viverent quidam ejus nepotes, eis fruerentur, eidem Collegio uniri diligenter curavit; et interim ad illud sustentandum liberalem se praebebat; et ita supra triginta ex nostris ibidem sustentari poterant.

Et haec de Collegio Complutensi.

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 423, n. 1133, annot. 3.

<sup>2</sup> Num. 1527.

<sup>3</sup> Sic, sententia, ut patet, non completa; sed et brevi linea super ducta cancellatum videtur.

<sup>4</sup> Vide supra, t. II, pag. 644, n. 514.

<sup>5</sup> Fr. Paschasius seu Paschalis Mancio, O. S. D. Vide supra, t. III, pag. 335 et 336, n. 746.

<sup>6</sup> Alphonsus Ramirez de Vergara, de quo jam saepius in hoc *Chronico*.

## DE PATRE PROVINCIALI CASTELLAE

1237. Bonam hujus anni partem P. Antonius Araoz in opido Vallisoleti exegit, nam ex eo caeteris locis suae Provinciae melius per litteras, et, cum opus erat, per visitationem consulere poterat. Princeps etiam Joanna, et alii ex primoribus curiae, et qui ad eam confluebant illustres viri, plurimum ejus opera utentes, eundem ibidem retinere conabantur. Sed ipsa Provinciae Castellae utilitas, immo et aliarum Hispaniae, id exigere interdum videbatur, quod ibi tum gubernatrix eorum regnorum resideret; cujus et Ministrorum regionum ibidem residentium favor ad res multas erat necessarius.

1238. Initio tamen anni, etiam adversa valetudine capitis et pectoris ibidem retentus est, quam augebant occupationes assiduae, immo propemodum continuae, quae vix ullam habere rationem corporis permittebant, cum non solum multae, sed arduae et maximi momenti, etiam ad commune bonum Regni essent; et ita noctes aliquando insomnes exigebat, et cum duas horas dormierat, abunde naturae satisfactum putabat.

1239. Admonitus fuerat a nostris ne se obrui occupationibus sineret, et Patri etiam Ignatio hoc ipsum videbatur; et eas potissimum esse relinquendas, quae instituti nostri rationi minus essent consentaneae; sed aliquando ipsemet examinabat an aliquas ex his occupationibus, quibus districtus fuerat, evitare potuisset, et judicabat vix earum ullam sine offensione proximorum relinqui potuisse. Ipse etiam Nuntius Apostolicus <sup>1</sup> dixit ei aliquando: "Tu stas pro Israel," et nullo modo convenire, propter Sedis Apostolicae negotia existimabat ut etiam ad paucos dies inde recederet.

1240. Aliqui theologi propter negotia quaedam magni momenti Vallisoletum venerunt <sup>2</sup>, inter quos fuit Fr. Melchior Cano,

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 399, n. 1075, annot. 3.

<sup>2</sup> Horum negotiorum magni momenti, propter quae Vallisoletum venerant theologi, praecipuum erat executio decretorum Concilii Tridentini, illius praesertim sessionis VI.<sup>ae</sup>, *De reformatione*, capite IV, ubi de visitatione ecclesiarum per Episcopos facienda agitur. Vide supra, t. IV, pag. 439, n. 945.



qui designatus fuerat Canariae Episcopus <sup>1</sup>, et contra Societatem pro more suo loquebatur; et cum quodam ex diebus festis natalitiis apud Praesidem Regii Consilii <sup>2</sup> pranderet, nescio qua accepta occasione, prout solebat, quaedam dixit. Prandebat ibidem quidam vir nobilis et Societati valde devotus, et a P. Cano postulavit ut, si quid de Societate aut ejus religiosis sciret, sibi significaret, ne ipse in errore versaretur. Tunc ipse dixit Societatis homines bonos sibi videri, sed ipsi displicere quod exercitia nostra spiritualia aliis non ostenderemus. Et tum saltem aliud nihil se habere, quod reprehenderet, ostendit.

1241. Nobilis ille, ad Patrem Araoz se conferens, librum spiritualium exercitiorum ab eo petiit ut Praesidenti ostenderet, quem cum statim dedisset et Consilii Praeses illum legisset, magnopere illi placuerunt, et in omnibus, quae ad Societatem pertinebant, bene se sentire et affici significabat; Patrem autem Araoz magni faciebat et venerabatur. Quidam etiam religiosus Ordinis S.<sup>ti</sup> Dominici, nomine Fr. Philippus de Meneses <sup>3</sup>, lector Collegii S.<sup>ti</sup> Gregorii (quod insigne est Vallisoleti Ordinis Praedicatorum), cum concionaretur in templo D. Pauli, dixit aliquos esse, qui de Societate nostra loquebantur aliter quam par esset, quod ex animi perturbatione et considerationis defectu accidere ajebat, et alia multa hujus generis.

1242. Grata autem erat Patri Araoz occasio, cum sese

<sup>1</sup> "Sobre esto (vide annot. praecedentem) se pidió parecer (1555) á los maestros Domingo Soto y Melchor Cano." LA FUENTE, *Historia eclesiástica de España*, lib. v, cap. xii, § 72.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 434, n. 1164.

<sup>3</sup> "Philippus Menerius (sic; rectius tamen in indice *Menésius*), Hispanus, claris ortus natalibus, Patriam habuit Truxillum, quae est ciuitas in Estremadura Prouincia. In patria se nostrum habitum induit. Applictus litteris, adeo in eis profecit, vt ad moderandam S. Thomae cathedram a Complutensibus fuerit accersitus. Fuit etiam Regens in Collegio S. Gregorii Vallisoletano. Praefuit quoque Gregoriano Collegio Pinae, ac Coenobii Matritensi, atque Segouienti, et in omnibus iis fructuosè. In eo enim singularis animi probitas elucebat; atque zelo religiosae obseruantiae totus efferuescebat. In Gallacia euolauit ad meliores anno MDLXXII. sepultusque fuit in nostro Conuentu S. Marthae de Hortigosa. Scripsit Hispanicè. *Luz del Alma contra la ceguedad, y ignorancia*: seu *Doctrinam Christianam*. Salmanticae 1556. in 4. et iterum 1578, Medinae 1567.—Alphonsus Fernandez Placentinus minus rectè distinguit *Doctrinam Christianam* a *lumine Animae*.—*Tratado de la Cofradia de los juramentos*, seu librum in defensionem, et confirmationem Societatis nominis Dei. Volumen est quadripartitum, et fuit excussum Antuerpiae 1569.—De eo Antonius Senensis Lusitanus in *Bibl.* pag. 204; Plodius in *Appendice*, Joannes Marieta, *Bibl. Hispana*., ALTAMURA, *Bibliotheca Ordinis Praedicatorum*, Centuria quarta, ad annum 1572.

offerebat, homines, propter sinistros rumores auditos, male sentientes, informationibus veris ad meliorem animi sententiam transferendi; quamvis accidebat obtrectatores pejus sibi ipsis quam Societati consulere, ut accidit Patri Cano, cujus obloquia de Societate valde Principi Joannae displicuerunt; sicut et aliis, quibus temeritas hujusmodi, ut ipsorum utar vocabulo, odiosa erat; Societati autem nihil prorsus nocuit. Aliqui autem ex Patribus ejusdem Ordinis, quibus fundamentis niteretur P. Canus scire voluerunt, et tam sine fundamento illa esse intellexerunt, ut compatiendum videretur tam erudito viro, quod talia loqueretur.

1243. Auctoritas autem, quam P. Provincialis apud regni proceres habebat et etiam apud mediocres et infimae notae homines, magnam ei messem piorum operum praebebat, dum ad eum cujusvis conditionis homines confugiunt consilii et auxilii causa; et cum exemplum Principis Joannae et egregia gubernatio regnorum illorum merito probaretur, cum potissima quaeque cum Patre Araoz communicarentur, non fructus expers erat in hominum existimatione, ejus, inquam, fructus, qui ex bona administratione Reipublicae sequebatur.

1244. Concionabatur pro suo more in palatio; cum autem ipso die S.<sup>ti</sup> Sebastiani pro concione diceret quam singulare beneficium Regno Portugalliae Deus tali die contulisset, haeredem regni tribuens Sebastianum primum ejus nominis, ac Principis Joannae, quae tunc aderat, filium, sic de rebus multis ad spiritualem profectum spectantibus Regum et Gubernatorum locutus est, ut omnes mirifice et doctrinam et dicendi modum laudarent. Sed praecipue Praefectus palatii, magni judicii vir, nihil unquam melius se audivisse affirmabat; et Praelati, qui aderant, cum ex suggestu descenderet, hoc ipsum exaggerando, hortabantur ut pergeret de tam necessariis documentis ad commune bonum et particulare animarum disserere.

1245. Consilium autem ipsius in rebus agendis tanti faciebant proceres ejus curiae, ut bonum successum tunc sperarent, cum ipsorum negotia ejus judicio et approbatione tractabantur.

1246. Rerum Societatis favor hac ratione augebatur, et multi collegia et domus variis in locis expetebant, de quibus inferius aliqua dicam. Inter alios, Archiepiscopus Hispalensis,

Inquisitor Generalis <sup>1</sup>, peculiari affectu charitatis ac devotionis Patrem Araoz prosequabatur, et aliqua magni momenti, ad Sanctum Officium Inquisitionis pertinentia, familiariter et confidenter cum eo tractavit, ut cum rege Philippo, et comite Meliti, Ruigomez <sup>2</sup> ea tractaret; voluit etiam nomina eorum, qui Hispalim missi fuerant, scire, ut eos suo Vicario <sup>3</sup> commendaret, ut in Cathedrali ecclesia ad praedicandum eos mitteret.

1247. Postquam autem, ut superius diximus <sup>4</sup>, facultate a Principe Joanna obtenta, in Provinciam Guipuzcoae se contulit <sup>5</sup>, et Ognatense Collegium visitavit, Burgis in reditu tantumdem effecit; et cum ibi intellexisset virum quemdam primum uxori suae non cohabitare, cujus primogenitus filius, scilicet P. Ruiz <sup>6</sup>, in Societatem erat admissus, virum illum adiit, nomine Ferdinandum de Vernui, et matrem itidem, et eos inter se, quamvis non facile, conciliavit, et sibi cohabitantes pacifice reliquit.

1248. Inde Vallisoletum rediens, febriculis quibusdam laboravit, sed gravius Princeps Joanna, cui quater ex vena secta sanguis emissus est; et postulavit ea ut Patri Ignatio ejus aegritudo significaretur, quem peculiari devotione prosequabatur; et cum ipsa dubitaret an languor esset ad mortem, hortabatur Patrem Franciscum Borgiam, qui tunc ei aderat, ut clare ipsi diceret quomodo se habebat; et non minus in tempore aegritudinis, quam sanitatis, suo exemplo hominibus <sup>7</sup> aedificationi fuit. Ipsa autem et infans Carolus <sup>8</sup>, majorem partem aedificii nostri Vallisoletani conficiendum curarunt.

1249. Redeunti Patri Araoz ex provincia Guipuzcoae gratias ei egit Praeses Consilii Regii propter scandala quaedam publica, quae in praedicta provincia extinxit ad magnum et commune bonum ejus regionis. Non omittam quod in brevi visitatione Collegii Burgensis, cum ab eo peterent amici unum lectorem grammatices, existimavit ipse magis expedire ut ju-

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 442. n. 1188 et annot. 3.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 26, n. 44.

<sup>3</sup> Dri. Gaspari Cervantes de Salazar. Vide supra, t. iv, pag. 465.

<sup>4</sup> Pag. 441, n. 1186.

<sup>5</sup> P. Antonius de Araoz.

<sup>6</sup> P. Petrus Ruiz de Bernuy. Vide supra, t. iv, pag. 376 et 401.

<sup>7</sup> Sic; *omnibus*?

<sup>8</sup> Vide supra, t. iv, pag. 386, n. 833.

stus lectorum numerus in distinctis classibus constitueretur; et ita re cum Patre Francisco Borgia tractata, quatuor ibidem, ut diximus, lectores positi sunt, prout totidem Methymnensi Collegio dati fuerant.

1250. Cum esset Vallisoleti qui negotia gerebat Cardinalis Burgensis, alloquutus est eundem Patrem Araoz ut Societas nostra susciperet causam defendendam Capellaniae, Collegio Salmanticensi unitae: ejus enim patroni, qui laici erant, non licuisse Cardinali eam unire affirmabant <sup>1</sup>. P. etiam Ignatius, ut satisfaceret Cardinali Burgensi, idem Patri Araoz commendavit, si justitiae ratio id ferret; quia tamen contra Cardinalem sententiam tulerat Regium Consilium, et idem facturum in prosecutione causae videretur, cum praesertim illa tribunalia jus patronatus laicorum defendere egregie soleant, non est visum expedire ut Societas litem illam prosequeretur, et ita fundatio jam facta Salmanticensis Collegii in nihilum abiit, et alio fundatore quam Cardinale Burgensi opus fuit.

1251. Hortus ille, quem Simancis dederat Societati D. Moschera <sup>2</sup>, tribus millibus et trecentis ducatis venditus est, et ex pretio empti redditus fuerunt in subsidium domus probationis. Dederat autem idem fundator, ut superius tetigimus, domum aliam praecipuam, ubi nostri jam habitabant, dedit et pinetum cum alia domo prope Simancas.

1252. Accepto decreto Parisiensi, testimonia, quae P. Ignatius postulaverat, mittenda P. Araoz curavit, etiam quorundam, apud quos Societas non residebat, quamvis perutilem operam ipsorum ovibus navasset, inter quos fuit Pampilonensis Episcopus <sup>3</sup>.

1253. Quamvis Societas facultatem haberet absolvendi ab haeresi, sine ulla regionis illius exceptione concessam, admonitus tamen fuit P. Araoz ut non nisi magna cum circumspectione, et quidem cum res ad forum exterius delata non esset, et quidem magno cum delectu, nostri uterentur.

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 420, n. 1122.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 569, n. 1253.

<sup>3</sup> Is erat tum Dnus. Alvarus de Moscoso, cujus oves, tempore praesertim praedecessoris ejus, Antonii de Fonseca, excoluerant P. Franciscus Borgia et alii ex Collegio Ognatensi in Pampilonensem dioecesim excurrentes, ut videre est passim in hoc *Chronico*, t. i et ii. Quare putamus hunc Antonium de Fonseca, tunc in curia degentem, non Alvarum de Moscoso, testimonium, cujus hic fit mentio, Societati dedisse.

1254. Quod ad exercitia spiritualia attinet, et illud praesertim quod ad praedestinationem pertinere diximus <sup>1</sup>, nihil agendum esse P. Araoz censuit, cum omnia jam satis essent intellecta et pacata <sup>2</sup>. Et magnum incrementum in tota Provincia Castellae res nostrae Societatis capiebant, tam quod ad nostrorum numerum attinet, cum multi et selecti ac praeclaris dotibus instructi homines Societatem ingrederentur, et fructus ministerii nostri in eo regno copiosus esset, et etiam temporalia augerentur; nam eodem fere tempore Murciae de collegio instituendo serio Episcopus agebat, et aedificium egregium et mille ducatorum annui redditus ei relinquere volebat <sup>3</sup>.

1255. Comes Montis Regii <sup>4</sup> et Marchio de Tavora <sup>5</sup> in suae conditionis praecipuis locis collegia similiter expetebant, et spes data illis est quod essent admittenda.

1256. Ocanniae (*Olcades* antiqui vocabant <sup>6</sup>) sacerdos quidam <sup>7</sup> domum, quam in monasterii usum aedificaverat, Societati offerebat, et fere quingentos ducatus annui redditus. Est autem Ocannia oppidum satis insigne in regno Toletano, ubi 300 domus nobilium erant, novem leucis Toletum et totidem Com-

<sup>1</sup> Vide supra, t. III, pag. 335 et 336, n. 746, et t. IV, pag. 416, n. 896.

<sup>2</sup> Idem Romae sentiebat Ignatius. "De los Ejercicios ó contradicción sobre ellos, Ntro. Padre no siente que debemos hacer caso, sino estar en paz con todos de nuestra parte, y si algunos nos demandaran, responderles hemos y fácilmente descargándonos con la Sede Apostólica, á cuyo juicio y censura, con precedente examinación tan diligente, se ofrecieron los Ejercicios, y Su Santidad con Breve particular aprobó todo cuanto en ellos hay y exhortó los oficiales á ayudarse dellos.", Polancus, *ex com.*, Patri Antonio de Araoz, 5 Januarii 1555.

<sup>3</sup> Vide infra, n. 1456 et seq.

<sup>4</sup> Alphonsus de Acebedo et Zuñiga. Vide supra, t. IV, pag. 478, n. 1012.—Hunc Alphonsum de Fonseca et Acebedo appellat VALDIVIA, *Colegios de Castilla*, *Colegio de Monterrey*.

<sup>5</sup> Vide supra, pag. 436, n. 1170.—De hoc Collegio erigendo agi jam coeptum erat anno praecedenti. Aliquas tamen condiciones exigebat Marchio de Tavora, quae non multum Patri Ignatio placebant. "De lo que pide el Sr. Marqués de Tauara, ya V. R. vé si conviene ó no, especialmente siendo en Valladolid, donde el ejemplo no estaria mucho escondido. En una cosa parece á Ntro. Padre que se le puede condescender, que sus dos capellanes ó los demás que será servido, digan la misa en tono las fiestas para consolación de su Señoría; y esto aun no parece cosa que se haya de estender ó imitar facilmente. De escribir Ntro. Padre al dicho Sr. Marqués párecelle no convenga por no se obligar á conceder más de lo que siente en esta parte. V. R. se contentará de le dar ó hacerle dar las gracias de las mercedes y buenas obras que hace á la Compañía, en nombre de Ntro. Padre y propio, y tambien esta respuesta de las misas entonadas.", Polancus, *ex com.*, Patri Francisco de Borja, 28 Decembris 1554.

<sup>6</sup> De nomine quo oppidum, nunc *Ocaña* dictum, ab antiquis designabatur, videri potest DIAZ BALLESTEROS, *Historia de la Villa de Ocaña*, cap. 2.

<sup>7</sup> Ludovicus de Calatayud, Protonotarius apostolicus, qui beneficium habebat in ecclesia Sancti Martini.

pluto distans, et tota fere civitas ad Societatem nostram valde propensa erat, ut ejus opera in rebus spiritualibus juvaretur. Segunti praeterea decanus septingentos aureos annui redditus Collegio applicabat, et brevi totidem alios applicaturus videbatur, si Sedes Apostolica eos vellet unire <sup>1</sup>. Et supradicta collegia admissa quidem fuerunt in hac provincia Castellae, quamvis non omnia tunc maturuerint.

1257. Episcopus Ovetensis <sup>2</sup>, ad quem anno superiori missum esse [diximus] Patrem Bustamante cum socio <sup>3</sup>, urgebat etiam ut in gratiam Asturiarum (montes sunt oppidis ac locis frequentibus inhabitati et summopere doctrina indigentes), collegium ibidem inchoaretur; et quamvis ad dotationem ejus, propter tenuitatem reddituum, non posset ipse necessarios sumptus suppeditare, domum offerebat cum horto et conjuncta ecclesia et trecentos aureos singulis annis, donec Imperator Carolus aut Princeps Philippus in Hispaniam rediret, a quo aliquos redditus de jure patronatus regii se impetraturum pro certo habebat, cum constaret Regi quam necessaria nostrorum opera esset in illa provincia <sup>4</sup>.

1258. Quidam etiam bonus sacerdos, qui oppidi *Renteria* nominati in Provincia Guipuzcoae spiritualem curam gerebat, eremitorium quoddam [offerebat] in edita parte montium Pyreneorum, quod <sup>5</sup> ipse aedificaverat, quod tredecim aut quatuordecim oppida populosa vicina habebat, ad quae egredi possent nostri et deinde cum fructu animarum ad domum suam redire. Sub ipsomet monte villae plurimae erant, et prospectus magnus terrae et maris erat Bayonam <sup>6</sup> usque. Invocatio <sup>7</sup> erat S.<sup>tae</sup> Mariae Magdalenae in deserto, et discurrentibus a Collegio Ognatensi per loca provinciae commodum hospitium esse

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 423, n. 913, et supra, in hoc, t. v, pag. 456, n. 1234.

<sup>2</sup> Ms. habet *Ogotensis*.—Ovetensis Episcopus erat Christophorus de Rojas et Sandoval.

<sup>3</sup> Vide supra, t. iv, pag. 591, n. 1257.

<sup>4</sup> Non expectavit Ovetensis Episcopus Caroli aut Philippi adventum in Hispaniam ut redditus pro suo Collegio curaret, sed voluit ut Princeps Joanna Paulo IV scriberet de ea re, ut videre est in Polanci, *ex com.*, litteris ad P. Franciscum Borgia datis 10 Junii 1555.

<sup>5</sup> Ms. *quam*.

<sup>6</sup> "Baïonn, *Bayonne*, urbs Galliae, in Aquitania, ampla, dives et valde munita, ad Aturum fluvium..... 6 leucis distat a confinio Hispaniae.", FERRARI, *Lexicon geographicum*.

<sup>7</sup> eremitorii.

videbatur. Erat enim quasi in medio S.<sup>ti</sup> Sebastiani <sup>1</sup>, Renteriae et Hernani. Quamvis autem Patri Ignatio hac de re bonus ille sacerdos scripsit, ejus tam pio desiderio satisfieri commode non poterat <sup>2</sup>.

1259. In Baetica autem Provincia alia complura collegia coepta fuerunt, de quibus seorsum dicetur <sup>3</sup>.

---

<sup>1</sup> Civitatis scilicet, quae dicitur *San Sebastian*, ad oram Atlantici.

<sup>2</sup> Hujus Renteriensis sacerdotis ad Ignatium litteras, e quibus tamen excissa subscriptio est, dabit *Nova Series litterarum Sancti Ignatii*.

<sup>3</sup> A n. sequenti, praesertim nn. 1456-1529.

## DE PROVINCIA BAETICA

AC PRIMO

### DE NOVO COLLEGIO PLACENTIAE

1260. Cum Episcopus Placentinus <sup>1</sup> collegium a P. Francisco Borgia sua in civitate erigi impetrasset, praemissus fuit P. Franciscus de Villanova sub initium Augusti praecedentis anni cum Doctore Salinas <sup>2</sup>, et eodem venit idem P. Franciscus Borgia cum P. Bustamante et aliis 17.<sup>a</sup> Septembris <sup>3</sup>. Et optasset quidem P. Villanova, ut alio quam Episcopi nomine Societas urbem illam fuisset ingressa; cum enim duae factiones in ea essent, quae quodammodo totam civitatem in duas partes dividebant, Zunigarum, scilicet, et Charavazalium <sup>4</sup>, ipsemet Episcopus caput erat posterioris <sup>5</sup>. Divina tamen Bonitas effecit ut, supra nostrorum et aliorum expectationem, adventus nostrorum utrique factioni gratus perstiterit. Inviserunt nostri viros primarios utriusque factionis, et tam ipsi nobiles quam populus eam de nostris existimationem conceperant, ut aequae

<sup>1</sup> Gutierre Vargas de Carvajal.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 423, n. 912.

<sup>3</sup> Hic scripserat Polanci librarius 14.<sup>a</sup> Octobris, quod etiam scripsit supra, t. iv, pag. 598, n. 1273; sed hoc deletum, superscripsit hic 17.<sup>a</sup> Septembris. Verum, si fides adhibeatur Patri Alcazar et Cardinali Cienfuegos, restituenda videtur hic dies 14.<sup>a</sup> Octobris. Ait enim ille, *Chronohistoria de la Provincia de Toledo*, Dec. II, an. iv, cap. 2, § II: "Por el siguiente mes de Octubre caminaba tambien San Francisco de Borja á Plasencia....."; et hic, *Vida del grande San Francisco de Borja*, lib. iv, cap. 2, § I: "Obedeció prompto Francisco, enviando delante al P. Villanueva y al P. Doctor Marcos Salinas á los principios de Agosto, y aora por Octubre partió desde Medina á Plasencia el Santo....".

<sup>4</sup> Sic; est autem *Charavazalium* vel potius *Carvajalium* (*Carvajales*).

<sup>5</sup> Vide supra, t. III, pag. 366, sub finem num. 802, et Cienfuegos, *Vida del grande San Francisco de Borja*, lib. iv, cap. xi, § I, et infra, in hoc t. v, n. 1475.



utrisque chari accedere viderentur. Religiosi etiam Ordinis S.<sup>ti</sup> Dominici et S.<sup>ti</sup> Francisci amanter admodum nostros exceperunt perinde ac fratres, quod non exiguum consolationem nostris attulit. Erant nostri numero quindecim vel sexdecim, quamvis non omnes ibidem manserunt.

1261. Coepit ibidem concionari P. Franciscus Borgia, ac deinde P. Bustamante <sup>1</sup> et Dr. Salinas; mirum in modum grati omnes fuerunt; et tanta erat populi laetitia, ut nimius applausus timendus quodammodo videretur; quamvis nonnulli miraculo id dabant, quibus populi factiosi mores perspecti erant, et ut ad unionem charitatis homines illi redirent, a Deo factum censebant ut utrique parti illi essent gratissimi, per quos possent inter se conciliari.

1262. Duas lectiones grammatices praelegendas nostri Placentiae receperant, et tertiam de casibus conscientiae. Decima nona ergo Novembris lectio casuum in Cathedrali ecclesia coepta est a Doctore Salinas, et pridie ejus diei christianae doctrinae lectio in quadam alia ecclesia fuit coepta <sup>2</sup>.

1263. Cum autem religiosi S.<sup>ti</sup> Dominici, domi suae, conscientiae casus etiam praelegerent, convenit inter ipsos et nostros ut diversis horis diversas materias explicarent, et sibi omnia nostra ministeria grata esse praedicti religiosi significabant <sup>3</sup>.

1264. Comes de Oropesa ex oppido suo Giarandilla <sup>4</sup>, novem leucis Placentia distante, bis aut ter eo miserat ut videret an nostri Placentiam adhuc venissent, et suo nomine rogaret <sup>5</sup> ut aliqui ad ipsum accederent. Laetabatur ille summopere quod nostri ad ejus ditionem prope accessissent; sed cum P. Villanova non posset tam cito Placentia recedere, ipse P. Franciscus Borgia Giarandillam mense Novembri venit, et

<sup>1</sup> "El P. Bustamante predicaba; como tambien algunas veces el Santo Comisario en la Catedral.", ALCÁZAR, *Chronohistoria de la provincia de Toledo*, Dec. II, an. IV, cap. 2, § 2.

<sup>2</sup> "Cada día explicaba la doctrina el P. Dionisio Vazquez en una parroquia.", ALCÁZAR, *ibid.*—Verum infra, n. 1266, Polancus ait hunc quidem dominicis tantum et festis diebus populo, alium vero fratrem quotidie pueris doctrinam christianam declarasse.—Vide infra, n. 1271.

<sup>3</sup> Vide supra, t. IV, pag. 598, n. 1273.

<sup>4</sup> Vide supra, pag. 413, n. 1104, et t. IV, pag. 594, n. 1263.

<sup>5</sup> Ms. habet *rogarunt*.

Comitem, et ipsius uxorem <sup>1</sup>, et D. Franciscum de Toledo <sup>2</sup> suis et Patris Bustamante concionibus et familiaribus colloquiis valde consolatus est; cum quo etiam de Collegio Oropesae instituendo agere coeperunt <sup>3</sup>.

1265. Sed Placentiam redeundo, quatuordecim ex nostris initio residere in eo Collegio debebant, nam de fundatione ad hunc usque numerum facienda actum erat, quamvis sperabatur, quod Episcopus, ut erat generoso animo, majorem quam promiserat, esset hujusmodi dotationem factururus <sup>4</sup>. Sentiebat autem P. Villanova ut animaretur Episcopus, et melius suscepto muneri satisfaceret, tres vel quatuor lectiones litterarum humaniorum ibi esse praelegendas, et ita Patri Ignatio scripsit Interim primis illis mensibus sic populi devotio et concursus ad nostros crescebat, ut cum nostri operarii non possent tam multis satisfacere, qui confiteri et communicare apud nostros cupiebant, numerum operariorum augendum esse necessario sentiret.

1266. Maxima pars ecclesiasticorum ejus civitatis Patrem Salinas cum magna satisfactione interpretantem conscientiae casus audiebat. Pater autem Dionysius Vazquez, qui christianam doctrinam festis et dominicis diebus declarabat, civium utriusque sexus frequens admodum auditorium habebat <sup>5</sup>. Sed praeter hos, quidam ex fratribus quotidie pueros eamdem doctrinam simplicius docebat. Lectiones grammatices dilatae fuerunt donec scholae possent praeparari; et situs interim commodus ad Collegii aedificationem quaerebatur, nam Episcopus, quamvis nondum Placentiam venerat <sup>6</sup>, de eo sollicitus erat.

1267. Dederat autem domum suam novo Collegio inhabitandam, donec Collegium ipsis a fundamentis extrueret; et quamvis ad usum suum ac suae familiae habitatione illa indigebat, sibi tantum quod necessarium erat in praedicta domo retinuit, et sic divisit, ut libere nostri et sine impedimento ha-

<sup>1</sup> Beatricem Monroy et Ayala. Vide supra, t. iv, pag. 587, n. 1250, annot. 2.

<sup>2</sup> Comitiss fratrem. Vide supra, t. iv, pag. 598 n. 1260.

<sup>3</sup> Vide infra, n. 1486.

<sup>4</sup> Nec spes haec eos fefellit, ut videre est infra, n. 1294.

<sup>5</sup> Vide supra, n. 1262.

<sup>6</sup> Venit tandem in sequentis anni 1555 Quadragesima. Vide infra, n. 1288; quae enim hic, ad n. usque 1268 narrat Polancus, ad praecedentis anni finem spectant.

bitarent, cum et portam etiam separatam haberent et sacellum, cujus etiam porta ad publicam viam egrediebatur, valde pulchrum et accommodum; et ita populus ad nostros libere accedere poterat, nec illam partem domus attingebat, quam Episcopus erat inhabitaturus. Disciplinam etiam religiosam domi suae servare poterant. Decima quinta autem Decembris P. Franciscus Borgia Placentia Hispalim versus recessit.

1268. Hoc anno 1555 magnum progressum nova haec planta fecit; sex erant sacerdotes, quibus vix tempus ullum vacuum supererat a confessionibus audiendis. Consequiebantur autem restitutiones multae, partim famae laesae, partim vulnerum aut injuriarum, partim etiam pecuniae; quae etiam ludo a minoris aetatis hominibus aliqui lucrati erant, restituerunt; pauperibus etiam aliquot millia ducatorum in eleemosynam data fuerunt; quae etiam minores ab aliis ludo vicerant, eis restituerunt; et magna erat pecuniae vis, quia inter primarios homines haec fiebant. Et quamvis durum videretur, nihilominus homines sibi id persuaderi sinebant et patienter ac bono animo suae conscientiae satisfaciebant.

1269. Ex vicinis locis commoti fama multi ad urbem confessionis gratia veniebant; et facile intelligi poterat quam utiliter nostri ad illa loca essent accessuri; sed P. Villanova existimabat non expedire his in initiis extra Placentiam operarios mittere, cum messis, in ipsa, metentium vires superaret. Crescebat autem in dies poenitentium numerus, et crevisset adhuc magis si ecclesia capacior fuisset, et si nostrorum opera tam multis satisfacere potuisset.

1270. Proficiebant autem in oratione et castigatione corporis plurimi ex his, qui ad sacramenta accedebant. Confitebantur autem domi senatores, (*regidores*<sup>1</sup> in Hispania vocantur) et nobilissimi quique ejus civitatis. Ecclesiastici etiam templi Cathedralis aliqui generales confessiones instituerunt, in quorum vita singularis mutatio dexteræ Excelsi visa est. Delectus tamen habebatur in admittendis utriusque sexus hominibus ad frequentem usum confessionis et communionis; non enim deerant, ut in aliis urbibus, ita et in hac qui frequentationem hanc

<sup>1</sup> "*Regidor*. Cada uno de los individuos del ayuntamiento encargados del gobierno económico de una población.", *Diccionario de la Real Academia española*.—Idem ac alibi *Jurati*, etc.

parum probarent. Ad trecentos et quinquaginta perveniebant utriusque sexus homines, qui in templo nostro frequenter ad sacramenta accedebant; et alii multi alibi ea frequentabant, quod domi nostrae commode facere non possent; et inter hos magnum donum orationis aliqui a Deo accipiebant.

1271. Christianae doctrinae lectio, ubi ea explicabatur a Patre Dionysio in templo maximo totius urbis, tam avidos auditores habebat, ut templum illos saepe non caperet; et domum redire saepe oportebat populi partem, quod templum ingredi non posset. Cum autem tertium praeceptum de sanctificatione festorum enarraret, ac diceret quomodo et quibus in rebus tempus in festis esset expèndendum, ac diceret quantum damni consequi soleat ex vanorum ac profanorum librorum lectione, et hortaretur auditores ne huiusmodi libros contra bonos mores legerent aut apud se haberent, sed potius ut ad se comburendos mitterent, magna vis huiusmodi librorum ad Collegium nostrum allata fuit; et difficile explicari posset, quam insignis et evidens fructus ex hac christianae doctrinae explicatione proveniret inter juniores et provectioris etiam aetatis homines. Et quia a prandio haec habebatur lectio, murmurationes, ludi et alia huiusmodi, quae eo tempore diebus festis fieri solebant, impediabantur; et cum radices ac fontes peccatorum declararentur, et efficacia remedia contra illa proponerentur, latissime hic fructus patebat. Sed et alia lectio christianae doctrinae simplicior, quae pueris, ut diximus <sup>1</sup>, quotidie proponebatur, per eosdem pueros ad alios domesticos extendebatur; qui quod non possent, vel quod erubescerent ad eam addiscendam convenire in ecclesiam, eam ignorabant.

1272. Quod ad conciones attinet, is erat civitatis affectus, ut ubi aliquis ex nostris concionabatur, nullum templum tam erat magnum, ut locus venientibus non deesset; sed cum P. Baptista Sanchez Simancis Hispalim advocatus a Patre Francisco <sup>2</sup>, Placentia transiret, quodammodo compulerunt Cathedralis ecclesiae canonici ut Placentiae usque ad diem dominicam sequentem subsisteret, ut eis concionaretur, et cum bis concionatus esset, semel quidem in ipsa Cathedrali ecclesia, iterum

<sup>1</sup> Supra, n. 1266.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 390, n. 836, et in hoc t. v, infra, n. 1822.

autem in quodam monasterio, usque adeo commotus est populus et eam consolationem eo audiendo accepit ac simul eam molestiam cum abeuntem viderent, ut Senatores aut Magistratus congregati ad Collegium venirent, ut prima specie <sup>1</sup> admirarentur nostri quid sibi ea multitudo gravium virorum vellet. Illi autem nomine totius urbis a Patre Villanova postulabant ne mitteret aut abire sineret Patrem Baptistam, quia magna se molestia affectos iri dicebant, si diutius ille ad concionandum non mansisset. Venit et Praetor urbis, et multi, et ecclesiastici etiam multi nomine Capituli, qui hoc ipsum summo studio petebant; sed omnibus necesse habuit hoc respondere P. Baptista, non esse hoc in sua potestate situm, sed Patris Francisci, qui Hispali tunc erat.

1273. Decreverunt ergo illi nuncium proprium Hispalim mittere, qui Patrem Baptistam, jam profectum, praeveniret, [et] nomine utriusque congregationis, scilicet, tam ecclesiasticae quam saecularis, hoc a P. Francisco instanter postulare. Rogaverunt etiam P. Villanovam ut se in eo pio negotio juvaret. Sed jam P. Franciscus promiserat Hispalensibus ad futuram Quadragesimam P. Baptistam in concionatorem, ut sibi redditum permitterent in Castellam Provinciam, ad quam a Principe Joanna evocatus fuerat. Et ita piis desideriis civitatis satisfieri non potuit. Utcumque tamen eos spes consolata est, quod alio tempore promisit P. Franciscus se missurum Placentiam quem petebant concionatorem.

1274. Reliquit autem in Quadragesima hac D.<sup>or</sup> Salinas casuum conscientiae lectionem, ut populo concionaretur, quod non sine fructu et frequentia magna praestitit; sed et ipse P. Franciscus sub hujus anni finem Placentiam venit, et eximium fructum sua praesentia ex eo populo retulit; mira enim veneratione et affectu omnes eum prosequabantur, et Patrem suum omnes eum nominabant. sicut et patris loco habebant.

1275. Spiritualia exercitia viris compluribus proponi coeperunt, immo et mulieribus, prout eis conveniebat, et mira fa-  
mes ac sitis hujusmodi exercitiorum cernebatur. Sed mulieres ea in urbe peculiari quodammodo cum devotione et sanctitate prae viris florebant; et hoc esse peculiare Placentiae ferebatur,

---

<sup>1</sup> primo aspectu, vel cum primo eos venientes nostri conspexerunt.

ut vere devotus esset foemineus sexus; et nostros urgebant ut monasterii, quod instituere et in quod ipsae ingredi cupiebant, Societas nostra curam susciperet. Multi autem non infimae notae homines in his exercitiis spiritualibus profecerunt, et in oratione praecipue non poenitendos progressus fecerunt.

1276. Dedit etiam Dominus multis spiritum vehementer propensum ad res hujus saeculi relinquendas et consilia Christi sectanda, inter quos aliqui ad Societatem aspirabant, alii religionem S.<sup>ti</sup> Francisci, eorum, quos ibi vocant *descalcos*, qui capuccinis Italiae similem vitam Ordini priori S.<sup>ti</sup> Francisci agunt, magna severitate corpus suum castigant, et cum aedificatione magna ea in provincia versantur. Et fere sexaginta virgines, quas parentes honestis viris tradere in matrimonium volebant, mutato vitae proposito, soli Christo in perpetua castitate servire elegerunt. Hae confitebantur et communicabant singulis hebdomadis nostro in sacello; et quamvis aliqui <sup>1</sup> ex parentibus earum in initio difficile eis acquiescerent (erant enim aliquae ex his virginibus filiae procerum, et cum opulentis viris erant conjugandae, et ita a pueritia in ornatu pereleganti institutae et quodammodo enutritae fuerant), paulatim tamen, Deo adjuvante, parentes consensum eis praestiterunt; et cum ipsorum voluntate et aliarum mulierum invidia, quod bene in Domino proposuerant prosequerentur. De quadam ex eis non tacebo, quae cum cogeretur ipso die Paschae Resurrectionis, sericis vestibus et aureis ornamentis pro more ornari, obedivit illa quidem parentibus in externo cultu, sed sub pretiosis his vestibus cilicium induit, et donec preciosae illae vestes ab ea sublatae fuerunt, a carnibus cilicium non removit.

1277. Sed in universum loquendo, civitas ipsa Societatis ministerio ad magnam reformationem a Domino educta est, cum ad hoc usque tempus velut seminarium quoddam offensarum Dei et discordiarum fontem plurimos annos apud se habuisset, in duas factiones, ut diximus <sup>2</sup>, divisa, et cum caedes multae utrinque fuissent consequutae, nemo domo egrediebatur ex primoribus nisi armis oneratus et custodibus stipatus;

<sup>1</sup> Aliquae in Ms.

<sup>2</sup> Supra, pag. 465, n. 1260.

et exemplum capitum alii sequebantur, et quod magis dolendum erat, non minus [in] ecclesiasticis (quorum esse debuerat officium alios pacificare) quam [in] laicis, hujusmodi factiones regnabant; et ita aliqui ex ecclesiasticis quadraginta et quinquaginta militibus stipati ad Cathedrale templum ibant, et ita demum tyrannidem in tota ea civitate miram exercebant. Sequebantur autem has dissensiones alia peccata, etiam publica, plurima, ut ludi alearum et illiciti contractus, praeter privata, usque adeo ut concionator quidam publice dixerit Plasentiam esse veluti primogenituram diaboli (*majorasgum* vulgo vocant).

1278. Sed hi homines serio ad Christum, verum Episcopum et Pastorem animarum suarum, conversi, cum summa laetitia per viam mandatorum Domini currere coeperunt, quasi nova quadam luce illustrati, quam Dominus per minimam hanc Societatem eis communicavit. Audiebant autem assidue verbum Dei, et peculiari quodam affectu devotionis, cum a nostris proponebatur, ex quorum concionibus fatebantur illi se cum magna devotione et desiderio serviendi Deo et negotia suae salutis tractandi egredi; et quidem id accedendo crebro ad sacramenta, et alia pietatis opera exercendo.

1279. Dabat autem idem Deus tale incrementum in dies, ut facile esset percipere quod ipse Societatem in eam civitatem induxerat, quamvis id per ministerium Episcopi fecerit.

1280. Fiebant paces inter multos, privatis etiam ex causis dissidentes, ex quibus aliquae magni erant momenti ad communem totius urbis quietem; et satis negotii nostris exhibebat pia haec exercitatio, cum inimicitiae passim in ea civitate invenirentur. Et ut aliquid sigillatim dicatur, nobilis quidam ab alio vulneratus et injuria affectus, de ultione ac poenis sumendis sic cogitabat, ut magni tumultus, propter utriusque partis potentiam et sectatores, merito timerentur, cum praesertim illi homines, in his, quae ad honorem pertinent humanum, nimis prorsus sint. Commendatum fuit hoc negotium cuidam ex nostris sacerdotibus, et ab eo, qui offensus fuerat, cum magna omnium aedificatione impetravit ut, sine ulla satisfactione honoris vel rei, propter solum Dei amorem injuriam condonaret.

1281. Sic inter duos alios, cum in loco publico contentio quaedam et coram multis testibus accidisset, et alter alterum verbis et factis valde offendisset, quidam ex nostris eos conci-

liare tentavit, et quamvis offensus multas et difficiles conditiones exigeret, quas alter non concessurus videbatur, cum Dei gratia tamen id effectum est, ut, omnibus his conditionibus omissis, pax propter Christi amorem conciliaretur. Alius lethali vulnere ab adversario affectus fuerat; et captus percussor, hoc <sup>1</sup> moriente, supplicio etiam extremo erat afficiendus. Quidam ex nostris morientem alloquutus, veniam ab eo et ex consequenti vitam adversario impetravit. Sed insigne beneficium fuit cuidam familiae collatum, in qua cum uxor sic a marito dissideret, ut illa, vitam pertaesa, mortem sibi inferre per suspendium deliberasset, idque serio curaret, placuit divinae Bonitati ut quidam ex nostris sacerdotibus eam adiret et consolaretur, et a pernicioso illo proposito revocaret, et demum a lupi faucibus Christi ovem eriperet.

1282. Hic abusus sumendae vindictae eo usque progressus erat Placentiae, ut in eo felicitatem positam esse arbitrarentur. Sed aliqui gloriosum ducebant si priores contra leges divinas et humanas alios offenderent. Et tamen cum circa meridiem in platea publica civis quidam alium alapis et fustibus caecidisset, quae multiplex injuria toleratu difficilis fuisset, sed difficilima ea in urbe, ubi multo minores injuriae morte solebant expiari, cum tamen quidam ex nostris tam graviter offensus civem allocutus esset, eo ipsum adduxit, ut nulla prorsus satisfactione accepta, propter Christum tantum illi ignosceret, a quo tam male exceptus fuerat.

1283. Toto quidem hoc anno gravia multarum animarum vulnera curata fuerunt; sed peculiariter cum jubilaum ibi fuisset publicatum; triduo enim illo, quo confiteri oportebat, septingentarum personarum audierunt confessiones domi nostrae, inter quas multi erant primarii homines, quos, vel voluntatibus vel vindictae desiderio, princeps tenebrarum irretierat, a gravissimis et periculosissimis animarum morbis, in dies crescentibus, fuerunt liberati.

1284. Inter alia ministeria, quae ad magnum Dei obsequium cedebant et ejus civitatis spiritualem utilitatem, visitatio erat graviter aegrotantium, quos non solum consolari, sed ad migrandum ex hac vita ut christianos decet, adjuvare nite-

<sup>1</sup> Sic; rectius tamen esset *illo*, scilicet, *qui percussus fuerat*.



bantur; et tantopere percrebuit rumor hujus pii operis, ut nulus propemodum in tota urbe aegrotaret, ad quem nostri non accerserentur, et quidem nullo adhibito delectu temporis, sive interdiu, sive media nocte eorum opera indigerent. Et dabat divina Bonitas vires ut eis nostri possent subvenire, quamvis medici veniebant ad Collegium et cum nostris expostulabant, et tolerari non posse hujusmodi laborem, et succumbendum illi esse, si duraret, affirmabant; nostri tamen, spem in Deo constituendo, animarum saluti deesse gravius incommodum existimabant, quam proprii corporis valetudini.

1285. Animabant autem aegrotantes ad patientiam et ad fructum ex infirmitate capiendum, dum suam voluntatem beneplacito divino conformabant, et fructus inde proveniens laborem, qui nimius videbatur, praesertim in aestate, temperabat. Aliqui enim qui, cum sani essent, ad Christum adduci non potuerant, hoc aegritudinis medio ad ejus obsequium reducti sunt, et cum vexatio intellectum daret, magnopere profecerunt. Erat autem tanta hominum aedificatio propter hanc exercitationem et tanta devotio erga nostros, ut non dubitarent quod vel ipsorum orationibus sanitas ipsis esset restituenda, vel quod opera nostrorum ad coelestem et meliorem vitam essent dirigendi. Et ita cum quis moriebatur, inter beneficia singularia a Deo accepta hoc inter prima numerabant, quod aliquis ex benedictis (sic enim nostros vocabant) eis migrantibus adesset.

1286. Pauperes etiam in hospitali visitabant et alios pauperculos, qui in angulis urbis privatim jacebant; detentos etiam in publica custodia; et eorum confessiones audiebant, et eos ad fructum ex suis catenis educendum hortabantur. Ad festum autem Natalis Domini, Rector quosdam ex nostris ad carcerem misit ut eam everrerent et emundarent, cum valde locus ille sordidus esset.

1287. Ex conscientiae casibus et privatis consultationibus multum etiam emolumenti civibus illis accessit.

1288. Cum autem Episcopus Placentiam venisset in hac Quadragesima, [et] applausum civium vidisset ei congratulantium quod Societatem Placentiam adduxisset, novum animum sumpsit coeptum opus promovendi et augendi: et statim Praetorem civitatis et senatores alloquutus, in situ convenienti ad

aedificium Collegii, scholarum et ecclesiae quaerendo occupari cum eis coepit; ut qui statim manum operi vellet admoveri. Senatores contra Episcopo dicebant ut in tota civitate situm quam maxime opportunum huic operi eligeret; se enim paratos esse ad proprias domos, si oporteret, relinquendas aut cum Societate dividendas. Fuit autem inventus situs quidam salubris et quasi in medio civitatis positus, sed muro civitatis erat conjunctus. Dedit autem civitas eam muri partem cum quatuor turribus, quae situm illum attingebant. Extra muros autem quidquid postulatum est et utile Collegio videbatur, dederunt, cum facultate portam in ipso muro aperiendi, per quam soli nostri egrederentur in hortum, qui conficiebatur extra muros; et non exiguum bonae voluntatis signum fuit, quod portam praedictam in muro fieri sinerent, cum sit ex fortioribus ac munitioribus illorum regnorum.

1289. Obtulit etiam civitas alia non pauca Episcopo prompto ac liberali animo. In quibusdam autem domibus palatio Episcopi conjunctis (in quo nostros habitare diximus <sup>1</sup>), scholas concinnari voluit interim dum ipse novas erigit. Invisibat autem Episcopus nobiles ejus urbis, qui contrariae factionis esse solebant, et illi viceversa Episcopum visitabant, ut suum pastorem, qui serio ad ea, quae necessaria erant operi futuro, paranda, ut artifices, calcem, lateres, ligna et alia hujusmodi, dabat operam. Cives autem tanti faciebant gratiam a Domino acceptam quod ad ipsos Societatem nostram misisset, ut qui prius Episcopi mortem, ut factionis contrariae, optabant, non cessarent omnia felicia et vitam longam ei optare, ut coeptum opus perficeret. Aliqui etiam initio invidia quadam pia se tangi sentiebant, quod tantum opus Episcopo reservatum esset, et participes ejus esse ipsi cupiebant. Et fuit qui optimam quamdam domum et in bono situ, quam tunc faciebat, offerret Societati; sed Episcopus, cum magnanimus esset, a fundamentis aedificare totum Collegium voluit.

1290. Cavendum interim erat nostris a vanagloria propter insignem affectum civium, qui, cum aliquem ex nostris incedentem in via videbant, spectare ipsum ut quid novum et nunquam visum solebant, et eam reverentiam exterius exhibebant, quae

---

<sup>1</sup> Supra, pag. 467, n. 1267.

facile eorum existimationem significabat, et domum nostram domum *benedictorum* appellabant. Et nobiles etiam viri, quos non dedecebat usus auri et sericorum vestimentorum, cum adituri erant aliquem ex nostris, vilissimis vestibus, quas habebant, induebantur, quod erubescerent coram eis, quos magnos Dei servos credebant, cum vanis vestibus et ornamentis apparere. Et initio aliqui detinebantur ad nostros accedere, et de suis rebus cum nostris agere, ac eis confiteri, quod dicerent se peccatores magnos esse, et non audere cum sanctis hominibus familiariter agere; et ut severiores in cultu proprio nostros videbant, sic timebant ne externos eadem mensura metiri vellent. Sed postquam coeperunt, experientia docente, intelligere quam suaviter Christi lacte alerentur, qui ad nostros accedebant, ipsi facile jam animadvertiebant quod decepti a daemone fuissent et a proprio iudicio, cum ad nostros accedere timebant.

1291. Cum emptor domus nostrae ad res necessarias coemendas iret, qui eas vendebant, gratis ei donare in primis volebant, quod dicerent inserviendum esse benedictis <sup>1</sup>, et personas et facultates in eo impendendo; sed cum nollet emptor gratias accipere, dicebant ut solveret quod vellet.

1292. Cum paraturus esset ligna Episcopus ad aedificium quaedam pineta obtulit ei civitas, quae caedi ab aliis non poterant, ut inde caederet quidquid materiae ad aedificium esset necessarium, et quidem id gratis ac sine ulla compensatione.

1293. In situ Collegii clivus quidam erat, quem in planitiem redigere Episcopus voluit, et in eo duo millia ducatorum expendit; et id maluit Episcopus quam situm alibi oblatum admittere, ut liberiori ac salubriori aëre nostri fruerentur. Et sub autumnum effodiendis fundamentis dare operam coeperunt. Ipse <sup>2</sup> autem praefectus operis erat; et summo affectu operis perfectionem videre optabat; nam ex eo pendere magna ex parte ovium suarum auxilium arbitrabatur, ad quarum morbos curandos unicum esse remedium Societatis operam censebat.

1294. Accepit autem domum quamdam inhabitandam, futuro aedificio conjunctam, ut commodius operi posset assistere; et ita singulis diebus multas horas in opere urgendo expende-

<sup>1</sup> Vide supra. pag. 474, n. 1286.

<sup>2</sup> Episcopus.

bat. Amiserat jam prius illud propositum, Collegium fabricandi et dotandi pro quatuordecim collegialibus <sup>1</sup>; et pro triginta utrumque, scilicet, aedificium et reditus parari volebat; domum autem meliorem esse volebat, quam Societas nostra in regno Castellae haberet; in qua expendere quadraginta vel quinquaginta millia ducatorum volebat; nec dubitabatur id eum esse facturum, si viveret quatuor annos; nec enim ei vel animus vel facultas deerat.

1295. Ad festum autem S.<sup>ti</sup> Lucae studia cum Dei favore inchoanda erant, grammatices, inquam, et rhetorices; et id Episcopus promulgari in praecipuis locis sui episcopatus iussit; et interim, dum bibliothecam instructiorem parabat, magnam vim librorum tum theologiae tum litterarum humaniorum nostris dedit.

1296. Sub finem ergo Octobris, cum magno applausu et laetitia omnium, lectiones inchoatae fuerunt. Praeparata quidem fuerant, quae initio studiorum praemitti a nostris solent <sup>2</sup>; sed quia Episcopus aberat et etiam P. Franciscus Borgia, praeparationes illae omissae, vel dilatae fuerunt. Et alioqui parum erant necessariae, cum praeparatio aliis rationibus esset in animis hominum facta.

1297. In quinque classibus ergo legi coeptum est, una rhetorices et quatuor grammatices. Convenerunt autem scholastici centum et sexaginta; tantus autem fuit fervor et spes profectus, observato docendi modo, quem nostri tenebant, ut multi sacerdotes et viri, qui aliquando litteris operam dederant, ad scholas nostras accederent, et qui in ea urbe magnam doctrinae existimationem nacti erant, humiliter tamen disciplinae nostrorum se subdiderunt. Inter quos erant aliqui, qui grammaticam publice docuerant. Ex Cathedrali autem ecclesia Decanus ipse, vir alioqui non ineruditus, studiosum se discipulum praebeuit; et ita alii ex nobilioribus ejus urbis. Itaque per studia non mediocris accessio ad aedificationem civitatis et affectum erga Societatem nostram facta est.

1298. Observabantur autem studiorum regulae tam a

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 467, n. 1265.

<sup>2</sup> Orationes, scilicet, dialogi, et alia hujusmodi, de quibus sermo jam saepius factus est in hoc *Chronico*, dum de instauratione aut renovatione studiorum in nostris Collegiis actum est.

scholasticis, quam a civibus, qui cum aliquando venirent ad lectiones audiendas et considerarent modum ingrediendi per orationem et egrediendi per eandem <sup>1</sup>, et omnia quae legebantur pura et sancta esse, cum magna aedificatione recedebant. Sed et spirituales exhortationes et colloquia praeceptorum, qui discipulos ad virtutes capescendas et Dei servitium incitabant, perutiles erant; et ea de re publice et privatim in civitate agebatur.

1299. Quotidie autem scholastici Sacrum audiebant, nec satis illis erat singulis mensibus confiteri; saepius id faciebant; et eorum profectum illi, quibus prius notus erat, admirabantur. Nec in moribus tantum, sed etiam in litteris, et duobus fere mensibus quos studio impenderant hoc anno apud nostros, plus didicisse quam prius integro anno didicerant fatebantur. Et praeter disputationes octavo quoque die, et generales decimoquinto quoque die habitas, Dr. Aiora <sup>2</sup>, Vicarius Episcopi, vir magnae integritatis, praemia eis proponebat, qui in singulis classibus melius se gessissent, more universitatis complutensis.

1300. Initio duo Societatem ingressi fuerant Placentiae, sacerdos unus eorum, alter laicus quidem, sed theologus et Juris Pontificii peritus; uterque vir bonus et talento idoneo ad Societatis ministeria praeditus. Aliqui deinde non infimae notae homines in Societatem admitti optabant, inter quos sacerdos quidam admissus est: alii cum viderent se non admitti, ad alias religiones se converterunt. Ex scholasticis aliqui nostro instituto afficiebantur, et ut admitterentur nostros urgebant; sed eos maturescere, admissionem differendo, expediebat.

1301. Quidam Dr. Ayala, magistri Avilae discipulus, in theologia scholastica et positiva, quam vocant, bene doctus, qui Compluti concionabatur, postquam Placentiae exercitia suscepisset, Societatem ingredi decrevit <sup>3</sup>. Quidam ecclesiae Salmanticensis portionarius, ut vocant, et theologiae doctor, Placentiam hoc anno etiam venit, ut se Societati daret, interim

<sup>1</sup> Hoc est: in more positum esse in nostris scholis ut quotidianae mane et vespere exercitationes brevi fusa prece et inciperent et finirentur.

<sup>2</sup> Dr. Dnus. Joannes de Ayora, qui postea (1567) fuit Episcopus Ovetensis. ALCAZAR, l. c., cap. II, § 3, CIENFUEGOS, *Vida del Grande San Francisco de Borja*, lib. IV, cap. 11, § 2.

<sup>3</sup> Hujus Dn. Ayala non meminit Muñoz, *Vida del venerable* (nunc B.) *Maestro Juan de Avila*, nec usquam alias mentionem factam reperimus.

dum quaedam ipsius negotia Romae expediebantur. Is olim Romae in spiritualibus exercitiis, quae susceperat, non omnino de vitae suae statu decernere voluerat, sed postea in eam, quam dixi, sententiam venit. Ejus tamen constantia nostris admodum probata non erat; et ita ad sua rediit <sup>1</sup>. Quidam autem magister Galindus, theologus etiam et qui beneficium non exigui valoris habebat prope Placentiam, admissus est <sup>2</sup>. Sed quidam baccalaureus Perea, qui in universitate Salmanticensi fuerat institutus, in rhetorica et in graecis litteris, mathematicis, philosophicis ac theologicis eruditus <sup>3</sup>. Sed et alius quidam sacerdos, et sub anni finem, laicus quidam, qui, post exercitia spiritualia, sacramenta domi nostrae frequentaverat.

1302. Qui autem in Collegio Placentino versabantur, serio orationi, sui abnegationi, obedientiae et instituti nostri observationi, sub Patre Villanova vacabant et proficiebant; et duas horas quotidie, praeter examina duo, orationi impendebant, quo in tempore, postea moderatio adhibita fuit, quod ad collegiales <sup>4</sup> attinet.

1303. Institutus fuerat P. Villanova collateralis D.<sup>ris</sup> Torrens, qui Baeticae Provincialis erat, sub quo tunc Placentinum erat Collegium, sed cum procul ab ipso praedictus P. Villanova resideret <sup>5</sup>, significavit P. Ignatio, ac postulavit ut officium illud in alium transferretur, qui actiones Patris Provincialis melius observare posset et officio collateralis fungi; cum praesertim ignorare se diceret officium Provincialis. Interim hoc anno magna ex parte Placentiae fuit, et sub ejus finem Complutum se contulit, ut aliquot dies cum D.<sup>re</sup> Vergara exigeret, et eum ad constituendum aliquid de statu vitae suae juvaret <sup>6</sup>. Non ignorabat tamen permolestum esse futurum eidem Doctori ut ipse Placentiam rediret, et tamen referre magno opere censebat, ut aliquid certi de statu suo praedictus Dr. statueret.

<sup>1</sup> Hujus quidem meminere nonnunquam *Cartas de San Ignacio*; eum tamen semper appellant el *Racionero de Salamanca*, nomine et cognomine suppressis.

<sup>2</sup> Ignotus etiam hic Galindus fuit nostris historicis.

<sup>3</sup> Hic alius esse debet ab eo ejusdem cognominis, etiam baccalaureo, qui Societati nomen dedit, in Ognatensi Collegio, anno 1532. Vide supra, t. II, pag. 618, n. 451.

<sup>4</sup> Nostros intellige, tum coadjutores, tum praesertim scholasticos. Cf. etiam supra, pag. 486, n. 1169.

<sup>5</sup> Residebat P. Torres magnam anni partem Hispali et Granatae.

<sup>6</sup> Vide supra, pag. 447, n. 1206.

1304. Cum autem Martio mense P. Franciscus <sup>1</sup>, Hispali re-  
diens in Castellam, Placentia transiret, negotium Collegii cum  
Episcopo tractandi Patri Villanovae reliquit, qui ne audire qui-  
dem volebat quod de recessu suo ageret; et ita usque ad anni  
finem ibidem haerere debuit <sup>2</sup>. Quod autem primo loco cum Epi-  
scopo tractare coepit, illud fuit, ut spiritualia exercitia se-  
rio subiret; et cum responderet se jam ea suscepisse, subdidit  
longe aliud esse inter negotia sese in spiritualibus exercere,  
aliud separatum a rerum tumultu Deo vacare. Sic enim fru-  
ctum hujusmodi exercitiorum multo uberiores esse. Quaedam  
etiam providenda in ipsius Dioecesi suggessit, et cum Episco-  
pus diceret se facturum quod ille suggereret, ac proinde horta-  
retur ut dispiceret quid facto opus esset, denuo suggessit  
P. Villanova ut viginti vel triginta dies a negotiis recederet; se  
cum eo iturum esse et quotidie dicturum se illi aliquid, quod  
facere deberet. Demum Episcopus mensem designavit quando  
id facturus esset. Deinde de rebus Collegii, quod ad aedificium  
et redditus attinet, cum eo egit. Et quia quosdam assignaverat,  
qui non videbantur opportuni, facile dissuassit Episcopo ut  
alios certiores et non expositos litibus nec odiosos relinqueret,  
et quorum perceptio aedificationem populi non impediret. Et  
ita de quibusdam praediis ac sylvis ab Episcopatu absconden-  
dis <sup>3</sup> ad hoc pium opus cogitare Episcopus coepit; nam qui in  
Episcopatu Placentino eum praecesserant, aliquid simile ad  
pios usus impetraverant; et ita mense Junio usque ad triginta  
dotationem extendit <sup>4</sup>; et cum prius sacellum facere consti-  
tuisset, justam ecclesiam et capacem jam erigere statuebat. Et  
triplicem aream in Collegio aedificare, unam quidem ad scho-  
larum ministeria, alteram ad habitationem nostrorum; tertiam  
ad ecclesiam designavit, et statim curavit viginti millia mo-  
diorum calcis et magnam copiam lapidum et laterum (quam-  
vis ex ipso situ ad planitiem redacto <sup>5</sup> supra centum currus

<sup>1</sup> P. Franciscus Borgia.

<sup>2</sup> Melius haec intelligerentur hoc modo: *Patri Villanovae injunctum reliquit ut de Collegii placentini fundatione tractaret cum Episcopo, qui ne audire quidem volebat quod de recessu suo ageret Villanova, cui proinde usque ad anni finem Placentiae haerendum fuit.*

<sup>3</sup> Quarum abscondendarum et abscessa ligna vendendi jus Episcopi Placentini erat.

<sup>4</sup> Scilicet dotationem, quae ad triginta sustentandos sufficeret, constituit.

<sup>5</sup> Vide supra, pag. 476, n. 1293.

lapidum invenisset), portas etiam et fenestras marmoreas quibusdam artificibus conficiendas hac lege dedit, ut mense Martio sequentis anni confecta ei redderent. Et tam ferventer in opus incubuit ut intra tres annos illud absolutum se dare velle affirmaret.

1305. Sed Patre Francisco adveniente circa festum Omnium Sanctorum et ad oppidum, quod vocant (Zarayseidim) <sup>1</sup> cum P. Villanova se contulisset, ubi Episcopus tunc erat, Episcopus dotationem ad quadraginta sponte sua extendit. Quinquaginta ducatos singulis assignabat; et praeter hos redditus, in fabricae usum et res alias necessarias alios quosdam relinquebat, ut praeter operarios, scilicet, sacerdotes et praeceptores et coadjutores, viginti scholastici Societatis Placentiae studere possent. Et hujusmodi reddituum statim fecit donationem Collegio. Et quia non abundat frumento ea regio, praestimonium quoddam ex parochiali beneficio dividere constituit, quod quadraginta vel quinquaginta modia frumenti Collegio praeberet; et ferebatur ejus intentio ad hoc, ut redditus hi non essent expositi molestiis, quae a successore poterant inferri. Et quia ex mensa episcopali aliquid decidebatur, licet confirmatio summi Pontificis sufficeret, regium etiam consensum obtineri voluit; et ad id P. Villanova Vallisoletum venit, ut a Principe Joanna Gubernatrice litteras commendatitias a Summo Pontifice ad hanc applicationem obtineret, ut sic facilius a Rege Philippo (jam enim hoc tempore Imperator regna Hispaniae in eum transtulerat <sup>2</sup>) consensus obtineri posset.

1306. Ibidem P. Villanova a Regio Consilio confirmari curavit situm, quem civitas Placentiae Collegio nostro dederat <sup>3</sup>. Ante tamen quam ab Episcopo recederet, cum veniret in mentem ad ipsum aedificium aliquam donationem fieri debere, ut, si moreretur Episcopus ante illud completum, non propterea

<sup>1</sup> *Jaraicejo*. "Pertenecló esta villa al señorío del Ilmo. Sr. Obispo de Plasencia. Es patria de la venerable Doña Luisa de Carvajal y Mendoza, que murió en Londres, y su cuerpo se conserva en el convento de la Encarnación de Madrid, del Cardenal Don Juan de Carvajal.....", Madoz, *Diccionario geográfico y estadístico de España*, t. ix.—Hujus oppidi nomen apud veteres scriptum reperitur *Zaraycedo* et *Zaricedo*.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 314, n. 853.

<sup>3</sup> Haec situs donati confirmatio ideo praecipue necessaria erat, quia ultra ipsius urbis moenia extendebatur, et murus ipse propter Collegii aedificium et hortus vicini commoditatem erat secandus. Vide supra, pag. 475, n. 1288.



aedificatio cessaret, statim procuratorem instituit <sup>1</sup> ipsum Patrem Villanova in causa propria, ut vocant, ut omnes fructus Placentini Episcopatus anni praeteriti recipere posset; eos, inquam, qui in pecunia numerata erant exigendi, qui ad decem et octo millia ducatorum ascendebant, ita ut ipse P. Villanova thesaurarius esset, et Episcopus praefectus operis, ut ipsemet dicebat.

1307. Exigebat autem a Societate quatuor lectores grammatices et rhetorices, et duos philosophiae, et totidem theologiae, et ut quatuor vel sex confessarii et duo concionatores ibi essent.

1308. Cupiebat autem P. Villanova ut praeter id, quod Constitutiones fundatoribus deferunt <sup>2</sup>, aliquid huic, qui tam liberaliter se gesserat, peculiare offerretur. Hujusmodi esset singulis diebus Missam unam [pro Episcopo offerre].

1309. Adjuvit tamen Episcopum civitatis ipsius liberalitas, ut minus pecuniae in aedificio expenderet; cum enim ab ea peteret necessaria ligna ex silvis civitatis (quod superius attigimus <sup>3</sup>) ea libentissime concessit; immo sui esse officii dicebat civitas ut rogaret quo ea vellet Episcopus accipere in usum Collegii.

1310. Praeter fructus autem decursos octodecim millium, ut diximus <sup>4</sup>, usque ad triginta millia ducatorum Episcopus donavit, ut, sive moreretur sive viveret, in usum Collegii cederent; quod cum Episcopus fecisset, omnia, quae ad ipsius conscientiam pertinebant, in manus Patris Francisci Borgiae posuit. Id autem inter eos convenit, ut per praeconem denuntiaretur in tota Dioecesi, ut quicumque aliquod sibi damnum, quod ad famam aut ad rem pertineret, ab ipso Episcopo illatum diceret, ad duos theologos et quemdam juris peritum, cum approbatione P. Francisci Placentiae constitutos <sup>5</sup>, recurreret, et quidquid illi ipsis deberi judicarent, se restitutum promisit.

<sup>1</sup> Episcopus.

<sup>2</sup> *Constitutionum Societatis Jesu*, part. iv, cap. i, De la memoria de los Fundadores y bienhechores de los Colegios.

<sup>3</sup> Pag. 476, n. 1292.

<sup>4</sup> Supra, n. 1306.

<sup>5</sup> "tres jueces arbitros, que señalaba, y eran su Provisor el Doctor Juan de Aytra, varon sabio, que despues fué Obispo de Oviedo, y dos Padres de la Compañía, uno teólogo y otro canonista.", CIERFUCOS, l. c., lib. iv, cap. xi, § 2.

1311. Ut autem P. Franciscus ad hoc opus Episcopum animaret, mediam partem illius summae Collegio donatae, si opus esset, obtulit se daturum <sup>1</sup>. Fuit hoc opus non solum valde pium, ut conscientiae Episcopi consuleretur, qui plurimos annos Episcopatum illum tenuerat <sup>2</sup>, sed etiam praeclari exempli; et ita magnam admirationem in toto regno concitavit.

1312. Coepit etiam agere de relinquendo Episcopatu, aliqua pensione sibi reservata, ex qua sustentaretur, nam pinguis erat satis redditus, scilicet triginta millium ducatorum singulis annis. Interim autem dum haec fiebant, Placentiae sese colligere cum sex vel octo theologis decrevit, ut in modum monasterii communem cum ipsis mensam haberet, quos per varias partes suae Dioecesis, praedicationis ac visitationis gratia, mitteret, paucis ministris retentis et in vicina ecclesia <sup>3</sup>.

1313. Quia tamen Madridii aliqua negotia ipsi erant transigenda, initium alicujus collegii Societatis ibidem fieri postulabat; et dum alia quaereretur commodior, suam domum etiam Madridii offerebat, et ad aedificandam aliam, suum auxilium non defuturum ajebat <sup>4</sup>.

1314. Quamdiu P. Franciscus cum Episcopo fuit, dedit operam reformationi cujusdam monasterii, ad quod moniales in deserto quodam loco habitantes Episcopus transtulerat, quae cum claustrales essent, ad observationem regularis instituti adduci non poterant <sup>5</sup>. Has Episcopus, cui subditae erant, complures earum in carcere tenuerat, nec tamen edomare potuerat. Sed tunc P. Franciscus paucis illis diebus, quos apud Episcopum

<sup>1</sup> Scilicet, quoniam Episcopi debitorum solutioni, aut rerum injuste ab ipso vel a suis officialibus detentorum restitutioni, cujuscumque pii operis, ut erat Collegium, institutio erat posthabenda, dimidiam partem eorum, quae ad Collegii institutionem ab Episcopo donata fuerant, daturum se, si oporteret, P. Franciscus Borgia obtulit.

<sup>2</sup> Trigesimus primus jam annus excurrebat, a quo (a. 1524) in Episcopalem Plasentiae sedem Dnus. Gutierre Vargas et Carvajal promotus fuerat.

<sup>3</sup> Sic; suspicamur autem verba aliqua hic a Polanci librario praetermissa.

<sup>4</sup> Matrili aedificari coeptum fuerat a Francisco de Vargas, Placentini Episcopi patre, et ab ipso Episcopo perfectum, insigne sacellum, *Capilla del Obispo* nuncupatum. Quare existimamus hic sermonem a Polanco fieri de domo aliqua in situ quodam, qui sacello adjacet, olim extante, ubi nunc est vetus et informe desertumque palatium, in quo postremis his annis archivus Ducatus de Híjar asservabatur. Verum nullum hujus rei ab his, qui Collegii Matritensis historiam texere, vestigium relictum deprehendimus.

<sup>5</sup> Sermo est, ut ex proxime a Polanco dicendis eruitur, de monasterio monialium, O. S. Fr., quod post annum 1500, sed ante 1530, in oppido Jaralcejo crexerat Dnus. Franciscus Quintano Villalobos, quodque desertum est, ex quo "el ilustrísimo Sr. Obispo Laso suprimió esta comunidad, y distribuyó las religiosas entre los conventos de la misma orden en Trujillo, Plasencia y Serradilla." Madoz. l. c.

exegit in oppido Glagarisedo <sup>1</sup>, per colloquia et praedicationes eo adduxit, ut ab Episcopo constitutiones acciperent juxta S.<sup>tae</sup> Clarae regulam; et demum ad observantiam sui instituti, perinde ac si tunc fuisset suum monasterium institutum, redactae sunt. Quod opus non mediocriter Episcopum demeruit, cum paucis diebus et suaviter id effectum videret, quod ille multis annis et magno cum labore efficere non potuerat.

1315. Erat inter Episcopum et monachos Ordinis S.<sup>ti</sup> Hieronymi, monasterii de Guadalupe <sup>2</sup>, gravissima quaedam contentio, et ad pugnam aliquando ventum erat, cum magnis Dei offensis; quae nec in curia romana nec in Consilio Regio remedium habere potuerant. Sed placuit divinae Bonitati hac ratione discordiam hanc extinguere, quod utraque pars in manibus Patris Francisci Borgiae sua jura et causam totam constituerunt. Sed cum P. Franciscus non existimaret hoc negotium sibi esse admittendum, rogavit eos ut in Principis Joannae manibus rem totam collocarent. Et ab Episcopo statim consensus obtentus est; a religiosis etiam obtinendus facile credebatur, et ad id Patrem Tablares in Monasterium Guadalupe P. Franciscus misit, nam ejus opera in hac pace componenda P. Franciscus usus fuerat. Interim autem Placentiam venit P. Franciscus sub anni finem, ubi cum magna aedificatione pro suo more versatus est.

Et haec de collegio Placentino.

## DE COLLEGIO HISPALENSI

1316. Miserat P. Franciscus, ut anno superiori visum est <sup>3</sup>, P. Joannem Juarez <sup>4</sup> mense Octobri <sup>5</sup> et quosdam alios Hispalim, ut futuro collegio necessaria paulatim praepararent. Venerant etiam ex oppido S.<sup>ti</sup> Lucae P. Alphonsus Avila, et Cor-

<sup>1</sup> *Jaraicejo*. Vide supra, pag. 481, n. 1805.

<sup>2</sup> Monasterium hoc in Hispania celebre "obtuvo jurisdiccion quasi episcopal, *vere nullius*, con señorio del lugar, mero y mixto imperio con todos los fueros y derechos del feudalismo; pero esta concesion no se encuentra en la Dataría de Roma.", Madoz, l. c.

<sup>3</sup> Supra, t. iv, pag. 465, n. 994.

<sup>4</sup> *Ibid.*, annot. 1.

<sup>5</sup> Voces *has mense Octobri* manu propria inter lineas inseruit Polancus.

duba P. Gonzalez <sup>1</sup>, Rector ejus collegii, qui excepti fuerant humaniter et collocati <sup>2</sup> in cujusdam nobilis viri domo, qui, extra urbem profectus, suam ipsis domum reliquerat <sup>3</sup>.

1317. Cum autem P. Franciscus 17.<sup>a</sup> Decembris anno praeterito Placentia profectus esset, 29.<sup>a</sup> ejusdem Hispalim pervenit; nam festa natalitia in quodam oppido praeceptoriae S.<sup>ti</sup> Jacobi (quem *Reynam* <sup>4</sup> vocant) exegerat, quam habebat Joannes de Borgia, filius ejus <sup>5</sup>, ubi bis multorum rogatu, concionatus est, et magnopere populum illum consolatus; et ex ipso itinere scripserat P. Torrensi <sup>6</sup>, Baeticae Provinciali, ut Hispalim veniret <sup>7</sup>.

1318. Ubi autem nostri Hispalenses intellexerunt adventum P. Francisci, Vicarius <sup>8</sup> Archiepiscopi <sup>9</sup>, qui et inquisitor est <sup>10</sup>, et alii primarii viri statim eum inviserunt, et omnes gratissimum sibi esse Societatis adventum in eam civitatem [ostenderunt].

1319. Quinque ex nostris, tres sacerdotes et duo alii laici <sup>11</sup>, multa utiliter ad proximorum auxilium Hispali facere juxta Societatis institutum coeperant, cujusmodi erat confessiones audire, carceres et hospitalia invisere, et alia ejusmodi; concionari tamen nondum coeperant <sup>12</sup>.

<sup>1</sup> P. Gundisalvus Gonzalez. *Ibid.*

<sup>2</sup> Has etiam voces P. Gonzalez, Rector ejus collegii et humaniter et collocati manu propria scripsit Polancus.

<sup>3</sup> Ferdinandus Ponce de Leon, *Ibid.*, pag. 595, n. 1264.—"Fernan Ponce de Leon, Caballero Veintiquatro, y Provincial de la Santa Hermandad, cristiano y piadoso., ORTIZ DE ZÚÑIGA, *Anales eclesiásticos y seculares de Sevilla*, an. 1555.

<sup>4</sup> *Reina*, oppidum in provincia Pax Augustana (Badajoz), non longe ab urbe Llerena, quod in spiritualibus subiacebat Priori Sancti Marci, urbis Legionensis, Ordinis militaris Sancti Jacobi.—His corrige Cienfuegos, qui, nulla mentione facta commorationis Patris Francisci Borgia in oppido *Reina*, ait, l. c., lib. iv, cap. xii, § 2: "Llegaron vispera de Navidad á Sevilla.,"

<sup>5</sup> Praecedentia verba quam (*praeceptoriam*) habebat Joannes de Borgia, filius ejus ipse Polanci librarius ad oram paginae, signo ut hic insererentur appposito, scripsit. Vide in his MONUMENTIS HISTORICIS, *Sanctus Franciscus Borgia*, t. i, pag. 628.

<sup>6</sup> Patri Michaëli de Torres.

<sup>7</sup> His etiam corrigendus Cienfuegos ajens, l. c., § 1: "se encaminó (P. Franciscus) á Sevilla con el Padre Torres, el P. Araoz y el P. Paulo Hernandez.

<sup>8</sup> Gaspar Cervantes de Salazar, vel de Gaeta.

<sup>9</sup> Vide supra, pag. 442, n. 1188, annot. 3.

<sup>10</sup> *Est*, licet contractum, scriptum videtur; scriberetur tamen mellius *erat*. "El licenciado Cervantes de Gaeta, que juntamente era Inquisidor apostólico., SANTIVANNEZ, l. c. lib. i, c. 17, n. 1.

<sup>11</sup> Videlicet, PP. Gundisalvus Gonzalez, Alphonsus (olim Basilus) de Avila et Joannes Juarez, et FF. Didacus (qui et Jacobus) Lopez et Joannes Gutierrez. SANTIVANNEZ, l. c., n. 2.

<sup>12</sup> Haud satis congruere postremum hoc videtur cum his, quae l. c. habet SANTIVANNEZ: "Con la licencia, que obtuvo tan grata, comenzó el P. Juan Suarez á predicar.,"

1320. Visum fuit autem P. Francisco Borgiae in ea civitate non quoslibet, sed optimos operarios esse constituendos; quod ejus magnitudo et spiritualis necessitas tales exigeret, ad ponendum praesertim fundamentum futuri collegii; ideo tam multos ex his, qui alibi perutilem operam navabant, aut navare poterant, Hispalim misit aut advocavit; nam praeter Provincialem et alios, quos nominavi <sup>1</sup>, secum adduxerat Patrem Joannem Paulum, qui olim P. Joannes Alvarez [dicebatur] <sup>2</sup>, et paulo post accersivit P. Baptistam Sanchez <sup>3</sup>. Sed ex his Patrem Joannem Paulum ad S.<sup>m</sup> Lucam misit. Voluit ibidem relinquere sex sacerdotes operarios; et quidem tres eorum concionatores erant, et reliqui ad christianam doctrinam docendam idonei. Quatuor praeterea ad domestica ministeria, ut omnes numero decem essent.

1321. Praeter hos erat ipsemet P. Franciscus cum socio <sup>4</sup>, quem <sup>5</sup> Ducissa de Bejar <sup>6</sup> et Comitissa de Olivares <sup>7</sup>, simulatque venit, ad eum salutandum miserunt. Plurimi autem nobiles per seipsos eum invisabant.

1322. Vicarius autem, praeter eleemosynam, qua nostros juvabat, locum quemdam assignare voluit, ex quo nostri necessaria sumere possent, si aliunde eleemosynae ad eos non deferrentur. Comitissa autem de Olivares ursit nostros ut ad domum quamdam suam, ipsius habitationi vicinam, nostri migrarent, quae in optimo civitatis situ erat <sup>8</sup>, et illam admit-

---

Verum facilis concordia est, si intelligatur sermonem Polancum facere de concionibus *publicis*, Santivañez vero de *privatis* adhortationibus. Ait enim hic paulo infra: "el P. Juan Suarez y sus dos compañeros en estos primeros días, desconocidos de todos, estaban y dormían donde como á pobres les cogía la noche, de ordinario en el hospital. Hacíanles (infirmis et aliis in hospitali degentibus) ellos *pláticas* en retorno del hospedaje."

<sup>1</sup> Supra, n. 1316 et 1317.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv. pag. 464, annot. 5.

<sup>3</sup> Vide supra, t. iv, pag. 390, n. 838 et in hoc t. v, supra, pag. 469 et 470, nn. 1272 et 1273.

<sup>4</sup> Voce hac *socio* exprimi existimamus Patrem Joannem Paulum (Alvarez), quem P. Franciscus Placentia Hispalim *secum adduxerat* (n. praecedenti). Nec enim esse poterat fr. Joannes Paulus Borellus, qui Romae (*Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 201), nec P. Bartholomaeus Bustamante, qui Septimancis, versabatur (*Litterae Quadrimestres*, t. iii, pag. 297).

<sup>5</sup> Patrem scilicet Franciscum Borgia.

<sup>6</sup> Dna. Theresia de Zuñiga, tertia Ducissa de Bejar. Burgos, *Blason de España* t. ii, pag. 64.

<sup>7</sup> Dna. Francisca de Ribera Niño, uxor Petri de Guzman, I Comitis de Olivares, Burgos, l. c. t. iv, pag. 266. SANTIVAÑEZ, l. c., cap. 19, n. 9.

<sup>8</sup> "Tomó muy á su cargo Francisco Fernandez de Pineda buscar la casa que desea-

tendam esse P. Franciscus judicavit, donec Vicarius situm alium, ubi nostri permanerent, assignasset.

1323. Coepit autem P. Franciscus Borgia concionari ipso die Epiphaniae in parochia quadam primaria urbis, cum selecto admodum et frequenti auditorio, cui abunde satisfacit cum magna eruditione et spiritu verbum Dei proponens.

1324. Eodem die praedicavit P. Alphonsus Avila (qui postea Basilius fuit dictus, et in posterum sic nominatus); mane et post meridiem christianam doctrinam in carcere explicavit, et ita prosequutus conciones et colloquia, gratissimus Hispalensibus esse coepit; nec mirum, cum rarum ad hoc ministerium a Domino talentum accepisset.

1325. Tam multae autem conciones ex variis ejus urbis locis petebantur, ut cum essent quatuor aut quinque initio hujus anni concionatores<sup>1</sup>, omnibus tamen desideriis satisfieri non posset. Accidebat autem aliquando ut eodem die plures in urbe, et aliquis extra illam in aliquo pago vicino, concionarentur, et utrobique cum magna hominum aedificatione. Ingens autem populi numerus ad conciones audiendas confluebat, usque adeo ut qui locum commodum ad audiendum vellet, una et pluribus horis ante lucem locum occupare deberet. Accidit autem ut cum per januas portarum non pateret, propter auditorum multitudinem, per tecta vicinorum aliqui sacerdotes et probi viri aditum sibi ad audiendum aperirent. Fundebantur lacrymae ubertim, et quod in ecclesiis audiebatur, domi diligenter complebatur.

1326. Cum postrema Quadragesimae concione, quam P. Basilius habuit, vehementissime ad lacrymas populus esset commotus, quatuor aut quinque publice et alta voce condonarunt injurias capitales, quas acceperant; hic mortem patris, ille matris, mulier quaedam filiae suae, alia autem sororis condonarunt.

1327. Alio autem die cum P. Gonzalez, quintum explicans praeceptum Decalogi, ad fraternam dilectionem homines hortaretur, emollivit Dominus viscera viri cujusdam, qui alapa cae-

---

ba San Francisco. En sitio acomodado no halló otra que mejor nos estuviese que una casa (si bien capaz, bien mal parada) en la calle que llamaron de la Pellejería en la Perroquia de Sant Miguel, á la plazuela que se estiende cabe el monasterio de monjas dominicas, Nuestra Señora de Gracia., SANTIVAÑEZ, l. c., n. 7.

<sup>1</sup> Scilicet, P. Joannes Suarez, P. Alphonsus seu Basilius Avila, P. Gundisalvus Gonzalez, P. Joannes Baptista Sanchez praeter ipsum Patrem Franciscum Borgia.

sus fuerat, quem nec nobilium nec Inquisitorum preces emollire potuerant. Litem ergo importunam et vexationem longam et magnas expensas missas faciens, pro foribus ecclesiae, omnia libenter adversario, Christi amore, condonavit.

1328. Patre etiam Baptista Sanchez concionante, quarumdam nobilium matronarum diu dissidentia corda, in ipsa ecclesia, multis videntibus et admirantibus, conciliata sunt. Sed et P. Joannes Suarez apud carcerem publicum octavo quoque die, cum fructu non mediocri, concionatus est. Explicabat fidei articulos pro foribus nostrae domus quidam ex nostris, singulis dominicis diebus, et tanta hominum multitudo audiendi studio conveniebat, ut vix concionatoris vox, alioqui alta et clara, posito juxta fores suggestu, ab omnibus posset audiri.

1329. Erat e regione coenobium quoddam monialium ordinis S.<sup>ti</sup> Dominici probatae sanctitatis <sup>1</sup>, quarum confessarius, cum ex cella sua lectionem praedictam audisset, Priorem <sup>2</sup> adiit et impetravit ut certis quibusdam diebus in monialium templo ea lectio haberetur.

1330. Servis <sup>3</sup> etiam, quantum eorum ferebat captus, christianae fidei documenta explicabantur, unde fructus non poenitendus capiebatur; et cum mercator quidam semel hanc slavorum (*sic*) lectionem audisset, statim eum, qui praelegerat, domum secutus, ei peccata confessus est.

1331. Pergebant autem concionari P. Baptista et P. Paulus in variis urbis templis magno cum applausu et commotione; fructus autem, qui consequencebatur, vel ex confessionibus cerni poterat multorum annorum, quae a multis fiebant, et ex eorundem et aliorum auditorum fervore in invisendis xenodochiis, ut ibi aegrotantibus ministrarent. Duo etiam fuere viri, alter nobilis, alter mercator, qui sic commoti fuere, ut quae ad nimum sui ornatum paraverant, venderent, parietes etiam domorum suarum tapetibus spoliarent, ut in pauperum usus pre-

<sup>1</sup> Monasterium supra dictum *de Santa Maria de Gracia*, quod paucis ante annis crexerat Joannes Fernandez. Madoz, l. c., t. xiv. — Vide supra, n. 1322.

<sup>2</sup> Priorissam?

<sup>3</sup> Mancipia intellige, sive eos, qui vel jure belli, vel alia ratione, ex Indiis asportati, praesertim vero ex saracenis capti, publicis operibus aut privatorum servitio addicebantur, quorum non exiguus numerus Hispali tunc temporis erat. — "los esclavos, de que hay muchos millares en esta ciudad.", P. Joannes Juarez Patri Ignatio de Loyola, Hispali, 27 Aug. 1556. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. iv, pag. 419.

tium distribuerent. Fuerunt et virgines, quae relicto huiusmodi vano et caduco apparatu, solitudinem et poenitentiam elegerunt.

1332. Fuit etiam instituta fraternitas quaedam, quam *charitatis* vocabant, quae pauperibus jam convalescentibus, postquam ab hospitali dimittebantur, necessaria subministraret, et omnibus aliis indigentibus opem ferret <sup>1</sup>. Commoti etiam fuerunt adolescentes, et inter ipsos convenit ut ea, quae prius in ludis, conviviis, et aliis huiusmodi vel pejoribus rebus prodige consumeabant, in subventionem pauperum converterent.

1333. Cum autem conciones quaedam de morte et iudicio a quodam ex nostris habitae essent, ad tantam compunctionem auditores, qui plurimi confluebant, venerunt, ut non solum lacrymis in templo eam testarentur, sed per vias publicas gemitus et fletus cernerentur, et de vitae reformatione ac poenitentia serio agebant. Fuit qui statim a concione, ubi domum rediit, tapetia et ornamenta ex eis sustulerit, et sua etiam vestimenta ad magnam modestiam reduxit. Matronae etiam sericas vestes exuebant, et ad pauperes aliquas earum mittebant. Aliquae etiam monasterium ingredi decreverunt; et prout facile ex confessionibus intelligi poterat, cultum moderatum <sup>2</sup> et omnia superflua resecabant; et haec eo usque progressa sunt ut, cum panni serici ad pretium moderatius descendere soliti non essent, tunc viliori pretio vendi inciperent, quinta saltem parte de consueto pretio substracta <sup>3</sup>.

1334. Aliqui etiam, qui prius adduci non poterant ad quaedam poenitentiae opera, cujusmodi sunt flagellationes, cum intelligerent in alio saeculo exigendam esse satisfactionem, si in hac vita non fieret, et flagellis se caedebant et bona sua cum pauperibus communicabant; quamvis ad hoc etiam confessiones magnopere juvabant, a quibus tam commoti aliqui surgebant ut tum primum dicerent se confessos esse.

1335. Ad hanc motionem urbis non parum conciones illae

<sup>1</sup> Cum tot olim fuerint et adhuc sint Hispali confraternitates, quae diversis *charitatis* operibus vacant, haud facile decernere est quanam haec fuerit, a Patribus Societatis, qui primi sedem in illa urbe fixere, instituta, cujus meminit quidam SANTRYANZ, l. c., cap. 19, n. 5, verum iisdem fere verbis quibus utitur hic Polancus.

<sup>2</sup> Sic; verum aut desideratur aliquod verbum, puta *usurpabant*, aut immutanda haec sunt hoc modo: cultum (corporis) moderabant.

<sup>3</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV. pag. 85 et 91.



contulerunt, quas nostri in Adventu Domini, approbante P. Provinciali et Hispalensi Vicario <sup>1</sup>, in quodam publico loco habuerunt, quem *Gradas* <sup>2</sup>, vocant, quo nobiles et mercatores admodum frequentes convenire soliti erant.

1336. Aliqui nescio quid divinabant, accepta occasione ex doctrina parum sincera, quae Hispali fuerat a quibusdam haereticis praedicata: et quidam inter alios, qui iudex fuerat quorundam, qui in praedictis gradibus male praedicaverant, et eos damnaverant <sup>3</sup>, unde cum invitaretur ad huiusmodi conciones audiendas, respondit: "Quorsum huiusmodi praedicationes tali in loco?", eos adducendo, qui damnati fuerant, cum tamen ibidem praedicassent. Sed tandem audivit et non solum mutavit sententiam, sed nostros accersens et exercitationem ac do-

<sup>1</sup> Padre, scilicet, Michaële de Torres et Dre. Cervantes de Salazar.

<sup>2</sup> *Gradas* appellatur Hispali spatium quoddam lapidibus stratum, juxta muros cathedralis ecclesiae, ad quod per *gradus* aliquot ascenditur. Ibi, ut Polancus ait, nobiles et mercatores admodum frequentes convenire soliti erant deambulandi, confabulandi et animi relaxandi gratia, et tam de re publica quam de privatis negotiis sermones miscebant.—"Gradas, lugar el más público y de más concurso en Sevilla.", SANTI-VAÑEZ, l. c., n. 10.—Vide etiam annot. seq.

<sup>3</sup> Praecipuus eorum, qui in his *gradibus* haeresim aut saltem quaedam haereticis familiaria et trita praedicaverant, fuerat Rodericus de Valer. "En esta pues rica y hermosa ciudad y paraíso de deleites, centro de la contratación de las Indias Occidentales, vivía por los años de 1540 un noble caballero, natural de Lebrija, llamado Rodrigo de Valer, el cual toda su vida ocupaba en mundanos ejercicios, deleitándose mucho en jugar y cazar, y tener buenos caballos y bien enjaezados. De pronto, y como si estuviera movido por sobrenatural impulso, se le vió dejar sus antiguos pasatiempos y consagrarse todo á la lectura y meditación de la *Biblia*, que aprendió casi de memoria, con ayuda de un poco de latín que en su mocedad había estudiado. En suma, se hizo un fanático y dejándose guiar por sus propias inspiraciones (y sin duda por algún libro protestante que le cayó en las manos, aunque Valera y Reinaldo de Montes lo disimulan), á cada paso trataba disputas con clérigos y frailes, echándoles en cara la corrupción del estado eclesiástico. Y esto lo hacía en medio de las plazas y de las calles, y hasta en las mismas gradas de la catedral, que eran lonja de mercaderes y mentidero de ociosos. Decíase inspirado por el espíritu de Dios, y nuncio y mensajero de Cristo para aclarar las tinieblas del error y corregir aquella generación adúltera y pecadora.

Tanto porfió el propagandista laico, que la Inquisición tuvo que llamarle á su Tribunal. "Y entonces (dice Cipriano de Valera) disputó valerosamente de la verdadera Iglesia de Cristo, de sus marcas y señales, de la justificación del hombre, y de otros semejantes puntos.... cuya noticia Valer había alcanzado sin ningun ministerio ni ayuda humana, sino por pura y admirable revelacion divina."

Los inquisidores se hubieron con él muy benignamente; le creyeron loco, y le pusieron en libertad, confiscándole parte de sus bienes. Pero como él siguiera en sus predicciones, volvieron á llamarle algunos años despues, y le hicieron retractarse por los años de 1545; ceremonia que se verificó, no en auto público, sino en la iglesia mayor entre los dos coros. Se le condenó á sambenito y cárcel perpetua, con obligacion de oír misa y sermon todos los domingos en la iglesia del Salvador., MENENDEZ Y PELAYO, *Historia de los heterodoxos españoles*, t. II, lib. IV, cap. 9.

cumenta illa commendans tali loco proposita, ut prosequerentur certa <sup>1</sup> nostros animabat. Passim autem ab omnibus, haec praedicatio ut valde opportuna, probata fuit. Invecti sunt etiam in conciones contra illas domos, in quibus ludis et rebus aliis inhonestis Hispali complures operam dabant; ipsum etiam Vicarium, et alios quorum intererat remedium adhibere, ad illud adhibendum est adhortatus <sup>2</sup>. Nec inutiliter ea in re laborarunt. Insectati etiam sunt chartas lusorias, libros ac versus, qui res parum honestas continebant, et magna vis hujusmodi chartarum aut librorum fuit combusta.

1337. Qui ad concionandum se conferebant, si quos inveiebant in publicis viis ac plateis otiosos et in diversoriis crapulae operam dantes, et alia hujusmodi, coram se eos agebant velut oves ad eum locum, ubi concionandum erat; et id aliquando silentio, aliquando orationes christianae doctrinae dicendo, quod non minimae aedificationis erat eis, qui in ecclesia conciones expectabant. Tam multae conciones etiam in longum petebantur <sup>3</sup>, ut oporteret aliqua ratione ab eis evadere. Et ita decreverunt sic respondere quod certum ipsis non erat quod tamdiu essent victuri; et ita, post unam concionem absolutam, aliam se habituros promittebant, nec longius progrediebantur. In quibusdam etiam monasteriis religiosorum nostri concionati sunt.

1338. Quod ad confessiones attinet, illos videbatur Dominus adducere ad nostros confessarios, de quorum remedio alii spirituales medici parum sperabant, quod in peccatis consensissent; et tam admiranda per hoc sacramentum operabatur Dei gratia, ut magnam nostris occasionem confusionis et etiam gratiarum actionis praeberet. Cum autem multi nobiles, et divites, et cujusvis conditionis homines confiterentur, aliqui ad frequentationem sacramentorum animum applicabant, alii restitutiones non modicae summae faciebant. Cum autem propter navium magnam jacturam, quae tunc acciderat, pauperes gravem pe-

<sup>1</sup> Vox haec *certa* hic intra lineas, perperam fortassis, superaddita est in ms.

<sup>2</sup> Sic; esset tamen rectius *sunt adhortati* magisque cum hispanis verbis, plus autem cum latinis, litterarum, e quibus haec deprompta sunt, congrueret. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. iv, pag. 83 et 91.

<sup>3</sup> Magis perspicue haec exprimit Joannes Xnarez, scilicet: "Tan crebra et tam praematura est concionum efflagitatio, ut oportuerit....", *Ibid.* pag. 93.

nuriam passuros putaretur, curatum est a nostris diligenter ut eleemosynae largae fierent ad eorum subventionem.

1339. Declarabat P. Suarez in publico carcere christianam doctrinam, de illa octavo quoque die praedicando; et praeter multa negotia, quae ab eo expedita ibi fuerunt, usa est divina Bonitas ejus ministerio ad haeretici cujusdam, natione flandri, qui in vinculis erat, conversionem. Petrus Mendel <sup>1</sup> vocabatur et ad pedes Martini Lutheri se enutritum aiebat ejusdem doctrina imbutum. Cum hic ad mortem damnatus esset, quae postridie consequutura erat, admonitus de confessione facienda, subridens respondit: "Jam ego Domino meo confessus sum, cui peccata mea sunt nota; cur confitebor homini peccatori simili mihi?". Vocatus est ergo ad eum adjuvandum P. Suarez; sed statim ille suam vesaniam propalare coepit. Adducti fuerunt doctissimi viri Ordinis Praedicatorum, scilicet magister Chanarius <sup>2</sup> et magister Vincentius Calvus <sup>3</sup>; agunt cum illo dialectico et theologico more semel atque iterum, frustra tamen efficacia argumenta proponendo. Postridie mane solus P. Suarez ad eum accedit, cui, ob conciones ejus auditas, utcumque affectus ille fuerat. Adduxit autem illum ratiocinatione quadam familiari ut optaret et ex animo peteret a Domino doctrinam ac viam salutis. Ille autem hoc facturum se recepit et ea nocte quievit; sequenti die, a potestate Summi Pontificis exordio facto, paulatim deductus est omnes errores Lutheri; et his omnibus abjuratis et sanctam Ecclesiam Catholicam confessus, nocte sequenti ac postero die circiter viginti horas suorum peccatorum confessioni sacramentali impendit (distulerant enim judices jam latae sententiae executionem), nam totis triginta sex annis praeteritis confessus nunquam fuerat. Postridie, in altari publico, publice errores suos secundo abjurans, ac veritatem catholicam professus, Missa audita, suscepit Eucharistiae sacramentum. Successit in eodem carcere concio P. Joannis Baptistae in actionem gratiarum; quae omnia multum laetitiae et aedificationis non solum toti carceri, sed magnae parti civitatis attule-

<sup>1</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 381.

<sup>2</sup> Mag. Fr. Joannes de Salas. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 378, annot. 1.

<sup>3</sup> Prior Domus Sancti Pauli, Hispali. *Ibid.*—"El Maestro Fray Vicente Calvo, de la Orden de Santo Domingo, Religioso doctísimo y admirable en el púlpito.", ORTIZ DE ZÚÑIGA, *Anales eclesiásticos y seculares de Sevilla*, ad ann. 1545.

runt. Detulit deinde Petrus ille Mendel ad Inquisitores delicti sui complices, ita <sup>1</sup> ut sperari posset zizaniam ex illo agro Domini hac ratione colligi posse, quam inimicus homo semina-verat.

1340. Idem P. Baptista Sanchez quibusdam diebus ad littus fluminis accedebat, ubi magna navium erat multitudo, et tam naucleros, quam nauticam illam multitudinem ad sacramenta confessionis et Eucharistiae, non sine fructu maximo, exhortabatur; multi enim hujusmodi homines ad nostros confessionis gratia confluerunt.

1341. Invenit idem Pater quasdam puerorum turmas, qui, multis spectantibus, fustibus inter se certabant; et tam serio pueri id agebant, ut lictores eos comprimere minime possent. At Pater Baptista blandis sermonibus eos alliciens, per mediam urbem in processionis modum eos deducit; illo praeunte et illis subsequentibus, christianam doctrinam dicebant, donec ad pauperum domum ventum est, ubi fustes in fascies congregati foco pauperum deputati sunt. Pueri vero post exhortatiunculam amanter dimissi <sup>2</sup>.

1342 Sic autem nostris bene affecti erant hujusmodi pueri, ut nostros usque ad suam domum comitarentur, ac postea, digladiatione relicta, ultro ad nostros conveniebant. Et quamvis hoc spectaculum pergratum fuit civitati, etiam et illud Patris Basilli gratissimum fuit, qui complures servos aethiopes <sup>3</sup>, qui in plateis diebus festis commorari, et ludos parum honestos exercere soliti erant, hos, inquam, in ordinem redigens ad proximam ecclesiam deduxit, ibidemque eos a vitiis deterrendo, ad vitam christianis dignam hortabatur.

1343. Non solum nostri docebant et consolabantur detentos in publica custodia, sed damnatis ad mortem aderant, ut eos animarent et ad bene moriendum instruerent. Aliquando etiam ex ipso loco supplicii ad multitudinem expectantium con-ciones habebant; nec defuit cujus cor Dominus moveret ex hujusmodi spectatoribus, ut odio et voluntate alium occidendi de-

<sup>1</sup> Ms. habet *et*.

<sup>2</sup> Fusc hacc et sat pulchre enarrata reperies apud SANTIVÁÑEZ, l. c.

<sup>3</sup> Servos, scilicet, qui non ex Aethiopia tantum, sed etiam qui ex aliis Africae locis aut ex India et Oceania ortum ducebant. (Vide supra, pag. 488, n. 1330, et annot. 8.) Vox *aethiops* hic, ut, alibi saepius, nigrítam (hispanice *moreno*) significat.

posito, a quo graviter fuerat vulneratus, ad peccata sua confitenda domum veniret, omni vindictae proposito abjecto.

1344. In perjuriis ac juramentis magna etiam emendatio est consequuta; cum autem per tribunalia nostri aliquando transirent, et amanter juramenta, quae ibi plurima inutiliter fiebant, corrigerent, commotus est iudex <sup>1</sup> et constituit ne in illo suo tribunali quisquam sine necessitate juraret, sub certa quadam poena pecuniaria.

1345. Sic etiam in loco publico, ubi merces asservantur et venduntur (*algondicum* arabico vocabulo vocant), et quo maxima hominum multitudo solet concurrere <sup>2</sup>, post primam concionem, quam ibi quidam ex nostris habuit, per praeconem publicum deputati, unus scilicet ex viginti quatuor senatoribus <sup>3</sup>, et alter juratus urbis, prohibuerunt ne quis juraret eo in loco, sub quadam poena etiam pecuniaria. Et si juramentum cui excidisset, laeto animo pecuniam solvebat et emendationem proponebat.

1346. Haec juramentorum correctio ultimis hujus anni mensibus fuit observata tam in publicis viis, ecclesiis et domibus privatis, ubi nostri aderant; et tam nobiles quam ignobiles, pro-

<sup>1</sup> Hunc fuisse putamus Doctorem "Fernan Perez de la Fuente, presidente de la Audiencia de los Grados," (ORTIZ DE ZÚÑIGA, *Anales eclesiásticos y seculares de la Ciudad de Sevilla*, t. III, ad an. 1554 et 1555), qui plura, severe nimis, ut aliquibus videbatur, statuit ad illius Regiae Curiae reformationem.

<sup>2</sup> "Alhóndiga: sita en la plaza, á que dá nombre. Es un suntuoso edificio, edificado por los árabes en el tiempo de su dominacion; pero aunque del gusto de aquella época, es grande y cómodo: tiene un gran patio y á la derecha una serie de arcos y bóvedas bajas formando gran número de calles en donde se hace el mercado de granos. Hay local para las oficinas y asistencia de la autoridad, habitacion para el alcaide, espaciosos almacenes, y al frente de la entrada se encuentra un patio pequeño con habitaciones, y los grandes almacenes del Posito-monte-pío de que hablamos en otro lugar.

Como á la conquista no llevase el Santo Rey en su ejército mas que soldados y frailes entre quienes se hizo el reparto de la ciudad, y no fuera propio de esta gente las ocupaciones mecánicas, quedó la Alhóndiga al cuidado de los mismos árabes, que hasta entonces habían tenido esta ocupacion, y se les señaló para habitar un barrio contiguo que aún se llama la *Morería*, y ha desaparecido casi en su totalidad por el derribo del cuartel de San Pedro.

La Alhóndiga se rigió muchos siglos por las ordenanzas que le dieron los reyes Católicos en 11 de mayo de 1479 y despues por las que han exigido las circunstancias para el buen orden en la compra y venta de granos y regularidad del abasto público., MADRIZ, I. C., t. XIV, verbo SEVILLA.

<sup>3</sup> "VEINTICUATRO. Regidor de ayuntamiento de algunas ciudades de Andalucía, según el antiguo régimen municipal., *Diccionario de la Real Academia española*.—Hi, secus ac *Jarati*, ex nobilioribus civitatis eligeantur et munus suum non uno tantum, ut illi, anno exercebant sed pluribus, quandoque etiam per totam vitam. Vocabantur communiter *Caballero veinticuatro*.

vectoris aetatis et juniores, cum reverentia tamen ac decencia eos admonebant. Et hoc a nostris perlibenter audiebant et abusum illum emendabant. Et accidit aliquando, si quis jurasset et aliquem de Societate venientem vidisset, antequam ille quicquam diceret, detecto capite salutationem angelicam, et aliquando etiam genibus flexis, dicebat; et in publicis, cum unus admonebatur, omnes simul, qui aderant, salutationem dominicam vel angelicam <sup>1</sup> simul cum eo, qui juraverat, recitando, ad emendationem juvabant. Idem in quavis offensa Dei publica fiebat, adeo ut jam alloqui multos non opus esset, sed simul atque ipsi nostros videbant, seipsos corrigebant. Immo et nostris absentibus id ipsum facere solebant; quod in ecclesiis et ejus ministris etiam accidebat, qui, nostris conspectis, ad modestiam, quam eorum status exigit, se componebant.

1347. Lites multorum compositae fuerunt, odia extincta; hi autem, qui in carceribus detinebantur, non pauci liberati, dum persuaderetur ut hic duos, ille quatuor et plures, sua <sup>2</sup> debita solvendo, liberet. Curatum est etiam ut concionatores nostri ad hoc pium opus homines moverent.

1348. Mense Octobri Patres Gonzalez et Suarez in oppidum S.<sup>ti</sup> Lucae se contulerunt <sup>3</sup>, ubi classis plus quam quinquaginta navium in Indiam erat jam jam navigatura; et non defuit illis bene merendi de multis occasio, tam in concionibus, quae in ecclesia et maris littore habebantur, quam in confessionibus militum multorum, qui sine confessione periculosam illam navigationem incipiebant. Ut autem eos adhortarentur, in ipsas naves ingrediebantur.

1349. Inde in civitatem Jerez profecti sunt, ubi non minor animorum commotio est consecuta. Congregati autem primores urbis, decreverunt, re consultata, nullam iniri posse rationem commodiorem ad factiones ipsorum extinguendas, quam si Societas apud ipsos resideret, et ita id curare coeperunt.

1350. Ibidem adhuc manebat magister Gaspar Lopez cum quibusdam discipulis, de quo superius facta est mentio <sup>4</sup>, qui

<sup>1</sup> Sic; melius tamen "orationem dominicam (*Pater noster*) et salutationem angelicam (*Ave Maria*)."

<sup>2</sup> Sic; rectius *eorum*.

<sup>3</sup> Vide tamen *Litterae Quadrimestres*, t. iv, pag. 87 et pag. 93, annot. 2.

<sup>4</sup> Jam a t. i, pag. 302, n. 262.

magnopere animati fuerunt et laetati, et paulatim Hispalim deinde accessere ad spiritualia exercitia suscipienda. Impe-  
trarunt autem eis nostri a Vicario Archiepiscopi <sup>1</sup> facultatem concionandi, et facultates audiendi, eis quidem, qui talentum ad id nacti fuerant. Multi ex his cum suo praeceptore ad Societa-  
tem nostram erant propensi, sed nondum in eam admissi. Nostri autem in hospitali hospitium ibidem habuerunt, in quo et confessiones audiendo, et morituros adjuvando, et mortuos etiam pauperes sepeliendo, opportunam operam navarunt.

1351. Inde in alia oppida, scilicet Utreram et Carmonam, quorum alterum quatuor, alterum sex millia familiarum habet, unde saepius aliquid subsidii a nostris postulaverant. Ad con-  
ciones frequentissimus erat concursus; multae injuriae condonatae fuerunt; multorum etiam necessitati subsidium datum est. Erat qui, cum duo haberet indusia, alterum ad hospitale mittebat. Magna vis profanorum librorum et chartarum copia combusta. Fuit qui horum viginti libros adduceret. In utroque ex praedictis oppidis domum Societatis expetebant, et neces-  
saria ad quorundam sustentationem offerebant <sup>2</sup>.

1352. Prius, id est, post 2.<sup>um</sup> festum Natalis Domini <sup>3</sup>, nostri ad vicina loca se contulerunt, tres, scilicet, aut quatuor ope-  
rarii, postquam Hispalensium devotioni satisfecerant; nec so-  
lum praedictis locis consolationem et spirituale auxilium tulerunt, sed etiam ipsis Hispalensibus aedificationi fuit, cum viderent nostros non id agere solum ut in magnis civitatibus resideant, sed etiam libenter pauperibus agricolis suam operam impendere. In his ultimis peregrinationibus, cuidam animae inter alias insignem gratiam contulit Deus, quae sex vel octo annis in gravissimis peccatis sic versabatur, ut summa cum hypocrisi ea suum confessarium etiam celaret, ut vix ille materiam absolutionis inveniret; et tamen hujus animae misertus

<sup>1</sup> Hispalensis, cui subjacet Jerez.

<sup>2</sup> Temporis decursu in utroque oppido pedem Societas fixit, Utrerae quidem anno 1625, Carmonae vero paucis post annis.

<sup>3</sup> Librarius scripserat hic *pascha*. Festum enim Natalis Domini appellari ab hispanis consuevit *pascha pascua de Navidad*, ut Pentecostes *pascua del Espíritu Santo*. Sed illa voce *pascha* deleta, superscripsit Polancus 2.<sup>um</sup> festum Natalis Domini; in quibus advertendum est vocem illam 2.<sup>um</sup> cancellatam videri, at non satis perspicue, in Ms.; quod si cancellanda non sit, tum id, quod verbis his exprimere voluit Polancus est *alterum post festum Natalis Domini diem*, videlicet, *viginti sextum Decembris*.

est Dominus, et non facile et indiscrete confidendum esse cuivis, licet sanctitatem prae se ferat, documento fuit.

1353. Victui et vestitui necessaria abunde nostris ex elemosynis suppetebant, quamvis initio, dum alii ab aliis suppeditari existimarent, exercendae patientiae occasionem nostris praebebant. Copiosa supellex domui et sacello nostro et vasa atque ornamenta cultui divino opportuna, satis pretiosa, donata fuerunt.

1354. Is autem, qui Archiepiscopatum Hispalensem gubernabat loco Archiepiscopi, qui Inquisitor etiam erat, vir eruditione et prudentia clarus nobisque jam ab initio maxime adductus <sup>1</sup>, spiritualia Exercitia suscepit. Quantum autem in eis profecerit, facile bonus odor, quem ex se diffundebat, testabatur. Tam molestum autem ei erat onus aliis imperandi, ut illud rejecerit, Caesaraugustam profecturus, ubi tantum rebus ad fidem promovendam vacaret <sup>2</sup>.

1355. Alius etiam visitator Archiepiscopatus, Dr. Cebadilla nomine, in eisdem Exercitiis magnopere profecit. Nobiles autem, qui elatiori cervice ac duriori prius incedebant, demissius agere coeperunt, concionibus diligentius intererant, et crebrius confitebantur. Quidam ex his aegrotans ac Patri Baptistae confessus, sic animatus fuit, ut alios nobiles exemplo et verbis ad pietatem hortaretur, a quo instituto prius longe aberat.

1356. Semper autem Vicarius nostrorum exercitationibus favit et contradictiones pro virili sustulit, immo curiones et eorum vicarios hortabatur ad christianam doctrinam, more Societatis nostrae docendam, et ut se colligerent et ad Deum magis accederent per spiritualia Exercitia. Simul autem cum visitatore praedicto <sup>3</sup>, octavo quoque die nostris confitebatur, et crebrius etiam sacrum faciebat quam festis et dominicis diebus, quod hominibus in hujusmodi officiis occupatis consuetum ibidem non erat; visitabat idem pauperes hospitalium, et eisdem subveniebat, et multos, nobiles et ignobiles, ad hoc ipsum mit-

---

<sup>1</sup> Is scilicet, qui alibi saepius Archiepiscopi Vicarius appellatur, Gaspar Cervantes de Salazar, vel de Gaëta.

<sup>2</sup> Haud tamen ei res e sententia successit. Nam anno 1561 Messanensis, anno 1564 Salernitanus, anno 1568 Tarraconensis Archiepiscopus, et tandem anno 1570 S. R. E. Cardinalis creatus est. Obiit 1575, aetatis 64. GONZALEZ DAVILA, LAFUENTE, GAMS, etc.

<sup>3</sup> Doctore scilicet Cebadilla.



tebat. Aliqui praeterea extiterunt, qui spiritualibus Exercitiis excolerentur.

1357. Mense Junio P. Gonzalez cum P. Basilio Cordubam, et deinde Granatam discesserunt, quinque sacerdotes et totidem fratres de Societate nostra Hispali relinquendo. Duos autem sacerdotes et tres laicos ibidem in Societatem admiserant, quamvis alio eos dimiserint.

Et haec de Collegio Hispalensi, in quo tamen nec domus propria nec ulli reditus toto hoc anno habiti fuerunt.

### DE NOSTRIS APUD S.<sup>ti</sup> LUCAM RESIDENTIBUS

1358. Antequam Hispalense Collegium inchoaretur, nostri in oppido S.<sup>ti</sup> Lucae de Barrameda residebant, numero pauci, quia quatuor vel quinque tantum; sed non inutiliter in ea Domini vinca versabantur; cum et confessionibus et praedicationibus et christianae doctrinae explicationi diligenter incumbere. Et tam ex palatio, ubi Duces Medinae Sydoniae et Comites Nieblae <sup>1</sup> eorum opera multum utebantur, quam ex ipso populo, qui huic Duci subditus est, fructum coeperunt. Hinc autem et magister Azebedo, sacerdos et in rhetoricis egregie exercitatus, et Melchior Marcus, praefectus musicorum Ducis, admissi in Societatem fuerunt <sup>2</sup>.

1359. Evocatis autem sub initium anni hujus P. Alphonso de Avila et quibusdam aliis ut Hispalim venirent, quemadmodum superius diximus <sup>3</sup>, missus fuit in hoc oppidum 15 Januarii <sup>4</sup> P. Joannes Paulus cum aliis fratribus, quorum unus sacerdos erat <sup>5</sup>, ut prosequerentur quae bene coepta ibi fuerant ad Dei gloriam et populi utilitatem. Fuit autem missus P. Joannes Paulus cum sociis secundo flumine ut ad portum S.<sup>ti</sup> Lucae sic pervenirent; et tanta tempestas exorta est, ut etiam in brevi

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 465, n. 994.

<sup>2</sup> Vide *ibid.*, pag. 467, n. 998.— Nomen huic Mag. Acebedo erat Petrus.

<sup>3</sup> Pag. 484, n. 1316.

<sup>4</sup> Verba 15 Januarii apposuit ad oram paginae Polancus.

<sup>5</sup> Haec etiam cum aliis fratribus, quorum unus sacerdos erat hic inter lineas scripsit Polancus.

navigatione naufragium fuisset faciendum, si peculiari Dei <sup>1</sup> providentia nostris non fuisset a Deo subventum; nam ventorum vis navigium evertit, ita ut jam illius velum aqua involveretur; et eo res rediit ut nautae, spem omnem abjicientes, tantum de deflenda sua morte agerent, nec remedium ullum adhiberent. Sed nostri, Deo adjuvante, velum ex aqua eduxerunt, et duos remos alter ex nostris accipiens, nautarum ac remigum officium exequabatur; nam ex illis alter, cum terrae vicinus esset, cymbam deseruit; quae, licet erecta fuerat, aqua tamen plena erat <sup>2</sup>. Dum itaque nostri partim orationibus, partim explendo nautarum officium, id praestant, quod possunt, ipsa tempestas vi ventorum cymbam in terram projecit. Cum autem mors omnibus tam vicina imminebat, hoc magnopere nostros omnes consolabatur, quod ex obedientia eam navigationem susceperant; quodque, sicut mare, quos vivos recipit, reddit mortuos, sic etiam obedientia, quos mortuos recipit, reddit vivos Christo. Quidam ex nostris, rosarium in manu tenens ac Beatissimam Virginem invocans, dicebat quod nec aqua nec pisces illud de ipsius manu erepturi erant.

1360. Cum autem in terram desiluissent, non minus periculum subierunt; pluvia enim torrentes magnos effecerat, per quos cum magno periculo erat transeundum, cum omnino extra viam essent; et si nox eos errantes deprehendisset, quae jam imminebat, cum nulla domus appareret, nec ubi injuriam frigoris ac pluviarum vitare possent, humanitus ea nocte facile periissent. Sed placuit Deo ut domum quamdam ante tenebras <sup>3</sup> viderent, ubi et eo iter dirigentes, noctem illam sub tecto exegerunt.

1361. Inde ad populum quemdam non procul distantem, eleemosynam mendicando, pervenerunt; et quia nullum ibi erat hospitale, ad quoddam diversorium aegre sunt initio admissi; sed postquam hospites salubria colloquia eorum sunt experti, biduo nostros retinuerunt, et magnam charitatem eis exhibuerunt. Nec solum sine pretio necessaria subministraverunt, sed veniam etiam petebant, si quid minus bene ab eis actum esset, et rogabant ut Societas hospitium suum vellet esse diversorium

<sup>1</sup> Sic; verum aut haec vox Dei aut paulo infra voces a Deo redundare videntur.

<sup>2</sup> *Fuerat* habet ms.

<sup>3</sup> *ante tenebras*, scilicet, *noctis* seu *ante noctem*.

illud, ubi hospitalis loco possent divertere. Dederat enim eis stipendium Dominus magnae spiritualis consolationis ac fructus.

1362. Inde ad oppidum S.<sup>ti</sup> Lucae magno cum labore propter vim aquarum pervenientes, simulatque conspecti sunt, summa laetitia populum eum affecerunt; et statim aliqui ad Duces currerunt, ut adventum nostrorum significarent, qui statim ad nostros salutandos miserunt; et postridie comes Nieblae, primogenitus Ducis <sup>1</sup>, nostros invissit, et quae necessaria erant ad eos reficiendos, qui aegritudinem ex incommodis itineris contraxerant, tam amanter providebant, ut ipsamet Comitissa in suo cubiculo cum suis manibus, quae opportuna essent, vellet praeparare; et quia nostri recusabant delicata quaedam admittere, quae recipiebantur <sup>2</sup>, tam moleste id accipiebat, ut accipere illa necesse esset ob ejus consolationem, donec aegritudo levior facta fuit.

1363. Vicarius <sup>3</sup> etiam et alii ecclesiastici nostros peramanter inviserunt, qui erga Societatem et ministeria ejus mire affecti erant. Interim autem dum nostri nec praedicationi nec confessionibus audiendis vacare poterant propter aegritudinem, consiliis nihilominus complures juvabant, qui de rebus ad conscientiam propriam et vitae rationem pertinentibus, nostros consulebant. Et aliqui valde in oratione et spirituali fructu proficiebant, ac sacramenta frequentabant; et ex his aliqui in Societatem se admitti petebant.

1364. Fratres autem, qui rectius corpore valebant, catechismo instruxerunt aliquos saracenos, quos Dux captivos habebat et christiani esse decreverant. Eodem catechismo instructus fuit saracenus quidam liber, qui cum Rege Fesae ibidem versabatur, et ob delictum quoddam captus et morte damnatus fuerat; quem cum quidam ex nostris fratribus alloqueretur et instrueret, magnam ille consolationem accipiebat quod christianus moriturus erat, nam mori christianum dicebat non esse mori, siquidem id erat migrare in vitam feliciorē <sup>4</sup>.

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 466, n. 993. et annot. 6

<sup>2</sup> Sic; rectius fortassis quae ad eos mittebantur.

<sup>3</sup> Licentiatuſ Sylvester Camacho. GUILLAMAS, *Historia de Sanlucar de Barrameda*, pag. 161.

<sup>4</sup> Quae a n. 1359 hucusque continentur, enarravit P. Joannes Paulus Patri Ignatio de Loyola litteris, quas habes in *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 309-312.

1365. Duo sacerdotes, P. Paulus ac P. Rodriguez <sup>1</sup>, tantum ibi erant, praeter duos vel tres fratres laicos, non tamen ineruditos; caeteris autem praeerat P. Joannes Paulus. Ubi autem P. Joannes Paulus valetudini utcumque fuit restitutus, quamvis nondum videretur opportunum illis dominis, coepit tamen concionandi officium et christianam doctrinam declarandi exercere; et cum a prandio conciones christianae doctrinae fierent, non solum populus frequens aderat, sed etiam ipsi Duces Methymnae et Comites Nieblae et ecclesiastici. Duo autem ex auditoribus, qui Societatem expetebant, electi et admissi fuerunt, qui Hispalim transmissi sunt; nam venerant ad S.<sup>m</sup> Lucam PP. Gonzalez et Avila hoc primo vere et multum utilitatis eorum opera plurimis attulit; sed praesertim Ducibus ac Comitibus praedictis; et in reditu eorum illos novitios Hispalim secum adduxerunt. Non habebant nostri proprium ullum sacellum vel ecclesiam, sed in alienis sacramenta et verbum Dei proponebant. Actum est ergo de sacello erigendo, cujus porta versus viam publicam pateret, et Comitissa Nieblae suis expensis illud conficiendum recepit, quae, simul cum Comite, Patri Gonzalez, antequam inde recederet, confessa fuerat.

1366. Cum autem monachi, quos S.<sup>ti</sup> Isidori vocant <sup>2</sup>, positiones publice tuerentur coram his Comitibus ac toto populo, ipso die S.<sup>ti</sup> Marci, et religiosi S.<sup>ti</sup> Dominici et S.<sup>ti</sup> Francisci contra eos disputaturi essent, invitatus est P. Joannes Paulus ad disputandum; et cum vehementer a Comite Nieblae et praeside rogaretur, dedit illi Dominus tantum efficaciae atque gratiae in disputando, ut omnes simul in admirationem doctrinae et aedificationem modestiae converterit; et cum primum medium proposuisset in suis argumentis, sic ipsis etiam, qui positiones tuebantur, satisfecit, ut nullus eorum vel replicare vel respon-

<sup>1</sup> Hujus, "qui Hispali in Societatem admissus fuerat," (infra, n. 1368), nomen non aperit nec Polancus nec ipse P. Joannes Paulus in litteris annotatione praecedenti memoratis.

<sup>2</sup> Sermo est de monachis Ordinis Sancti Hieronymi, quorum monasterium in urbe Sanlucar ideo Sancti Isidori (*de San Isidro*) quandoque appellabatur, quia exstructum fuerat "para alquería ó lugar de recreacion á sus monjes de San Isidro (*del Campo*) prope Hispalim, especialmente á los enfermos, para que viniesen á convalecer á ella, de cuya frecuentacion y amenidad del sitio vino á poblarse, de manera que obligó al Duque á edificarles convento formal y á quedar desde entonces instituido en nuevo monasterio." SIGÜENZA, *Crónica general de la Orden de San Jerónimo*, cap. 42.—GUILLAMAS, l. c., pag. 147.

dere amplius voluerit, [quod auxit non mediocrem existimationem doctrinae, concionibus ejus profuturam; et magna benevolentia et charitate religiosi nostris devincti fuerunt.

1367. Accidit autem ut quidam ex nobilibus adolescentibus, qui Ducibus inserviebat, cum iret cubitum, longe aliter affectus quam ipsius conscientiae conveniebat, de quo apud alios socios se ipsum jactabat, eadem nocte tali cum aegritudine eum Dominus visitavit, ut clamare incoeperit se mori; et confessionem petebat; et cum eam Patri Joanni Paulo facere optaret, media nocte eum detulerunt ad nostros, et eadem nocte confessus est; et tantum consolationis per hoc sacramentum illi Dominus contulit, ut ab eo morbus recesserit; ac deinde pergebat ad domum nostram devôte accedere, magna vitae mutatione facta.

1368. Ipso autem die Jovis Sancti post meridiem, more hispanico, de Mandato Domini <sup>1</sup> Pater idem concionatus est in summo templo; et sic a Domino ipsemet concionator fuit commotus atque alios commovit, ut nullus esset in toto templo, qui non ubertim fleret, dum ipsum concionatorem imitatur, cujus concio magna ex parte in fletus et singultus abiit. Eadem nocte processioni se flagellis caedentium concionatus est; multi autem ex primariis ejus insignis oppidi ei et socio Patri Rodriguez (qui Hispali fuerat in Societatem admissus) confessi sunt, et remedium adhibitum est rebus magni momenti, quod ad facultates temporales attinet; et multi, qui eo in populo cum licentia magna vixerant, ad meliorem frugem se receperunt; quod cum ab aliis observatum esset, ad magnam aedificationem etiam eorum id cessit. Pacēs etiam inter discordes compositae fuerunt, et fuit etiam qui mortem condonaverit; nec omittam quod Nieblae Comes signa quaedam penicillo depicta, magni valoris, sed parum honesta apud se habebat; quod cum nostri improba- rent, abjecit ille picturas praedictas et in locum conjici jussit, unde non amplius viderentur; et statim ipse Comes generalem vitae totius confessionem apud unum ex nostris fecit.

1369. Deinde Junio mense P. Joannes Paulus in gravissimum morbum incidit, adeo ut etiam Extremam Unctionem acceperit, medicis de ejus salute desperantibus; et ejus patientia

<sup>1</sup> Hoc est, super his Evangelii verbis *Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*, quae feria quinta in Coena Domini canuntur a Choro ad lotionem pedum.

et conformitas cum voluntate Dei miram aedificationem omnibus eum visitantibus attulit, qui invidendum potius quam compatiendum tam sancti viri morti censebant. Placuit tamen divinae Bonitati ab hoc periculo eum liberare; et humanum medium, quo usa fuit ipsius providentia, fuit charitas et sollicitudo Comitum Nieblae; nihil enim omiserunt, licet difficile et exquisitum, quod non adhibendum curaverint ut ejus valetudini consuleretur.

1370. Ipsi etiam Duces eum crebro visitabant; et summa laetitia populus affectus est, cum ipsum sanitati restitutum intellexit; et circumferebatur quod propter populi orationes vitam ei Dominus dedisset. Concionatus fuerat ante aegritudinem ipso die Sanctorum Philippi et Jacobi in summo templo, tantum cum spiritu ac fervore, ut tam Duces quam alii dicerent nunquam se concionem audivisse, ex qua tantum fructum elicere possent.

1371. Surgebat interim opus novi sacelli, quod suis expensis Dux et Comes faciebant, et vendebat Comitissa quaedam ex gemmis pretiosis mundi sui muliebris, ut ex ea pecunia opus citius conficeretur.

1372. Rediit autem ad ministerium verbi P. Joannes Paulus, corpore vegetior quam fuerat ante morbum, qui alias ejus aegritudines resolvisse videbatur. Nolebant quidem ante hyemem eum concionari, quia valetudinis ejus rationem habebant; sed ipse potius aliorum devotioni acquievit, qui concionantem audire percupiebant, inter quos Vicarius erat et clerici; et ita mense Septembri aliquas ad populum conciones habere coepit, in quibus tam ferventer ex Scripturis sacris vitia hominum carpebat ut non solum in suggestu, sed ubique ejus praesentia mundanis hominibus et divitibus confusioni esset et timori. Quod ex eo percipi potuit, quod cum ad portam maximi templi, in quo ille concionari solitus erat, periculosus agitandorum taurorum ludus inchoaretur, et ipse irreverentiam erga sanctum templum Domini et animarum periculum non ferret, stans in porta domus Domini, sic coepit concionari, ut ab incepto ludo desistentes, et taurum in campum demittentes, cum lacrymis verbum Dei audirent.

1373. Nec incolae solum ejus loci, sed et multi externi, qui in nobilem illum portum confluerant cum classe in Indiam na-

vigaturi, aedificationem et animarum consolationem inde reportarunt. Ex eo motus fuit Nieblae Comes ut Patrem Joannem Paulum rogaret ut in ipso maris littore de rebus ad eorum hominum salutem pertinentibus et de negotiis in Indiam navigare cupientium, apud classicos concionaretur. Et ita effectum est ut multi, qui in magna oblivione suae salutis dormiebant, commoverentur, et suis conscientiis pacificandis salubre consilium a concionatore postularent.

1374. Aegrotantes autem sic Societati nostrae afficiebantur, ut palam assererent se ad impositionem manuum P. Joannis Pauli et evangelii recitationem a magnis febribus liberatos esse; hoc autem pium opus, invisendi infirmos et eorum confessiones audiendi, valde familiare nostris erat. Hoc autem mense Augusto cum nondum satis validus ad concionandum, nihilominus invisendis infirmis vacaret, accersitus est a Ducibus, qui magna cum humilitate suas conscientias Patris Joannis manibus committebant, et rogabant ut tamquam Christi minister consideraret ac significaret ipsis quidquid ad ipsorum salutem arbitraretur; se subditos fore in hac parte dicendo et ipsum pro superiore habituros; et si non obedirent, ut poenitentiam ipsis injungeret.

1375. Non exigua haec animarum mutatio in Ducibus visa est, in quibus talis affectus catenus visus numquam fuerat, et sperabant nostri ad Dei gloriam, ac ipsorum, et etiam amplae familiae, id cessurum esse.

1376. Comes de Olivares <sup>1</sup> peculiarem etiam devotionem ostendebat, qui antiquior erat in Comitibus Nieblae; videbatur autem divina Bonitas praedictum Nieblae Comitem per confessionem generalem, quam his mensibus fecit, et per multa alia pietatis opera ad mortem, quam hoc ipso anno obiit, disponere. Successurus hic erat patri in Ducatu Medinae Sidoniae, si superstes fuisset; sed contra accidit; nam ipse Comes, prius quam pater, ex hac vita decessit; et cum in morbum, a quo confectus est, incidisset, P. Joannes Paulus cum P. <sup>2</sup> ei asti-

<sup>1</sup> "Don Pedro de Guzman, I Conde de Olivares, Comendador de Piedra Buena en la Orden de Calatrava, Mayordomo de Felipe II y su Contador mayor, hijo y hermano de los Duques de Medina Sidonia.", SALAZAR, *Historia de la Casa de Lara*, lib. vi, cap. iv.

<sup>2</sup> Polanci librarius scripserat hic *Joanne Paulo*, quod, quia mendum videtur, superscripsit Sacchini *forte Rodriguez*.

terunt, et ad migrandum spirituale auxilium cum Dei gratia praestiterunt <sup>1</sup>.

1377. Fuit autem ejus opera non solum morituro Comiti necessaria, sed etiam ejus parentibus, qui primogenito et successore orbat, in magnum luctum inciderant; sed familiariter P. Joannes Paulus eisdem crebro astitit, et eorum moestitiam sublevavit. Et cum in coenobio fratrum S.<sup>ti</sup> Dominici defunctus sepeliretur <sup>2</sup> et exequiae ab universo populo celebrarentur, concionem de morte P. Joannes Paulus cum auditorum devotione et lacrymis habuit; et cum magnam in Christo consolationem eis promitteret, qui divinae voluntati suam conformem redderent, et sua peccata confitentes ad sanctissimum totius consolationis fontem in Eucharistia confugerent, post absolutam concionem vidua Comitissa coram populo confessa est et communicavit, quod summae aedificationi toti populo fuit.

1378. Cum magna classis, ut superius tetigimus <sup>3</sup>, eo anno in Indiam navigaret, et in portu S.<sup>ti</sup> Lucae prosperum ventum expectaret, nostri privatis colloquiis et publicis concionibus, partim in ecclesia, partim in littore, partim intra naves ipsas, quae ad ipsorum spirituales salutem pertinebant, cum magna audientium compunctione ac lacrymis praedicabant, et fructum uberem per confessiones ex illa classica vinea Domini coeperunt. Et quamvis perutiles essent conciones in templo habitae, forte utiliores fuerunt quae in littore habebantur: multi enim, ibidem occupati, templum adire non potuerant, et ibidem verbum Dei audientes, deposito peccatorum onere, Deo in posterum servire proponebant, ipsius misericordiae agnoscentes quod verbo suo, etiam inter ipsa negotia et sarcinas, eos quaereret et ad salutem invitaret. Et quia ad rosarium B. Virginis dicendum sae-

<sup>1</sup> "Don Juan Claros de Guzman, Conde de Niebla, que no le (patri suo, Joanni Alphonso de Guzman) sobrevivió, ni fué por tanto Duque de Medina Sidonia, casó con Doña Leonor de Sotomayor, hija de D. Francisco de Sotomayor, quinto Conde de Belalcázar, y de Doña Teresa de Zúñiga, tercera Duquesa de Bejar, y murió en 1555.," Burgos, l. c., t. iv, pag. 100.—Quare corrigendus GUILLAMAS, qui ait l. c., hunc Comitem de Niebla obiisse anno sequenti 1556. — Cf. etiam *Litterae Quadrimestres*, t. iv, pag. 97.

<sup>2</sup> "En esta capilla mayor (templi Sancti Dominici) mandó construir el Duque Don Alonso VII, hijo de esta Señora (Eleonora de Sotomayor et Zúñiga), los dos sepulcros de alabastro con figuras al natural de sus padres y hermanos en los costados de la capilla mayor, y están allí enterrados Don Juan Claros (de Guzman) IX Conde de Niebla, y sus hijos, Don Alonso y Don Estéban Manrique de Guzman, y en el de enfrente la fundadora y su hija, Doña Ana de la Cruz Guzman.," GUILLAMAS, l. c., pag. 84.

<sup>3</sup> Pag. 503, n. 1373.



pius excitati fuerant, fuit vir quidam inter hos, cui sic impressit Dominus hanc devotionem, ut in noctibus, per varia loca discurrens, alta voce clamaret ut omnes rosarii Matris Dei memores essent, et congregans multos eidem devotioni affectos, confraternitatem instituere apud ecclesiam nostram, quae hoc anno absoluta fuit, conaretur. In eadem autem ecclesia jam confessionis et communionis sacramenta frequentabantur.

1379. Cum autem valida fames hoc autumno populum opprimeret, praeter spiritualem cibum, temporalem etiam nostri pauperibus provideri, tam exhortationibus publicis, quam privatis colloquiis, apud illos Duces et Comites curabant.

1380. Et haec de nostris apud S.<sup>m</sup> Lucam de Barrameda residentibus sint dicta; ubi, quamvis collegium institutum non fuerit, propter portus tamen commoditatem, et in gratiam illustrium illorum Ducum et Comitum, et populi valde Societati <sup>1</sup> affecti, nostri residebant; quibus tamen collegium instituere, cum primum debita quaedam gravia dissolverent, praedicti Duces volebant, quorum expensis interim quatuor vel quinque ex nostris, praeter hospites <sup>2</sup>, sustentabantur.

## DE COLLEGIO GRANATENSI

1381. Quamvis Hispalis insignis admodum et opulenta sit civitas, Granata tamen Audientia regia, Universitate, salubritate et aliis Dei donis opportuna admodum videbatur, ut in ea Societas nostra resideret. Est alioqui magnitudine praestans civitas, ubi centum triginta millia familiarum habitant, ex quibus tamen viginti millia neophytorum, qui ex saracenis conversi fuerant, numerantur <sup>3</sup>.

1382. In hanc ergo civitatem, ut anno superiori memini-

<sup>1</sup> Ms. habet *de Societate*.

<sup>2</sup> Patres et fratres Societatis intellige, qui, in Indiam destinati, navigationis tempus in portu Sanlucar praestolari quandoque cgebantur.

<sup>3</sup> Numeri *triginta millia* et *viginti millia* scripta in ms. sunt sic:  $\frac{m}{30}$ ,  $\frac{m}{20}$ . — Granatam urbem fuse describit amplissimeque laudat SANTIVÁÑEZ, l. c., lib. 1, cap. 21.

mus <sup>1</sup>, aliqui ex nostris missi sunt, cum quidam ex nostris Patribus cognomine S.<sup>ta</sup> Cruz <sup>2</sup>, simul cum suo fratre saeculari <sup>3</sup>, domum Societati dederat cum quibusdam redditibus, et ita P. Navarrus <sup>4</sup> cum tribus fratribus Corduba missus ut possessionem caperet praedictae domus, pridie nativitatis B. Virginis 1554 possessionem domus ceperunt, ac die ipso Nativitatis primum ibidem sacrum, ut in collegio Societatis, celebrarunt.

1383. Erat autem ea domus in optimo situ juxta cathedrallem ecclesiam et prope ipsam Universitatem ac forum, regiam Cancellariam, ut vocant <sup>5</sup>: carceres etiam vicini erant; et ita versus ea loca tota civitas confluebat. Domus duobus millibus et quingentis ducatis aestimabatur, et tam hyemis, quam aestatis tempore commodas habebat habitationes, quae duodecim aut tredecim ex nostris sufficebant. Reditus quidem non multum excedebant centum et viginti ducatos annuos; sed res vi- liori pretio Granatae quam Cordubae et aliis in locis vendebantur. Homines etiam ad virtutem et vitam christianis dignam bene dispositi erant, cum jam ab initio, ex quo a saracenis haec civitas recuperata fuit, Archiepiscopos sanctos habuisset <sup>6</sup>.

1384. Magister Avila <sup>7</sup> etiam doctrinam perutilem ibidem seminaverat; et ita homines non pauci nostrorum adventum, a quibus verbum Dei audirent et sacramenta perciperent, exoptabant, et complures redditibus Collegium promovere ad plures ex nostris alendos cupiebant. Ipse Archiepiscopus <sup>8</sup>, pergratum habens nostrorum adventum, suam etiam operam obtulerat ad Collegii sustentationem, et magnopere P. Francisci Borgiae praesentia expetebatur, ut Collegium inchoaretur; nam quatuor illi qui venerant, velut praecursores habebantur <sup>9</sup>.

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 464, nn. 991-993.

<sup>2</sup> P. Jacobus de Santa Cruz.

<sup>3</sup> Christophoro Sanchez. Vide infra. n. 1392.

<sup>4</sup> P. Petrus Navarro.

<sup>5</sup> Vide supra, t. iv, pag. 381, n. 626, annot. 1; et pag. 464. n. 991, annot. 1.

<sup>6</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. iii, pag. 289, annot. 1.

<sup>7</sup> B. Joannes de Avila, Magister Avila dictus et Baeticae Apostolus, de quo jam saepius in hoc *Chronico*.

<sup>8</sup> Petrus Guerrero.

<sup>9</sup> Ingenue satis modesteque scribebat Petrus Navarrus Ignatio 30.<sup>a</sup> Maji hujus anni 1555: "Aunque lo que hay queazer en este pueblo pide más de treinta Padres, todavia nos estamos quasi solos, pues no somos más que quatro los que aquí estamos, los quales el tiempo que aquí hemos estado, más deuenos parecer exploradores que obremos ó poseedores; y porque parece que nuestro officio ha sido este, hemos avisado siempre á V. P. de quán buena tierra es esta, y quán fertil y abundante de fruta, y quán

1385. Licet autem Universitas Granatae sit, in scholis tamen publicis humaniores litterae non docebantur, sed a ludimagistris privatis id praestabatur <sup>1</sup>. Ad hoc ergo, inter alia, operam Societatis requirebant. Inter neophytos <sup>2</sup> autem, linguam eorum arabicam addiscendo et exemplo virtutum confirmando ea, quae ipsi docerentur, fructus etiam non mediocris sperabatur.

1386. Inter eos, qui venerant, P. Navarrus solus sacerdos erat, et cum fratre nostro Marcello <sup>3</sup> theologiae audiendae vacabat. At Archiepiscopus simul atque illi venerunt, curiones omnes ac beneficia ecclesiastica habentes accersivit, et inter caetera, quae ex occasione adventus nostri significavit, illud fuit: hanc nimirum Societatem Jesu a Deo suscitata eo potissimum tempore fuisse, quo charitatis fervor apud christianos multum intepuerat; et ita eos adhortatus est ad suum officium strenue faciendum, ne externi necessarii fuisse viderentur ad ea praestanda, ad quae ipsi alioqui tenerentur. Et quandoquidem Dei pietas Societatis homines Granatam attulisset, ut vitam suam ad exemplum eorum in morum ac virtutum splendore instituerent. Cum autem intellexisset, quasi aliud agens, nostros subsidio temporali indigere, frumenti et pecuniae elemosynam eis misit. Facultatem etiam a casibus sibi reservatis [absolvendi] nostris concessit; et cum eum nostri invisebant, non mediocriter eorum adspectu laetabatur.

1387. Facultates, quae in Universitate Granatensi docebantur eo tempore quo nostri accesserunt, erant philosophiae, theologiae et juris canonici; sed conabantur illis addere reliquas, scilicet, juris Caesarei, medicinae et linguarum, in quibus

---

buena de cojer y quán sazónada. La gente desea mucho darse y ayudar á que se destruya la ciudad de Jericó. No sabría dezir cuánto sea el deseo que tienen los desta ciudad de que vengan aquí Padres muchos. Pregúntanme doquiera que voy cuándo vienen los Padres, mostrando bien en ello la deuoción que tienen á la Compañía, no auéndose hecho en ella lo que en las otras partes ha causado la opinion y crédito que della han tomado; pues no ay aquí sino quatro barrenderos, de los quales pues se edifican y algunos se aprouechan, de creer es que, quando aya quien los despierte y hombres que los leuanten, se han de edificar mucho y aprouechar en el servicio del Señor., *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 497 et 498.

<sup>1</sup> Vide infra, n. 1387.

<sup>2</sup> Vide supra, n. 1381.

<sup>3</sup> Hunc esse putamus Marcellum de Salazar, qui anno praecedenti Cordubae "rhetoricam interpretari auspiciatus, propter adversam valetudinem ab ea supersedit., Vide supra, t. IV, pag. 415, n. 953.

cum animadverteretur quod Cordubae nostri profitebantur, ipsorum opera se posse juvari sperabant <sup>1</sup>.

1388. Erant ibidem tria collegia saecularia instituta, in quibus octoginta fere collegiales versabantur <sup>2</sup>; et quia sacellum regium <sup>3</sup> ibidem erat, in quo, post regnum Granatae partum, Hispaniae reges sepeliebantur <sup>4</sup>, multi capellani, et quidem vitae honestate praestantes, ibidem erant; et alii non pauci sacerdotes valde studiosi; et hi peculiari affectu nostram Societatem diligebant. Inter canonicos etiam Cathedralis ecclesiae quidam Franciscus Torrensis erat <sup>5</sup>, cujus parens ditissimus ejus urbis habebatur. Hic, nostris jam inde ab initio pie affectus, coepit duodecim aureos annuos et totidem modia frumenti nostris dare. Sed ulterius progrediens, spiritualia Exercitia suscipiendi magno desiderio tenebatur, et a suo patre facultatem postulavit ut ad oppidum S.<sup>ti</sup> Lucae se conferret, et praedicta Exercitia a Patre Joanne Paulo <sup>6</sup> sibi noto acciperet.

1389. Cum autem pater, vir prudens, suspicaretur quod ulterius progressurus esset, facultatem hanc negavit. Sed ille vi-

<sup>1</sup> "Contó esta Universidad desde los primeros tiempos con escasos fondos para subvenir á sus necesidades, adquirir el material que reclamaba la enseñanza, y dar á los profesores la recompensa debida, falta que jamás llegó á remediarse de un modo satisfactorio. Este vacío se suplía en parte confiando el desempeño de las cátedras de Teología á los canónigos de oficio de la Catedral. Las de Filosofía se sostuvieron con una dotación que les señaló la Reina Doña Juana, y mucho tiempo despues el Doctor y Catedrático D. Juan Crespo Marmolejo dotó otras ocho cátedras, entre ellas una de Cirugía. Algo más desahogada quedó con esto la escuela, pero nunca tuvo los recursos que otras muchas de España..." GIL DE ZARATE, *De la instruccion pública en España*, t. II, pag. 29.—LA FUENTE, *Historia de las Universidades y Colegios, etc., de España*, t. II, cap. XXIX.

<sup>2</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 288, annot. 3.

<sup>3</sup> *La Capilla Real vel de los Reyes*, adjacens cathedrali templo. Sacellum in interiori parte circumdat sequens, gothicis characteribus exculpta, inscriptio: "Esta capilla mandaron fundar los muy católicos Don Fernando y Doña Isabel, rey y reyna de las Españas, de Nápoles, de Sicilia, de Jerusalem; conquistaron este reyno y lo redujeron á nuestra fé. Ganaron las islas de Canaria y las Indias, y las ciudades de Oran, Trípol y Bugia, y destruyeron la herejía, y echaron los moros y judíos destos reynos y reformaron las religiones. Finó la Reyna martes á xxvi de noviembre de m<sup>o</sup>rv años. Finó el Rey miércoles á xxiii enero de m<sup>o</sup>dxvi: acabose esta obra año m<sup>o</sup>dxvii." MADDOZ, l. c., t. 8.

<sup>4</sup> In litteris, e quibus haec desumpta sunt, ait de hoc sacello regio Petrus Navarro: "Sacellum Regium, quo Hispaniae Reges conduntur." *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 288. POLANCO autem hic ait: "In quo..... Reges Hispaniae sepeliebantur;" et recte quidem hanc induxit mutationem. Granatae enim sepulti sunt Ferdinandus et Elisabeth, eorumque immediati successores Philippus et Joanna, Caroli V parentes; verum hic quique post eum Hispaniae regno potiti sunt, non Granatae sed in Escorialensi monasterio jacent in sacello, quod in hunc finem erexit Philippus II, Caroli V filius.

<sup>5</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, praesertim pag. 289 et 501.

<sup>6</sup> Joannes Paulus, olim Joannes Alvarez dictus.

rum quemdam religiosum alloquutus est, qui patri suo significaret non tuta conscientia posse impediri tam pium opus. Ipsum etiam Archiepiscopum consuluit ac significavit se sine patris consensu ad haec Exercitia suscipienda ire, quandoquidem pater difficilem se reddebat; et probavit Archiepiscopus ejus sententiam, quamvis magis se probaturum dixit, si hoc ipsum effecisset nulli quicquam dicendo. Demum a patre habita facultate, ad S.<sup>m</sup> Lucam se contulit, et in Exercitiis magnopere profecit, et paulo post Societatem ingressus est, canonicatum Archiepiscopo libere relinquens, ut alicui viro bono et si fieri posset, concionatori daret; et cum ipse haberet trecentos fere aureos annui redditus saecularis, ad Collegii sustentationem eos applicavit. Et non minus domi humilitatis et obedientiae, quam foris virtutum aliarum aedificationem dedit.

1390. Priusquam hic Societatem ingrederetur, egit cum Archiepiscopo, suo et aliorum nomine, ut aliquid certum singulis annis Collegio nostro assignaret; et ut peteret plures operarios Societatis. At Archiepiscopus negavit se quicquam certi promissurum, cum alia multa onera ferret; nec etiam se petiturum operarios; nam si id faceret, ad eos alendos teneretur; si tamen illi venissent, se auxilia opportuna subministraturum, et forte majora quam si aliquid certi se daturum promississet. Et hoc re ipsa ostendit, ut in progressu hujus narrationis videbitur.

1391. Praeses Audientiae Regiae, qui tunc erat Episcopus Abulensis <sup>1</sup>, laetissimo animo nostros Granatam venientes excepit, et Collegio Abulensi instruendo mille aureos in subsidium promisit. Rector etiam Universitatis, Dr. Sanchez, rebus nostris diligenter favebat; et tantopere ministerium sacramentorum a nostris expetebant, ut vix decem confessarii sufficere posse viderentur; et vix ad ecclesias accedere P. Navarrus audebat, ne ad confessiones audiendas in eisdem cogeretur a curionibus aut clericis. Magno amore nostros prosequerentur et ad Societatem aliqui eorum aspirabant. Solus Vicarius Archiepiscopi nostros scrupulosos esse dicebat, et se timere ne sacerdotium ejus Dioecesis eodem morbo inficeremus; et demum sibi gratum non esse nostrorum adventum in eam urbem significabat.

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 443, annot. 2.

1392. Exercebant se in spiritualibus exercitationibus aliqui in ipsis initiis, inter quos unus fuit natione cantaber, juvenis, qui in Societatem admissus est et Cordubam destinatus. Excultus est eisdem Exercitiis Christophorus Sanchez, sacerdos et Patris S.<sup>tae</sup> Crucis frater <sup>1</sup>, qui mediam partem dotationis collegii dederat Societati; et ideo Societatem ingredi non decrevit, quod propter valetudinis defectum inutilem se fore existimaret. Ne autem solus esset sacerdos P. Navarrus, missus est Hispallim Marcellus, ejus socius <sup>2</sup>, ut ibidem ad ordines promotus, rediret ad Patrem Navarrum juvandum. Quidam etiam ex capellanis regiis eisdem meditationibus exercitatus, ac valde proficiens, optimum suae virtutis odorem in ea civitate sparsit.

1393. In quodam monasterio S.<sup>ti</sup> Hieronymi quidam religiosus, frater Franciscus de Baëza <sup>3</sup> nomine, Prior ejus domus, et in magna veneratione propter sanctitatem habitus, Societatem diligebat magnopere, et Exercitia spiritualia scripta penes se habebat, et significabat aliquem ducem, ut in eis exerceretur, se optare; sed propter occupationes multas P. Navarrus id distulit.

1394. Fuit autem insignis mutatio et magnae aedificationis cujusdam juvenis, qui nulla ratione edomari poterat, et aliquando ducentos et trecentos aureos a patre suo furtim accipiebat, ac demum in publicum carcerem, patre petente, fuerat conjectus, qui privatim compedibus ferreis eum domi retinuerat; sed omnia abrumpebat. Cum ergo esset in carcere, invisit eum P. Navarrus ab aliis rogatus, et praetexens confessionem ab ipso faciendam diligenter, domum nostram secum eum adduxit, et spiritualia Exercitia ei dedit; et quamvis nemo credebatur eum esse patientem, vel paucissimos dies ibi mansurum, absolvit tamen Exercitia, in quibus supra triginta dies expendit; et sic profecit, ut omnes in summam admirationem adduxerit; et quietus animo Cordubam studii gratia a patre missus est. Et vix ad hujus juvenis salutem alia ratio videbatur iniri posse.

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 506, n. 1382.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 508, n. 1386.

<sup>3</sup> Probe hic distinguendus videtur a fr. Francisco de Baëza, B. Joannis Avillae discipulo, qui tandem non Sancti Hieronymi sed Carmelitarum Ordinem ingressus est et magnopere illustravit. Vide Muñoz, *Vida y virtudes del V. M. Juan de Avila*, t. 1, cap. 21.

1395. Commendaverat etiam Archiepiscopus Patri Navarro, ut trium monialium confessiones audiret, et ut magis proficerent, eisdem exercitia proposuit, et duae ex eis egregie profecerunt <sup>1</sup>.

1396. Et alia quaedam nobilis mulier, quae profectus sui gratia in idem suum <sup>2</sup> monasterium se receperat, et quamvis religiosa non esset, eo propemodum adducta est ut monialis ibidem manere vellet. Prius tamen haereditatem adire paternam, quae magna erat, et ejus partem ad collegii nostri dotationem conferre cupiebat. Archiepiscopus autem magnopere laetatus est de monialium illarum sibi subditarum profectu; et coepit quaedam confidenter Patri Navarro committere, quae alii nulli quam sibi ipsi concedere ante id tempus ausus fuerat; et augebatur ejus erga Societatem charitas, et injungebat in virtute obedientiae ut ab eo peterentur, quae necessaria nostris essent, et videbatur dare velle, jam tunc totum illud tempus, quod Collegio necessarium esset.

1397. P. Alphonsus Ruiz, qui Cordubae admissus fuerat et Granatam deinde missus, primum sacrum ipso die Annuntiationis B. Virginis celebravit. Nam confitentium numerus, qui magnopere augebatur, auxilium prorsus requirebat. P. Balthasar Loarte, Doctoris Gasparis Loarte, Rectoris Collegii nostri Genuensis <sup>3</sup> frater, initio hujus anni in Societatem admissus est, postquam exercitiis spiritualibus perfunctus esset. Novem autem alii aut decem, et inter illos tres sacerdotes et alii quinque scholastici, urgebant ut in Societatem admitterentur; sed expectabant donec major commoditas ad eos excipiendos daretur. Lusitanus quidam juvenis, inter alios, etiam animum Societati applicavit; et alii viri eruditi ad hoc ipsum erant propensi; nec pauci jam ex ea universitate granatensi scholastici, et etiam aliqui ex collegialibus, confessionis gratia ad nostros accedebant, ex quo praedictus P. Ruiz socium se ad hoc munus confessionum Patri Navarro adjunxit; et ad id Hispali missus fuerat.

1398. Hac eadem aestate admissus fuit magister Madrid <sup>4</sup>,

<sup>1</sup> Vide infra, n. 1402.

<sup>2</sup> Sic; forte quia fundatrix erat monasterii aut patronatus jus in ipsum exercebat.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 113, n. 310.

<sup>4</sup> P. Antonius Madrid, "a quien dió nacimiento el famoso Veger de la Miel, una de

qui collega fuerat Salmanticae collegii Divi Bartholomaei, quod seminarium fuit in regnis Hispaniae praeclarorum virorum <sup>1</sup>, inter quos fuerat ipse Archiepiscopus Granatensis, qui referebat magistrum Madridium omnium primum ex eo collegio religiosum esse factum. Praelegerat idem Salmanticae philosophiae cursum, Granatae autem theologiae scholasticae professor D.<sup>m</sup> Thomam interpretabatur, et sacelli regii capellanus erat, vir eruditus et ingeniosus, sed qui virtutis et spiritus, quamdiu in Societate vixit, specimen rarum admodum exhibuit, et insignis concionator fuit <sup>2</sup>.

1399. Alius quidam theologiae doctor cum magno suo profectu et aliorum aedificatione spiritualia exercitia suscepit; quemadmodum juvenis quidam hispalensis, mercator, et egregio praeditus ingenio, qui se Societati addixit. Duo alii praeterea, alter herus, alter famulus post exercitia spiritualia Societati nostrae se obtulerunt. Et quidem herus, qui aliquando in ornatu et famulorum comitatu nimius fuerat <sup>3</sup>, tanto cum fervore ad Christum accessit, ut fratrem et sororem et quemdam alium prae moestitia aegrotantes ob ipsius deliberationem [relinquens], ad nostros evolavit, persuadens sibi verum esse quod aliquando audierat: vel unius diei dilationem, quod ad ingressum religionis attinet, magna in jactura esse <sup>4</sup>.

Las dos antiguas Melarías, junto del estrecho de Gibraltar, diócesis de Cádiz., SANTIVÁÑEZ, l. c., lib. 1, cap. 26.

<sup>1</sup> Quam verum hoc sit patet legenti *Historia del Colegio viejo de San Bartolomé mayor de la célebre Universidad de Salamanca*, por D. JOSÉ DE ROXAS Y CONTRERAS, marqués de Alventos. Madrid, por Andres Ortega, 1766-1770, 3 vol. fol.

<sup>2</sup> Ejus vitam resque gestas enarravit NIEREMBERG, *Varones ilustres de la Compañía de Jesus*, edit. ant. Matritensis, t. 1, pag. 519-528; recentioris Bilbaënsis, t. 8, pag. 69.

<sup>3</sup> "El nombre de este hermano, como el de otros, nos quedamos con el deseo de saberle. Hecho diligente scrutinio en papeles y memorias antiguas, no puedo creer fuese otro que el hermano Juan Díaz, que en Granada murió por el mesmo tiempo, aunque algo despues, que el P. Basilio (de Avila).", SANTIVÁÑEZ, l. c.

<sup>4</sup> Quorundam, qui Granatae hoc tempore ingressi sunt meminit SANTIVÁÑEZ, l. c.— "Entró tambien por este tiempo en la Compañía otro mozo noble y galan... Llamábase Don Dñgo de Bracamonte, rama del ilustrísimo árbol que trasplantó á España el Almirante de Francia Mosen (*sic*) Rubin de Bracamonte, emparentado en la excelentísima casa de Duques del Infantado, de donde hoy los Condes de Peñaranda, que conservan el apellido de Bracamonte... — "El Licenciado Don Pedro Bernal, que con fama de buen letrado abogaba en la Real Cancillería, y tanto tenía grangeados los ánimos de todos con su modestia como con sus letras, catedrático de Cánones de la Universidad... — "El Doctor Pedro Martínez, natural de Rivafranca, lugar en la diócesis de Calahorra, sobrino del santo Arzobispo Don Pedro Guerrero, colegial en el Real Colegio de Granada, y en tiempo que en la Universidad leía segunda vez el curso de Artes con universal acepcion de su gran ingenio, que era vivo y despierto para las ciencias."



1400. Erant autem aliqui, qui augere temporalia bona collegii nostri voluissent, si plures ex nostris ibidem vidissent. Horum desideriis ex parte satisfactum est cum P. Provincialis, Michaël de Torres, simul cum P. Basilio, alias Avila <sup>1</sup>, Granatam venit hac ipsa aestate, et magna plane consolatione urbem affecerunt, ac praecipue Archiepiscopum, et ecclesiasticos cathedralis ecclesiae, et basilicae regiae <sup>2</sup>, et Comitem Tendillae <sup>3</sup>, praefectum <sup>4</sup>, cum reliquis nobilibus; et invisendo eundem Patrem Provinciale, hanc animi sui hilaritatem prae se ferebant. Inter quos fuit Inquisitor et capellanorum regionum praefectus, et universitatis rector et collegiales omnium collegiorum; qui omnes gratias agebant Deo maximas quod Societatem nostram Granatam adduxisset; et haec omnium statuum congratulatio visa est Patri Provinciali testimonium magnum benevolentiae: et alia id genus considerans, nullum se vidisse populum affirmabat, qui tam unanimi consensu de Societate nostra tam bene sentiret; nam qui eruditione et nobilitate caeteris praestabant, Societatem etiam prae caeteris colebant, et de Societatis exercitiis sic sentiebant, ut vir quidam, litterarum et virtutum ornamentis clarus, dixerit quod quemadmodum apostoli in primitiva Ecclesia documenta quaedam habebant, quibus homines ad Dei cultum allicerent, ita eundem spiritum tradidisse Exercitia Societati, quibus homines ad suam salutem curandam et consequendam juvarentur <sup>5</sup>.

1401. Ad primam concionem, quam P. Basilius habuit, multi ex doctis hominibus ejus universitatis et ex aliis, qui primas in civitate habebant, interfuerunt. Fuit inter alios et Archiepiscopus, cui magnopere concio placuit. Secundae etiam idem interfuit, quae apud S.<sup>m</sup> Annam <sup>6</sup> habita est. Populi autem magna omnino multitudo eundem sequi coepit, et tota fere nobilitas; et quamvis ille ob peccata graviter increparet, et immodicum vestium cultum inter caetera reprehenderet, pergebant nihilominus in eo audiendo, sed significabant optare se ut oleum vino admisceret. Sed P. Basilius Deo, cujus spiritu age-

<sup>1</sup> Rectius alias *Alphonsus de Avila*; non enim cognomen hic mutavit, sed nomen.

<sup>2</sup> Seu sacelli regii. Vide supra, pag. 509, n. 1388, annot. 3.

<sup>3</sup> Enecum (*Láigo*) Lopez de Mendoza.

<sup>4</sup> Regni Granatae Pro-regem.

<sup>5</sup> Vide supra, pag. 510, n. 1391.

<sup>6</sup> Haec erat parochialis ecclesia juxta tribunal regium *Cancilleria* dictum.

batur, potius quam eorum votis acquiescebat, et eorum vulnera reterege conabatur ut curarentur.

1402. Conciones ab eo frequentes petebantur, cum alioqui ea civitas egregiis concionatoribus abundaret. Tribus autem monialium monasteriis, quae Episcopo subjecta erant, sine alio populo, saepius concionabatur, ejusdem Archiepiscopi hortatu; quem hujusmodi conciones et confessiones monialium magnopere devinciebant, quod experimento constaret perutiliter hanc operam ipsis impendi <sup>1</sup>. P. vero Provincialis, quamvis paucos dies Granatae commoratus, audivit nihilominus quarumdam religiosarum generales confessiones, per quas Dominus magnopere spiritualem earum profectum promovit, adeo ut quae illis praeerant obstupescerent. Reliquae autem, quae confessae non fuerant, fructum, quem sorores ceperant, intuentes, non solum eas imitari, sed spiritualia exercitia suscipere cupiebant. Quae autem aliis praeerat, omnibus praedicta exercitia proponi magnopere optabat, et ipsa praeire exemplo reliquas constituerat.

1403. Sed messis multa a tam paucis operariis colligi facile non poterat. Mirandum non est quod Archiepiscopus potius ad populum Hispanicum in virtutibus juvandum se converteret, quam ad neophytos, quorum dixi viginti millia familiarum Granatae versari <sup>2</sup>, nam de horum emendatione spem propemodum desponderat <sup>3</sup>.

1404. Accedebant nostri plerumque ad consolandos et juvandos infirmos; ad carceres autem non perinde poterant; duo enim valde numerosi Granatae sunt, alter civitatis, alter Regiae Curiae <sup>4</sup>, in quos multi quotidie conjiciuntur; dies enim aliquis fuit quo centum supra quinquaginta in alteram ex duabus custodiis inclusi fuerunt. Itaque messis illa magna erat; sed non facile nostri ei pro inclusorum arbitrio vacare poterant.

1405. Putabant aliqui nihil utilius Societatem nostram praestare posse, quam si duo ibi collegia constituerentur cum scholis, quarum altera legendi et scribendi rationem doceret, altera

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 512, n. 1395.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 506, n. 1381.

<sup>3</sup> Temporis tamen decursu horum neophytorum specialem curam gessit Societas, nec sine eorum aliquo profectu, ut videre est apud Roa et SANTIVÁÑEZ, praesertim data res gestas enarrant Patris Joannis de Albotodo.

<sup>4</sup> Hi carceres dicebantur *la cárcel de la Ciudad* y *la cárcel de la Real Cancillería*.

in humanioribus litteris pueros institueret, et utraque mores juvenum informaret. Sed et vir quidam optabat nobis domum amplam ad puerorum hujusmodi institutionem donare; et gubernatores civitatis serio agebant de alia domo paranda ad praedictarum litterarum humaniorum interpretationem accommodam; nam exemplum Cordubensium eos movebat; sed neutrum munus hactenus susceptum est, quamvis Collegium non mediocre sit ibi institutum <sup>1</sup>.

Et haec de Granatensi Collegio.

### DE COLLEGIO CORDUBENSI

1406. Quamvis in Baetica pluribus in locis, ut superius diximus <sup>2</sup>, collegia instituebantur, Cordubense, ut antiquius, magis formatum erat, et ad Societatis institutum magis accommodatum.

1407. Crescebat autem in dies poenitentium numerus, qui octavo quoque die communicare soliti erant; sed messis copiosa nimis dilationem aliquando exigebat; feriatis etiam diebus multitudini satisfacere confessarii nostri non poterant, licet ne quis recederet sine spirituali cibo solliciti nostri, quoad ejus fieri potest, curabant.

1408. Sic autem sub initium anni distributi erant confessarii, ut tres darent operam his, qui sacramenta frequentabant; reliqui aliis, qui non pauci confiteri volebant, essent destinati; generales etiam totius vitae confessiones interdum audiebantur; et quidem frequentes illae erant, quorum singulis non unum aut alterum diem sed plures interdum dare oportebat; nam scriptis sua peccata, juxta praescriptam ipsis formam, diligenter adnotabant; et ita experientia docuit aliquos, quorum mores corruptissimi fuerant, multo aliam vitae rationem instituisse nec leviter in via Domini profecisse; et quemadmodum alibi

<sup>1</sup> Non quidem hoc anno, sed temporis decursu, cum, praeter Collegium, Residentia quaedam instituta fuit in ea urbis parte, *el Albaycin* dicta, quam neophyti (*moriscos*) incolebant.

<sup>2</sup> Supra, t. iv, pag. 461-473.

accidisse diximus, multi, qui numquam integram confessionem fecerant humanis affectibus ducti, plagas tandem omnes spirituali medico detegentes, curati per Dei gratiam fuerunt, et aliqui, qui animum quodammodo jam desponderant, simulatque Collegium illud ingrediebantur, illum colligere et meliora sperare ac proponere incipiebant. Restitutiones etiam nec paucae nec exiguarum summarum fiebant, et aliqui non absolvebantur donec fidem suam liberarent. Fuit inter hos, qui non solum creditori satisfecit (quod multis annis non fecerat), sed hoc velut impedimento remoto, quinto decimo quoque die cum suis liberis coepit confiteri. Et tanto affectu nostris confiteri cupiebant, ut si nostri eos non audirent, nullibi se confessuros interminarentur.

1409. Aliqui propemodum desperaverant peccatorum gravitate deterriti, et ita navim se fregisse arbitrabantur, ut ad portum appellere nequitiam possent; sed in Collegio nostro, Deo propitio, sibi reddit, quietae conscientiae portum tenuerunt, et de suis inimicis, Christo duce, triumpharunt, tanto majori conatu iter Domini capessentes, quanto longius ab eo recesserant.

1410. Conquerebantur interim mulieres quod ad confessionem non admitterentur; quod partim ob virorum multitudinem, partim quod sacellum nostrum non esset viae publicae tam expositum, ut deceret ad illud mulieres admitti; et haec vox familiaris inter ipsas erat: "utinam nos viros natura genuisset." In aliis tamen ecclesiis quaedam rarius a nostris audiebantur.

1411. Inter viros primarios et magistratus ejus civitatis unus erat, qui cum agitandis tauris aliisque ludis ac spectaculis populo exhibendis totus fuisset intentus, postquam confiteri nostris coepit, sic mutavit sententiam, ut omnibus modis jam niteretur similia spectacula, offensis Dei plena, impedire; quod si assequi non poterat, urbe cedebat, nec precibus ullis aut persuasionibus exorari se sinebat, ut hujusmodi spectaculis interesset; et qui studia nobilium ejus civitatis perspecta haberet, hanc sui victoriam quam difficilis fuerit intelligeret.

1412. Multa, male parta vel retenta, ad suos redibant; inimicitiae et inveterata odia deponebantur: et aliquando inter virum et uxorem cum suspiciones non leves utrinque intercederent, tamen, per ministerium hujus sacramenti, rebus compo-

sitis, quietam et pacificam domi vitam agebant. Et quia alii alios invitabant, et non invitati sponte sua multi confluēbant, operarii prorsus messi non sufficebant. Itaque prima cura erat ut scholasticis satisfaceret, deinde aliis prout fieri poterat.

1413. In juvenibus autem, qui non obduxerant callum in vitiis, vitae mutationes frequentiores cernebantur, et ad virtutem amandam et consecrandam facilius adducebantur. Diligentia autem confessoriorum in discutiendis poenitentibus efficiebat ut aliquando illi animadverterent non unius sed multorum annorum peccata denuo sibi esse confitenda; et quamvis hoc quibusdam prima fronte grave videretur, postea tamen, singulare Dei beneficium cognoscentes, diligentius ac impensius suos patres spirituales amabant; et complures, ludis relictis et parum honestis voluptatibus, nihil libentius jam agebant quam ut in divinis officiis, sacramentorum perceptione ac verbo Dei audiendo tempus impenderent.

1414. Quamvis nullus hoc anno concionator <sup>1</sup> Cordubae fuerit, qui frequentibus, pro more nostro, concionibus populum instrueret et ad meliora excitaret, diebus tamen veneris mane coram omnibus scholasticis concio habebatur; et diebus dominicis ad christianam doctrinam, de qua conciones habebantur, plusquam octingenti vel nongenti viri accedebant.

1415. Pater tamen Provincialis, qui jam hoc autumnō alius erat a Patre Torrensi, scilicet, P. Bartholomaeus de Bustamante, ut inferius dicemus <sup>2</sup>, dominicis ac festis diebus mane et vesperi magno concursu coepit verbum Dei praedicare, nec minori, ut credebatur, concursu <sup>3</sup>; parentes ipsi filios, et contra filii parentes, verbo et exemplo juvabant. Et cum sibi viderentur conjugati non perinde posse id facere <sup>4</sup>, jubebant filios suos

<sup>1</sup> Id est, nullus qui, ad concionandi munus rite exercendum non communibus ornatus dotibus, id tamquam sibi peculiare praecipuumque exerceret.

<sup>2</sup> Num. 1415

<sup>3</sup> Sic; existimamus tamen scribendum esse *fructu*. *Concursus* enim tam facile videbatur ut fidei locus non esset; *fructus* vero, qui in animis praecipue est, non ita. In litteris quidem Patris Petri de Acebedo, e quibus deprompta haec sunt, sic haec se habent: "nullum fere intermittit feriatum diem, quo et mane et vesperi concionem non habeat, non sine audientium frequenti concursu et profectu." *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 716.

<sup>4</sup> Quid his verbis *Et cum sibi, etc.*, significare voluerit Polancus nescimus, nec simile quid eis est in litteris Patris Alphonsi de Zarate, unde quae hic narrantur, desumpta sunt. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 278 et 281. —Sequentia tamen exigere videntur ut intelligatur conjugatos existimasse se, non perinde ac soluti, precibus fundendis aliisque pietatis operibus vacare posse, secundum illud Pauli I Cor., VII, 32 et 33.

genibus flexis ante lectum orationi vacare, et ipsi aliquid etiam temporis orationi impertiebant.

1416. Sed scholastici longe ulterius progrediebantur; qui una cum aliis, quos habitare in eisdem aedibus contingebat, singulas horas orationi dabant; et ex eis nonnulli ter per hebdomadam flagris corpus castigabant; sed ut valetudinis et studiorum rationem haberent, a nostris dirigebantur.

1417. Multi etiam ex concionibus animati fuerunt ad B.<sup>as</sup> Virginis rosarium recitandum, quod diligenter commendat is, qui christianam doctrinam explicare solitus est <sup>1</sup>.

1418. Cum de aliquo publicum sumendum erat supplicium, accersebantur nostri ut ejus confessionem audirent et morituro assisterent. Curabant autem nostri, cum hos et alios etiam graviter aegrotantes comitabantur, ut qui aderant, spirituali aliqua eleemosyna morti proximos adjuvarent; itaque alii ad communionem se accessuros, alii Missae sacrificia, alii jejunia, alii quidquid boni agerent eo mense, bono animo offerebant; qui admonebantur interim magnum se beneficium a Deo accipere potius quam praestarent ipsis proximis, cum pro ipsis talia offerebant.

1419. In spiritualibus exercitiis aliqui domi nostrae exculti sunt, ex quibus, quamvis aliqui in Societatem admitti omnibus votis contenderent, re tamen id exigente, eorum admissio dilata fuit <sup>2</sup>.

1420. Quae de reprimendo juramentorum abusu alibi dicta fuerunt <sup>3</sup>, Cordubae etiam diligenter sunt a nostris curata; et cum cordubenses alioqui ingeniosi habeantur et parum simplices <sup>4</sup>, cum tamen in publicis viis admonerentur jurantes, aequo animo se corrigi patiebantur, et flexis etiam genibus precationem etiam dominicam, prout illis imponebatur, dicebant; et ita multi discedebant ut se amplius nomen Dei non temere juraturos affirmarent.

<sup>1</sup> Ita Polanci librarius, haec ex supra memoratis Alphonsi de Zárate litteris in *Chronicon* transcribens. Polancus tamen rectius scripsisset *commendabat... solitus erat*.

<sup>2</sup> Non quidem omnium, qui in Societatem admitti petebant; quidam enim, etsi pauci, hoc anno admissi sunt, ut videre est in litteris Patrum Navarro, Acebedo et Zárate. *Litterae Quadrimestres*, t. III. — Vide etiam infra, n. 1430.

<sup>3</sup> Pag. 494, n. 1344 et seq.

<sup>4</sup> Vide supra, t. IV, pag. 444, annot. 2.

1421. Inter canonicos et portionarios <sup>1</sup>, quos vocant, Cathedralis ecclesiae Cordubensis gravis quaedam et diuturna contentio intercedebat, ex qua multa incommoda contra Dei honorem sequebantur <sup>2</sup>. Postularunt autem illi ut P. Provincialis <sup>3</sup> de hoc negotio in ipsorum Capitulo aliquas conciones haberet; et cum coepisset, instabant illi ut pergeret; et sub hujus anni finem spes jam erat, Deo propitio, remedium his dissensionibus esse adhibendum.

1422. Quod attinet ad scholas, studiosorum numerus ad trecentos ascendebat; et qui rudimenta grammatices ibi discebant, tam solida fundamenta tamque brevi tempore jaciebant, ut progressus non mediocres in grammatica facerent, quales longe diuturniori tempore aliis in scholis non fecerant. Nec parum ad id juvabat cujusdam ex praeceptoribus industria, qui methodum quamdam valde accommodam invenit, ut brevi valde tempore scholastici ea perciperent, quae longiori legi solita erant et minus facile intelligi aut retineri poterant <sup>4</sup>.

1423. Juventus cordubensis satis felici ingenio praedita est, et diligentes admodum se in studiis exhibebant; pietati autem christianae sic dediti erant, qui tam mutua inter se charitate affecti, sic praeceptores venerabantur et velut oracula excipiebant, quae ab eis dicebantur, ut merito civitas fructum insignem se reportare ex hoc collegio intelligeret. Exercebant illi se quotidie et componendo et dicendo; et quantum profecissent, declamationes, quibusdam diebus habitae, documento erant. Navabant autem operam et latinae et graecae linguae, et erant qui sex mensium spatio graeca etiam carmina componerent.

1424. Triduo ante festum B. Joannis Baptistae, cum intellexissent scholastici nostros migrare a domo, quam ad tempus

<sup>1</sup> Hispanice *Racioneros*; beneficiati. — "PORTIONARII dicti beneficiati, in ecclesiis cathedralibus, qui dimidiam tantum praebendam percipiunt. Hi aut ab Episcopis, qui clerum suum augere volebant, instituti sunt, aut ut canonicorum absentium vices supplerent; inter canonicos tamen nusquam sunt nominati." DU CANGE, *Glossarium*.

<sup>2</sup> Vide supra, t. IV, pag. 453, annot. 1, et *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 716.

<sup>3</sup> P. Bartholomaeus Bustamante, qui jam Patri Torres suffectus erat. Vide supra, n. 1415.

<sup>4</sup> Habent etiam hic bibliographi in quo suam exerant industriam, scilicet inveniendo quanam haec fuit nova litteras humaniores docendi methodus, quis ejus auctor, et tandem au typis mandata fuerit necne. Sermo autem videtur hic esse de libello a P. Michaele Ramirez concinnato et Romam misso, de quo infra, n. 1435.

inhabitabant, in praeclaram illam D. Joannis de Corduba domum, quam in usum Collegii donatam superius diximus <sup>1</sup>, et supellectilia nostra eo esse transferenda, sponte sua operi se accingebant et humeris imponebant sedilia, quibus nostra abundabant gymnasia, et cathedras summa animorum alacritate, palliis ad id exuti, et vulgi voces contemnere parati. Cernebatur itaque longum agmen, omnium oculos in se convertens, qui stupebant tantam in pueris adolescentibus, et quibusdam etiam viris, modestiam et humilitatem; et Deo summopere gratias agebant. Erant inter hos mixti nostri tam sacerdotes quam reliqui, et suum pro viribus quisque onus portabat; quae res, praeterquam quod viris etiam religiosis admirationi fuit, multos movit cives ut humeros oneri subjicerent; et ita cum ferveret opus, vix euntes et redeuntes via capiebat; et ita quicquid in vetustis aedibus erat, brevi tempore ad novas deportatum est, et in hoc negotio eam voluptatem animo capiebant, quam homines solent qui singularem aliquam dignitatem hujus saeculi consequuntur. Nobiles autem adolescentes, quorum magnus numerus ad scholas conveniebat, non solum onera non subterfugiebant, sed plebejis graviora portabant, cum propter Christi amorem id se facere intelligerent.

1425. Migrarunt autem nostri in aedes Domini Joannis praedictas in ipsa vigilia S.<sup>ti</sup> Joannis <sup>2</sup>. Convenerunt autem, praeter scholasticos, cives complures. Aderat uterque ejus urbis Senatus <sup>3</sup>, multi ex variis Ordinibus religiosi; publicae viae spectatoribus plenae erant, ac viridi fronde stratae; demum civitas communem publicamque laetitiam significare videbatur. Ubi autem ventum est ad praedictas aedes, D. Joannes, humanissime nostris exceptis, possessionem domus, non sine lacrymis ac vocibus, internum animi gaudium testantibus, tradidit; ut qui probe intelligebat se beneficium accipere cum beneficium daret. Ornabant aulaea domum, et erecta ibi fuerat ara, ubi sacra peragerentur. Unus ex nostris <sup>4</sup> tunc concionem habuit, quae mire auditorum animos commovit.

<sup>1</sup> Supra, t. iv, pag. 443, n. 930.

<sup>2</sup> 23.<sup>o</sup> Junii.

<sup>3</sup> Scilicet civitatis Jurati et cathedralis ecclesiae Capitulum.

<sup>4</sup> "el Padre Alfonso de Avila, que de Sevilla fue llamado en compaña del Padre Gonzalo Gonzalez", SANTIVAÑEZ, l. c., cap. 22.



1426. Ipso autem die, qui Divo Joanni sacer erat, primum Missae sacrificium ibi a nostris peractum est, non sine musicis instrumentis et cantu eximio <sup>1</sup>. Habuit autem concionem religiosus quidam Ordinis Praedicatorum, vir doctrina et religione praestans <sup>2</sup>. Aliis autem recedentibus, D. Joannes multos convivas retinuit, inter quos erant religiosi complures, cum aliquot ex primoribus utriusque Senatus, quibus nostri (quippe jam domi suae), ministrarunt, quamvis D. Joannes convivium paraverat. Sublatis mensis, nobilis quidam adolescens e suggestu coepit S.<sup>u</sup> Joannis laudes decantare. Aderant et alii quatuor, quorum primus declamatorium thema proposuit; duo alii suam quisque partem alteri contrariam validis rationibus tuebatur. Quartus, cui judicandi negotium fuerat demandatum, graece et latine sententiam pronunciavit; et quamvis a prandio, attentissime tamen adolescentes auditi sunt. Recedentibus autem quibusdam ex convivis, alii manserunt comoediam spectaturi, quae vesperi erat agenda. *Acolastus* illa erat, detruncatis ex ea locis quibusdam, piis auribus minus accommodatis; qua in re cum dispersus rumor esset, accurrit innumera turba eorum, qui latine sciebant; nihil se vidisse unquam quod magis placuisset asseverabant. Omne enim punctum ea videtur tulisse. Singulos actus explicabant hispanici versus, adjecta brevi atque ex ipsa re nata exhortatione, quae ad mores spectabat <sup>3</sup>.

1427. Triduo post, intermissa revocantur studia, in quae, si

<sup>1</sup> "El día siguiente; célebre por el nacimiento del Precursor, con el mismo ó mayor concurso dijo Misa el Sr. Don Juan.", SANTIVÁÑEZ, l. c.—P. tamen Petrus de Acebedo, dum haec enarrat, quis Missam primum celebraverit non aperit. Ait enim; "dijose la missa.", *Litterae Quadrimestres*, tom. III, pag. 626.

<sup>2</sup> "Predicó en ella aquel gran religioso, Fray Pedro de San Juan, su (Joannis de Corduba, Decani et Collegii fundatoris) estrecho amigo, estimado de todos por sus muchas prendas.", SANTIVÁÑEZ, l. c.

<sup>3</sup> Postrema haec desumpsit POLARCVS ex Patris Petri de Acebedo litteris 3.<sup>a</sup> Septembris hujus anni datis (Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 627). Verum en alter narrat SANTIVÁÑEZ, l. c., cap. 22. Ait enim: "El remate de la tarde y de la fiesta fué una representacion ó comedia, que hicieron nuestros estudiantes, en el argumento y sentencias tan cristiana, que tuvo veces y fruto de sermon. Dió el argumento el hijo pródigo de el Evangelio, con nombre de Lisardo. Causó no vulgar sentimiento en los ánimos de los oyentes, y se siguieron á este reformaciones no esperadas en hombres de estragada vida, pródigos antes del caudal de la gracia. Duró tres horas este sermon; que los que habian con los ojos, nunca parecieron largos. Fué uno y otro (haec comoedia et praecedens oratio) desvelo y atencion de aquel gran maestro el P. Pedro de Acebedo, que lo que escondió del talento de predicar por más esconderse y humillarse, en estos entretenimientos y ejercicios de letras hacia lucir con maravillosa destreza y felicidad en saber sacar aprovechados los oyentes. No descansava de otra manera su santo celo."

unquam alias, auditores diligentissime incubuerunt. Nec propterea quae pietatis sunt, negligentius retinebant; bona enim pars scholasticorum huiusmodi singulis diebus orationi vacabat in novo sacello (quamvis illis alii etiam se adjugebant); locus cis et hora praescripta erat, et unus ex Patribus meditandi materiam eis suggererat, qua ex re fructus non mediocris capiebatur. Renovata fuerunt studia <sup>1</sup> ipso festo D. Lucae, praemissa oratione de scientiarum laude, quam unus ex auditoribus habuit; eam secutus est dialogus, quem scholastici lepide admodum transegerunt; cuius et inventio et ornatus pergratus fuit. Dies etiam D. Catharinae sacer magna solemnitate celebratus ibi fuit <sup>2</sup>; et epigrammata latina et graeca affixa fuerunt, et declamationes post prandium sunt consequutae, quarum thema fuit consultatio illa Davidis de electione unius ex tribus illis flagellis, scilicet famis, pestis et fugae inimicorum <sup>3</sup>. Studia itaque satis diligenter, juxta regulas nostrarum scholarum, Cordubae tractabantur.

1428. Bonus odor Societatis ex omnibus praedictis exercitationibus Cordubae in dies magis spargebatur; et si tales essent alii <sup>4</sup> confessarii quales nostros experiebantur, haec erat hominum existimatio, quod non sic homines in suis vitiis insordescerent. Vulgo circumferebatur neminem ad nostrum templum accedere, ne ad sacra quidem audienda, qui non statim vel aliam longe vitam proponat, vel certe aliquo modo immutatus discedat; redeuntes autem praedam Christi fieri cernebatur. Et ita multi adduci non poterant ut Missae vel concionis audiendae gratia ad templum nostrum venirent; timebant enim statim se ad confessiones movendos esse, quod ipsi reformidabant.

1429. Vox etiam, quae illos vel *Patres*, vel *sanctos*, vel *theatinos* nuncupabat, terrorem ingerebat; sed qui assuescebant nostrorum familiaritati, has voces contemnebant, et quod

<sup>1</sup> Haec propter aestivos calores intermissa fuerant.

<sup>2</sup> Divae Catharinae, virginis et martyri (25 Novembris), Collegii tunc sacellum et postea templum dictum fuit.

<sup>3</sup> II Reg. xxiv, 13. Vide etiam *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 717.

<sup>4</sup> Ubi nos scribimus *alii*, ms. habet perspicue admodum *nrí*. (*nostri*); sed librarii error manifestus est. Respondent enim haec illis Patris Alphonsi de Zárate verbis *Litt. Quad.*, t. III, pag. 278: "si los otros confesores siguiesen la forma de la Compañía," quae P. Petrus de Acebedo latine vertit sic (*ibid.*, pag. 281): "si poenitentiaríi auditores alii in huiusmodi resacandis vitiis Societatis normam sequerentur."

prius verebantur, scilicet, digito monstrari, jam nullo modo timebant.

1430. Quamvis multi aspirabant ad Societatem, inter quos erat quidam generosus adolescens, qui primogenituram pro nihilo habens relinquebat, et votum castitatis emiserat, non tamen facile quisquam admittebatur: unus adolescens latine et probe doctus ad Patrem Franciscum Borgiam missus est hac aestate, et alii nonnulli tandem sub autumnum ut admitterentur impetrarunt.

1431. Hujus Collegii Rector quidem erat P. Gonzalez <sup>1</sup>; sed is, ut superius diximus <sup>2</sup>, Hispalim, sub initium hujus anni, cum Patre Provinciali Torres a P. Francisco Borgia evocatus erat. Prius tamen compluribus exercitia dederat Cordubae, inter quos fuit P. Franciscus Gomez, sacrae theologiae licentiatus, qui ibidem theologiam publice profitebatur, et Societatem ingredi decrevit <sup>3</sup> cum alio sacerdote, et alio theologiae studioso, et quatuor coadjutoribus temporalibus, quorum duo missi fuerunt in Portugalliam, tertius Salmanticam, quartus Cordubae retentus est. Licenciatus autem Franciscus Gomez, ne auditores suos desereret, non statim admitti potuit, donec eis prospectum fuit; sic enim magistro Avilae <sup>4</sup> visum fuit; quamvis ipsemet magister Avila partim ut multis prospiceret discipulis suis in ea provincia, partim ob morbos et senium ipsemet Societatem ingressus non est <sup>5</sup>.

1432. Aedificium autem scholarum in dies crescebat, nec solum D. Joannes de Cordoba illud urgebat, sed ipsi magistratus et senatus civitatis. At ipse Episcopus, D. Leopoldus de Austria, Imperatoris patruus <sup>6</sup>, impedimentum huic aedificio

<sup>1</sup> P. Gundisalvus Gonzalez.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 460, n. 932; et pag. 468, n. 998.

<sup>3</sup> Hujus res gestas, quas primus enarravit Muñoz, *Obras del B. Juan de Avila*, t. vii, lib. 2, cap. 10. describit etiam NIEREMBERG, *Varones ilustres de la Compañía de Jesus*, edit. antiq. Matritensis, t. iv, pag. 697, recent. Bilbaënsis, t. vii, pag. 26.

<sup>4</sup> Beato Joanni de Avila. Is Cordubae lectiones quasdam philosophiae, juris et theologiae haberi curaverat per suos discipulos, quorum unus, Franciscus Gomez, de quo hic fit sermo, theologiam profitebatur et in eo munere perseveravit, donec anno 1559 illarum omnium lectionum onus subivit Societas. MUÑOZ, l. c.; NIEREMBERG, l. c.

<sup>5</sup> De his, quae in causa fuere ne tandem B. Joannes Avila Societatem ingrederetur, plura scitu quidem digna dabit, Deo volente, Nova series litterarum Sancti Ignatii.

<sup>6</sup> "Don Leopoldo de Austria fué hijo de Maximiliano I, Emperador. Nació el año de 1505, y su sobrino el Emperador Carlos V le presentó al Obispado de Córdoba, de que ya tenía la posesion por Agosto de 1541.", GOMEZ BRAVO, *Catálogo de los Obispos de Córdoba*, lib. iv, cap. 1.

praebuit, immo et censuras adhibuit, propter quas, nec magistratus, nec senatores, nec ministri eorum in festis natalitiis interesse divinis officiis potuerunt, donec ab Archiepiscopo Toletano absolutionem impetrarent <sup>1</sup>. P. Torres, tunc Provincialis, cum quodam secretario Episcopi (qui pro brachio dextero ipsi <sup>2</sup> erat) negotium hoc tractabat, ut Episcopus scilicet sese opponere desineret. Postulaverat quidem Episcopus concionatorem de Societate ad secundam dominicam Adventus anni praeteriti, et ei nostri morem gesserunt. Sed postquam litem, aedificii causa, movit nostris et ipsi civitati, amplius nostrorum operam ad concionandum non postulavit, quamvis ei non fuisset denegatum. Antequam ipsemet Dr. Torres cum P. Gonzalez Corduba recederet, praelegerat de contractibus cum continuo tam studiosorum theologiae quam sacerdotum concursu; et christianam etiam doctrinam idem cum satis magna [frequentia] et satisfactione audientium praelegerat.

1433. Cessaverat tamen aedificium scholarum, cum praeter censuras praedictas Episcopus ex Cancellaria Granatensi et decretum quoddam attulerat, quod concedi solet fere omnibus id postulantibus; ut, scilicet, ad nonaginta dies ab opere cessassent. Illis autem absolutis, coeptum opus civitas prosecuta est. In omnem tamen eventum D. Joannes collegium nostrum migrare voluit in suas aedes praestituto tempore, scilicet, nativitate S.<sup>ti</sup> Joannis (ut superius factum diximus <sup>3</sup>), et ita properabat alterius domus, quam confecerat ad suam habitationem, aedificium absolvere; et ipse solus provinciam sacelli aedificandi sumpsit, donec <sup>4</sup> expectando ut nostri ad id aedificandum quicquam conferrent; quod enim aliquando constitutum erat de ecclesia fabricanda, in sacellum praedictum commutatum fuit, quod tamen propemodum tam capax futurum erat, quam fuisset ecclesia designata et quidem in commodiori loco.

1434. Rediit postea P. Provincialis <sup>5</sup> cum ipso P. Francisco

<sup>1</sup> Cordubensis ecclesia, quae ad annum circiter 368 Metropolitana Baeticae habitata fuit, postea Hispalitanae et Toletanae suffraganea fuit. GAMS.

<sup>2</sup> Episcopo.—Secretarius huius Cordubensis Episcopi fuit Licentiatuſ Joannes Sanchez Navarro; verum nullam ejus factam mentionem reperimus ab anno 1545. Cf. GOMEZ BRAVO, l. c.

<sup>3</sup> Pag. 521 et 522, n. 1425 et 1426.

<sup>4</sup> Sic; sensus tamen exigere videtur ut loco *donec* scribatur *non*.

<sup>5</sup> Intellige hic Patrem Michaëlem de Torres, qui Baeticae provinciae praesede non desiit ante autumnum hujus anni 1555. Vide supra, pag. 518, n. 1415.

Borgia Cordubam, mense Februario jam ad finem accedente, quorum aspectus magnopere civitatis magistratum ac Senatum exhilaravit et animavit ad coeptum opus proseguendum; sed post octo dies Placentiam, ubi expectabatur, discessit P. Franciscus, et secum juvenem quemdam bonae indolis [adduxit], quem in Societatem Cordubae admiserat, quem quidam ejus patruus ipso in itinere adortus est, et sibi a nepote quamdam pecuniae summam deberi objiciens, revocare ab incoepto instituto Societatis nitebatur. Sed postquam eum persuadere nullo modo potuit, confessus est fictionem suam, et nihil prorsus sibi deberi.

1435. Tam bono ingenio praediti erant illi scholastici tamque prompto, ut essent aliqui, qui, cum sexquiannum tantum litteris impendissent, dum ipse praeceptor epistolas vernaculo sermone dictabat ut in latinum sermonem verterent, ipsi eodem tempore latine scriberent, quod ille hispanice dictabat. In declamationibus etiam se exercebant publice ac privatim; multum autem tribuebant industriae praeceptoris, magistri Ramirez <sup>1</sup>, qui secundae classi praeerat, de hujus promptitudinis laude, qui non solum rudimenta, sed et syntaxim cum magna perspicuitate in compendium redegerat; quae methodus usque adeo placuit P. Francisco, ut Patri Ignatio mitti voluerit, ut videndum et, si probaretur, imprimendum curaret in aliorum utilitatem <sup>2</sup>.

1436. Visus est et P. Dr. Torres, Provincialis, talentum concionandi, quod prius sua humilitate notum aliis non fecerat, non mediocre habere; Hispali enim Cordubam rediens, bis in hebdomada diebus dominicis et jovis extra domum nostram concionabatur cum eorum, qui audiebant, satisfactione et fructu <sup>3</sup>.

1437. P. Benedictus <sup>4</sup> conciones de doctrina christiana die-

<sup>1</sup> Patris Mag. Michaëlis Ramirez. Vide supra, t. iv, pag. 445, annot. 6, et SANTIVAS, l. c., lib. i, cap. 12, n. 9.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 520, n. 1422.

<sup>3</sup> Vere mirum est talentum concionandi, quo pollebat P. Michaël de Torres, nunc primum, post annos fere decem in Societate exactos, et non prius innotuisse, praesertim cum sermo jam factus sit de ejus concionibus in custodia publica Salmanticae (supra, t. i, pag. 425, n. 449) et in oppidis Burgensis dioecesis (t. ii, pag. 109, n. 260). Quare haud improbandus forte esset librarius noster, qui existimans sermonem adhuc in hac periodo fieri de P. Michaële Ramirez, ut in praecedenti, transcripsit haec ita: *Visus est et Patri Doctori Torres, Provinciali*, etc. At 1.<sup>o</sup> perspicue admodum est in ms. quod nos transcribimus; et 2.<sup>o</sup> nusquam invenimus P. Michaëlem Ramirez Hispali Cordubam *redisse*; rediit tamen P. Torres.

<sup>4</sup> Vide supra, t. iii, pag. 316, n. 706, annot. 1.

ous etiam dominicis et veneris prosequatur. Quatuor praeterea ex fratribus in quatuor ecclesiis ejus urbis eandem doctrinam explicabant.

1438. Quidam ludimagister, qui domi nostrae confitebatur, domum prope collegium nostrum conducere voluit, ut vicinior effectus, assuefaceret suos discipulos ad nostrorum mores discipulorum imitandos; et quamvis propter occupationes nostri eos <sup>1</sup> ad confessiones non admittebant, ad alia tamen monasteria statis diebus confessionis gratia dimittebant, quemadmodum studiosi collegii nostri facere soliti erant; quamvis natu grandiores initio etiam in nostris scholis repugnarent, sed postea id sibi persuaderi sinebant <sup>2</sup>.

1439. Cum anno praeterito in Hispania fuit P. Natalis, de consilio aliorum fratrum constituerat ne quis neophytus <sup>3</sup> in Societatem Cordubae admitteretur; sed si quis esset inter eos idoneus, ut ad Patrem Franciscum Borgiam mitteretur <sup>4</sup>. Et in causa id fuit ut aliqui egregiae indolis juvenes non fuerint statim admissi, inter quos unus ex praecipuis concionatoribus ac lectoribus ejus urbis erat <sup>5</sup>. Hoc decretum domino Joanni de Corduba fundatori minime placebat, quamvis in gratiam Marchionissae de Priego <sup>6</sup> factum fuerit, quae ideo censebat neophytos non esse admittendos, ne nobilitas Cordubensis a nostris abhorreret; et tamen experientia ipsa docebat quod non propterea nobiles magis afficiebantur, ut per Societatis homines ipsi in divino obsequio juvarentur, et pauci ex his nobilibus primoribus nostris confiteri perseverabant; et ita consultus P. Ignatius <sup>7</sup> excludendos hujusmodi homines non censuit: quamvis aedificationis rationem esse habendam, quoad ejus fieri posset, existimabat; et aliqui ex hoc genere hominum, praeclaris Dei donis praediti, fuerunt admissi.

<sup>1</sup> Scilicet illius ludimagistri discipulos.

<sup>2</sup> Hoc est: quamvis natu grandiores initio, etiam in nostris scholis, Societatis consuetudini, ut scholares singulis mensibus ad confessionem accedant, conformare se repugnarent; sed postea id sibi persuadere sinebant.

<sup>3</sup> Is scilicet, qui tunc temporis in Hispania *cristiano nuevo* appellabatur, quia aut recens ad catholicam fidem conversus ipse erat, aut originem a judaeis, saracenis, etc., trahebat.

<sup>4</sup> Vide supra, t. iv, pag. 463, anot. 1 ad n. 988, et pag. 477, n. 1011.

<sup>5</sup> Hic esse videtur P. Franciscus Gomez, de quo supra, pag. 524, n. 1481.

<sup>6</sup> Catharina Fernandez de Corduba, de qua saepius in hoc *Chronico*, praesertim t. iv.

<sup>7</sup> Mentem de hac re suam aperuit saepe Ignatius in litteris jam in opere *Cartas de San Ignacio* editis et in aliis in Nova serie edendis.

1440. Censebat autem P. Torres Provincialis non tam multa collegia admittenda esse, et observandum quod in Italia P. Ignatius observabat, ne ullum collegium inchoaretur, in quo saltem quatuordecim collegiales non essent <sup>1</sup>; et ad id movebatur, quia ex his, qui praeerant collegiis Baeticae, vix duos talentum ad regendum alios habere sentiebat, quamvis omnes, Deo adjuvante, bene se gererent. Admonuit etiam P. Franciscum Borgia plus quam par esset laborare, nec posse diu vitam ac valetudinem tueri, si sic pergeret; et eremitorium, quod ipse optabat, concedendum ipsi arbitrabatur <sup>2</sup>; ex quo tamen egredere-tur, cum ejus praesentia magni esset momenti ubicumque versaretur.

1441. Postquam D. Joannes domum suam nostris tradidit, multa vasa argentea, ornamenta in usum sacelli, donavit, quae multa millia ducatorum valebant; et tanta cum hilaritate dedit, ut diu etiam post donum duraret, et diceret nunc sibi et cibum et somnum gratum esse coepisse.

1442. Cum P. Provincialis cum Patre Basilio <sup>3</sup> Granatam profecti sunt, sacerdotem quemdam et duos alios, Cordubae in Societatem admissos, secum adduxit, et in ipso itinere praedicabant, et alia Societati consueta ministeria in quibusdam locis exercebant; Pater autem Gonzalez Cordubae relictus est ut illi Collegio praeesset usque ad Septembrem, quo tempore Hispalim erat abiturus, ut Collegii illius curam acciperet. Hoc tamen tempore quibusdam Exercitia tradita sunt non infimae notae hominibus.

1443. Admonuit P. Torres Provincialis Patrem Ignatium valde necessariam esse nostris facultatem absolvendi ab haeresi, cujus usum P. Natalis nostris interdixerat; docebat enim experientia quasdam esse animas, quae mallent in suis peccatis manere, quam ea aliter quam in confessione fateri; et re collata cum Archiepiscopo Granatensi, ejus etiam sententia haec fuit, quod conveniebat magnopere hanc facultatem alicui nostrorum intermittere; et sic P. Ignatius paucissimis, et magno cum delectu, et quibusdam conditionibus adhibitis ne ullum praejudicium tribunali S.<sup>tae</sup> Inquisitionis fieret, [eam] communicavit.

<sup>1</sup> Vide praesertim supra, t. iv, pag. 482, n. 1018.

<sup>2</sup> Vide *ibid.*, pag. 490, n. 1035.

<sup>3</sup> P. Basilio, olim Alphonso, de Avila.

1444. Jam ab initio hujus anni agebatur de applicatione quorundam beneficiorum ad dotationem Collegii Cordubensis, quae P. Antonius de Corduba ex permutatione cum quadam dignitate illius ecclesiae in Gallaecia acceperat<sup>1</sup>; et cum a Domino Francisco de Toledo, ut superius diximus, quoddam beneficium loci de Petrocce<sup>2</sup> peteretur, quod erat in Dioecesi Cordubensi, et ejusdem redditus aliud ei offerretur in Compostellana Dioecesi, maluit ipse D. Franciscus libere beneficium dare, ut in eodem loco collegium erigeretur; sed Patri Francisco videbatur magis expedire ut cederet in dotationem domus probationis, in situ quodam valde bono, quem Marchionissa de Priego civitati Cordubensi in usum collegii nostri dederat<sup>3</sup>; et inde poterat aliquis lector in locum Petrocce mitti, qui doctrinam etiam christianam explicaret; nec enim expedire videbatur ut eo in loco collegium admitteretur, cum praesertim Montillae aliud esset brevi inchoandum, et potius deessent operarii ad tam multa collegia idonei, quam superfluerent, ut in similibus locis collegia nova admitterentur. Sed dum haec tractantur, Senis moritur D. Franciscus<sup>4</sup>, et hoc beneficium in alias manus devenit.

1445. Sub finem autem aetatis, cum Regina Portugalliae<sup>5</sup> in suum confessarium elegisset Patrem Torrensem, Baeticae Provincialem, et litteris a P. Ignatio et P. Francisco Borgiam sibi postulasset<sup>6</sup>; cum alioqui P. Miron, Provincialis, suo triennio perfunctus, successorem in curia Provinciae Portugalliae expeteret<sup>7</sup>, missus est idem P. Torrens et Provinciae Portugalliae Provincialis effectus est, et Baeticae P. Bartholomaeus Bustamante ejus loco fuit praepositus<sup>8</sup>; et certe magno sensu a domo probationis, cui Simancis praeerat, avulsus est, et munus Baeticae Provinciae subivit.

1446. Testatur ille suis litteris, experientia docente, se cognovisse ad exactam Constitutionum ac Regularum observationem

<sup>1</sup> Vide supra, t. III, pag. 350, n. 774; et t. IV, pag. 452, n. 967; et pag. 457, n. 975.

<sup>2</sup> Sic; *Pedroche*. Vide supra, pag. 100, n. 269

<sup>3</sup> Vide supra, t. IV, pag. 451 et 452, n. 965.

<sup>4</sup> D. Franciscus de Toledo. Vide supra, pag. 104, n. 284, annot. 5.

<sup>5</sup> Catharina, Joannis III uxor.

<sup>6</sup> Magni faciebat Portugalliae Regina Patrem Michaëlem de Torres, a quo exercitiis spiritualibus exculta fuerat. Vide supra, t. III, pag. 408, n. 900.

<sup>7</sup> Ignatii patentes litterae, quibus Patri Mironi curam Provinciae lusitanae demandabat, datae sunt 26 Decembris 1551. Vide *Cartas de San Ignacio*, t. II, pag. 470, et 390.

<sup>8</sup> Vide supra, pag. 518, n. 1413.



expedire quam maxime, immo praecipuum esse medium cum divina gratia, neminem admitti in Societatem, qui statim in probationis domo non exerceatur. Viva enim desideria proficiendi in his, qui accedunt ad religionem, et animi blandi et capaces ad institutionem suscipiendam, ad observationem eorum omnium, quae proponuntur, sese facile accommodant; et tamen ipse ad perfectionem acquirendam nescire se, ait, in terris faciliorem ac suaviorem viam, cum divina gratia, quam perfectam observationem praedictarum Constitutionum et Regularum <sup>1</sup>; et cum Simancis P. Franciscus hoc ita esse plane perspectum haberet, et a P. Ignatio accepisset ut in singulis provinciis unam probationis domum institui curaret, injunxit idem P. Franciscus Patri Bustamante ut Cordubae hujusmodi probationis domum institueret.

1447. Re igitur cum D. Joanne de Corduba, fundatore, collata, et cum D.<sup>a</sup> Marchionissa de Priego, quae magna cura et nostros ad sustentationem adjuvabat et dotationem perpetuam curabat, et utroque rem approbante, hoc autumno partem Collegii separavit, et novitiis probandis deputavit, qui, sine ullo detrimento collegii, in separatis habitationibus suam clausuram et probationis commoditatem haberent. Et sic dispositae fuerunt habitationes illae, ut locus viginti collegialibus et quindecim novitiis suppeteret: et cum videretur P. Bustamante, novus Provincialis, significare quod multis novitiis locus idoneus non suppeteret, spem fecit idem D. Joannes de domo alia donanda, quam collegio nostro conjunctam sibi ipsi aedificaverat, quamque tunc inhabitabat, quae plures habitationes quam collegium nostrum habebat. Sed si id non praestaret D. Joannes, Hispalim aut Granatam transferri posse censebat probationis domum, in quibus sustentari facilius posse verisimile erat.

1448. 20.<sup>a</sup> ergo die Octobris, tredecim novitii in nova hac domo probationis positi fuerunt; et statim alii quinque additi fuerunt ante hunc mensem exactum, et vix praeterierat triduum, [cum] res erant in nova domo probationis sic constitutae, ut magna cum consolatione et quiete omnia, quae ad hujusmodi probationem pertinent, exerceantur; et mortificationi atque

---

<sup>1</sup> Vide Patris Bartholomaei Bustamante litteras in *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 758-762.

abnegationi omnes dabant operam; et cum multa peterent, large eis concedebantur; nam res huiusmodi petentibus potius concedendae, quam invitis aut non petentibus injungendae videbantur, donec habitum acquirentes, tam ad eas propria voluntate quam contra illam suscipiendas prompti reddebantur. Et ideo biennium impendendum esse huiusmodi probationibus, maxime momenti idem P. Bustamante arbitrabatur, qui admiranda esse prorsus, quae Dominus in ea domo operabatur, quemadmodum et in illa, quae Simancis erecta fuerat, testatur; nec aliam curam in praefecto necessariam esse censebat aut industriam, quam Constitutionum et Regularum plenam observationem.

1449. Propter febres quasdam tertianas, quas P. ipse Bustamante, cum Cordubam venit, passus est, nondum invisere, sub Octobris finem Collegium Hispalense nec Granatense [potuerat]; et ideo Patri Gonzalez commisit, qui Rector erat Hispalensis, ut nostros apud S.<sup>m</sup> Lucam et Granatae agentes invisere, et ad se referret si quid facto opus esse judicaret. A Collegio Placentiae liberatus fuerat, ut inferius dicitur <sup>1</sup>; et bene omnia sese habere intellexit; quod serio ubique ad observationem regularum nitebantur; qua in observatione et fructum et consolationem magnam experiebantur; et ideo non afficiebatur collegiis, ubi pauci versabantur, quemadmodum apud S.<sup>m</sup> Lucam et Montillae, ubi quatuor aut quinque et non amplius versabantur; quia ubi tam pauci sunt, nulla potest esse regularum observatio <sup>2</sup>. Quod initium fuerit datum Collegio Montillae, inferius dicitur <sup>3</sup>.

1450. Interdixerat Episcopus Cordubensis omnibus concionatoribus omnium Ordinum ne sine sua facultate quisquam concionaretur, quod Concilium Tridentinum <sup>4</sup> Episcopis concedere dicebat; et cum reliqui Ordines religiosorum se Episcopo in ea parte submitterent, Dr. Torres, tunc Provincialis, tantumdem fecit, et nostris facultatem impetravit; nec potuit P. Bustamante aliter procedere, quia sine Episcopi facultate in nullo templo urbis quisquam ad concionandum admittebatur. Difficile

<sup>1</sup> Num. 1472.

<sup>2</sup> Vide supra, t. III, pag. 40, n. 72, annot. 1.

<sup>3</sup> Num. 1455 et 1481.

<sup>4</sup> Sess. V, *De Reformatione*, cap. II.

autem observationem fore hujus decreti, dum per varia loca discurrunt, nec facile ad Episcopos aut eorum Vicarios possunt accedere, Patri Ignatio idem significat <sup>1</sup>.

1451. Constituerat P. Gonzalez cum D. Joanne de Corduba Sanctissimum Sacramentum in sacello, quo ad tempus nostri utebantur, dum ecclesia aedificabatur, reponere; qua in re Episcopus aliquando repugnauerat D. Joanni, antequam Societati praedictum sacellum traderet. Censuit autem P. Bustamante contra Episcopi voluntatem id faciendum non esse, quia in litteris Apostolicis concessum erat Societati ut in suis ecclesiis Sanctissimum Sacramentum habere possent, non autem in suis oratoriis, quale hoc erat; quamvis alioqui satis convenire arbitrabatur, cum hoc tempore triginta ex nostris Cordubae versarentur, et quia consecrabantur aliquando formulae in usum aliquorum, qui communionem petebant et postea aliqua ex causa non communicabant, ut Sanctissimum Sacramentum reponi et custodiri in sacello nostro posset.

1452. D. Joannes non solum consolationem magnam accipiebat dum suam olim domum servis Dei plenam videbat, et frequentes etiam auditores diebus dominicis ad christianae doctrinae sermones accedere; sed et ipse in spiritu suo proficiebat, et ad id magnopere orationes, quae pro ipso fiebant, juvare arbitrabatur.

1453. Cupiebat ille universitatem fieri Cordubae, et brevi tempore magnum ejus progressum sperabat, si erigeretur sub Societatis directione: alioqui paucos fore dicebat, qui philosophiae aut theologiae vacare Cordubae vellent, si cursus, quos ibi peragerent, aliis in universitatibus non admitterent. Sed si universitas fieret, haud dubie Societati nostrae magna necessitas incumberebat egregios lectores Cordubae constituendi. Sperabat tamen P. Bustamante eos non defuturos; quos enim in graecis et latinis, rhetoricis et humanioribus litteris tunc habebat Societas, ad quodvis generale studium idoneos fore; in superioribus autem facultatibus facilius quam in his inveniri posse.

---

<sup>1</sup> Quaesivit etiam Bustamante a P. Ignatio "si en caso que los Obispos todavía, con pretexto del Concilio Tridentino, no dejasen predicar á los de la Compañía sin su licencia, si se entenderá que en las calles y plazas públicas lo podrán hacer sin ella., *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 760.

1454. Misit Patri Ignatio exemplum donationis, quam Marchionissa de Priego et D. Theresia, ejus soror <sup>1</sup>, in favorem ejus collegii fecerant, quod Montillae inchoari cupiebant; et quindecim aut viginti ex nostris putabat ibi posse sustentari, partim ex hac dotatione, partim ex eleemosynis; quamvis tantum ad quatuor ibi retinendos Marchionissa obligaret. Sed tam paucos ibi teneri non expediebat propter causam superius dictam, quod scilicet non possent Constitutiones et Regulae in tanta paucitate observari <sup>2</sup>.

1455. Cum P. Franciscus Hispali Cordubam Februario mense, ut dictum est <sup>3</sup>, venisset, et confessarium de Societate nostra Marchionissa <sup>4</sup> penes se habere cuperet, et unum vel alterum, qui pueros rudimenta et christianam doctrinam doceret, de hoc collegiolo inchoando actum est, et P. Dr. Plaza <sup>5</sup> cum aliis quibusdam eo mittendus visus est; et ita initium habuit illud, quod postea ad justiore magnitudinem excrevit, ut suo loco dicetur.

Et haec de Collegio Cordubensi ac Baeticae provincialibus sint dicta et de tota Provincia Baeticae.

## DE PRINCIPIO COLLEGII MURCIAE

1456. Carthaginensis Episcopus natione lusitanus <sup>6</sup> et P. Francisco Borgiae amicitia conjunctus, collegium in civitate Murciae, quae regni illius caput est, quamvis sub Dioecesi Carthaginensi, et in qua ipsemet Episcopus residet, collegium instituere volebat, in quo sex sacerdotes essent, doctrina et rerum experientia idonei, ad ipsius Dioecesim juvandam; et his

<sup>1</sup> Vocabatur haec Theresia Enriquez eratque monialis in coenobio Sanctae Clarae, ordinis Sancti Francisci, in urbe Montilla. Muñoz, l. c., lib. 1, cap. 29.

<sup>2</sup> Pag. 531, n. 1449.

<sup>3</sup> Pag. 525, n. 1434.

<sup>4</sup> Supra dicta de Priego.

<sup>5</sup> P. Dr. Joannes de la Plaza.

<sup>6</sup> "D. Esteban de Almeyda, de nacion portugués, hijo de D. Diego Fernandez de Almeyda, Prior de Ocrato. Pasó D. Esteban á Castilla con la Emperatriz Doña Isabel.", GIL GONZALEZ DAVILA, *Theatro ecclesiástico de España*, t. 1, pag. 334 — Cf. etiam *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 671, annot. 2.

alendis reditus aliquos destinaverat. Informem itaque quamdam collegii rationem animo praecogitans, id prudenter fecit, quod per concionatorem quemdam et doctorem, cognomine Verdolai <sup>1</sup>, Patrem Baptistam de Barma, in gubernanda Provincia Aragoniae P. Stradae socium <sup>2</sup>, ad se evocavit, qui, Caesaraugustae relictis nostris, post Pentecosten per Gandiense [Collegium] Murciam cum duobus sacerdotibus et uno fratre laico <sup>3</sup> profectus est, ut melius quid sibi vellet Episcopus intelliceret, et ut ejusdem bonam voluntatem, ubi opus esset, circa institutionem collegii dirigeret.

1457. Prius tamen quam hoc iter susciperet, collegium Valentinum et Gandiense pro officii sui ratione perlustravit, et aliquas conciones illis in populis habuit; sed profectus, ut dixi, post festa Pentecostes, licet aestus essent graves et iter laboriosum, evadere non potuit praedicationis munus quibusdam in locis, a quibus sancta quadam importunitate invitabatur. Sed magnam in illo regno Murciae messem et jam albam sibi cernere videbatur, et de Societate magnam ibidem existimationem invenit. Ipsa ergo vigilia Corporis Christi Murciam pervenit, et ne offenderetur Episcopus et quidam ex ejus ministris, qui P. Baptistam deducebat, non ad hospitale, sed ad domum ipsius Episcopi recta perrexerunt, qui ardenti desiderio nostros expectebat; qui nostros humanissime hospitio et mensa sua excipiens, commodissimam domus partem ipsis assignavit, ubi ipsius erat sacellum, ut possent ibi Missas celebrare et extra familiae strepitum se, cum vellent, colligere.

1458. Postridie coeptum est de collegii institutione agi. In ea tunc erat sententia Episcopus ut foundationem institueret, reditus mille annuorum ducatorum et eo amplius, ut viginti homines nostrae Societatis alerentur, ex quibus duodecim sacerdotes essent, qui jam studiis suis perfuncti et in virtutibus probati, per Episcopatum Carthaginensem certis quibusdam temporibus excurrerent, et ministeria Societati consueta exercerent, et obligationi ipsius Episcopi pro virili parte satisfacere-

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 345, n. 736, et annot. 4.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 482, n. 1019; et in hoc t. v, pag. 369, n. 994 et pag. 386, n. 1046.

<sup>3</sup> Quinque fuisse Patris Baptistae de Barma socios ait ALVAREZ, *Historia ms. de la provincia de Aragon*, lib. i, cap. 47, ut et P. RIVADENEIRA, *Historia ms. de la Asistencia de España*, lib. ii, cap. 13. Neuter tamen eorum nomina profert.—Unus certo fuit Hieronymus de Ripalda. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. iii, pag. 671.

rent. Nec admittere ulla ratione volebat ut hoc collegium esset, in quo lectiones ullae fierent, vel juvenes nostri residerent, nec eleemosynas ullas peterent. Et sane intentio ipsius sana et suis rationibus fulta erat, et ad profectum animarum suae Dioecesis conversa.

1459. Sed paulatim P. Baptista eidem Episcopo persuasit, ad majus beneficium suae Dioecesis cessurum esse, si collegium ibi institueret, ubi saltem grammaticam juvenes docerentur, et unus philosophiae cursus, et saltem unica theologiae vel casuum conscientiae lectio fieret. Cum enim ea civitas et Dioecesis ab universitatibus Hispaniae remota esset, magna in clericis ignorantia, et quidem populo valde noxia, erat; et si nostri instituendae juventutis in litteris et virtutibus curam haberent, magnam reipublicae utilitatem inde consecuturam, cum ex his boni sacerdotes, et boni senatores, et omnium statuum cives essent egressuri. Nostri interim operarii, hujusmodi exercitationibus exculti, perfectius etiam sua ministeria, quae Episcopus optabat, obituri erant.

1460. Mutavit itaque Episcopus sententiam et admisit collegium, in quo praelegatur quod nostris in Domino visum esset; quia tamen prius totum collegium ex operariis constare volebat, quaedam onera in contractu foundationis collegio nostro imposuit, quae, quamvis suscipi juxta Instituti nostri rationem a Societate soleant, obligatio tamen suscipi minime solet; cujusmodi erat concionatorem aliquem per dioecesim mittere et similia<sup>1</sup>.

1461. Situm satis amplum Episcopus habebat, non quidem intra urbem, sed urbi conjunctum, ubi aedificium inchoaverat, in quo jam quinque ducatorum millia expenderat. Habebat et hortum eximium; et quia ipsemet Episcopus nostris aliquando vicinum esse cupiebat, tum ut colloquiis nostrorum, tum ut illius horti amoenitate frueretur, usum illius, quamdiu viveret, sibi reservare volebat, quamvis loci dominium statim nostris traderet.

1462. Juxta autem illam domum ac hortum collegium aedificare nostrae habitationis statuebat, claustrum, cum quatuor habitationum lateribus, in quadro aedificando; et opera cujus-

<sup>1</sup> Cf. *Constitutiones Societatis Jesu*, part. IV, cap. II, § 2 et B; et cap. XI, § 2 et A.

dam insignis architecti usus, simul cum P. Baptista de Barma formulam vel ideam hujus aedificii jam confecerant; et statim lapides, calcem, ligna et reliqua ad hortum hunc necessaria Episcopus comportanda curavit <sup>1</sup>; tamque serio animum ad id applicuit, ut eodem anno quarta aedificii pars, id est, latus unum, speraret confici posse; et urgens suos ministros, eis dicebat ut, licet vendenda esset supellex argentea et quidquid haberet, opus hoc magna cum celeritate conficeretur.

1463. Praeter hoc aedificium, ecclesiam ipsam erigere constituerat, in qua suam sepulturam elegerat <sup>2</sup>; sed aedificata quarta parte, jam praedicta domus, simul cum alia domo, quam conjunctam diximus et jam dudum aedificatam, suppetebat habitationes abunde, et classes etiam, in quibus praelegi posset.

1464. Cum autem P. Baptista fervere animum Episcopi videret, existimavit non expedire ut inde ipse recederet, cum praesertim ejus praesentia et opera pergrata Episcopo esset. Potius censuit alios sacerdotes Valentia evocandos esse, ut sacramentorum ministeria Murciae exercerent, et consuetis Societatis functionibus occuparentur.

1465. Paucis autem diebus aedificium progressus eos faciebat, ut spectatores non parum admirarentur; nullis enim sumptibus Episcopus parcebat, et omnia liberaliter fieri volebat; et quia jam emerat partem reddituum, quos applicaturus erat collegio, nostris statim assignavit trecentos aureos annuos hujusmodi redditus, ut eis statim fruerentur, interim dum reliquos ipse coëmendos curabat.

1466. Praeterea extra Murciam, unius leucae spatio ad radices montis cujusdam, in situ quodam valde amoeno et ab aestibus (qui nimii sunt Murciae) satis libero, eremitoria quaedam, quae ibi olim fuerant et temporis et hominum injuria corruerant, reaedificavit cum habitatione, in <sup>3</sup> qua quatuor aut

<sup>1</sup> Sic; rectius tamen scriberetur hoc modo: *lapides, calcem, ligna et reliqua necessaria Episcopus ad hortum hunc comportanda curavit.*

<sup>2</sup> "Murió el Obispo en el año 1563; y diósele a su cuerpo sepultura en la Capilla Mayor de su Colegio, al lado del Evangelio, en un costoso sepulcro de alabastro con su estatua de lo mismo, con las cuatro virtudes cardinales, Justicia, Prudencia, Fortaleza y Templanza, y al rededor del sepulcro, de figuras de alabastro el martirio y hazañas del Protomártir San Esteban.," GONZALEZ DAVILA, *Theatro eclesiástico*, t. 1, pag. 334, 335.

<sup>3</sup> Ms. habet *cum*.

quinque convalescentes refici ac recreari possent, et spiritualia Exercitia proponi, et nostri etiam, qui Murciae habitarent, animum relaxarent. Forte quod P. Franciscum Borgiam amare huiusmodi eremitoria intellexerat, contemplationi et orationi accommoda <sup>1</sup>, hac ratione eum allicere, ut Murciae resideret aliquando, volebat. Hortum etiam ac vineam ibidem concinnari curabat.

1467. Concionabatur interim P. Baptista de Barma Murciae, et in monasteriis monialium, Episcopo subditis, colloquia spiritualia et exhortationes habebat, cum non mediocri populi ac religiosarum personarum, et ipsius etiam Episcopi, consolatione.

1468. Cum autem, praeter duos illos sacerdotes, quos secum adduxerat <sup>2</sup>, duos alios Valentia evocasset, ut in confessionibus et christianae doctrinae explicatione ab eis juvaretur, multis poenitentibus satisfieri potuit. Hospitale etiam visitabatur, et quia talento peculiari ad christianam doctrinam docendam ille sacerdos praeditus erat, quem Valentia accersierat <sup>3</sup>, abusus et vitia, quae in ea urbe vigeabant, non parum remedii acceperunt. Sperabat itaque P. Baptista ex optimis Hispaniae collegiis hoc futurum, et ubi nostri copiosam messem habituri essent, cum septem urbes satis vicinas ea dioecesis haberet <sup>4</sup>.

Et haec de initiis Collegii Murciae sint dicta.

## DE P. FRANCISCO BORGIA, COMMISSARIO

1469. Quia hoc anno P. Franciscus Borgia in Portugalliam non venit, antequam de ea Provincia agatur, de quibusdam ab eodem P. Francisco actis, quae ad tres Hispaniae provincias dictas pertinent, agetur: et hic primum attingam, quod Patri

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 490, n. 1035.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 534, n. 1456.

<sup>3</sup> His indicari satis videtur P. Michaël Govierno, qui hoc munere docendi doctrinam christianam egregie Valentiae fuerat perfunctus; verum certi nihil affirmare valemus.

<sup>4</sup> Scilicet, *Caravaca, Cartagena, Cieza, Lorca, Mula, Totana* et *Yecla* (*Atlas de España, aprobado por el Consejo de Instrucción pública*. Madrid, 1852). Est etiam vicina satis *Orihuela*, sed alterius Dioeceseos caput.



Ignatio ipse suggestit: in singulis provinciis domos probationis saltem singulas conficere, et ad hoc se valde propensum significavit <sup>1</sup>. Et ea ratio sustentandi hujusmodi domos tunc ei occurrebat, ut singula collegia eos alerent, quos ad hujusmodi domos mitterent; et P. Ignatio rem probante, et Simancis et Cordubae, ut diximus, probationis domus fuerunt inchoatae, quamvis diverso modo, cum Simancis separata domus omnino fuerit, Cordubae autem collegio conjuncta.

1470. Sub initium hujus anni cum Placentiae versaretur P. Franciscus, Xarandilliam cum P. Villanova se contulit, ut diuturno desiderio Comitissae de Oropesa <sup>2</sup> satisfaceret; ubi cum quinque dies esset commoratus, et semel concionatus, confessionem ipsius Comitissae atque uxoris ejus <sup>3</sup>, et D. Francisci Toleti, ejus <sup>4</sup> fratris (qui Collegii de Oropesa fundator praecipuus deinde fuit); et quidam Comes, vir non minus pietate quam nobilitate clarus, animam suam et bona P. Francisco sic commendavit, et quodammodo in ejus manibus constituit, ut quicquid ad Dei gloriam ipsi faciendum videretur, se prorsus facturum esse reciperet.

1471. Simulatque initio hujus anni Hispalim venit, quatuor illos, scilicet P. Joannem Paulum, olim Alvarez, cum tribus sociis, ut votis Ducissae Methymnae Sidoniae et Comitissae de Niebla satisfaceret, misit in oppidum S.<sup>ti</sup> Lucae <sup>5</sup>; et cum Granatae quatuor essent ex nostris, constituit ut ibidem quatuor sacerdotes semper retinerentur, quorum unus esset concionator, cum duobus fratribus coadjutoribus <sup>6</sup>.

1472. Idem injunxit P. Baptistae de Barma initio ejusdem anni ut Murciam ad inchoandum illud collegium se conferret. Dubitabat tamen cui provinciae collegium illud esset assignandum, et ea de re Patrem Ignatium consuluit: sed cum suggereret, quod commodius ab Aragoniae Provinciali quam Castellae visitari poterat, et quod operarios ex Collegio Valentiae accepturum erat, probavit ejus sententiam P. Ignatius et Provinciae

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 529, n. 1446.

<sup>2</sup> Ferdinandi Alvarez de Toledo.

<sup>3</sup> Beatricis de Monroy et Ayala.

<sup>4</sup> Scilicet Comitissae.

<sup>5</sup> Vide supra, pag. 498, n. 1359.

<sup>6</sup> Vide supra, pag. 507, n. 1384.

Aragoniae novum hoc Collegium Murciae tribuit <sup>1</sup>; quamvis temporis successu, cum Castellae Provincia a Toletana sejuncta esset, Collegium Murciae Toletanae assignatum est <sup>2</sup>. Cum etiam experientia doceret paucis hujus et praecedentis anni mensibus Collegium Placentiae quod sejunctum longe esset parumque haberet commercii cum collegiis primariis Baeticae, ipsa aestate hujus anni ad Provinciam Castellae fuit translatum; et ita cum Pater Bustamante Provincialis Baeticae creatus est <sup>3</sup>, hujus Collegii curam non habuit, quae ad Patrem Araoz jam erat translata.

1473. Antequam Hispali recessisset idem P. Franciscus, tam acceptum reliquit illius Collegii initium ut civitati et Vicario Archiepiscopi, ut vellet ille in Cathedrali ecclesia singulis hebdomadis hujus Quadragesimae aliquem ex nostris concionari; et quod ad temporale subsidium attinet, ex privatorum quorundam eleemosynis trecentos et quinquaginta ducatos singulis annis promissos, praeter extraordinarias multorum eleemosynas, reliquit, et magna spes erat quod hoc opus augmenta in dies majora sumpturum esset, cum et primariorum et populi benevolentiam magnopere conciliassent. Inter alios sacerdos quidam eruditus ac bonus Patrem Franciscum adivit, et voluntatem suam ac deliberationem omnia bona sua Collegio applicandi aperuit, et quaedam beneficia simplicia quadringentorum ducatorum annui redditus Collegio unienda obtulit.

1474. Dubitabat autem an Professa Domus aut collegium esse deberet, et ea de re P. Ignatium consuluit; nam P. Natalis eo inclinabat ut Domus Professorum esset, et ad eandem sententiam P. Franciscus propensus videbatur, quamvis nihil constituere voluit donec mentem Patris Ignatii perciperet; et ideo non rectorem nec praepositum eum vocari voluit, qui nostris Hispali praeerat, sed superiorem; quamvis et Collegium suo tempore, praeter domum, constitui posse, in ea tam celebri urbe, judicabat. Visum tamen est expedire ut prius Collegium ibidem stabiliretur, quam Domus Professorum, ex mendicato viventium, erigeretur <sup>4</sup>.

<sup>1</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 195.

<sup>2</sup> Vide *ibid.*, Ap. II, n. 31, pag. 548.

<sup>3</sup> Vide *supra*, pag. 529, n. 1445.

<sup>4</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 192.

1475. Sic ergo rebus Hispalensibus relictis, ut latius superius scriptum est, Cordubam, Placentiam versus, discessit. In his itineribus media hyeme susceptis, non exiguam exercendae patientiae occasionem habuit; cum enim imbres impedirent ne ad commodiora quaedam hospitia possent pervenire, complures noctes transigere debuit sine ulla lecti ad conquiescendum commoditate, quamvis itineris labor, praeter ventorum et imbrum injuriam, quietem exigere videretur. Aliquando etiam quid comederent vix praeter panem inveniebant, cum tamen ex ecclesiae praecepto jejunandum esset. Inter haec tamen incommoda ad locum quemdam se contulit nobilis cujusdam viri, qui factionis Episcopo illius civitatis contrariae caput erat, et inimicitias cum illo multos annos exercuerat <sup>1</sup>. Quamvis autem dispendium aliquot leucarum subeundum fuit, P. Franciscus eum adire voluit, quia magni referre existimabat si ejus animum conciliare potuisset, ut tota illa vetus inimicitia ac factio extingueretur.

1476. Summa ille consolatione affectus fuit, cum ad se venientem P. Franciscum vidit, et ad totam ejus domum laetitia redundavit et praecipuam <sup>2</sup> quamdam ejus filiam <sup>3</sup>, Domini Ludovici de Avila uxorem, qui Alcantarae praeceptor maximus erat et Imperatori Carolo carissimus <sup>4</sup>. Hospitio ergo P. Franciscum amantissime excepit, qui spiritualem quamdam exhortationem apud illos et eorum familiam habuit, cum magna audientium consolatione et aedificatione. Et optassent quidem ut postridie concionaturus publice ibidem maneret; sed quia properabat ad iter expediendum, non eis acquievit, sed ad alium

<sup>1</sup> "Don Fadrique de Zúñiga y Sotomayor, tercer señor de Alconchel y Mirabel, primer marqués de este título.," Burgos, *Blason de España*, part. II, lit. M.—"cabeza del bando de los Zúñigas.," *Historia ms. del Colegio de la Compañía de Jesus de Plasencia*, cap. 10.—Vide supra, t. IV, pag. 598, n. 1273.

<sup>2</sup> Sic; rectius tamen fortasse *praecipue ad*.

<sup>3</sup> "Doña María de Zúñiga Manuel y Sotomayor, segunda marquesa de Mirabel, señora de Brantevilla.," Burgos, l. c.

<sup>4</sup> Don Luis Dávila (alias *de Avila*), Comendador mayor de Alcántara, general de la caballería española en el ejército de Lorena, gentil hombre de Cámara y embajador á Roma, de los Consejos de Estado y Guerra del Emperador Carlos V, etc., hijo segundo de Don Estéban Dávila y Doña Elvira de Zúñiga, segundos condes del Risco.," Burgos, l. c.—Hujus meminit BRAUNSBERGER, l. c., pag. 337, scribens: "Sub idem tempus (1556, Ludovicus de Avila, nobilis hispanus Caroloque familiaris, ab archiepiscopo coloniensi sex capita Sociarum S. Ursulae accepisse et Placentiae (*Plasencia*) in templo Sancti Vincentii posuisse traditur.," Verum dormitavit bonus auctor in Indice, pag. 779, dum post nomina *Avila*, *Ludovicus*, scripsit *Beatus*.

locum cujusdam nobilis, sanguine conjuncti cum Episcopo, qui inter saeculares caput aliud erat factionis Charavajalium <sup>1</sup> (sicuti prior ille Zunigarum erat). Ibi etiam peramanter exceptus est, et illi domui multum consolationis attulit.

1477. Et id agebat P. Franciscus ut ad mutuam pacem eorum animos disponderet, et sicut in Domino sperabat, ita res successit, ut superius, cum de Placentino Collegio ageretur, diximus <sup>2</sup>.

1478. Impetraverat P. Ignatius Principi Joannae facultatem legendi Biblia hispanice scripta <sup>3</sup>; miserat etiam eidem communicationem omnium bonorum operum ac meritorum Societatis <sup>4</sup>; et antequam Hispali recederet, eidem <sup>5</sup> scripsit P. Franciscus, multum ex utraque gratia spiritualis laetitiae se allaturum sperans. Postulavit tamen patentes litteras quidem latinas communicationis praedictae gratiae a P. Ignatio, ut plenius Principi Joannae satisfaceret <sup>6</sup>.

1479. Marchio de Cañete Pro-rex in Indiam Peru mittebatur <sup>7</sup> cum jam per Gascham <sup>8</sup> res illarum provinciarum pacatae essent, tyrannis ejus industria extinctis <sup>9</sup>; hic a P. Francisco per litteras duos sacerdotes nostrae Societatis postulavit, quos secum deduceret. Re autem cum aliis Patribus Hispali tractata, unanimi consensu missionem hanc esse faciendam censuerunt; et ita aliquos designavit P. Franciscus, ut ex illis Provincialis Baeticae, qui tunc erat P. Torrensis, duos Marchioni concederet; et ad hujusmodi missiones domus apud S.<sup>m</sup> Lucam utilis futura nostrae Societati videbatur <sup>10</sup>; quia tamen dubitabat P. Franciscus an potestatem haberet ad hujusmodi missiones

<sup>1</sup> "Don Francisco Carvajal, señor de Torrejon el Rubio, cabeza del bando de los Carvajales., *Historia ms. del Col.º de Plasencia*, l. c.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 465, n. 1260.

<sup>3</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. iv, pag. 384.

<sup>4</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, ut in annot. praecedenti, et t. v, pag. 191.

<sup>5</sup> Scilicet Joannae, Hispaniarum Principi.

<sup>6</sup> Has patentes litteras, quarum exemplum reperire nondum valuimus, misit Ignatius una cum litteris 28 Maji hujus anni datis, quas habes in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 188-191.

<sup>7</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 201 et 247.

<sup>8</sup> Petrum Gasca, seu de la Gasca, qui hoc anno 1555 episcopalem sedem Palentinam tenebat. Vide supra, pag. 435, n. 1165.

<sup>9</sup> Res a Petro Gasca in Peruvia gestas enarravit CALVETE DE ESTRELLA, *Rebelion de Pizarro en el Perú y vida de Pedro Gasca*. Cf. etiam CAPPA, *Estudios críticos sobre la dominacion española en América*.

<sup>10</sup> Vide supra, pag. 506, n. 1380.

transmarinas, P. Ignatium consuluit, et ille pleniorē ad hoc et expressiorē facultatē ipsi dedit <sup>1</sup>.

1480. Circa 12.<sup>am</sup> diē Februarii Montillam P. Franciscus venit, et cum Marchionissa <sup>2</sup> non pauca de his tractavit, quae ad bonam ditionis ejus gubernationem pertinebant; et praeter duos jurisperitos, quos jam habebat, alium ut designaret Marchionissae persuasit, virum eruditione et integritate praestantem, ad exonerandam Marchionissae conscientiam; nam qui aliquid injuriae vel damni patiebantur, per hos ministros impetrare facile poterant ut eis, prout ratio dictabat, satisfaceret. Ad visitandam etiam suam ditionem quemdam alium Marchionissa misit, ut eo fungeretur officio, quo ipsa ut princeps fungi debebat.

1481. His autem transactis, voluit eidem P. Francisco Marchionissa confiteri; ac deinde postulavit ab eodem Patre confessarium quemdam, et assignavit D.<sup>rem</sup> Joannem de la Plaza <sup>3</sup>. Duos etiam relinqui voluit eadem Marchionissa, qui legere ac scribere et christianam doctrinam populum et pueros ejus docerent. Ipsa vero cum D.<sup>na</sup> Theresia, sorore, donationem illam, de qua paulo ante meminimus <sup>4</sup>, fecit. Et hoc habuit debile initium Collegium Montillense.

1482. Ducissa de Arcos, ejus filia <sup>5</sup>, simul cum matre Sanctissimam Eucharistiam cum magna consolatione accepit, et post Pascha constituerunt ut nostri Montillam venirent, de quibus ipsa Marchionissa spiritualia exercitia erat acceptura.

1483. Pervenit Cordubam 21.<sup>a</sup> Februarii et curare coepit ut dissensionem ac litem, quae erat inter Episcopum et civitatem cordubensem, occasione scholarum collegii nostri, componeret <sup>6</sup>, quamvis tunc non habuit plenum successum haec sententia ipsius, nam 27.<sup>a</sup> ejusdem mensis Placentiam discessit, prout cum Episcopo Placentino constituerat. Prius tamen constituit ut lectio casuum conscientiae in lectionem cursus philo-

<sup>1</sup> His respondere videntur patentes litterae, quas habes in *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 58 et 436.

<sup>2</sup> Marchionissa de Priego, Dna. Catharina Fernandez de Córdoba.

<sup>3</sup> Vide supra, t. iii, pag. 323, annot. 1; et t. iv, pag. praesertim 414; et *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 518. De eo fuse agit SANTIVÁÑEZ, l. c., et PATRIGNANI, *Menologio*, t. iv, pag. 184.

<sup>4</sup> Vide supra, pag. 533, n. 1454.

<sup>5</sup> Vide supra, t. iv, pag. 470, annot. 2.

<sup>6</sup> Vide supra, pag. 520, n. 1421.

sophiae Cordubae commutaretur, quamvis in studiorum renovatione cursus praedictus erat innovandus <sup>1</sup>. Alia quaedam in scriptis Provinciali exequenda reliquit.

1484. In ipso autem itinere Marchionem Gibraleonis <sup>2</sup> cum uxore sua <sup>3</sup>, a quibus summopere expetebatur, invisit, in oppido Benalchazar <sup>4</sup>, ubi de collegio instituendo cum P. Francisco egerunt. Sed ille significavit eis prius domum esse erigendam et necessaria ad collegialium sustentationem providenda, et tunc demum se eos missurum. Hic Marchio successurus erat Duci de Bejar in ipsius Ducatu, qui satis insignis est in Hispania <sup>5</sup>; et tam ipse quam ejus uxor rarae pietatis principes habebantur.

1455. Cum ad monasterium Guadalupe <sup>6</sup> pervenisset, quamvis illi boni religiosi multos dies eum ibidem detinere voluissent, unam tantum noctem eum retinuerunt. Invenit ibidem nuncium Comitis de Oropesa <sup>7</sup> cum litteris, quibus eum rogabat ut ad se accederet, quod fecit cum magna ipsius et D. Francisci de Toledo <sup>8</sup> consolatione. Et quia nondum venerat <sup>9</sup> Episcopus Placentinus, ibidem <sup>10</sup> octo dies eum detinuerunt, quo tempore nihil ipsi otii reliquerunt. Omnium confessiones audivit, et conciones aliquot apud eos habuit: sanctissimum Eucharistiae sacramentum eis ministravit.

1486. De tribus autem collegiis instituendis egerunt, primum quidem in ipso oppido de Oropesa, quod quadringentis aureis annui redditus Comes ipse dotare volebat <sup>11</sup>. Alterum in

<sup>1</sup> Scilicet, nonnisi Septembri mense hujus anni in philosophiae lectionem lectio illa casuum conscientiae mutanda erat.

<sup>2</sup> "Don Alonso de Zúñiga y Sotomayor, cuarto marqués de Gibráleon, conde de Bañares.", Burgos, l. c., t. II, pag. 64.

<sup>3</sup> "Doña Francisca de Córdoba y Figueroa, segunda duquesa de Baena.", Id., *ibid.*, "hija y heredera de Don Gonzalo Fernandez de Córdoba y Doña María Sarmiento de Mendoza, terceros Duques de Sessa.", Id., *ibid.*, t. VII, parte II, lit. B, pag. 25.

<sup>4</sup> Rectius et saepius BELALCÁZAR. Marchio supra dictus *de Gibráleon* erat Vicecomes *de Belalcázar*.

<sup>5</sup> Filius is erat Theresiae de Zúñiga, Ducissae tertiae de Bejar. Non tamen matri in ducatu successit, quia, ea supers'ite, "murió sin posteridad en 24 de Febrero de 1569.", Burgos, l. c.

<sup>6</sup> Vide supra, pag. 484, n. 1315.

<sup>7</sup> Vide supra, pag. 466, n. 1264.

<sup>8</sup> Vide *ibidem*, et t. IV, pag. 593 et 594.

<sup>9</sup> Placentiam.

<sup>10</sup> In oppido *Jarandilla*. Vide supra, pag. 466, n. 1264.

<sup>11</sup> Erectum est tandem Collegium Oropesae a Comitis fratre, Dno. Francisco de Toledo, anno 1569.

oppido Xarandilla <sup>1</sup>, quod duobus leucis distat ab eremitorio B. Magdalenae, quod Episcopus Placentinus collegio suo dederat <sup>2</sup>, ubi P. Franciscus residere magna anni parte constituerat.

1487. Suadebat autem Comes ut, loco illius eremitorii, collegium Xarandillae sibi desumeret, ibique illi residerent, qui in praedicto eremitorio habitaturi erant: nam id magis convenire nostro Instituto Comes sentiebat; et plusquam quadringentis aureis annui redditus illud dotare paratus erat; et quamvis eremitorium gratius fuisset P. Francisco, quod ad ipsius propensionem attinet, quia collegium magis consonum videbatur Instituto Societatis, suae consolationi, id praeponere cogitabat.

1488. Tertium etiam collegium Comitissa <sup>3</sup> in quodam alio suo oppido, quae separata et dotalis erat ditio, erigere cupiebat <sup>4</sup>.

1489. Omnes illi magna religione, pietate ac omni virtute ornati a Domino erant.

1490. 14.<sup>a</sup> Martii Placentiam P. Franciscus venit, ubi novo cum spiritu ac fervore populi devotionem inflammavit; et quia de rebus tam Hispali quam Placentiae actis superius est actum, non hic in eis immorabor. 23.<sup>a</sup> Martii nuncius quidam Principis Joannae Placentiam magna cum celeritate venit, quae litteris P. Franciscum urgebat ut in oppidum Tordesillas properaret, ubi Regina Joanna, Caroli Imperatoris mater, morti vicina esse dicebatur <sup>5</sup>.

1491. Cum Granatae quidam, cognomine Mata, quadrigen-

<sup>1</sup> *Jarandilla*; collegium hoc nunquam erectum est.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 490, n. 1035.—"le donó desde Valladolid (donde entonces se hallaba) entre otras heredades, la que llaman de la Magdalena, distante como vna legua de el Monasterio de los Padres de San Gerónimo de Iuste. Avia sido aquella casa y hazienda Convento de Monjas de la Tercera Regla de San Francisco, Señoras principales, y muchas de ellas parientas de Nuestro Fundador: el qual, de vuelta de el Concilio, las avia passado á Zarayzejo, lugar de su Cámara Episcopal, y de allí se trasladaron a la Ciudad de Truxillo „ Alcázar, *Chronohist.*, Dec. II, an., 6, cap. 1, § 2.

<sup>3</sup> Dna. Beatrix de Monroy et Ayala. Vide supra, t. iv, pag. 587.

<sup>4</sup> Comitissa haec de Oropesa erat "segunda condesa de Deleitosa, señora de las villas de Belvis, Almaraz, Cebolla, Cervera, Mejorada y Segurilla., *Burgos*, l. c., t. iv, pag. 295.—In quo autem eorum oppidorum Collegium instituere vellet, non apparet; nec in eorum ullo unquam institutum est.

<sup>5</sup> His, quae narrat POLANCO tum hic, tum infra, n. 1496, et aliis, quae affert RODRIGUEZ VILLA, *La Reina Doña Juana la loca*, lib. ix, § 2, emendandus CIENFUEGOS, qui ait: "Llegó á Tordesillas el Santo Borja á los últimos de Febrero ó principios de Marzo., *Vida del grande San Francisco de Borja*, lib. iv, cap. 13, § 1.

tos aureos annui redditus pietatis operibus vellet impendere, et ad Societatem affectus videretur, cumque is Patri Bustamanti amicitia valde conjunctus esset, P. Torres eidem Bustamanti scripsit ut Collegium Granatense ei commendaret. Sed quia frigescere ideo videbatur Mata, quod pauculos de Societate Granatae versari videret, visum est Patri Francisco Patri eidem Torres injungere ut cum sociis post Pascha Granatam ipse se conferret, prout superius factum esse diximus <sup>1</sup>.

1492. Ad missionem Aethiopiae tres misit P. Franciscus, juxta P. Ignatii praescriptum; unus eorum erat Pater, cognomine Gonzalez, qui Abulae residebat <sup>2</sup>; secundus Pater, cognomine Cuenca, Methymna ad hanc missionem profectus <sup>3</sup>; tertius Alphonsus Lopez Compluto missus et in Portugallia ad sacerdotium promovendus. Alios nominaverat P. Ignatius; sed quia electionem P. Francisco committebat, hos ipse ut magis idoneos et minori cum detrimento Provinciae in Aethiopiam mitti censuit <sup>4</sup>.

1493. Consultus fuit a P. Francisco idem P. Ignatius an tunicas interiores, apertas italico more, an clausas a parte anteriori more hispanico nostri ferre deberent; et non immutandam censuit P. Ignatius ejus regionis consuetudinem <sup>5</sup>.

1494. Cum ergo vocatus a Principe Joanna Tordesillas se conferret, ipso in itinere obviam habuit Episcopum Placentiae et cum eo, quae brevi tempore agi poterant, constituit; et ille <sup>6</sup>, Placentiam progressus, quae superius, cum de eo collegio ageremus, dicta sunt, est executus.

1495. Quod ad Collegium Baëzae pertinet <sup>7</sup>, cum esset Mon-

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 514, n. 1400.

<sup>2</sup> P. Andreas Gonzalez. Vide supra, t. iv, pag. 388, annot. 1, et pag. 489, n. 1083.

<sup>3</sup> P. Hieronymus Cuenca. Vide supra, t. iv, pag. 388, annot. 1, et pag. 577, annot. 2.

<sup>4</sup> Horum trium, qui Sancto Ignatio videbantur in Aethiopiam ex Provincia Castellana mittendi, designatio facta est per litteras Patri Antonio Araoz datas, ut erulit ex litteris ad eundem P. Araoz datis 17 Septembris anni 1554 (*Cartas de San Ignacio*, t. iv, pag. 324).—Quae autem hic scribit Polancus congruunt illis, quae *ex com.* scripsit ipse Patri Francisco de Borja 10 Junii 1555: "La mutacion de los tres designados para Etiopía no dudo habrá sido sin (*sic*) la intencion de quien habia nombrado otros, pues pretendia lo mejor."

<sup>5</sup> Polancus tamen, *ex com.*, scribens Patri Francisco de Borja, facultatem ei faciebat ut, prout vellet, vestes has in Hispania disponeret. "Cuanto á las sotanas, acá unos las usamos abiertas y otros cerradas; V. R. ordene allá lo que le pareciere, que todo se tendrá por muy bueno." 10.<sup>a</sup> Julii 1555.

<sup>6</sup> Episcopus.

<sup>7</sup> Vide supra, t. iii, pag. 331, nn. 737 et 738, et t. iv, pag. 468, n. 1000.



tillae magister Avila, de Collegio Baëzae cum P. Francisco convenit ut interim, dum nostri lectores mitterent, illi ipsi fungerentur lectorum officio, qui ante id tempus functi fuerant; quos alioqui magister Avila inde removere noluisset, nisi aliquid ad eorum sustentationem ex ipsis redditibus providisset <sup>1</sup>.

1496. Pervenit Tordesillas die veneris ante dominicam in Passione <sup>2</sup>, et Reginam <sup>3</sup> invisit, et ex medicis intellexit morbum quidem lethalem esse, sed non imminere tam cito Reginae mortem; et ita progressus est Simancas et Vallisoletum, ut Principi Joannae se accersenti pareret. Et summopere illa laetata est de ipsius adventu, et convenit inter eos ut Simancas iret P. Franciscus, et simulatque a Marchione Deniae <sup>4</sup> nuncium acciperet, ut ad Reginam Joannam Tordesillas rediret, quod oppidum tribus leucis Simancis distat.

1497. Ipsa ergo dominica Palmarum <sup>5</sup>, a praedicto Marchione vocatus et Tordesillas veniens, Reginam valde laborantem invenit, quae, Patre Francisco conspecto, laetitiae signa dedit. Notum est passim quod haec Regina Joanna, Philippi <sup>6</sup> primi mortem immaturam gravissime sentiens (primo enim anno, quo in Hispaniam venit ad ejus regni gubernationem, mortuus est), usum recti judicii amiserat, et ita extra mentem plurimis annis in eodem oppido asservata vixerat; et ejus loco pater ipsius Ferdinandus <sup>7</sup>, qui jam Neapolim ad suum illud regnum recesserat, rediens in Hispaniam, quamdiu vixit <sup>8</sup>, gubernationem ejus regni administravit; et post ejus mortem, Carolus V Imperator usque ad hunc ipsum annum, in quo et ipse regna Hispaniae, ut superius attigimus <sup>9</sup>, resignavit; nec unquam toto hoc tempore, ne intervallis quidem lucidis, sanam mentem Regina Joanna ostendit.

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 469, annot. 1.

<sup>2</sup> Scilicet 29.<sup>a</sup> Martii. Dominica enim de Passione fuit hoc anno 31.<sup>a</sup> Martii, et Resurrectionis Pascha 14.<sup>a</sup> Aprilis.

<sup>3</sup> Joannam, Caroli V matrem.

<sup>4</sup> Bernardus de Sandoval et Rojas, cui domus Reginae cura commissa a Carolo V fuerat.

<sup>5</sup> Aprilis 7.<sup>a</sup>

<sup>6</sup> Philippi, Austriae Archiducis, Maximiliani, Romanorum Regis, filii.

<sup>7</sup> Ferdinandus, Catholicus dictus.

<sup>8</sup> 1516, 23 de Enero.—Muere en Madrilejos (*sic, Madridejos*), donde se hallaba de paso para Sevilla y Granada, el Rey Fernando el Católico, á los 64 años de edad, á los 41 años de haber entrado á regir con Isabel I el cetro de Castilla y á los 37 de haber heredado el de Aragón., MORELL TERRY, *Efemérides granadinas*, pag. 27.

<sup>9</sup> Pag. 313 et 314, nn. 852 et 853.

1498. Dixit ergo ei P. Franciscus quaedam, quae, cum sana esset, libenter audire de piis rebus solita erat; deinde ei persuadere coepit ut se multum Domino commendaret et sancta sacramenta Ecclesiae peteret, et ut sibi committeret ut ipsius nomine Sanctam Fidem Catholicam protestaretur, quodque vivere et mori volebat in ea, quandoquidem propter vim morbi ipsa id facere non poterat. Et cum diceret Regina se id ita petere, voluit P. Franciscus ad tempus aliquod ab ea recedere, eo quod valde morbo vexaretur. Sed statim Regina ipsum ad se vocari iussit ut symbolum (quod *Credo* vulgo dicitur) coram se diceret. Cum autem P. Franciscus inciperet Apostolorum symbolum, suggessit Regina quaedam verba symboli Nicaeni, quod in Ecclesia cani solet, et ita illud pronuntiavit, cum attente Regina ipsum audiret, quae in fine respondit, Amen <sup>1</sup>. Injunxit eadem P. Francisco ne cessaret ipsam Domino commendare, quae huiusmodi precibus indigebat. Osculabatur interim crebro imaginem Crucifixi et B. Virginis, et admoventi sibi ad hoc imaginem crebro postulabat <sup>2</sup>.

1499. Viri autem et foeminae, qui in Reginae ministerio erant, et intelligebant quantopere illa propter antiquam amentiam abhorre ab huiusmodi rebus solita esset, tanta consolatione perfundebantur hac consideratione observata et tali tempore, ut gratias agendo Domino uberes lacrymas effunderent. Nam videbatur tam sano uti iudicio Regina ut si nunquam amentiae morbo laborasset, usque adeo ut P. Franciscus, qui, cum Salmantica transiret, contulerat cum doctissimis viris, Fre. Dominico de Soto et Fre. Petro de Sotomajore <sup>3</sup>, theologiae professoribus, num sacramenta Eucharistiae et Extremae Unionis Reginae in illo statu communicari possent; et post multam discussionem constituissent non esse huiusmodi sacramenta ei ministranda, nihilominus hac mutatione tam insigni visa, curavit ut Marchio Deniae (hic enim Reginae curam habebat) Salmanticam mitteret ut, statu rerum ad Regnam spe-

<sup>1</sup> Huius ab Apostolorum Symbolo ad Nicaenum transitus, ab ipsa Regina facti, non meminit CIENFUEGOS, l. c., nec RODRIGUEZ VILLA, l. c., cujus tamen horum eventuum descriptio mirum quam exacte conveniat etiam in rebus minimis cum Polanci narratione. Meminit tamen ORLANDINI, *Hist. Soc. Jes.*, lib. xv, n. 84.

<sup>2</sup> Ms. habet *postularet*; sed error videtur manifestus.

<sup>3</sup> Vide supra, t. iv, pag. 379 et 280, n. 816.

ctantium explicato, denuo theologi quid facto opus esset, quoad Sacramentorum administrationem, decernerent; et Fr. Dominicus de Soto, se ad hoc iter accingens, Tordesillas venit, et rebus inspectis et cum Patre Francisco collatis, constituerunt ut sacramentum Extremae Unctionis Reginae ministrarent <sup>1</sup>; nam ad sanctissimum Eucharistiae sacramentum suscipiendum crebri vomitus Reginae, stomacho cibum non retinente, locum non dabant; nec ut adoraret Sacramentum tulerunt, quia jam nec oculi nec alii sensus suum officium faciebant. Et ita ipso die veneris sancti mane <sup>2</sup> ex hac vita Regina migravit.

1500. Et toti regno multum consolationis attulit hic exitus Reginae, de quo et Imperatori Carolo, et Regi Angliae Philippo, ac Reginae Portugalliae et aliis Principibus, quorum intererat, significatum est <sup>3</sup>; qui omnes solliciti erant de Regina Joanna, et illi optabant summopere finem hujusmodi, quo pium et christianum animum ostenderet ad bonum exemplum et aedificationem suorum regnorum; quamvis constabat defectum, qui in hujusmodi rebus tot annis acciderat, ipsi ad peccatum non imputari coram Deo propter aegritudinem, qua mentis impos erat. Sed tamen ad aedificationem populorum saltem demonstrationem aliquam ejus filii <sup>4</sup> et nepotes vehementer optabant.

1501. Cum autem de Extrema Unctione ipsi data constaret,

<sup>1</sup> Haec narrat ipse Dominicus de Soto litteris ad Joannem Vazquez, Caroli V Secretarium, datis 11 Aprilis hujus anni 1555. Extant Septimancis in Archivo, *Estado*, leg. 108. RODRIGUEZ VILLA, l. c.

<sup>2</sup> "El Viernes Santo á las seis de la mañana", Dr. medicus Santa Cara Imperatori Carolo, 10.º Maji 1555., (Septimancis in Archivo). RODRIGUEZ VILLA, l. c. - Haud igitur accuratus satis est CIENFUEGOS, dum l. c., ait: "dió el gemido postrero la noche del Juéves Santo.,"

<sup>3</sup> "Escribió el P. Francisco de Borja al Emperador relatando los últimos momentos de su Madre y diciéndole que daba muchas gracias á la Majestad divina por la satisfacción que á todos estos reinos quedó del buen fin que S. A. hizo.

También el Marqués de Denia escribió al Emperador diciéndole lo mismo y en viando con el despacho á Juan Perez de Arizpe, contador de la Reina, para que diese cuenta verbal á S. M. del católico fin de su Madre, y para que al mismo tiempo le representase la suma pobreza con que la Reina había muerto y la en que quedaban sus criados, que era tan gran lástima que por no dar pena á S. M. no lo decía en particular, y por no desampararlos no iba él en persona á suplicar por el remedio de todos. En el mismo sentido escribió á la princesa de Portugal, Doña Juana, gobernadora que á la sazón era de estos reinos, á su hermano el príncipe D. Felipe, rey de Inglaterra, al Arzobispo de Sevilla y á otras personas eminentes., RODRIGUEZ VILLA, l. c., pag. 403.

<sup>4</sup> "De los seis hijos que tuvo en su matrimonio con Felipe el Hermoso, cinco de ellos, Carlos, Fernando, Leonor, María y Catalina la sobrevivieron; Isabel hacía ya tiempo que la había precedido en el sepulcro., Id., *ibid.*, pag. 396.

populi etiam praecedentia Sacramenta ipsi data credebant; et quod eorum capax effecta fuisset miraculo tribuebant <sup>1</sup>, et prorsus, ut aliquando in articulo mortis divina misericordia quibusdam mente captis, aut qui in delirium inciderant, integrum iudicium restituit, eadem misericordia in Reginam usus videbatur.

1502. Etiam secundum eorum, qui praesentes ejus migrationi fuerunt, sententiam, et P. Francisci meritis homines hoc Dei beneficium acceptum ferebant. Et tantopere existimatio ejusdem Patris in illis regnis crevit ex exemplo, concionibus et colloquiis ejus, ut Princeps Joanna, quae ipsius Patris opera ad magnam sanctitatem pervenerat, affirmaret nolle se videre Summum Pontificem P. Franciscum propter communem utilitatem, quam ejus profunda humilitas et sinceritas mundo afferebat; et cum Principes maximi eum magnificerent, et ad eum scriberent, et res suas cum eo ut patre communicarent, observatum est quod nihil de humili conceptu et despectione sui propter talia ille immutavit. Et longe illi majorem auctoritatem contemptus hujusmodi rerum conciliabat, quam ulla magnitudo saecularis aut ecclesiastica conciliasset.

1503. Quantum autem in Palatio <sup>2</sup> et nobiles foeminae et viri profecerint ejus colloquiis et concionibus vix explicari posset. Sed de aliis etiam Societatis operariis hoc satis manifeste observabatur, quod influxus divinae gratiae peculiaris, non juxta eorum talenta, sed juxta gratuitam ejusdem Dei benignitatem, magna et praeclara in hominibus efficeret.

1504. Abbas Complutensis, cognomine Rincon <sup>3</sup>, Simancas venit et Patri Francisco, qui ibidem tunc erat, domum quamdam obtulit prope Pontem Ferratum <sup>4</sup> in loco, quem Bierzum <sup>5</sup> vocant, in confinibus regni Gallaeciae, ut ibi Collegium fieret

---

<sup>1</sup> Haec si scisset aut considerasset *Augustus von Druffel*, scilicet, praevaluisse apud populum opinionem quod non tantum Extremam Unctionem, sed confessionis etiam sacramentum et Eucharistiae moriens Regina susceperat, non ita acerbe in CIRCUMFUGOS fuisset invecus, qui, licet prae manibus hoc *POLANCI Chronicon*, Romae scribens, certo, ut non semel ipse fatetur, habuit (Vide supra, t. IV, pag. 76, annot. 1; et pag. 81. annot. 1), tamen juxta hanc populi opinionem concinnavit suam hujus eventus narrationem.

<sup>2</sup> In Palatio Principis Joannae.

<sup>3</sup> Ms. habet *Rincho*.

<sup>4</sup> *Ponferrada*.

<sup>5</sup> *Villafranca del Bierzo*.

eorum qui studia theologica audivissent, et studia digerere et sacros auctores videre jam vellent (*pasantes* vulgo vocant), qui scilicet Scripturis Sacris cum doctorum expositionibus vacant et scholastica referunt; et hoc Collegiorum genus deesse Societati videbatur. Agebat autem praedictus Abbas de quadringentis aureis collegio applicandis, praeter domum commodam et ecclesiam.

1505. Cum eodem P. Francisco actum est de quibusdam de nostra Societate Mexicum, quod Novae Hispaniae in India Occidentali caput est [mittendis]; et agebatur de collegio quodam, cum redditibus mille ducatorum et amplius Societati applicandis, quod pueris christianae doctrinae eatenus deputatum fuerat; sed alibi eosdem pueros alere et instituere volebant <sup>1</sup>.

1506. Dux etiam Macchueve <sup>2</sup>, qui prius Navarrae <sup>3</sup>, tunc regni Valentiae <sup>4</sup>, Pro-rex erat, denuo P. Franciscum urgebat in oppido suo de Torriglios <sup>5</sup>, et domum quamdam insignem offerebat, quae eo tempore pro xenodochio erat, sed pauperes in aliud hospitale valde commodum transferre, quod in eodem erat oppido, volebat; de dotatione etiam agebat. Sed de iis tribus collegiis, nec de aliis, quae offerebantur, nihil certi P. Franciscus constituit; quia operariorum magna multitudo opus erat ad nova hujusmodi collegia inchoanda.

1507. Testimonia, quae P. Ignatius ex Hispania et Portugallia adferri voluit, non solum ob decretum Parisiensis Universitatis, sed etiam ut Summo Pontifici Paulo IV, si quid contra Societatem moliretur, ostendi possent, P. Franciscus diligenter curavit; et ita ex illis regnis, tum Principum, tum Praelatorum, tum aliorum, qui auctoritate insignes erant, obtenta et missa fuerunt <sup>6</sup>.

1508. Quia P. Ignatius de remittendo in Portugalliam

---

<sup>1</sup> De iis, quae hoc n. et praecedenti continentur, scripserat Ignatio P. Bustamante; cui respondet, *ex com.*, Polancus 13.<sup>a</sup> Junii hujus anni 1555: "Cuan to al Colegio de Pasantes del Abad de Compluto y el de México y otros, el P. Francisco podrá determinarse y hacer lo que bien le pareciere *in Domino*, á quien plega á todos dar su gracia para sentir y cumplir siempre su santísima voluntad."

<sup>2</sup> Sic; est autem Maqueda, *de Maqueda*, cujus jam saepius mentio incidit in hoc *Chronico*.

<sup>3</sup> Vide supra, t. II, pag. 306, n. 202.

<sup>4</sup> Vide supra, t. III, pag. 873, n. 823.

<sup>5</sup> Sic; *Torrifjos*. Vide supra, t. II, pag. 307, n. 284.

<sup>6</sup> Vide supra. pag. 11, n. 12; et pag. 321, n. 870.

P. Sancta Cruce <sup>1</sup> et aliis etiam mittendis P. Franciscum admonuerat, non solum praedictum misit, sed et non paucos alios, quos in ea Provincia libenter admiserunt <sup>2</sup>.

1509. De iuvando etiam Collegio Romano sollicitus erat, et non exiguas pecuniae summas, habita facultate a Principe Joanna, mitti curavit, quamvis difficultas extrahendi huiusmodi pecuniam quodammodo minor non esset, quam eandem quaerendi <sup>3</sup>.

1510. Commisit etiam non uni tantum, ut P. Ignatius monuerat, ut in illis provinciis eleemosynam Collegio Romano mittendam curaret, sed tribus, scilicet, Patri Gonzalez Hispali, Patri Baptistae de Barma in Aragonia, et P. Bustamanti in Provincia Castellae, ubi tunc erat. Et hic censebat quamdiu duraret Collegii Romani necessitas, patrimonia eorum, qui Societatem in Hispania ingrederentur, et ea donare in usum ejusdem Societatis vellent, ad sustentationem ejusdem collegii mitti posse <sup>4</sup>. Modum aliquem honestum ac prudentem ea in re tenendum, quamvis illis in regnis jam tunc magna pecuniae penuria sentiebatur <sup>5</sup>.

1511. Aliam deinde rationem iniri posse P. Franciscus sentiebat, ut scilicet singula collegia aliquos in Romano Collegio suis expensis alerent; sed hoc nec expedire visum est P. Ignatio, qui hominibus abundabat et potius pecunia indigebat, nec unquam effectum est.

1512. Quod Romae pollicitus et Burgos <sup>6</sup> promiserat Abbas de Salas <sup>7</sup> de collegio erigendo atque dotando, ex parte causa fuit ut scholas ibidem instituendas P. Franciscus censeret; sed id etiam agebat <sup>8</sup> ut, docendi ratione et fructu inspecto, Comes

<sup>1</sup> P. Jacobo de Santa Cruz. Vide supra, t. II, pag. 621, n. 473.

<sup>2</sup> Vide infra, n. 1514.

<sup>3</sup> De his, praeter ea quae habes in *Cartas de San Ignacio*, praesertim, t. v, pag. 199 et 328, et t. vi, pag. 30, plurima, Deo duce, dabit Nova Series litterarum Sancti Ignatii. —Vide etiam supra, pag. 31, n. 55.

<sup>4</sup> Ms. habet *mitterentur*.

<sup>5</sup> Sic; verum ut sententia melius cohaereat tum his, quae infra dicuntur, tum illis, quae in *Cartas de San Ignacio*, t. praesertim v, de hac re dicuntur, rectius verba haec ultima disponeretur sic: "Modum *tamen* aliquem honestum ac prudentem ea in re tenendum. *quoniam* illis in regnis jam tunc magna pecuniae penuria sentiebatur."

<sup>6</sup> Sic; Burgos?

<sup>7</sup> Vide supra, pag. 439, n. 1179.

<sup>8</sup> Hoc est: id etiam harum scholarum institutione P. Franciscus assequi volebat, ut.....

stabilis <sup>1</sup> suum illud collegium, quod Burgis aedificabatur <sup>2</sup>, Societati nostrae libentius applicaret.

1513. Methymnae autem eodem hoc anno scholas inchoari voluit, quod duobus concionatoribus populum illum privaverat, et hoc detrimentum, scholarum commodo, compensare volebat <sup>3</sup>; quod fore tanto majus eo tempore arbitrabatur, quod ludimagister, qui Methymnae litteras humaniores docebat, Salamanticam discesserat, et tota juvenus, eum audire solita, ad nostros, si scholae aperirentur, ventura videbatur.

1514. Cum Portugalliae Rex suum Collegium Conimbricense Societati dedisset <sup>4</sup>, aliquid subsidii ad onera illa ferenda ex Hispania mittere studuit <sup>5</sup>; quamvis minus fuisset quam voluisset, propter onera in ipsismet provinciis Hispaniae nostris subeunda <sup>6</sup>.

1515. Misit etiam P. Michaëlem Torres, Provincialem Baeticae, ut superius diximus <sup>7</sup>, non solum in confessarium Reginae, prout ipsa postulabat, sed etiam in Provincialem Portugalliae, prout P. Ignatio visum fuit. Nec tamen statim evocavit D.<sup>rem</sup> Mironem, donec res novi Collegii Conimbricensis constitueret.

1516. Non exigui momenti esse censebat P. Franciscus collegium illud, quod in regno Gallaeciae Comes Montis Regii motu proprio erigendum susceperat <sup>8</sup>, et eos redditus annuos applicare volebat ut non essent minores quam qui Societati nostrae in Collegio Compostellano offerebantur <sup>9</sup>. Habebat enim jus patronatus multorum beneficiorum, quae ad hoc opus applicare poterat, partem aliquam eis relinquendo, qui curam gererent animarum; nec tam multos exigebat lectores, quam Collegio praedicto Compostellano promissi fuerant; et difficultas, quae in illo <sup>10</sup> applicando Societati a quibusdam ingerebatur, hac ratione cessura in Societatis commodum videbatur; et fru-

<sup>1</sup> Vide supra, t. III et IV, ubi agitur de Collegio Burgensi.

<sup>2</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. V, pag. 546.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 421, nn. 1125 et 1126.

<sup>4</sup> Vide infra, n. 1620 et seq.

<sup>5</sup> P. Franciscus Borgia.

<sup>6</sup> Vide supra, pag. 551, n. 1508, et infra, n. 1617.

<sup>7</sup> Pag. 529, n. 1445.

<sup>8</sup> Vide supra, pag. 462, n. 1255.

<sup>9</sup> Vide supra, t. II, III et IV.

<sup>10</sup> Compostellano.

ctus insignis ex nostrorum per Gallaeciam discursu et consuetis Societati ministeriis sperabatur <sup>1</sup>.

1517. Hac ergo aestate convenit Comes cum P. Francisco ut dotatio octingentorum ducatorum annui redditus fieret, et quidem ex beneficiis sui patronatus, et simul cum Episcopo Auriensi <sup>2</sup> (sub cujus Dioecesi est oppidum Montis Regii) provinciam suscepit impetrandi a Summo Pontifice hanc applicationem et divisionem ejus partis, quae curionibus aut vicariis perpetuis esset relinquenda <sup>3</sup>. Usque adeo autem fervebat in hoc opere pio Episcopus, ut praeter octingentos praedictos vellet ipse quadringentos aureos annuos addere ut plures de Societate nostra ibidem alerentur. Comes autem cum quibusdam religionis (quos Mercedis vocant et redemptioni captivorum vacant), egit ut quoddam monasterium, quod ibi habebant, ipsi relinquerent, et eisdem alibi domum emebat, ut statim Societas aliquos eo mittere posset. Nam primo quoque tempore eorum adventum expetebat; interim autem erectionis ac dotationis hujusmodi contractum stipularunt et ad P. Ignatium miserunt <sup>4</sup>.

1518. Marchio de Tavora <sup>5</sup> ducentis ducatis annui redditus

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 479, n. 1018, et annot. 3.

<sup>2</sup> Francisco Manrique de Lara, qui ex Aurlensi (*Orense*) Episcopatu ad Salmanticensem translatus est anno sequenti. Hic Patris Fabro consuetudine usus est, dum Imperatoris curiam anno 1541 sequebatur. Vide *Cartas y otros escritos del B. P. Pedro Fabro*, pag. 75 et 98.

<sup>3</sup> "... y porque en aquella sazón el Conde Don Alonso de Fonseca (Zúñiga) y el Obispo de Orense, D. Francisco Manrique de Lara, traían pleito sobre la presentación de cinco beneficios curados, pretendiendo cada uno pertenecerle á él, viendo que había de ser común á ambos el provecho que se esperaba de la venida de los nuestros á esta tierra, se concertaron y determinaron de fundar un Colegio de la Compañía, que fuese como seminario de este Obispado; y tratando esta su determinación con el P. Francisco, se vinieron á convenir y concertar en la erección del Colegio con las capitulaciones siguientes, como más á la larga se contienen en una escritura, que se otorgó en la ciudad de Santiago ante Rodrigo Perez, notario apostólico y real, cuyo traslado está en el archivo de este Colegio.," VALDIVIA, *Colegios de Castilla, Colegio de Monterey*.

<sup>4</sup> Vide annot. praecedentem.

<sup>5</sup> Quamvis a Polancilibrario hoc nomen scribi soleat *Tavora*, quod lusitani cujusdam fluvii nomen est et marchionatus cujusdam insigne, nullus dubitandi locus est quin intelligendus sit Marchio de Tavora, Bernardinus de Pimentel; nam is, cujus hic fit sermo, amicitia conjunctus erat Patri Francisco Borgia (Vide CIENFUEGOS, l. c., passim), in curia Principis Joannae versabatur (Supra, pag. 436, n. 1170 et 1171), Septimanca Vallisoletto se conferebat (*Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 533); quae omnia non nisi supra dicto Bernardino de Pimentel conveniunt. Adde quod marchionatus de Tavora, in Lusitania, non ante annum 1669 erectus est. "O 1.º marquez de Tavora foi Luiz Alvares de Tavora. conde de S. João da Pesqueira, feito por D. Pedro II, a 18 de agosto de 1669. Falleceu de morte repentina em uma sua quinta nos arrabaldes de Lisboa (*Campo Pequeno*) a 26 de novembro de 1672. Foi cabeça d' esta nobilissima familia..... BARROSA, *Portugal antigo e moderno*, t. IX, ad vocem *Távora*.



Collegium nostrum dotabat, et tres tantum praeceptores, quorum duo grammaticam, tertius conscientiae casus, docerent, vel Sacram Scripturam, exigebat. Domum atque hortum assignabat; et inter ambitum collegii triginta aliis collegialibus, clericis vel aliis, suae ditionis, habitationem aedificabat, qui suum dormitorium et refectorium seorsum haberent et culinam communem, et ut omnes Rectori collegii parerent; et expensis hujusmodi collegialium famuli, qui utrisque inservirent, alendi erant. Et ita cum tribus praeceptoribus sex scholastici nostri hoc reditu ali posse videbantur.

1519. Voluit autem Marchio ut P. Bustamante videret formulam aedificii et ut eo praesente opus inchoaretur <sup>1</sup>. Et ita cum situs Patri Bustamante placeret et ratio aedificii, Marchio, evocatis sacerdotibus, religiosis, et pueris doctrinae christianaе, et solemnī processione facta, cum jam fundamenta aperta essent, primum lapidem ibi posuit.

1520. Hoc tamen collegium, licet incoeptum, ut diximus, a Societate admissum non est, et alioqui, non parum nova ea ratio collegii Societati fuisset <sup>2</sup>.

1521. Cum protonotarius Ludovicus de Calatayud, ut superius diximus <sup>3</sup>, in insigni oppido Ocagnae domum et quingentos aureos annui redditus ad collegium erigendum obtulisset, et ipsemet officium quoddam offerret, quod Romae habebat (*gieniseratum* <sup>4</sup> vocant), quod octingentis fere aureis vendi poterat, ad expeditionem unionis tercentorum ducatorum annui redditus (nam reliqui redditus saeculares erant); haec inquam, cum transacta essent, Archiepiscopus Toletanus, sub hujus anni finem, suae dioecesis hominibus, sed praecipue Archipresbytero et beneficiatis oppidi de Ocagna, in virtute sanctae obedientiae et sub poena excommunicationis majoris praecepit, ne sine ipsius consensu ulla congregatio, hospitale, collegium, monasterium,

<sup>1</sup> P. Bartholomaeus Bustamante architecturae peritus erat nec parum eam artem exercendo, antequam Societatem ingrederetur, Toletanum Archiepiscopum et alios juverat.

<sup>2</sup> Scilicet ratio Collegii, in quo et nostri et collegiales, *clerici et alii*, degerent quaedam communia habentes, quaedam separata, cum *externis* famulis, qui et nostris et collegialibus inservirent.

<sup>3</sup> Pag. 462, n. 1256.

<sup>4</sup> *Janissari* dicebantur "sollicitatores expeditionum in curia romana. Vide Octavianum Vestrium, *In Romanae aulae Actionem et Judiciorum mores Introductio* (Venetis 1553), lib. I et II., Du CANGE, *Glossarium*.

vel quodvis opus pium erigerent. Et ne ignoraret Protonotarius praedictus quod propter collegium, quod erigere volebat, hoc decretum ab eo emanasset 20.<sup>a</sup> die mensis Novembris, aliud peculiare decretum 12.<sup>a</sup> Decembris edidit, quo nominatim praedicto Ludovico de Calatayud haec eadem prohibuit; et si quid tale inchoasset, aut tractasset, ut non prosegueretur, sed ad Consilium ipsius Archiepiscopi rem rejiceret; et addidit, praeter excommunicationis poenam, aliam centum ducatorum<sup>1</sup>. Quid autem contra hujusmodi prohibitionem actum fuerit ad illius collegii institutionem, anno sequenti videbitur.

1522. Rationem missionis Patris Bustamante in Baeticam, recedente Patre Torrensi, scribit P. Franciscus eam fuisse, quod ipsemet P. Torres, suo et D. Joannis de Corduba nomine, Marchionissa etiam aliis litteris, nominatim eum, et quidem instanter valde, peterent; erat enim valde gratus, non illis solum, sed et Hispalensibus et Ducibus Methymnae Sidoniae; et Granatae etiam magnam gratiam habiturus et auctoritatem videbatur; et quamvis magno se solatio et auxilio P. Franciscus privaret, et parum prospera valetudine uteretur<sup>2</sup>, eum tamen Cordubam mittendum censuit, cum facultate Provincialis Baeticae.

1523. Collegio Gandiensi grammaticae lectiones restitui P. idem Franciscus voluit, et praeter illas unicam lectionem casuum conscientiae, vel ex 2.<sup>a</sup> parte S.<sup>ti</sup> Thomae, praelegi tantum voluit. Collegiales autem, ad studia exacta philosophiae et theologiae idoneos, Valentiam aut Murciam mittendos studii gratia censuit<sup>3</sup>.

1524. Optare se significavit P. Ignatius ut aliquis nostrorum in Angliam ad curiam mitteretur; aliquos enim de Societate nostra in ea versari perutile fore censebat, et nominatim P. Petrum de Tablares eo mittendum censebat; P. autem Franciscus hanc missionem distulit, quod tunc de reditu in Hispaniam Regis Philippi rumor erat; et nostros a Cardinali Polo vel aliquo magno viro evocandos in Angliam censebat, et Romae rationem iniri posse hujus evocationis. Sed cum Rex Philippus in

<sup>1</sup> Apographum exemplum, quod nobis servavit *Historia varia*, t. 1, habet diem 29.<sup>am</sup>

<sup>2</sup> Vide haec decreta Joannis Martinez Silicei, Toletani Archiepiscopi, in *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 658 et 659.

<sup>3</sup> Ipse P. Bustamante.

<sup>4</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 196 et 197.

Belgium, non in Hispaniam, ivisset, Roma, ut superius diximus <sup>1</sup>, P. Rivadeneira ad eam Curiam missus est.

1525. Magister Avila <sup>2</sup> urgebat P. Franciscum, ut nobilem quemdam juvenem in Societatem admitteret, qui trium locorum dominus erat <sup>3</sup>, et cum votum emisisset de ingredienda Societate nostra, postea Ordinem S.<sup>u</sup> Hieronymi ingressus erat, ubi sex menses fuerat. Dispensationem autem hanc a Patre Ignatio postulabat idem P. Franciscus, quamvis forte eam necessariam non esse arbitrabatur ratione voti Societatis, quod praecesserat; sed P. Ignatius, dispensatione ad cautelam habita, in Societatem eum jussit admitti; et dicebatur D. Garcias de Alarcon, qui egregius operarius in Societate fuit <sup>4</sup>.

1526. Acceperat a P. Natali facultatem Commissarii Generalis P. Franciscus; sed quia non reliquit in Hispania transumptum, manu notarii factum, suae auctoritatis, in contractibus publicis aliqui dubitabant an legitime cum P. Francisco agere possent. Ideo a P. ipso Ignatio patentes litteras postulavit, quae etiam ad Indiam, Regibus Hispaniarum subditam, se extenderet, ut missiones etiam ad illa loca transmarina legitime facere posset <sup>5</sup>. Confirmationem etiam donationis D. Moscheræ (quae ad quindecim millia ducatorum ascendere credebatur <sup>6</sup>), ab eodem P. Ignatio petiit, et ut Missae pro eo ut fundatore juxta constitutiones dicerentur; quae omnia P. Ignatius concessit.

1527. Octobri mense Siguntum P. Franciscus profectus est, quem decanus expectabat, ut ageret de erectione collegii, de quo superius est actum <sup>7</sup>; et quia universitas ibi est et collegium

<sup>1</sup> Pag. 41, n. 73, et pag. 315, n. 854.

<sup>2</sup> B. Joannes Avila.

<sup>3</sup> "El Padre García de Alarcon (de eo enim hic est sermo, ut ipse ait infra Polancus), nació en la villa de Albaladejo. del Obispado de Cuenca, á 23 de Abril del año 1534. Sus padres fueron Don Alonso Giron de Alarcon, y Doña Juana Pacheco, señores de las villas de Albaladejo y Piqueres, y él, como mayorazgo, habia de suceder en el estado, como sucedió, y en el de Villarejo de Fuentes, por ser su madre hermana de Don Juan Pacheco, que no tenia hijos." NIERENBERG, *Varones ilustres de la Compañía de Jesus*, ed. ant. Matritensis, t. 1, pag. 715; recent. Bilbaënsis, t. viii, pag. 263.

<sup>4</sup> Ejus res gestas enarrat NIERENBERG, l. c.; verum facti, quod hic affert Polancus, scilicet, eum, antequam Societatem ingressus est, Hieronymianum fuisse, non meminit. Quaedam etiam habet SANTIVANZ, l. c., part. 1 et II, et ALCÁZAR, *Chronohistoria de la Provincia de Toledo*, t. 1 et II.

<sup>5</sup> Has patentes litteras vide in *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 6 et 58.

<sup>6</sup> Vide praesertim supra, t. iv, pag. 589, n. 1253; et pag. 592, n. 1259.

<sup>7</sup> T. iv, pag. 423, n. 913.

artium et theologiae (ex quo quatuor doctores theologiae Societatem ingressi fuerant, Salinas, Plaza, Rodriguez et Sanchez <sup>1</sup>) propensus erat P. Franciscus ad collegium ibidem admittendum <sup>2</sup>. Sed cum ex redditibus ecclesiasticis dotandum esset, in Pontificatu Pauli quarti <sup>3</sup> non facile obtineri potuit, et ita tum progressum non habuit collegium hoc.

1528. Designatus Episcopus Almeriae (quem Abbatem majorem in Universitate Complutensi vocabant, cujus erat Cancellarius <sup>4</sup>), duos ex nostris postulavit, quos secum Almeriam duceret, ubi collegium instituere volebat, in quo linguarum lectiones praelegerentur; et poterat expendere in pios usus Episcopus septem millia ducatorum; et ita bene dotaturus collegium videbatur, et ad duos illos, et quidem non mediocriter eruditos, assignandos P. Franciscus propensus erat <sup>5</sup>.

Et haec de P. Francisco, Commissario.

<sup>1</sup> PP. Doctores Marcus de Salinas, Joannes de la Plaza, Christophorus Rodriguez et Antonius Sanchez.

<sup>2</sup> Ejus ad Ignatium de hac re litteras vide in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 476-478.

<sup>3</sup> Scripserat Polanci librarius *tertiis*; verum Sacchinus emendavit, recte quidem, supra scribens *quartis*.

<sup>4</sup> Antonius Corrionero (allis *Carrionero* vel etiam *Gorrionero*), de Babilafuente. SAINZ DE BARANDA, *Noticia de los españoles que asistieron al Concilio de Trento*, in *Colección de documentos para servir á la historia de España*, t. ix, pag. 24.—Sed observa quam mire in hujus et successorum chronologia discrepent GAMS. *Series Episcoporum*, et LAFUENTE, *Historia eclesiástica de España*, t. v.

<sup>5</sup> Vide ejus litteras, quas supra, annot. 2, ad n. praecedentem, memoravimus.

## DE PROVINCIA PORTUGALLIAE

AC PRIMO

### DE COLLEGIO S.<sup>TI</sup> ANTONII ULYSSIPONAE

1529. P. Ignatius de Azevedo hujus Collegii Rector etiam hoc anno fuit, et nostri omnes fere viginti tres ibidem habitaverunt, praeter hospites, qui ex aliis Societatis locis venientes ibidem aliquando manebant, et satis omnes in suis ministeriis erant occupati.

1530. Tribus mensibus hujus hyemis praeterito anno inchoatae tanta fuit vis pluviarum in Portugallia (quamvis etiam aliis in locis magna fuerit) ut vitae suae homines timuerint, et ita confessionum messis hac occasione non parum crevit. Accedebant etiam frequentiores ad confessiones. Auxit studium devotionis in populo indulgentia a Cardinali Portugalliae<sup>1</sup> concessa his, qui pro serenitate et temporis commoditate Deum post confessionem et communionem rogarent, quaedam altaria visitando; sed multi sponte sua jejunium addebant. Itaque scholastici omnes et multi etiam externi hanc indulgentiam obtinere curarunt. Sed quia sacerdotes hujus Collegii nec multi erant, et tamen valde occupabantur, et ita non tam multis externis satisfacere poterant, quam ipsi optassent. Qui autem ad communionem accedebant, cum multis lacrymis et devotione magna id praestabant; alii octavo quoque die, alii etiam frequentius; et quia horum erat in diebus festis magnus concursus, profestis diebus multi redibant, ut a nostris audiri possent, nec minori cum affectu ad Sanctissimum Sacramentum accedebant.

---

<sup>1</sup> Henricus, Cardinalis Infans, Joannis III, Lusitaniae Regis frater, Archiepiscopus Eboensis, de quo saepe dictum est supra, quique Nuncii Apostolici auctoritate hoc tempore in Lusitania fruebatur.

1531. Initio Quadragesimae tribunal Inquisitionis actum quemdam, ut vocant, in quo octo homines capitis poenas dede-  
runt, effecit. Postulavit autem Cardinalis, qui Summus Inqui-  
sitor in eo regno est, a P. Mirone Provinciali, ut aliquos sacer-  
dotes, qui horum confessiones audiret, mitteret; et ex domo  
professorum S.<sup>ti</sup> Rochi atque ex hoc Collegio aliqui missi fue-  
runt, qui triduo in carcere cum hujusmodi hominibus diu no-  
ctuque fuerunt, et ad extremum usque supplicium eis astite-  
runt, et auditis eorum confessionibus eos animarunt et in trans-  
itu etiam adjuverunt <sup>1</sup>.

1532. Ipsa Hebdomada Sancta, qua ecclesiae ornari so-  
lent, quidam ex his, qui Societati nostrae addicti sunt, curam  
ornandi templum S.<sup>ti</sup> Antonii susceperunt variis tapetibus et  
peristromatis, ut nostri, liberiores relictis, confessionibus au-  
diendis vacarent. Multi etiam cereos [miserunt] ut coram  
Sanctissimo Sacramento arderent quamdiu inclusum esset;  
argentea etiam candelabra ad id missa sunt, et alia orna-  
menta <sup>2</sup>.

1533. Quae de restitutionibus et animorum commotione per  
hoc Sacramentum alibi dicta sunt, hic etiam dicta intelligan-  
tur, quamvis non tam late haec exercitatio in collegio quam in  
domo patebat.

1534. Aliqui etiam spiritualia Exercitia ibidem suscepe-  
runt, et ex his aliqui in Societatem ingressi sunt <sup>3</sup>.

1535. Diebus dominicis ac festis conciones crebrae pro  
more in templo S.<sup>ti</sup> Antonii habitae sunt, cum frequentia et  
utilitate auditorum non mediocri: Passionem etiam Domini  
P. Franciscus Rodriguez concionator <sup>4</sup>, quatuor horis continuis  
prosequutus est cum maximo auditorum sensu et lacrymis.

1536. Concionatus quidem fuerat P. Didacus de S.<sup>ta</sup> Cruz <sup>5</sup>  
in eodem loco; sed cum Conimbricam mitteretur, successit ei in

<sup>1</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 400.

<sup>2</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, *ibid.*

<sup>3</sup> Sex memorant *Litterae Quadrimestres*, praeter alios quatuor qui admitti postu-  
labant, et ut id obtinerent, probabantur: alii decem aut duodecim monasterium quod-  
dam S.<sup>ti</sup> Bernardi sunt ingressi. *Ibid.* Vide infra, an. 1545 et 1564.

<sup>4</sup> De hoc viro agunt saepe *Litterae Quadrimestres*, v. g. t. II, pag. 673, et t. III,  
pag. 401; ex quo postremo loco desumuntur ea quae hic narrat Polancus.

<sup>5</sup> Qui hic vocatur P. Didacus de S.<sup>ta</sup> Cruz, saepe dicitur Jacobus de S.<sup>ta</sup> Cruce, et  
aliquando Jacobus de Sancta  $\dagger$ . *Litterae Quadrimestres*, t. II, pag. 673, et alias.

hoc munere P. Franciscus Rodriguez, <sup>1</sup> qui lectionem casuum conscientiae interpretabatur. <sup>2</sup> Absolutis autem concionibus, inflammatis eisdem auditores ad sanctissimam Eucharistiam accedebant. Hujusmodi autem hominum mira pietas etiam in actionibus cernebatur; fuit qui petenti pauperi auxilium aliquod, cum non haberet aliud quod donare posset, subuculam, qua indutus erat, exuit et mendico in eleemosynam dedit.

1537. Cum autem christiana doctrina, dominicis et festis diebus, scholasticis <sup>3</sup> pro Instituto Societatis proponeretur, multi ex externis scholasticis sese adjugebant, et ubi attente eam audissent, in templo manebant, ut devote eandem meditarentur, quousque nox eos invitos et quodammodo repugnantes ex ecclesia expelleret; nam post vespertinum officium haec exercitatio catechismi fiebat.

1538. Vocabantur etiam nostri ad aegrotos invisendos, et aliquando morientium confirmationi et consolationi dabant operam; et tantus erat eorum numerus, qui eam requirebant, ut necessario repulsam plures ferrent, ob paucitatem et occupationes multas sacerdotum.

1539. Cum autem inquisitores a Patre Mirone obtinuissent ut aliquos ex nostris in suum illum carcerem mitterent, qui dominicis ac festis diebus eos, qui inclusi ibidem tenentur, salutaribus praeceptis informarent, quibusdam ex Collegio S.<sup>ti</sup> Antonii hoc negotium datum est, ut vicissim eo pietatis officio fungerentur; et magna cum alacritate victorum et aliorum, qui ibidem detinebantur, excipi solebant, quamvis alioqui faex et sentina quaedam hominum ibi esset; multi enim judaei, saraceni, haeretici, venefici et alii hujusmodi, qui anteactae vitae poenitentia ducti poenas in carcere luebant, nostrorum opera in spiritu reficiebantur: quod si ulla fiebat intermissio ob alias occupationes, quae magis urgebant, magno illi dolore affecti nostros ne se desererent et tanto bono privarent obse-

<sup>1</sup> Successerat etiam cum Cordubam Jacobus venit, ut supra dictum est. Vide t. iv, pag. 521, n. 1104.

<sup>2</sup> Hoc munereungebatur tanta dexteritate, ut "P. Balthasar Diaz, Goënsis Collegii Rector, cum postularet virum "qui in explicandis conscientiae casibus peculiare talentum haberet," "ad id nominatim P. Franciscum Rodriguez, licet pedibus valde debilem, optabat....." Vide supra, t. iv, pag. 661, n. 1422. Et ea quae statim dicuntur n. 1559.

<sup>3</sup> Iis, scilicet, qui scholas nostras frequentabant.

crabant. Nec labor nostrorum ad inclusorum tantum utilitatem, sed ad magnam etiam aliorum aedificationem cedebat.

1540. Venit ad scholas hujus collegii Dr. Antonius Pinerus <sup>1</sup>, Regis concionator, cum quo negotia studiorum Rex Joannes tractabat; immo et alia magni momenti, quod ingenio et virtute magna praeditus esset, et postea Mirandensis Episcopus factus est, et nostri Collegii Berganzae fundator <sup>2</sup>. Hic, inquam, veniens ad scholas S.<sup>ti</sup> Antonii, et earum ordinem et fructum pergratum habuit; et ita praeter classem quamdam novam, quae tunc fere absoluta erat, duas alias classes vel scholas Regis nomine conficiendas curavit; et ut brevius id aedificium fieret, pecuniae ad illud datae sunt.

1541. Praeter has, aliam confici Rex volebat, in qua pueri legere ac scribere discerent, ut aliae scholae, quae in civitate non paucae apertae erant, inde exemplum ac formam pueros bene instituendi acciperent.

1542. Coepit idem Dr. Pinerus insinuare aliquid de dotatione Collegii S.<sup>ti</sup> Antonii; nam exiguos id Collegium redditus et incertos habebat. Inde etiam occasionem sumpsit idem Dr. agendi de Regio Collegio Conimbricae Societati applicando, ut inferius dicitur <sup>3</sup>.

1543. Regina autem et Infantes, tam Cardinalis quam Ludovicus, has scholas aedificari prope nostram collegium etiam cupiebant, et ideo de magistratibus valde bonis constituendis, qui cordi <sup>4</sup> haberent hoc opus, solliciti fuerant. Fuerat usque ad hujus anni initium inter alios magistratus D. Franciscus Correa, qui rebus nostris impense faverat <sup>5</sup>; sed ille hanc sententiam mordicus tenebat, non esse docendos grammaticam promiscue omnes plebejos, sed eorum tantum filios, qui conditionis nobilioris essent; nam fore dicebat ut si plebeji grammaticam gustarent, defuturi essent homines, qui mechanicis officiis operam dare vellent. Qui enim eam degustassent, non libenter [erant] mechanicis artibus operam daturi. Quamvis ergo valde

<sup>1</sup> Antonius Pinheiro. Vide supra, t. iv, pag. 529, n. 1122, et praecipue annot. 2.

<sup>2</sup> *Bergansa, Bragantia* vel *Brigantia*.—Collegii Brigantini originem refert SACCHINI ad annum 1561. *Historiae S. J. P.* II, lib. v. n. 31.

<sup>3</sup> Vide infra, n. 1544 et 1553.—Consilium autem hujusmodi executioni mandatum vide nn. 1620 et seq.—Vide etiam supra, pag. 552, n. 1514.

<sup>4</sup> *Ms. corde*.

<sup>5</sup> Vide supra, t. III, pag. 403, n. 889, et pag. 434, n. 961. Etiam t. iv, pag. 553, n. 1186.



amicus esset Societati, non displicuit nostris ut successorem in magistratu acciperet, propter hanc opinionem quae nostris displicebat. Immo cum ab autumno anni praeteriti ex consilio Infantium decrevissent <sup>1</sup> plures discipulos non admittere, quod tam multis confluentibus nec scholae sufficerent nec praeceptores, et ita tantum quosdam nobilium filios admitterent, vel aliarum personarum, quibus id negari non poterat, Olyssiponenses non in bonam partem id interpretabantur, et cum repulsam paterentur pro suis filiis, obmurmurabant et acceptationem personarum nostris objiciebant.

1544. Voluit Rex videre concertationem aliquam et specimen scholasticorum, quos apud S.<sup>m</sup> Antonium nostri docebant. Injunxit ergo Pater Miron praefecto studiorum, Patri Cypriano Suarez, ut aliquos praepararet. Postquam ergo discipuli confessionis et communionis sacramento se munierant, puer quidam coram Rege positiones rhetoricas defendendas suscepit. Alii autem ex studiosis adolescentibus contra eum disputarunt, praemissis oratiunculis, tam graecis quam latinis, et recte utrinque optime <sup>2</sup> se gesserunt, ut Regi abunde satisfactum esset, cui aderat Regina et Dr. Antonius Pinerus; et ipse P. Miron omnium rationem eis reddebat: credibile est quod Rex hoc litterarium specimen videre voluerit, quod de suo Collegio Conimbricensi nostris tradendo tunc agebat. Nec solum principes et alii saeculares, sed religiosi etiam, de his studiis optime sentiebant, qui ad hoc Collegium studii gratia eos mittebant, quos suis expensis educabant ut in religiones suas deinde admitterent; et tam hi quam alii, qui ex nostris scholis ad eorum religionem se conferebant, aedificationis plurimum et consolationis eis praebebant; et horum numerus magnus erat.

1545. Cum enim magnus haberetur delectus in his, qui ad Societatem admittebantur, persaepe ad alias religiones adolescentes se convertebant, et in unum monasterium D. Bernardi decem vel duodecim ex nostris scholis ingressi numerabantur; et usque adeo Priori monasterii placebant, ut Ulyssiponam venerit (nam monasterium extra urbem erat), ut videret num aliquos alios, praeter jam admissos, obtinere posset. Et tamen

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 523, n. 1108, et pag. 527, n. 1119 et seq.

<sup>2</sup> Sic; verum aut *recte* aut *optime* redundare videtur.

cives Ulyssiponenses non aegre ferebant filiorum ingressum ad religionem; immo quidam ad scholas nostras eo libentius filios mittebant, quod sperabant eorum animos ad religionis ingressum sic inclinari posse.

1546. Lectio casuum conscientiae satis frequens auditorium sacerdotum nostrum et aliorum fratrum et externorum etiam habebat, et praeter repetitiones quotidianas ante ipsam lectionem, et coram ipso praeceptore <sup>1</sup>, diebus sabbati conferebant de his omnibus, quae in hebdomada praelecta erant. Humaniorum autem litterarum discipuli numero quingenti erant plus minus, in publicum catalogum redacti, praeter quinque et viginti, qui sub autumnum, ex prima classe ad graviores disciplinas capessendas alio commigrarunt, cum in graecis et latinis litteris non parum promovissent.

1547. Colligebantur autem ex hoc agro juventutis amplissimi fructus sive virtutis sive doctrinae ratio habeatur. Praeceptores impense diligebant; nobiles et ignobiles nullo discrimine habebantur; nec alii aliorum familiaritatem respuebant; immo, quo quisque nobilior erat, eo libentius parebat. Nec contenti mensuris confessionibus, extraordinariis temporibus multi sacramenta frequentabant; et cum alioqui adolescentum ingenia non facile ad virtutem traducantur, nec in ea traducti retineantur, eo magis istorum in bono profectum et perseverantiam nostri mirabantur.

1548. Aestus saevitia nullius studium retardabat; et cum alibi eo tempore magna paucitas esse soleat, septem classes grammaticam docebant; theologiae casus octavam occupabant, nec subsellia jam capere supervenientes poterant, ut necessarium visum fuerit consilium illud de aditu non promiscue omnibus concedendo <sup>2</sup>, cum praecipue ad sex scholas reducere omnes vellent: ideo ad infimam nullum admitti voluerant <sup>3</sup>.

1549. In aestate tamen, ut onus sublevaretur, binae singulis praelectionibus horae mane et totidem a prandio <sup>4</sup> daban-

<sup>1</sup> P. Francisco Rodriguez. Vide supra, pag. 559, n. 1536.

<sup>2</sup> Vide supra, n. 1513.

<sup>3</sup> Ms. habet *voluerat*.—Postrema haec verba: *Cum praecipue ad sex scholas.....* manu sua scripsit ad oram paginae ipse Polancus.

<sup>4</sup> *Mane, et totidem a prandio* inseruit inter lineas Polancus sua manu.

tur. Addita tamen fuit lectio sphaerae Sacro Busti <sup>1</sup>, cujus libellus cum summo omnium applausu praelectus fuit, et quidem cum magna auditorum corona.

1550. In festis natalitiis, unde anni principium computant, multa et pia carmina a scholasticis in honorem Natalis Domini composita et recitata fuerunt; idem in festo Resurrectionis praestiterunt <sup>2</sup>, et multi nobiles ac docti viri, qui eis audiendis intererant, cum aedificatione magna, tam doctrinam quam pietatem probantes, accesserunt. Everrebant <sup>3</sup> ipsi discipuli classes, et libentius qui inter ipsos nobiliores erant, adeo ut contenderent de scopis accipiendis, et ut per vices id facerent praeceptores jubebant, ut omnibus satisfaceret. Si quid inveniebant quod alius amisisset, statim adferebant ad praeceptores ut dicerent quid facto opus esset; nec solum ex consuetudine sacramenta frequentabant, sed cum magna devotione et lacrymis. Conferebant ipsi inter se aliquando de mysteriis Passionis Christi. Erat etiam qui examen Societatis consuetum doceri vellet <sup>4</sup>, ut singulis noctibus eo uteretur. Fuit etiam qui apud praeceptorem seipsum accusavit, quod semel jurasset et ut se proinde castigari juberet. Quod cum praeceptor jussisset, urgebat idem ut severe se puniret.

1551. Accidit etiam ut praeceptor quemdam puniri juberet quod lectionem nesciret; alius quidam comitatus est eum ad locum ubi puniendus erat, ut corrector eum etiam verberaret; et cum redeuntem interrogaret praeceptor quo abiisset, respondit se ad correctorem ivisse, ut daret poenas quod lectionem etiam ipse nesciret. Aliquando etiam alii pro aliis se puniendos ex charitate offerebant; et alia multa hujusmodi pietatis ac virtutis signa in eis cernebantur.

1552. Inter adolescentes aliqui etiam viri erant, immo et sacerdotes. Duo erant inter alios, qui cum prius judaei essent, ad Christi religionem suscipiendam in Portugallia venerant <sup>5</sup>, et alter eorum praedoctus erat inter suos, alter etiam raro inge-

<sup>1</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 611, et annot. 1. Quae hic a POLANCO narrantur, ibi scripta reperies.

<sup>2</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 401 et seq.

<sup>3</sup> Vide *ibid.*

<sup>4</sup> Examinationem conscientiae intellige, mane ante prandium et vespere ante cubitum in Societate fieri consuetam.

<sup>5</sup> Ms. *venirent*.

nio praeditus, et uterque optimum suae virtutis odorem spargebant, et prope collegium domum conduxerunt, ut nostrorum familiaritate commodius uti possent.

1553. Cum Collegii Regii cura suscipienda esset Conimbricae, multi ex nostris Olissiponam evocati sunt a P. Mirone ut, in Collegio S.<sup>ti</sup> Antonii instructi ac exercitati, Conimbricam habiliores ad suum munus obeundum adirent; cum enim diu in philosophia et theologia versati essent, et tamen in litteris humanioribus juvenus ab eis erat instituenda, longam desuetudinem aliquot dierum exercitatione vincere debuerunt. Ex his autem sic evocatis, sacerdos quidam, morbo consumptus, ad coeleste collegium ex collegio S.<sup>ti</sup> Antonii missus fuit <sup>1</sup>.

1554. Tantus autem numerus eorum erat qui ad Societatem aspirabant <sup>2</sup>, ut si aditus eis omnibus patuisset, repleri collegia totius Provinciae potuissent; sed hi tantum admittebantur, quorum virtus multo usu satis erat perspecta. Duo sacerdotes ex his, qui casus conscientiae apud S.<sup>m</sup> Antonium audiebant, admissi fuerunt. Deinde quatuor alii probi adolescentes, ex quibus tres scholastici erant, et cum parentum suorum bona venia Societatem ingressi sunt. Unus eorum valde nobilis, cum Conimbricae cohiberetur a quodam suo fratre majori natu ne desiderium hujusmodi expleret, cum[que] ad nostros accedere prohiberetur, Ulyssiponam venit; et cum animadverteret quod sine suorum approbatione non esset admittendus, tam diligenter hoc negotium cum Deo et cum suis tractavit, ut non solum parentes ei consenserint, sed ipsemet pater ad offerendum eum Societati ad Dei gloriam in collegium venerit. Et frater, qui prius eum impederat, cum gaudio ad Collegium S.<sup>ti</sup> Antonii veniens, simul cum alio quodam, suo consanguineo, nostris confessus est <sup>3</sup>. Nec rarum erat ut parentes pro filiis rogarent; immo fuit qui cum multis lacrymis id peteret. Paulo post ex scholasticis sex alii praeclarae indolis et expectationis cum facultate etiam parentum fuerunt ad missi, inter quos quidam nepos Episcopi Algarbiorum fuit <sup>4</sup>. Sed et alii extra scholas <sup>5</sup>

<sup>1</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 611.

<sup>2</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 401, 611.

<sup>3</sup> Vide *ibid.*

<sup>4</sup> Postrema haec verba adjecta sunt manu Polanci ad oram paginae.

<sup>5</sup> *extra scholas*, scilicet, ex eis, qui ad scholas nostras non accedebant.

non pauci hoc anno admissi fuerunt, et probationis gratia vel Conimbricam vel Eboram missi.

1555. P. Ignatius de Azevedo, hujus Collegii Rector, hac eadem aetate ad P. Franciscum Borgiam a P. Mirone missus est, ut aliquos lectores in subsidium mitteret Conimbricensis Collegii, qui aliquos, quamvis pauciores quam voluisset, in Portugalliam misit <sup>1</sup>.

1556. Almonebat Franciscus Rodriguez, Consultor in ea Provincia, graviores labores suscipi quam ut eis ferendis vires nostrorum sufficerent, et ita in varios morbos incidebant, quod ex paucitate operariorum et messis magnitudine proficisci sentiebat <sup>2</sup>. Illud etiam observabat nostros, quod pluribus functionibus occuparentur, minus satisfacere suis officiis quam si aliis non fuissent occupati. Observavit etiam quod fratres scholastici, bona ex parte, qui in spiritu proficere curarunt, vel mortui essent vel in graves morbos incidissent, ut vix unquam vires suas recuperaturi viderentur. Causam tamen hujus rei se ignorare fatebatur. Censebat idem fructum in eo regno perire non mediocrem, quod nostri parum familiariter se externis communicarent, qui ea in Provincia ad proprium profectum invitari volunt; et ideo P. Sanctam Crucem, bonae memoriae <sup>3</sup>, magnopere multi commendabant, nec alium Rectorem illi similem [vidisse] dicebant Conimbricae, quod ad conciliandos animos hominum operam dabat.

1557. Qui praeerat scholis S.<sup>ti</sup> Antonii, P. Cyprianus <sup>4</sup>, et rhetoricam docebat, Conimbricam missus est, et alius ejus loco Ulyssiponae substitutus.

1558. Optabat P. Ignatius, Rector <sup>5</sup>, plures novitios in Collegio S.<sup>ti</sup> Antonii tum ad ministeriorum domesticorum commoditatem, tum ad veteranorum aedificationem <sup>6</sup>.

<sup>1</sup> Haec periodus inter lineas et ad oram paginae a Polanco addita est.—Vide supra, pag. 552, n. 1514.

<sup>2</sup> Eodem modo non multis post annis conquerebatur P. Ludovicus de Molina ad Commissarium scribens, praesertim quod suscepto oneri docendi in Collegio Regio Conimbricensi satisfacere nostri non valerent.

<sup>3</sup> Sermo est de P. Martino de Santa Cruz, qui secundus Rector Collegii Conimbricensis fuerat, et Romae obierat 27.<sup>a</sup> Octobris anni 1548.—Vide TELLEZ, *Chronica da Companhia de Jesu em Portugal*, lib. II, cap. 17.

<sup>4</sup> P. Cyprianus Suarez.

<sup>5</sup> P. Ignatius de Azevedo.

<sup>6</sup> Vide supra, t. IV, pag. 532, n. 1135, et annot. 2.

1559. Qui concionabatur et casus conscientiae docebat, P. Franciscus Rodriguez, licet pedibus debilis admodum esset <sup>1</sup>, magnis desideriis in Indiam eundi tenebatur, et P. Ignatio <sup>2</sup> ea per litteras aperuit, et ob mortem eorum, qui in litteris pro- vectiores erant in India, in casibus conscientiae Goae expli- candis ac resolvendis suam operam non fore inutilem cense- bat; et quamvis non hoc anno missus fuerit, impetravit tamen missionem in sequentem, ut suo loco videbitur.

Et haec de Collegio S.<sup>ti</sup> Antonii.

### DE DOMO PROFESSORUM S.<sup>ti</sup> ROCHI

1560. P. Gonzalvus de Sylveira hujus domus Praepositus erat, et in eadem domo habitaverunt aliqui supra triginta, et satis prospera valetudine exteriori et interiori omnes usi sunt. Et quod ad proximos attinet, existimatio et fructus magno- pere hoc anno crevit. Aliqui quidem praecedentibus mensibus libere domui praedictae obloqui coeperant, et hoc ipsum P. Gon- zalvo signum videbatur, quod qui hujusmodi homines instiga- bat, daemon, sibi timebat <sup>3</sup>; et ita prorsus accidit; nam hominum, et quidem nobiliorum, favor et devotio in dies crevit, et tam multi ad sacramenta accedebant, ut trecenti et quadringenti una in hebdomada, etiam cum nullum festum esset, ad sancta sacramenta accederent, et tam Rex et Regina, quam qui in eorum curia primas tenebant, de hujus domus successu ac fructu saepe et cum magna aedificatione loquebantur. Et ex his qui a Societate recesserant, qui majorem apud omnes auctoritatem habebant ad eam redire cupiebant; inter quos P. Didacus Viera <sup>4</sup>, relicto beneficio ecclesiastico, quod illi datum fuerat, quo commode et honorifice sustentari poterat, ferven-

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 560, annot. 2, ad n. 1536.

<sup>2</sup> Patri Ignatio de Loyola, Generali Societatis Praeposito.

<sup>3</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 528 et 544.

Vide supra, t. I, pag. 709, n. 636; t. III, pag. 393, n. 860; et pag. 419, n. 928.

ter admodum institit ut admitteretur; et cum magna civitatis aedificatione et consolatione admissus est <sup>1</sup>.

1561. Comes Castañedae <sup>2</sup>, qui apud Regem gratia et auctoritate multum valebat, prae caeteris ejus Curiae proceribus, assiduus admodum erat in ecclesia S.<sup>ti</sup> Rochi, tam in sacramentorum confessione <sup>3</sup>, quam in concionibus audiendis; et statim ad Palatium se conferens, ore pleno de Societate multa praedicabat, et nullam esse vitae rationem perinde jucundam ac piam affirmabat, quam eorum qui apud S.<sup>tum</sup> Rochum assidue versarentur; et ejus devotionem non tantum ipsius domus secuta est, sed et alii plurimi ex proceribus.

1562. Regina quidem benevolentiam pro suo more exhibebat; et cum Rex beneficium aliquod conferebat Societati, ipsa sollicita erat ut ministri Regis id statim exequerentur. Et quavis occasione accepta, coram Rege multa de eo fructu loquebatur, quem per Societatis operarios Dominus capiebat.

1563. Rex etiam suam benevolentiam opere et verbis ostendebat, ut in Collegio Regali Conimbricensi, de quo inferius agitur <sup>4</sup>, et in aliis facile cernebatur. Idem de Infantis Cardinalis <sup>5</sup> benevolentia, immo charitate peculiari erga Societatem, dici potest. Ipsi etiam classis maritimae et alii id genus homines sic principes in benevolentia imitabantur, ut cum unica tantum esset navis ex his quae in Indiam proficiscebantur, in qua nullus ex nostris veheretur, ejus dux vel praefectus domum nostram venit et instanter admodum petebat ut aliqui etiam ex nostris in ipsius etiam navi navigarent; et quia nullus ei dari potuit, tristis et propemodum fletu id ostendens recessit.

1564. Illud autem fuit observatum quod, cum in domibus nobilium bono nomini Societatis detraheretur, ut diximus praedictis mensibus <sup>6</sup>, confutavit Dominus eorum falsam existima-

<sup>1</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. iii, pag. 544.

<sup>2</sup> Sic; est tamen de Castanheira. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. iii, pag. 544 et 545.

<sup>3</sup> Sic; rectius tamen diceretur: *in sacramento confessionis, vel in poenitentiae sacramento, vel in confessione apud nostros facienda*, aut quid iis simile. Verba, quibus haec respondent, in *Litterae Quadrimestres*, l. c., sunt: "El (Comes de Castanhiera) y la casa se an aora començado á confesar con nosotros."

<sup>4</sup> A n. 1620 ad 1644.

<sup>5</sup> Henrici.

<sup>6</sup> Nihil praedictis mensibus dixerat de his Polancus; sed ii dixerant qui litteras scripsere, ex quibus haec Polanci librarius exscribere jussus erat. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. iii, pag. 543 et 544, ubi haec inter alia reperies: "porque de algunos dias atrás se aulan ençendiendo mucho las lenguas en murmurar de esta casa (Sancti Rocchi)."

tionem, nobilissimos quosque et majoris auctoritatis ad familiaritatem et devotionem domus adducendo.

1565. Infans autem D. Ludovicus, quod prius non fecerat, nostris confiteri coepit, nec aliquem nominatim postulavit, sed ad Praepositum domus misit, ut ad se sacerdotem aliquem mitteret, cui confiteretur, et de cujus manu sanctissimam Eucharistiam susciperet. Et cum P. Michaël Stevez <sup>1</sup> ad eum missus esset, qui per urbem passim hoc ipsum officium exercebat, cum secundo ad domum misit, nominatim eundem Michaëlem, cui confiteri coeperat, postulavit; et ita hoc Dei favore et principum virorum, quos ipse movebat, eorum, qui a Societate recesserant, rumor extinctus est; nec fore jam quisquam eorum memor erat, nisi cum de redeundo <sup>2</sup>, ut superius diximus, aliquis eorum ageret.

1566. Et aemulatio quaedam pia inter eos, qui ad sacramenta accedebant, cernebatur; nam alii alios sequebantur, et inter hos aliqui etiam fuerunt qui statum peccati reliquerunt. Virgines etiam nobiles ea devotione accendebantur, ut licet ipsarum consanguinei eas persequerentur, nihilominus in pietatis exercitationibus perseverarent. Aliae etiam conjugatae viros suos ad confessionem adducebant, et contra, alii viri suas uxores, a nostris postulando ut eas audirent. Et quamvis ad domos aegrotantium aliquando se conferrent nostri, ut eorum audirent confessiones, rarius tamen quam voluissent id facere poterant propter ecclesiae S.<sup>ti</sup> Rochi et alias assiduas occupationes. Qui autem frequentabant sacramenta, in aliis etiam misericordiae operibus se diligenter exercebant.

1567. Cum jubilaum Julii tertii <sup>3</sup> Ulyssiponae promulgasset, supra mille apud S.<sup>tum</sup> Rochum communicarunt; et, si plures sacerdotes fuissent, majorem utique messem collegissent. Erant autem inter confessarios Pater Patriarcha <sup>4</sup> designatus, Joannes Nugnes, et P. Andreas de Oviedo Episcopus; et tam

<sup>1</sup> Vide supra, t. III, pag. 409, n. 901.

<sup>2</sup> Scil., in Societatem, ut supra, n. 1560, visum est.

<sup>3</sup> Nullus fere locus dubitandi est quin hic sermo fiat de jubileo, de quo ita BRAUWSSERGER, l. c., pag. 525, annot. 2: "Cum exeunte anno 1554 Anglia ad ecclesiam catholicam reducta esset, indulgentia ad modum Jubilaei per Christianum orbem in gratiarum actionem publicata est (*Nicolaus Sanderus*. De origine ac progressu Schismatis Anglicani lib. 2, pars 2 [Ingolstadii 1568], p. 258)."

<sup>4</sup> Aethiopiae.



assidui in audiendis poenitentibus erant, ut nec in eo labore, humilitate et subjectione cui concederent <sup>1</sup>; quod tam domesticis quam externis multum aedificationis praebebat.

1568. In Quadragesima hujus anni diebus dominicis, mercurii et veneris apud S.<sup>tum</sup> Rochum conciones habebantur; nec interim mittebantur christianae doctrinae lectiones, quae post prandium dominicis ac festis diebus fiebant. P. autem Gonzalvus Vaz diebus lunae <sup>2</sup> in Palatio Reginae concionabatur cum magna omnium satisfactione, quam cum Regina prae se ferret maximam, Rex ipse concionem hanc audire voluit.

1569. Nec quidem P. Gonzalvus Vaz mittebat christianae doctrinae conciones, quas nobilibus Reginae foeminis facere solitus erat, et quidem cum fructu non poenitendo. Harum una, quae in ministerio satis honorato Reginae inserviebat, quantum profecisset insigni facto satis ostendit. Cum enim Regina ad monasterium quoddam monialium, quod Matri Dei dicatum est, se contulisset, quae sub primo Ordine S.<sup>ti</sup> Francisci austera admodum vitae rationem ducebant <sup>3</sup>, haec virgo, Regnam comitata, postulavit ut se in monasterium admitterent; volebat enim Deo in ea religione inservire: quod cum Regina intellexisset, eam alloquuta est, dixitque, si forte ea moveretur quod aliquid molestiae acceperisset, se promittere intra quoddam certum tempus eam in decenti matrimonio collocaturam. Misit ad [eam] quemdam religiosum sacerdotem ejusdem Ordinis ut ejus exploraret propositum. Sed illa a multis diebus hoc propositum se concepisse respondit, et votum etiam castitatis emisisse, ac proinde ne laboraret, nec sollicitus esset de hujusmodi exploratione, nec enim se ulla molestia motam fuisse. Et monialibus

<sup>1</sup> Sic; *cuiquam cederent?*

<sup>2</sup> Paulo aliter scripserat Ignatius de Azevedo (?): "El Viernes va el P. Gonzalo Vaz a Palacio á hacer una plática de cosas espirituales etc.", *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 554. Attamen nullus est error aut oppositio. Nam Polancus loquitur de tempore Quadragesimae, quo propter ingruentia tunc spiritualia ministeria Palatium adibat Gonzalvus die lunae: Azevedo autem, vel qui epistolam illam scripserat (quis sit non certo constat), loquitur de illis, quae decursu anni fieri solebant. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. iii, pag. 315, ubi legitur: "El P. Gonzalo Vaz esta quaresma (1555) a predicado vna prédica en el palacio (no entiendo la doctrina, que se hazia a las damas por el anno) sino publice a Sus Altezas y con mucha satisfaccion: *gloria Domino*."

<sup>3</sup> Sermo est de monasterio dicto "Madre de Deos. Convento de religiosas de San Francisco, de huma grande Reforma, fundado no anno de 1508, pela Rainha D. Leonor, mulher del Rey D. Joaõ o II, e povoado logo no anno seguinte.", GAETANO DE LIMA, *Geographia Historica*, t. ii, pag. 157.

affirmavit, immo coram eis Deo promisit, se cibum non gustaturam donec in novitiarum munerum admitterent; et ita statim a prandio id fecerunt. Et quia haec virgo in Palatio inter primarias erat et multas consanguineas divites et pernobiles habebat, multum aedificationis praebuit <sup>1</sup>.

1570. Sed ut ad conciones redeam, ne in aestate quidem illae interruptae fuerunt, nec graves aestus frequentiam impediunt, immo post Pascha concursus major esse coepit, adeo ut confessarii locum in templo ad audiendas confessiones non haberent, sed extra illud eas audirent.

1571. Neque etiam in Palatio lectiones doctrinae christinae omissae fuerunt; et cum P. Gonsalvus Vaz non poterat eo ire, et <sup>2</sup> P. Andreas Episcopus <sup>3</sup> ejus loco, cum omnium aedificatione, doctrinam praedictam explicabat. Ex aliis etiam ecclesiis ac monasteriis nostri saepe rogabantur ut illis verbum Dei proponerent.

1572. Prima dominica Quadragesimae, ut superius diximus <sup>4</sup>, Inquisitionis iudices actum <sup>5</sup> insignem habuerunt; et tri-duo ante hunc diem, rogatu Cardinalis, e domo <sup>6</sup> S.<sup>ti</sup> Rochi aliqui sacerdotes, ad carcerem euntes, utilem operam his tribus diebus eis impenderunt, qui ultimo supplicio erant afficiendi. Unus eorum natione turca erat et relapsus; hic cum magna sui peccati cognitione in medio theatro publice illud confessus est, et se acceptare mortem, quam promeritus erat acerbio-rem, et veniam a Deo et hominibus postulavit, non tamen ad mortem evitandam. Et bene ac fideliter se credere et in ejus fide mori protestatus est, et in Christi sanguine se salutem sperare; et alia magnae contritionis signa dedit.

1573. Alius, Ulyssiponensis, etiam relapsus, cum satis obstinatus fuisset, sub mortis horam gratiam a Deo accepit non mediocrem, et magna edidit signa quod in vera Christi fide moriebatur; et nostri, qui eum comitati sunt, magnam ex hujus conversione consolationem acceperunt.

<sup>1</sup> Brevissime haec attigit P. Gundisalvus de Sylveira in *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 528.

<sup>2</sup> Sic; sed redundare hoc et videtur.

<sup>3</sup> P. Andreas de Oviedo.

<sup>4</sup> Pag. 559. n. 1531.—Vide etiam *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 400.

<sup>5</sup> Lusitanice *auto da fe*, hispanice *auto de fe*.

<sup>6</sup> Ubi nos scribimus *e domo*, est in ms. abbreviatum quoddam verbum simile huic *Ecc.*, quod legi posset *Ecclesia*; sed nec sensus nec syntaxis id pati posse videtur.

1574. Alius, natione gallus, qui Burdigalae diu Lutheri haereses docuerat, et in regnis Hispaniae sacramenta ministraverat et convictus tandem fuerat, quamvis et ipse obstinatus aliquamdiu fuisset, placuit Deo ejus animum emollire, et ut decebat bonum et catholicum christianum mortuus est; et ita alii quinque bene dispositi omnes obierunt; unus eorum a proprio filio accusatus fuerat, qui domi nostrae confiteri solebat; nec ipso die, quo pater supplicio affectus fuit, suam bonam consuetudinem reliquit. De aliis etiam quibusdam hoc ipsum <sup>†</sup> credebatur.

1575. A quodam cive honorato aliqua vasa argentea non exigui pretii furto sublata fuerant, qui cum orationem fieri curasset ut, si ad Dei gloriam futurum esset, recuperaret illa, post biduum venit domum nostram juvenis quidam, penes quem vasa illa erant, quae, nescio qua ratione, ad ejus manus pervenerant, et cuidam ex nostris sacerdotibus ea dedit, ut domino restitueret; valebant autem sexcentos ducatos plus minus.

1576. Quaedam etiam matrona ex his, quae templum S.<sup>ti</sup> Rochi frequentabant, cum ab alia sollicitaretur, non exiguis donis oblatis, ut in re parum honesta cuidam gratificaretur, cumque verba non sufficerent, quibus illam ab se ablegabat, dona illa pretiosa, quae offerebat, sancto quodam zelo accepit, et in terram projecit et pedibus conculcavit, et ita a se internuntiam ablegavit. Et solida prorsus signa virtutis in plurimis, ac praecipue nobilibus, et alia facies in ipsa civitate, quam quae aliquando fuerat, cernebantur.

1577. Horum Patrum opera quoddam monasterium nobilium foeminarum magnopere in spiritu profecit, et cum Ordinis sui ratione ter in anno confiteri tenerentur, eo adductae sunt ut id singulis hebdomadis facerent; et optabant magnopere nostris confiteri saltem singulis mensibus, quamvis non id obtinuerint.

1578. Cum magna rerum inopia Ulyssipona laboraret, et in domo S.<sup>ti</sup> Rochi triginta duo aut triginta tres ex nostris ex

---

<sup>†</sup> Quid hic per *hoc ipsum* significandum veniat, haud facile, ut putamus, lector intelliget, nec nos affirmare certo valemus, priusquam monumenta viderimus, e quibus haec hausit Polancus. Attigit haec quidem, sed multo brevius, Gundisalvus Sylveira litteris supra, annot. 570 ad n. 1569, memoratis.

eleemosynis alerentur, nihil unquam de necessariis [eis defuit], immo abundantius quam unquam suppetebant, cum tamen a Rege nihil ad hujusmodi expensas acciperent. Dedit tamen Rex ad ecclesiam aedificandam auxilium aliquod ad quinque annos, quingentas scilicet libras aromatum singulis annis, quae venditae bonam pecuniae summam conficiebant.

1579. Necessarium autem erat ecclesiam augere, quod exigua satis erat, habita ratione concursus hominum; et augebatur ita ut triplo capacior esset, et jam fundamenta jacta erant et opus reliquum urgebatur <sup>1</sup>. Abstinebant autem ab eleemosynis petendis publice ad hujusmodi aedificium, quia multi, quos fames opprimebat, non aedificationem inde acceperant, nec alii, quibus id notum erat <sup>2</sup>; et ideo lentius hoc anno aedificatio procedebat. In festo autem Pentecostes ecclesiae oblata fuerunt altarium et sacerdotum vestimenta pretiosa, cum calice argenteo ad Sanctissimum Sacramentum tenendum, et magna patena ad multas simul hostias consecrandas, cum alio vase argenteo et inaurato ad ablutionem dandam <sup>3</sup>, cum aliis ad cultum pertinentibus.

1580. Praepositus hujus domus, P. Gundisalvus Sylvera, in Indiam mittendus credebatur, quae satis destituta similibus operariis erat; quia tamen P. Antonius de Quadros cum aliis, in Aethiopiam destinatis, ad unum saltem annum in India mansuri erant, retentus est Ulyssiponae, donec P. Ignatius consuleretur, et usque ad annum sequentem ejus missio fuit dilata, ad quam miro ille desiderio propensus erat.

1581. Quod ad decretum attinet parisiense et testimonia Societatis <sup>4</sup>, luculenta sane ex Portugallia missa sunt a Rege, Episcopis et Inquisitoribus, ut ex illis ipsis cerni potest. Et Rex ipse non solum testimonium praebuit, sed tam ipse et Infantes, ejus fratres <sup>5</sup>, consilio nostros juvabant et quae opportuna vi-

<sup>1</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 555.

<sup>2</sup> Sic; rectius forte *esset*.

<sup>3</sup> His, qui sacram eucharistiam, seu communionem, sumpserunt. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. ii, pag. 621, et annot. 1.

<sup>4</sup> Decretum scilicet Facultatis theologiae parisiensis adversus Societatem, datum sub finem anni 1551, et testimonia, quae a Praelatis, Principibus, Civitatibus, etc., habere curavit Ignatius de "Societatis progressu ac fructu." Vide supra, t. iv, pag. 328-330, et in hoc t. v, passim, praesertim vero pag. 11, n. 12.

<sup>5</sup> Henricus et Ludovicus.

derentur suggerebant; et suo Legato <sup>1</sup> apud Summum Pontificem commisit ut Pontificem Summum, Paulum IV, de rebus Societatis in Portugallia, India et Brasilia et aliis Africae locis informaret.

1582. Idem Praepositus <sup>2</sup>, pro sui officii ratione, quid de Provinciali <sup>3</sup> sentiret scribens, notat quod parum sibi conciliaret animos aliorum extra domum regiam, cum exosus sit apud magnates Lusitaniae mos ille, quo solet solius Principis gratia quaeri, aliis omissis. Idem etiam admonet P. Ignatium aliquem extra Portugalliam utiliore in ea operam navare <sup>4</sup>, et summo-pere Patris Natalis aut alicujus ei similis praefecturam in eadem Provincia optabat. Pater autem Gundisalvus Vaz aliquid naturalis prudentiae desiderari adnotat in <sup>5</sup> Provinciali, et se timuisse aliquando ne id existimationem Societatis imminueret <sup>6</sup>.

## DE COLLEGIO EBORENSI

1583. Collegium hoc non exiguum progressum hoc anno fecit, sive nostrorum numerus, sive rerum temporalium augmentum, sive etiam spiritualis fructus externorum consideretur. Multi enim ex his, qui nostros frequentabant, longe aliam vitae rationem instituerunt ab ea, quam prius solutissimam tenerant.

1584. Studium autem christianae doctrinae edocendae, in qua primo quidem P. Emmanuel Ferdinandus, deinde P. Mel-

<sup>1</sup> Alphonso de Alencastre. Vide supra, t. iv, pag. 8, n. 6.

<sup>2</sup> P. Gundisalvus de Sylveira.

<sup>3</sup> P. Jacobo Miron.

<sup>4</sup> Obscura satis sententia est, quae his verbis *aliquem extra Portugalliam utiliore in ea operam navare* comprehenditur; nec nos, qui Gundisalvi litteras nondum vidimus, meliori ea luce donare valeamus. Nam, si cum iis, quae immediate sequuntur, conferantur, exprimere videntur *aliquem extra Portugalliam accersitum* (seu qui lusitanus non esset) *utiliorem quam Pater Miron operam in ea navaturum*; verum ipse P. Miron lusitanus non erat et ex Hispania in Portugalliam missus fuerat.

<sup>5</sup> Ms. habet *cum*.

<sup>6</sup> Vide apud Tellez, l. c., lib. iii, cap. 34, a n. 4 ad 9, Patris Mironis hypotyposim, quae his incipit verbis: "Era este Padre homem de grande virtude, mas acompanhada de igual austeridade; era hum rijo Catão; era justo, era tenaz e constante em seu bom proposito, asperrimo pera consigo, e nada brando pera com os outros..."—Vide etiam *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 2.

chior Cotta se exercuit, multum admodum auditoribus contulit, cum eos ad sacramentorum crebrum et pium usum et ad alia pietatis opera alliceret. Viri tantum et non foeminae ad eam conveniebant, quia in aula quadam satis ampla ea proponebatur, sed ad quam foeminas admittere non deceret nec expediret. Ita autem animis commovebantur hujus doctrinae auditores, ut abusu juramentorum, detractionum et aliorum peccatorum relicto, singulis quibusque mensibus, et multi octavo quoque die, confiterentur, et sub anni initium ad ducentos horum numerus ascendebat. Nostros autem iidem saepe sollicitabant ad aliorum, qui morbo afflictabantur, confessiones audiendas, et gratiam inter discordes componendam, et alia hujusmodi; et cum hoc studio charitatis cernebatur in his hominibus magna propriae voluntatis abnegatio et honoris despicientia, cujus tamen affectu prius flagrabant, et submisce prorsus ac modeste se gerebant.

1585. Iidem oppressis egestate hominibus opitulabantur, aegrotantibus subveniebant, publicam custodiam adibant, et praeter alia beneficia quae illis conferebant, ipsimet ad fontem publicum vasa portabant, quae eis adferrent qui in custodia tenebantur; quod se facturos dum viverent prius ipsi non sperassent; sed charitatis et humilitatis profectus ad sententiam mutandam eos adduxit.

1586. In supplicatione, quam *Misericordiae fratres* publicam habuerunt, cum centum et decem se flagris caederent, centum ex eis numerati sunt qui Sacramenta domi nostrae frequentabant<sup>1</sup>. componebant et ipsi pacem inter alios, et injurias sibi illatas condonabant.

1587. Per eandem doctrinae christianae expositionem multa Dominus per praeceptores in scholasticis operabatur; nam quisque in aula sua dominicis diebus eadem hora discipulos docebat, qua externi homines alio in loco docebantur. In omnium autem virtutum exemplar scholastici crescebant, et suos praeceptores pie admodum colebant; nec contenti menstruis confessionibus multi octavo quoque die confitebantur et communicabant, et magno animi ardore spiritualia exercitia prosequere-

---

<sup>1</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 463 et seq., quibus multa, quae hic enarrat Polancus, confirmantur.

bantur, compositi ac modesti et diligentes, ut ne verbo quidem Deum aut proximos offenderent. Quidam ex eis in morbum incidens in Quadragesima, ne ex medici quidem praecepto adduci poterat ut prohibitis cibis uteretur, nisi a suo praeceptore facultatem ad id accepisset. Quidam etiam flens accessit privatim ad suum praeceptorem, se accusans quod superioribus diebus veritatem in re quadam celasset, quam tunc se fateri velle dicebat; et alia ex his, quae de Ulyssiponensibus diximus<sup>1</sup>, de his etiam dicta intelligantur.

1588. P. Emmanuel Fernandez, postquam Elvis rediisset mense Septembri praeteriti anni, et aliquamdiu christianam doctrinam Eborae prosequutus esset, in gravem incidit morbum, et aestate hujus anni, postquam convaluerat, recidens, ad Dominum migravit<sup>2</sup>. Egregie ille functus fuerat Societatis ministeriis in illa civitate Elvensi, cum eo secundo missus est, qui ut avidissime expectabatur, ita fructum copiosum ex illo agro retulit. Civitatem invenit ea pace fruentem in qua eam reliquerat. A confessionum tamen frequentia defecerant nonnulli, sed multi perseverabant; et in vitiis non mediocris emendatio adhuc retinebatur. Cum autem ille concionari in summo templo coepit, a frequentissimo populo auditus est, qui cum magno applausu Deo gratias post concionem agebat, quod se iterum tam sancta doctrina voluisset consolari.

1589. Vacavit etiam multis confessionibus audiendis, simul

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 563, n. 1547, et pag. 564, nn. 1550 et 1551.

<sup>2</sup> Estne verum hoc, quod de morte Patris hujus Emmanuelis Fernandez narrat hic Polancus? Nos quidem verum id putamus, sola tamen fulti auctoritate Polanci. Nam 1.º, ut pluribus in hujus *Chronici* locis visum abunde est, quae in *Chronico* enarrat, ea ex monumentis exscribit aut exscribere jubet authenticis, litteris praesertim, eo ipso tempore, quo enarratae res eveniebant, aut proxime sequenti exaratis 2.º Dum hoc *Chronicon* compingebat Polancus, superstites adhuc erant plurimi harum rerum testes, et quidam auctores, quibus errorem detegere, si quis fuerit, erat facillimum; immo omni exceptione major testis est ipse Polancus, utpote qui prae caeteris omnia prae manibus habuit, versavit conservavitque illa monumenta.

Sed, si haec ita sint, tres sunt in hoc loco quaestiones a futuris harum rerum historicis accurate tractandae solvendaeque. Prima: quot fuere ejusdem nominis (Emmanuel) et cognominis (Fernandez) Patres, qui e Collegio Eboresi, cui adscripti fuerant, in urbem Elvas praedicationis gratia, tum anno 1550, tum 1554, missi sunt? Secunda: estne unus idemque P. Emmanuel Fernandez ille, qui anno 1554 Elvis concionatus est et ille, qui Joannem Nuñez, Aethiopiae Patriarcham, in Indiam proficiscentem comitatus est? Tertia denique: genus illud mortis, quod enarrant Franco et Tellez quodque a Franco martyrii nomine decoratur, qui tandem obtigit, illine, qui anno 1550, an vero illi, qui anno 1554 Elvis versatus est?

Nos hic, ne annotationem hanc, dum opinionis nostrae fundamenta exponimus, longius quam par est protrahamus, quaestiones has non solvemus.

cum socio<sup>1</sup>; ad ludum autem litterarium se conferens, scholasticis suasit, ut singulis mensibus confiteri, prout nostris in scholis fiebat, consuescerent; quod libenter tam praeceptores quam discipuli se amplecti significabant. Tunc autem eorum confessiones partim nostri, partim alii confesarii audierunt. Inductus fuit pius quidam mos decenter mortuos sepeliendi, vel potius, qui in desuetudinem abierat, reductus est; nam cum ad illud usque tempus vix inveniri possent qui lugubres vestes confraternitatis *Misericordiae*, feretri bajulandi gratia, induerent, exinde tanta hominum frequentia ad hoc pium opus accedere coepit, ut semper aliqui superessent, et ipsimet homines orarent ut ad id munus exequendum admitterentur. Sic etiam ad venerationem sanctissimi sacramenti Eucharistiae homines accensi sunt, et cum ea ad aegrotantem aliquem deportabatur a quavis paroecia, tantus populi concursus ad illud comitandum fiebat, ut negarent nostri se quidquam simile vidisse.

1590. Habuerat idem P. Emmanuel concionem ad sacerdotes (qui omnes in summum templum ad id confluxerant) magnae utilitatis, qua illis explicuit quanta puritate et reverentia ad sanctissima sacramenta confessionis et communionis suscipienda accedendum esset, et quanto cum studio exemplum integritatis et virtutis aliis exhibere ad Dei gloriam deberent. Et ita alia non pauca cum apud eos egissent, Eboram redierunt, quamvis Elvenses peccatum esse dicebant, quod tam uberi fructu relicto inde nostri discederent<sup>2</sup>; sed bonus Pater Emmanuel obedientiae parendum censuit, et rediens praescripto tempore, intra paucos menses ad Dominum migravit, non exiguo sui desiderio relicto.

1591. Praeter trecentos scholasticos, qui ad nostrum collegium accedebant, alios multos ex civitate Eborensi nostri sacerdotes audiebant, et juxta numerum confessoriorum messis erat et confitentium, et plures multo fuissent poenitentes, si occupationibus aliis districti, et alioqui pauci numero, sacerdotes non fuissent. Vacabant nihilominus litibus et dissensionibus.

<sup>1</sup> P. Petro de Santacruz.

<sup>2</sup> Quae a n. 1588 hucusque enarravit Polancus, continentur litteris, quae habes in *Litterae Quadrimestres*, t. iv, pag. 705-718.—Quare observa ea omnia ad annum praecedentem 1554 spectare; acta sunt enim ab initio Augusti ad finem Septembris ejusdem anni 1554. Et re quidem vera eorum enarrandorum initium posuit ipse Polancus supra, t. iv, pag. 518, n. 1097.



bus dirimendis, et aliquando qui prius inter se dissidebant, nostrorum opera inter se conciliati, genibus etiam provoluti, veniam invicem etiam cum lacrymis petebant, quamvis aliqui, magnis odiis inflammati invicem essent et aliquando alter alterius vitae insidiaretur <sup>1</sup>, vel eum aperte aggredi vellet. Ea autem erat hominum opinio de nostris, ut nihil tam arduum esse putarent in hujusmodi rebus, quod non eorum opera et auctoritate perficeretur; et ita frequenter ad hujusmodi paces curandas accersebantur.

1592. Et ut aliquid singillatim dicam, cum quidam ex nostris aliquos, quorum causa vocatus fuerat, in gratiam mutuo reduxisset, ibidem percepit quosdam esse alios, qui inter se graviter dissiderent, ad quos accedens, inter eos concordiam ineundam curavit; sed obtinere non potuit. Cum autem in eadem vicinia [quidam] morti proximus esset, migrantem invisens et ei assistens dedit operam ut illi evocarentur in eandem domum, inter quos pacem componere non potuerat. Hos ergo adducens ad locum, ubi aegrotus animam agebat, hac occasione accepta, eos admonuit ut sibi providerent et de discessu illo ab hac vita, qui ante ipsorum oculos proponebatur, diligenter cogitarent. Verba autem ejus tali spectaculo adjuncta, Deo adjuvante, eam vim apud eos habuerunt, ut ibidem statim, inimicitias depositis, in gratiam redirent <sup>2</sup>. Accidit etiam ut aliquis, cui facta injuria fuerat, non solum eam remitteret, sed etiam se promptum offerret ad domum adversarii adeundam ut veniam ab eo peteret, a quo fuerat offensus.

1593. Inchoata fuerant <sup>3</sup> hujus anni studia pro Societatis more, defensis positionibus rhetoricis, quas oppugnare externo cuivis licebat, praeceptore primae classis disputationem dirigente, et quae oportebat declarante; habitae fuerunt orationes et descriptae permultae, quaedam in paupertatis, quaedam in ipsius Cardinalis <sup>4</sup> laudem, et de aliis variis argumentis; carmina etiam latina et graeca varii generis descripta fuerunt, et quidem mane et vesperi hujusmodi tractata fuerunt. Et ipsemet

<sup>1</sup> Mo. insidiaretur.

<sup>2</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 562 et 563.

<sup>3</sup> Calendis Octobris praecedentis anni 1594. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 363, 714 et 715.

<sup>4</sup> Henrici, Eboensis Archiepiscopi et Collegii institutoris.

Cardinalis post meridiem interfuit cum suo nepote D. Antonio<sup>1</sup> et aliis religiosis et nobilibus viris ac doctis; et oratio una latina et altera graeca, et demum a tribus pueris eslogi quaedam pia et erudita, venuste admodum decantata fuit, quam secundae classis praeceptor composuerat; quae omnia non mediocriter Cardinali et aliis spectatoribus placuerunt. Lectio item casuum conscientiae tam bene procedebat, ut Cardinalis, praeter eos sacerdotes, quos stipendio suo alebat, alios etiam adderet; et jam triginta, et paulo post decem, additis, quos Infans Ludovicus alere constituit, quadraginta sacerdotes, per parochias post studia distribuendi, ibidem stipendiis horum principum alerentur; praeter quos alii propriis expensis lectionem eam audiebant, quam P. Marcus Georgius de conscientiae casibus diligenter interpretabatur, cum alia quadam, quam lector alius, a Cardinali constitutus, praelegebat, ut expeditius quae ad functiones parochorum necessaria erant, scholastici audirent. Qui litteris humanioribus dabant operam, in quatuor classes distributi erant. Venerunt autem Cardinalis ac Infans Ludovicus, ejus frater, ad singulos praeceptores hujusmodi classium audiendos, et commorati paulisper cum non mediocri voluptate audiendi, fructum egregium et uberem undecumque percipi animadverterunt.

1594. Cum autem Infans Cardinalis ad functionem quamdam, quae ad Dei honorem pertinebat, quemdam ex his sacerdotibus, qui casus conscientiae audiebant, delegisset, magno cum gaudio Deo gratias agebat, quod ex agro proprio metere sibi fructum hunc videretur, cum negotium tam pium alicui ex eis posset committere, quos suis expensis in studiis aluerat. Conferebat autem beneficia ecclesiastica hujusmodi hominibus, et eos per varia opera dividere incipiebat, ut eos in confessionibus audiendis adjuvarent, qui curam animarum agebant; nam valde boni confessarii effecti sunt.

1595. Ad festa natalitia<sup>2</sup> voluit Cardinalis ut nostri in novum collegium migrarent, qui in quodam palatio Regis usque ad finem anni 1554 habitaverant. Et satis commode nostri quidem habitabant, sed multo commodius habitaturi cum opus

<sup>1</sup> Ludovici Infantis filio.

<sup>2</sup> Ejusdem scilicet anni 1554, ut statim advertit Polancus.

absolutum esset; nam opifices partem domus occupabant, et classes atque ipsum templum imperfecta adhuc erant; quamvis non deerat locus ubi praeceptores suum officium facerent. Itaque post Epiphaniam primo die in novis scholis novi collegii lectiones coeptae sunt: doctrina etiam christiana quadam in classe valde magna explicari coepit, quod nondum ecclesia esset absoluta <sup>1</sup>.

1596. Erat eo tempore P. Miron, Provincialis, Eborae, et cum initio hujus anni Ulyssiponam recessit, jam nostros in suo novo collegio reliquit. Expectari quidem poterat donec aedificium absolveretur; sed quia Cardinalis propensus erat ad hanc migrationem praedicto tempore, ei satisfactum est. Situs quidem salubris magis erat, et commoda satis cubicula, quae sub anni hujus initium viginti quinque ex nostris habitare coeperunt, licet viginti tantum cubicula essent confecta; et facile intellexit Cardinalis, nostros arcte habitare; et ita alia multa aedificare cubicula constituit; quamvis in usum sacerdotum praedictorum <sup>2</sup> ea destinaverat, sed sententiam mutavit cum collegii augmentum (quod et ipse non mediocriter optabat) id exigeret.

1597. Quod attinet ad philosophiae curriculum Eborae instituendum, aliqua scripserat P. Ignatius <sup>3</sup>, quae cum audisset Cardinalis probavit, et sequenti anno illud inchoari volebat; et suo tempore theologica etiam studia instituenda meditabatur. Cum autem ex Patre Mirone intelligeret mille aureos annui redditus, quos applicaverat, non ad multos alendos sufficere, significavit Cardinalis se alios etiam redditus quaerere, et facile intelligi potuit, licet ipse non explicaret omnino, quod in animo habebat hoc opus non mediocriter promovere; videbatur tamen insinuare, quod etiam cum philosophiae cursus inchoaretur, nolebat magnopere numerum nostrorum initio augeri; et successus scholarum et aliarum functionum Societatis in Eborensi dioecesi <sup>4</sup> non solum gaudio Cardinalem afficie-

<sup>1</sup> Clausulam *Itaque post Epiphaniam... absoluta* addidit ad oram paginae ipse Polanci librarius.

<sup>2</sup> Eorum videlicet, quos, dum casus conscientiae audiebant, suis expensis Eborae Cardinalis alebat. Vide supra, n. 1593

<sup>3</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. iv, pag. 249 et seq. et pag. 262.

<sup>4</sup> Verba haec a vocibus *et aliarum* ad oram paginae per librum ipsum scripta conspiciuntur.

bat, sed ad temporalia augenda animabat ut, aucto operariorum numero, fructus etiam augeretur. Et tota fere ejus consolatio erat, dum Eborae versabatur, crebro ad Collegium accedere, et opus urgere, et minima quaeque perlibenter intueri. Hortum etiam satis amplum et commodum nostris dedit, quem arboribus, ex variis locis quaesitis, conseri jussit; et plantas adultiores adferri voluit, ut intra duos annos fructus jam percipi possent. Quaedam etiam cubicula ad suam habitationem in eodem Collegio nostro aedificavit, in quibus, bona cum venia Societatis, dicebat se aliquando habitaturum.

1598. Commode autem, cum discessurus esset Ulyssiponam, Dominum Antonium Infantis Ludovici filium secum adduxit <sup>1</sup>, ut prope quoddam monasterium ordinis S.<sup>ti</sup> Dominici habitaret, et studia sua theologica absolveret; et ita aliqui ex nostris fratribus, qui simul cum eo et in ejus gratiam theologiam Eborae a privato ipsius praeceptore <sup>2</sup> audiebant <sup>3</sup>, liberi fuerunt ut Conimbricam se transferrent ad cursum theologicum ibi commodius audiendum.

1599. Sed ad Collegium Eborense redeundo, in magna quiete novo in collegio nostri versabantur, ab urbis strepitu remoti, licet satis commodus esset locus ut ad scholas et templum homines confluerent. Hac autem aestate et aulae in usum scholarum et aliae multae officinae, ut nosocomium, coenaculum sive refectorium, dormitoria et alia quaedam confecta fuerunt. Ecclesia etiam tam diligenter structa est, ut Septembri hujus anni, Missae sacrificia ibidem dici incoeperint. Ea autem, quae ad cultum divinum peragendum requiruntur, ac totam suppellectilem sacram ecclesiae multam et pretiosam Cardinalis summo studio curabat <sup>4</sup>.

1600. Cum scholastici, simul atque in nostras scholas admittebantur, statim mores mutare et in pietate proficere stude-

<sup>1</sup> Commode quidem id accidit, non solum propter rationem, quam statim subjicit Polancus, sed etiam quia ejus "viveza era tanta, que o poz em estado de encontrar no Cardeal algum desagrado.", Sousa, *Historia Genealogica da Casa Real Portuguesa*, t. III, pag. 370

<sup>2</sup> "Estudou Theologia (Infans Antonius); foy discipulo do insigne Varão o Santo D. Fr. Bartholomeu dos Martyres, que depois occupou a Cadeira Primacial de Hespanha, e do erudito e eloquente Jeronimo Osorio, depois Bispo de Sylves.", Id., *ibid.*, pag. 369.

<sup>3</sup> Vide supra, t. II, pag. 378, nn. 430 et 431.

<sup>4</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III pag. 466.

rent, non pauci eorum ad religionis statum animum adiecerant, et quidam in Societatem admitti vehementer postulabant. Ante verò quam Eboræ P. Milon recederet, sub initium anni hujus, tres ex his admisit, et quartum, sacerdotem quendam ad nostrâ ministeria in primis aptum. Alios tunc expectare voluit maturiorem ætatem. Tres alii non multo post ex his, qui magis in spiritu et litteris profecerant, cum alio etiam sacerdote, casum conscientiae auditore, et duobus aliis juvenibus ad coadjutorum ministeria idoneis admissi fuerunt.

1601. Eadem autem æstate sacerdos alius, eximia probitate præditus, et Cardinali cognitus et ab eodem Vicarius in patria sua constitutus, contemptis rei familiaris copiis (nam dives erat), expeditus ad Christum convolvit, nudus nudum in Societate sequendo; præter quem alios quatuor scholasticos ingeniosos P. Milon in eadem æstate admisit, et antequam ille Eboram veniret, duos alios, qui præerat Collegio Eborensi, admisserat; et quamvis Conimbricam magna ex parte mittebantur, aliqui etiam Eboræ retenti fuerunt, et ita aucta fuit familia ferè ad triginta.

1602. Et hæc de Collegio Eboresni, cujus Rector fuit P. [Michaël] <sup>1</sup> de Sosa, sed propter valetudinem adversam, bonam autem partem Ulyssiponæ egit, et ejus loco Magister Marcus Georgius, qui casus conscientiae praelegebat, Collegio præfuit; qui mense Januarii hujus anni ad sacros ordines fuit promotus; qui etiam doctrinam christianam cum magno hominum concursu et fructu praelegit.

## DE COLLEGIO CONIMBRICENSI

1603. P. Leo Enriquez Collegii Conimbricensis Rector hoc etiam anno fuit, et in rebus spiritualibus per collationes et conclusiones in refectorio, et diebus veneris extra illud habitas, qui-

<sup>1</sup> In Ms. omittitur nomen Rectoris, relicto vacuo spatio. Pater vero de Sosa vocatur Michaël. Et quia ob adversam valetudinem Ulyssiponæ bonam anni partem debebat, idcirco nonnullis visum est haud facile decerni posse quisnam esset hoc tempore Collegii Eboresni Rector. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 765, annot. 2.—Et infra, n. 1631.

bus nocturno tempore ea tractabantur, quae ad spiritus profectum pertinebant, non mediocriter profectum nostrorum promovere studii.

1604. Aliqui <sup>1</sup> in Societatem admissi sunt hoc tempore, electi ex multis, qui id postulabant. Alios etiam Ulyssipona et Eboram missos in domum probationis collegio conjunctam, Conimbricae habebant; et tantopere domus ea crevit, ut cum non caperet eos domus, alii Ulyssiponam, alii Eboram, postquam aliqua fundamenta in religiosis virtutibus fecissent, vel studii vel serviendi gratia mitterentur. Proficiebant illi in abnegatione voluntatis, et carnis castigatione, ac devotione; et cum scholasticos vota sua renovantes viderent, et ipsi sponte sua vota magno cum fervore emiserunt.

1605. P. Correa <sup>2</sup>, qui praefectus erat novitiis, et in tam gravem inciderat aegritudinem ut medici de ejus salute desperarent, et in ethicam febrim incidisse dicerent, et cum aliquoties jam mortuus esse videretur, revixit tamen, Deo propitio, et, valetudine recuperata, ad sui officii administrationem rediit <sup>3</sup>.

1606. Quod ad studia attinet, consueto more tractabantur, quod ad lectiones et repetitiones et positiones attinet; philosophi sub Paschae festum curriculum ejus facultatis absolverunt; et ita theologiae auditores plusquam viginti ex nostris esse coeperunt <sup>4</sup>.

1607. Alii autem, qui cursum eundem hoc anno ingressi sunt, inter caeteros condiscipulos primas tenere existimabantur, et ex eisdem condiscipulis, cum in collegio disputandum erat, multi disputandi gratia veniebant et proficiebant; et domi nostrae praeter lectiones, quas in universitate audiebant, unam theologiae, aliam casuum conscientiae habuerunt.

1608. Quod ad confessiones attinet, satis multi nostrorum opera utebantur; et hi fructus colligebantur ex hoc sacramento, de quibus alias scriptum est; conciliationes videlicet discordiarum personarum, peccata multa relictas, et hujusmodi; et qui non peterant domi nostrae confiteri propter operariorum paucita-

<sup>1</sup> "Sex supra quadraginta, ait Franco, *Synopsis Annalium Soc. Jesu in Lusitania*, ad an. 1555, n. 13; et fortassis inter hos annumerat illos, qui Eborae et Ulyssiponae admissi, Conimbricam ad probationem mittebantur.

<sup>2</sup> P. Antonius Correa, novitiorum magister.

<sup>3</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 458.

<sup>4</sup> *Ibid.*

tem et ipsorum multitudinem, in aliis tamen coenobiis et templis id faciebant, in quibus, Deo propitio, magna incipiebat esse confitentium frequentia; nec recedebant cum mala aedificatione hi, quibus satisfieri domi nostrae non poterat; nam facile animadvertiebant nostros ad ipsorum consolationem propensos esse, sed propter occupationes, quibus distringebantur, eis non posse vacare; et ad magnam cedebat Dei gloriam quod, cum aliquando perdifficile videretur ut crebro ad sacramenta accedendi mos induceretur, aut hominibus Conimbricensibus probaretur, cum non deessent aliqui, qui sanctam hanc exercitationem impedire niterentur, placuit tamen divinae Bonitati nostrorum opera ei civitati lucem tribuere, qua cognoscerent singulare Dei beneficium crebro sacramenta suscipiendi, et illud amplecterentur. Et ita parentes, qui liberos suos a pravis moribus revocare studebant, illud inter praecipua curabant, ut ad nostrum collegium, confitendi gratia, accederent. Sic matres filias suas, sic heri famulos, tanquam ad remedium efficacissimum contra vitiorum morbos per confessionem accipiendum, ad nostros mittebant. Quaedam sigillatim narrari possent, quae, ut similia saepius dictis, omittuntur.

1609. Qui concionabantur, fructum etiam uberem sui laboris referebant. Fuerunt autem hac Quadragesima P. Sancta Crux et P. Cotta <sup>1</sup>, qui aliquando in scholis publicis, aliquando in templo nostro, aliquando etiam alibi concionati sunt. Pater etiam Michaël de Sosa ad civitatem Guardiae, cum quodam fratre, ex domo probationis accepto, missus, non poenitendum inde fructum retulit, et peculiari modo de canonicis bene mereri studuit, acriter eos reprehendens, quod ea in civitate novum prorsus erat et aliis concionatoribus insolitum, ob splendorem et potentiam huiusmodi hominum; et timebant aliqui ne P. Sosa male acciperetur; sed ille nihil sibi timendum esse existimavit; et adfuit illi Dominus ita ut tandem omnes et aedificaverit et sibi benevolos reliquerit <sup>2</sup>.

1610. Alius ad S.<sup>m</sup> Felicem <sup>3</sup>, concionandi gratia missus fuit, ut in ea Domini vinea laboraret; sed Conimbricae peculiare admodum talentum dedisse Dominus P. Cottae videbatur,

<sup>1</sup> PP. Jacobus de Santacruz et Melchior Cotta.

<sup>2</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 452

<sup>3</sup> Ad Abbatiam *San Fins*.

et concursus hominum et applausus et fructus insignis cernebatur.

1611. P. Georgius Serranus, ut occupatus in theologicis lectionibus et in praefectura studiorum, minus frequenter concionari poterat, quamvis et ipse dono verbi praeditus videretur; mitti tamen sub aestatis finem in Castellae regnum oportuit P. Sanctam Crucem <sup>1</sup>, ut Methymnae Campi aliquamdiu maneret, loco P. Maximiliani Capellae, qui ad cursum philosophicum in collegio Regis praelegendum evocabatur.

1612. Satis multi in spiritualibus Exercitiis exculti fuerunt, ut vix cubicula eorum numero sufficerent; sed bona ex parte hi de Societate erant <sup>2</sup>.

1613. Illud etiam pium opus morituros juvandi, quatenus occupationes permittebant, a nostris exercebatur. Cum autem quidam Conimbricae tam gravi laboraret morbo pedis unius, ut jam medici, sub noctem, pedem abscindere ad subsequentis diei crepusculum decrevissent, domum nostram ille misit rogatum, ut pro ipso preces Domino effunderent. Curavit autem P. Leo ut oratio pro illo fieret <sup>3</sup>, quibus (*sic*) aegrotantis fides sic cooperata est, ut cum constituto tempore medici, pedem abscissuri, domum ejus venissent, pedem secandum perinde sanum atque alterum invenerunt; atque ita qui infirmus erat, de collato sibi beneficio Deo gratias agens, statim surrexit.

1614. Spiritualis etiam salus reddita est a Deo foeminae cuidam, quae, cum matrimonii vinculo colligata esset, Conimbricam ab alieno viro deducta erat; sed, Deo favente, per opera duorum ex nostris a potestate rectoris <sup>4</sup> erepta fuit, et ipsa in quoddam monasterium se contulit donec rebus suis melius consuleret.

1615. Non omittam quod cum P. Georgius Serranus nimis exacte specularetur et traderet discipulis, quae domi praelegebat, admonitus ut commoditati eorum consuleret, paruit et, majori cum fructu ac progressu suas lectiones proseguutus est.

<sup>1</sup> P. Jacobum de Santacruz.—His autem corrige dicta supra, pag. 421, annot. 1.

<sup>2</sup> Scilicet, ex his qui in Societatem recens admissi aut admitti cupientes, spiritualibus exercitiis excolebantur. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 452.

<sup>3</sup> "Hizo el P. Don Leon hacer algunas oraciones por esta intencion," *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 787.

<sup>4</sup> Rector hic erat miser quidam sacerdos saecularis. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 786.—Attamen suspicamur vocem hanc *rectoris* hic pro *raptoris* positam esse.



1616. Cum autem idem ob suas occupationes aegre et cum repugnantia ad concionandum adduceretur, a Rectore admonitus, statim agnovit defectum, et, veniam petens, concionari coepit cum magna et sua et audientium consolatione, ut qui talentum ad id egregium se habere facto ostendit.

1617. A. P. Francisco Borgia sub anni initium duo ex Provincia Castellae in Portugalliam missi sunt; sed postea novem alios, partim novitios, partim...<sup>†</sup>, cum collegium Regis suscipiendum fuisset, in subsidium submisit.

1618. P. Miron, aliis rebus occupatus, non inviserat hoc Collegium Conimbricense; sed cum agendum esset de rebus necessariis parandis ad Regii collegii lectiones, ut inferius dicitur<sup>‡</sup>, mense Majo Conimbricam venit. Sed propter occupationum aliarum multitudinem, domesticis rebus ne tunc quidem vacare potuit; et ea, quae ipsi proponebantur dubia, sine decisione relinquerebat, quod perturbationis quibusdam fratribus causa fuit, quamvis etiam hoc ipsius ingenio potius quam voluntati adscriberetur. Colloquia etiam de rebus parum ad spiritualem profectum pertinentibus [Provincialem miscere] notabat idem P. Leo<sup>§</sup>; nec mirum est si totus esset in inveniendis et exercendis his, qui tam difficilem provinciam suscepturi erant<sup>¶</sup>, ex quibus aliqui ad magisterii gradum in philosophia promoti sunt post diligentem examinationem, et praemissis pro more orationibus, et bene se in omnibus gesserunt; nullo juramento adacti sunt, eo quod Rex universitatis Rectori scripsisset, ut eos liberos ad gradum sine juramento admitteret<sup>‡</sup>.

1619. Venit et P. Patriarcha<sup>¶</sup> simul cum P. Mirone sub finem Septembris, ut aliquos ex fratribus nostris ad sacros ordines promoveret; et ipso die S.<sup>ti</sup> Michaelis minores ordines et subdiaconatus (*sic*) quibusdam dedit, et tunc primum hanc facultatem episcopalem exsequi coepit. Dominicis diebus se-

<sup>†</sup> Hic nonnulla desiderantur, quae ad oram paginae addita fuerant. Sed cum lapso temporis charta absunderetur, papyrus satis crassa est superposita, quo factum est ut quae ei subsint legi nequeant. Conspicitur tamen, licet subobscura, *vs...*; quare haud temere quis scriberet *vefferanos*].

<sup>‡</sup> Infra nn. 1620-1627.

<sup>§</sup> Vide supra, pag. 574 n. 1562, et *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 4, annot. 2.

<sup>¶</sup> Docendi videlicet in Collegio Regio Conimbricensi.

<sup>‡</sup> Vide supra, t. iv, pag. 501, n. 1038, et *Cartas de San Ignacio*, t. iv, pag. 239.—Plura etiam de his dabit *Nova Series litterarum Sancti Ignatii*.

<sup>¶</sup> P. Joannes Nunez, Aethiopiae Patriarcha.

quentibus novem ex nostris per eum ad sacerdotium promoti sunt. Ejus autem humilitas summae aedificationis nostris erat; et ~~nenquam~~ conjunctionior Societati visus fuerat quam tunc erat, et nullo discrimine perinde nostros atque alios tractari voluit<sup>1</sup>.

1620. Quia de collegio Regis mentionem superius fecimus<sup>2</sup>, cuius non exiguum onus nostri hoc anno subierunt, quomodo res se habuerint ab initio explicabo. Cum multos annos Parisiis in collegio Divae Barbarae Lusitani complures Regis Portugalliae expensis studuissent<sup>3</sup>, decrevit Rex Joannes tertius universitatem Conimbricae constituere<sup>4</sup>, et in ea collegium quoddam insigne, ubi more parisiensi philosophici cursus et lit-

<sup>1</sup> Sic perspicue in ms.; existimamus tamen id, quod significare voluit Polancus, exprimentum fore rectius sic: *et nullo discrimine a nostris, sed perinde atque alios (Paures de Societate) tractari voluit*.

<sup>2</sup> Pag. 562, n. 1544, et pag. 565, n. 1553, et pag. 586, n. 1617.

<sup>3</sup> "Les rois Jean II, Emmanuel et Jean III, sous qui le Portugal devint si florissant par le commerce de l'Inde, furent des hommes pieux autant qu'amis des lumières. Les conquêtes de leurs navigateurs firent naître en eux moins la satisfaction du gain que l'ambition de convertir à la foi les royaumes et les îles de l'Orient. Manquant de sujets pour une si grande entreprise, ils envoyèrent étudier à leurs freres dans les diverses Universités de l'Europe, et particulièrement à celle de Paris, un grand nombre d'enfants, par le moyen desquels ils comptèrent former des missionnaires, après qu'ils se seraient instruits eux-mêmes. Ces enfants appartenaient presque tous à la petite noblesse, forte appauvrie depuis que toute l'activité du pays s'était tournée au négoce. Une famille de Gouvêa, qui avait des branches à Evora, à Beja et à Coimbra, fournait à elle seule une douzaine de professeurs qui prirent tous leurs grades à Paris.", QUICKENRAT, *Histoire de Sainte Barbe*, part. 1, cap. 14.—Initio quidem juvenes hi, a Regibus Portugalliae missi, in privatorum domibus aut in Collegiis, ubi poterant, divertebant; quod cum pluribus incommodis esset obnoxium. Didacus Gouvea, senior, in suorum conterraneorum usum emere curavit, et quia domino, Roberto Dugast, vendere nolente, emere non poterat, conduxit saltem Collegium Sanctae Barbarae. Curavit insuper, quo solvendo conductionis pretium certo esset, ut certus assignaretur juvenum numerus in Collegio regis expensis alendorum. Ideo "Il fait un voyage à Lisbonne, pour aller exposer au roi Jean III, successeur d'Emmanuel, que n'ayant aucune assurance pour le nombre des pensionnaires de la couronne, il ne sait sur quel pied établir sa maison; et où lui accorde que le chiffre permanente de la colonie portugaise sera de cinquante élèves. Cette fondation est de 1526.", *Id.*, *ibid.*—"Simón Rodríguez et Sébastien Rodríguez d'Azevedo, son frère, furent des gentilshommes du diocèse de Viseu, dont nous retrouverons le premier parmi les fondateurs de la Société de Jésus. Ils furent formés sous Jacques de Gouvêa l'ancien.", *Id.*, *ibid.*, cap. 15.

<sup>4</sup> Vere Joannes III Universitatem, seu *Generale Studium*, ut vocabatur, quae Ulysipone jam exstabat, Conimbricam anno 1537 transtulit, translatamque lectoribus, privilegiis et redditibus auxit. Atque hic juvat audire unum saltem e pluribus inter recentiores scriptoribus lusitanis, qui, studio partium abrepti, mire in hunc Regem Joannem III invehantur: "foi D. João III, esse rei fanático e inepto, esse hypocrita que no nosso paiz accendea as fogueiras da Inquisição, foi elle quem, sem duvida Inconscientemente e só para competir com Paris, Bolonha, Salamanca e Oxford, passando o estudo, o *Escolás Gerdes*, para Coimbra, tomou a peito fundar uma Universidade famosa a todos os respeito.", A. C. BORGES DE FIGUEIREDO, *Coimbra antiga e moderna*, cap. 8.

terarum humaniorum doctrina multis in classibus doceretur <sup>1</sup>. Stipendiis autem non exiguis viros valde doctos ex Gallia idem Rex evocaverat, et ad hoc usque tempus tenuerat <sup>2</sup>, et tanto opere Regi hoc placebat collegium, ut nullis expensis parceret, et novis beneficiis lectores afficiebat, praeter promissa stipendia. Erant autem decem classes ad latinam linguam pertinentes, quatuor autem philosophorum erant; cum enim curriculum hoc artium liberalium tribus annis cum dimidio absolveretur, et singulis annis cursus novus inchoaretur, quatuor erant praeceptores, quorum singuli mane et vespere in suis discipulis, vel legendo, vel disputationibus eorum praesidendo, operam dabant; 15.<sup>a</sup> classis graecarum litterarum erat; 16.<sup>a</sup> legere et scribere pueros docebat. Scholastici autem, qui has scholas frequentabant, supra mille numerabantur in renovatione studiorum; quamvis hac aestate ad octingentos plus minus redacti erant. Convictores viginti novem vel triginta intra ipsum collegium habitabant.

1621. Aedificium autem magnos progressus fecerat, quamvis absolutum non erat; et multa adhuc millia ducatorum in aedificio absolvendo erant expendenda <sup>3</sup>. Cum ergo Rex nostrum etiam collegium aedificaturus esset, venit illi in mentem expedire ut nostri ad Regium hoc collegium, proprio relicto, migrarent; et eisdem expensis, quibus aedificaturus erat suum collegium, posse se et nostrum aedificare, suum Societati tradendo. Et quae in praeceptorum stipendia singulis annis expendebat, ea si cessissent in dotationem collegii, eadem opera dotatio etiam, quam alioqui facturus erat, ab eo fiebat; et quidem ex redditibus, qui universitati jam erant applicati.

<sup>1</sup> Ms. habet *docebatur*.

Ex Gallia vocaverat Rex, ut Collegio novo praesset, Andream de Gouvea, qui Burdigalae tunc temporis Collegio *de Guyenne* dicto praerat. Hic secum Conimbricam adduxit Nicolaum de Grouchy, philosophum et archeologum, Gulielmum Guérrente, rhetorem, Didacum Tevium (*de Teve*) lusitanum, Antonium Mendes, etiam lusitanum, Arnoldum Fabricium de Bazas, Eliam Vinet et Georgium Buchanan. QUIGNERAT, l. c., cap. 23.

<sup>2</sup> "occupava uma area muito vasta, como ainda hoje se vê da que tomam os edificios em que se transformou a antiga casa jesuitica, e que são comprehendidos entre o Largo da Feira, o Largo do Museu, a Couraça dos Apostolos e a rua que liga o Largo do Museu com esta ultima." BORGES DE FIGUEIREDO, l. c.—"Estava entam este Collegio situado no lugar, aonde agora vemos o Tribunal e carcerees do Sancto Officio, no fim da rua de Sancta Sofia." TELLEZ, l. c., part. II, lib. VI, cap. 18.—Verum observa Tellez loqui de primo, Borges autem de secundo situ, in quo hoc Collegium temporis decursu fuit.

1622. Cum etiam videret successum scholarum Ulyssiponensium et Eborensium satis felicem, et discipulos non solum in litteris, sed et in moribus ac pietate egregie institui, cogitabat Societatem nostram perutilem operam regno illi navaturam esse, si omnium lectionum, quae in collegio praedicto praelegebantur, munus susciperent.

1623. Regina etiam et fratres Regis, Infantes, hoc consilium probabant; et Dr. Antonius Pinerus, de quo superius mentionem fecimus <sup>1</sup>, initio non abhorrebat ab eo; sed postquam ordinem scholarum Ulyssiponensium vidit <sup>2</sup>, etiam ad id propensus esse coepit. Cum ergo initio hujus anni Ebora venisset P. Miron Provincialis, statim a Regina intellexit quod ipsius adventum Rex expectabat, ut intelligeret num nostri provinciam hanc suscepturi, et an sufficientes praeceptores habituri, et convictorum praedictorum <sup>3</sup> curam habituri essent; et ab eadem Regina intellexit decrevisse Regem nostris hoc collegium donare, si onera ipsius vellet Societas subire. Res visa est P. Mironi magni momenti, nam scholae praecipuae Universitatis Conimbricensis illae erant. Considerabat etiam hunc Doctorem Antonium Pinerum, qui Regi haec suadebat <sup>4</sup>, aliquando fautorem fuisse eorum, qui a Societate recesserant <sup>5</sup>; et cum Patrem Mironem ex praescripto Regis de rebus illorum esset alloquutus, sic sententiam mutavit, ut in posterum nulli ex hujusmodi hominibus se fauturum promitteret; et fatebatur idem quod ipsi nunquam Societas [toto] hoc tempore, [quo] in Portugallia [fuerat], perinde atque nunc placuerat.

1624. Dixerat etiam Regina audivisse se a Rege, quod si non posset Societas omnes simul praeceptores ibi constituere, qui necessarii erant, posse ex antiquis aliquos ibi manere, donec omnes de numero suorum Societas classibus illis praeficeret. Respondit ei P. Miron non recte commisceri cum religiosis saeculares, et Societatem habituram esse sufficientem

<sup>1</sup> Pag. 561, n. 1540.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 562, n. 1544.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 587, n. 1620.

<sup>4</sup> Non unus erat Antonius Pinheiro, qui hoc Regi suadebat; sed praeter Reginam et Infantes, Regis fratres, Henricum et Ludovicum, "tambem ajudou muyto ao bom successo deste negocio o Muy Reverendo Padre Mestre Fray Martinho de Ledesma, honra da sagrada Religiam dos Pregadores, luz da Theologia, ornamento e gloria da Universidade de Coimbra.", TELLEZ. l. c.; FRANCO, l. c., ad an. 1555, n. 16.

Vide supra, t. III, pag. 411, n. 503, et t. IV, pag. 558, n. 1201.

praeceptorum numerum. Sed quod ad convictores attinet, difficile Societati fore dixit tale onus suscipere. Scripsit nihilominus P. Ignatio idem P. Miron opportune admodum ex Italia bonos aliquos rhetores et in humanioribus litteris versatos, aut saltem ex Castella, mittendos videri; immo et doctorem Vergaram, quem audierant in Societatem ingredi jam, ut praesideret illi collegio expetebant<sup>1</sup>, nam Regis loco gravis quidam vir, D.<sup>r</sup> Páius Rodríguez, ei praefuerat<sup>2</sup>, et ideo usque ad Octobrem cupiebat P. Miron non imponi nostris hoc onus, ut interim responsum a P. Ignatio et auxilium accipere posset.

1625. Initio Februarii positiones Romani Collegii impressae, quas Novembri praeterito in renovatione studiorum habuerant<sup>3</sup>, in Portugalliam pervenerunt, quibus inspectis, Rex et Infantes et alii primarii viri ad consilium, quod coeperant [de Collegio] Societati donando, magis accessi videbantur; et disputationes coram ipso Rege habitae ipso die Purificationis<sup>4</sup> ut maximopere placuerunt, ita et ad exequendum quod Rex proposuerat magis animarunt.

1626. Quia tamen videbantur nonnulli existimare quod, additis duobus millibus et quingentis aureis annui redditus,

<sup>1</sup> Erat quidem adhuc in vivis eximium illud Complutensis Academiae decus, Dr. Joannes de Vergara; sed is hoc anno 1555 cum podagra senex conflictabatur, et, familiariter doctorum hominum malo, vesicae dolore extinguebatur (SCHOTTUS, *Hispaniae Bibliotheca*, t. III, pag. 554) et nunquam animum ad Societatem, quod sciamus, applicuit. Quare absque dubio sermonem hic fieri putamus de Doctore Alphonso Ramirez de Vergara, qui saepius Societatem jam jam ingressurus visus est (*Cartas de San Ignacio*, t. IV et V, passim; CASTRO, *Historia ms. del Colegio de Alcalá*; ALCÁZAR, *Chronologia de la Provincia de Toledo*; etc., etc.), licet id morte praeventus opere non complevit, quique Rector fuerat Complutensis Academiae, et anno 1566 ab ecclesia cathedrali Conchensi ad Toletanum Concilium missus est, "tenéndole por el sujeto más cabal en letras, prudencia y celo de su venerable Cabildo...", tenido de todos por uno de los Eclesiásticos más cabales, que tuvo España en su tiempo., ALCÁZAR, l. c., Dec. III, an. VI, cap. II, § 1.

<sup>2</sup> Hic fortasse innixus Orlandini scripsit (lib. XV, n. 98) litteras, quibus Rex iubebat suum Collegium tradi Societatis Patribus, datas esse huic Doctori Pelagio, seu Paio, Rodríguez. Attamen 1.<sup>o</sup> De hoc Paio, seu Pelagio, Rodríguez non ait Polancus quod praerant, scil., hoc anno 1555, sed quod praefuerat. 2.<sup>o</sup> Tellez (l. c.) ex originali authentico in Archivo Collegii Sancti Antonii Ulyssiponenasis asservato exscribens, ait has litteras datas fuisse Doctori Didaco Tevio (*de Teve*), quem proinde Collegio, hujus anni mense Septembri, praeesse judicat. 3.<sup>o</sup> Huic Patris TELLEZ judicio suffragatur QUIRZAR, qui (l. c.) scribit Andream de Gouveá, quem certum est Artium Collegio praefuisse, anno 1548 morti proximum, "exprima le ven, exauçé bientôt après, que Jacques de Teve lui succédât à Coimbra.."

<sup>3</sup> Vide supra, t. IV, pag. 31, sub finem numeri 10.

<sup>4</sup> Vide supra, pag. 562, n. 1544.

quos expendebat Rex illo in Collegio suo, absolvi poterat nostri dotatio, significavit P. Miron D.<sup>ri</sup> Pinero majores redditus esse necessarios, si onus illud tam grave collegium suscipere; quamvis omnia tandem Regis arbitrio submittebat; nec id displicebat Pinero, immo ipse partem quamdam reddituum Universitatis Conimbricae vicinam <sup>1</sup> dari posse affirmabat. Censebat tamen retinendum esse nomen Collegii Regii, in quo nullam fore difficultatem P. Miron respondit.

1627. Postulavit autem catalogum eorum, quos designabat Provincialis in lectores ejus Collegii, inter quos erant ad philosophiam praelegendam P. Georgius Serranus et Petrus de Fonseca. Quod ad lectores autem rhetorices et litterarum humaniorum, PP. Cyprianus Suarez et Emmanuel Alvarez ac Petrus Perpignanus primas tenebant <sup>2</sup>. Et sic satisfactum fuit D.<sup>ri</sup> Antonio Pinero cum catalogum hunc lectionum videret, ut Regi diceret, fore ut Spiritui Sancto videretur resistere, si statim collegium illud non daret Societati, cum tales ibi praeceptores ea posset constituere; nam quorundam ex eis satis celebre nomen in Portugallia erat <sup>3</sup>. Quamvis autem Rex vellet ut saltem curam spiritualem convictorum nostri susciperent, non facile P. Miron acquiescebat. Tandem Rex per D.<sup>rem</sup> Pinorum significavit decrevisse se suum Collegium nostris donare, ut ejus curam gererent, et initio Octobris de lectoribus providere inciperent.

1628. Significavit etiam quod praeter centum illos, quos eatenus in Collegio nostro alere statuerat <sup>4</sup>, addicturus erat redditus ad triginta alios scholasticos Societatis, et se ad hoc perpetuos redi us, in decimis constitutos, assignaturum hac ra-

<sup>1</sup> Voces hae *Conimbricae vicinam*, siquidem recte scriptae sunt a Polanci librario, significare videntur partem hanc reddituum, quam assignare Collegio volebat Dr. Pinerus in locis Conimbricae vicinis, idemque labore non multo, esse colligendam.

<sup>2</sup> Sexdecim lectiones enumerat TELLEZ (l. c. cap. 20), videli et: philosophiae quatuor, Latinae linguae decem, Graecae unam et hebraicae unam, quibus accessit non multe post alia linguae Latinae. Ex his philosophiae quarta commissae est P. Ignatio Martins, tertia P. Petro de Fonseca, secunda P. Georgio Serrano et tandem prima P. Martini Vaz Ita TELLEZ, l. c.; vide tamen infra, n. 1638.

<sup>3</sup> P. Georgius Serranus Theologiam, P. Petrus de Fonseca logicam Conimbricam legerat (Vide supra, t. iv, pag. 500, n. 1057); P. Cyprianus Suarez et P. Emmanuel Alvarez Ulyssiponae (ide supra, t. iii, pag. 394, n. 863, et t. iv, pag. 500, n. 1057), et P. Petrus Perpignus Ulyssiponae primo (Vide supra, t. iii, pag. 394, annot. 2 ad n. 863), deinde Ebore (Vide supra, t. iv, pag. 511, annot. 2 ad n. 1082) humaniores litterae professoresant.

<sup>4</sup> Vide supra, t. i, pag. 119, n. 58, et deinceps passim in eodem tomo, dum de rebus Portugalliae sermo fit.

tione, ut monasterium S.<sup>ci</sup> Felicis pro quingentis aureis, S.<sup>ci</sup> Joannis de Longovarez pro aliis quingentis; reliqua de redditibus Universitatis se daturum: tria scilicet, immo quatuor milia ducatorum. Et statim Rex volebat hos applicari redditus, et injunxit D.<sup>ci</sup> Pinero exequutionem hujus rei, qui etiam spem dabat nostris quod in ingressu collegii ad centum quinquaginta alendos dotationem Rex aucturus esset, quadraginta ducatos pro singulis computando, quae taxa exigua videbatur ea in regione, et quinquaginta pro singulis esse assignandos<sup>1</sup>; sed Reginae et ipsi doctori Pinero videbatur non esse ea de re contendendum, nam omnia recte postea confecta iri; et omnino monasteriorum praedictorum valor longe major erat quam Rex taxaverat, et redditus hujusmodi decimarum in dies augeri solent.

1629. Volebat autem Rex vendi agrum quemdam, quem paludem nostri vocabant, ut aedificium Regii Collegii absolveretur, quamvis hoc factum non sit. Postquam haec Dr. Pinerus renunciavit P. Mironi, ad Regem se contulit Miron ut de dono gratias ageret. Multa autem Rex de utilitate, quam sperabat consequuturam, egit cum eo, ex hac collegii sui donatione; et magnam benevolentiam pro suo more erga Societatem ostendit.

1630. Inde profectus est Conimbricam P. Miron Majo mense ut praeceptores, quos elegerat, litterarum praesertim humaniorum, eos, inquam, qui minus erant exercitati, Ulyssiponam aut Eboram mitteret, ut in illis scholis se exercerent; qui etiam philosophiam praelecturi erant, in hujusmodi studiis tractandis, non solum privato studio, sed disputationibus ter in hebdomada habendis exercebantur, et in eo proficiebant. Aliquando etiam ad Universitatem disputandi gratia mittebantur, quod scholasticorum et praeceptorum satisfactione praestabant, nam docte et ad utilitatem audientium disputare videbantur.

1631. Pater autem Cyprianus mathematicam lectionem domi eis praelegebat; Pater autem Michaël de Sosa, qui Rector Collegii Eboensis hactenus fuerat<sup>2</sup>, praefectus studiorum futurus erat. Constituebat autem P. Miron ut initio Octobris et

<sup>1</sup> Duodecim tamen proxime elapsis annis, ab anno scilicet 1543, triginta tantum aureos pro singulis Rex computaverat; nam ad centum alendos tria milia ducatorum elargiebatur. Vide supra, t. i, pag. 119, n. 53, et pag. 252, n. 214.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 582, n. 1602.

lectiones inchoarentur et omnes nostri, tam collegiales quam ex domo probationis, ad Regium Collegium migrarent, quamvis aliter postea hoc successit, ut suo loco videbitur <sup>1</sup>. Dederat autem Rex Patri Mironi litteras ad Rectorem sui collegii <sup>2</sup>, quibus ei significabat se tradere nostris suum collegium, et ut P. Mironem de rebus omnibus informaret, quas ab ipso vellet intelligere. Volebat autem idem Rex ut aedificium materiale considerarent, et operum regionum praefecto injunxit, ut omnium rationem ipsi redderet, ut in reditu ejusdem Patris Mironis Ulyssiponam constitueret quod facto opus erat circa aedificium conficiendum; nam quod attinet ad procedendi modum in scholis, nostrae Societatis regulis ac constitutionibus omnia libere Rex relinquebat; nostrumque Collegium exemptum a rectore Universitatis et a tota ipsa Universitate volebat <sup>3</sup>; et ita P. Miron rationem atque ordinem praelegendi philosophicas lectiones a Patre Ignatio postulavit; nam eatenus rationem tantum tradendi humaniores litteras Roma acceperant.

1632. Non expectata fuit P. Ignatii facultas ad hoc collegium admittendum; sed, ut P. Miron scripsit, omnibus nostris sacerdotibus, nemine discrepante, illud admittendum esse visum est, et P. Natali, cum esset in Portugallia, ac Patri Francisco Borgia, quem per litteras consulebant, res probabatur <sup>4</sup>.

1633. Cum autem Conimbricam venisset P. Miron, egit cum fratribus de convictoribus retinendis, quod Rex non parum optare videbatur, et numero triginta quatuor solum erant; et visum est eis, si Rex urgeret, rerum spiritualium curam suscipi posse, ita ut saecularis aliquis, a Rege constitutus, rerum temporalium curam susciperet; et Reginae haec ratio perplacebat; sic enim invitari posse nobilitatem credebat ut suos filios ibi a nostris in moribus et litteris instituendos collocaret. Infantibus id utcumque probabatur in gratiam Regis, qui

<sup>1</sup> Infra, n. 1640 et seq.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 590, n. 1624.—Has Joannis III litteras ad Didacum Tevium affert TELLEZ, l. c., cap. 18. Eas etiam vide in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 565.

<sup>3</sup> Vide quae de hac exemptione fuse disserit TELLEZ, l. c., cap. 19, a n. 3 ad n. 11.

<sup>4</sup> Haud bene haec congruunt cum his quae affirmat TELLEZ, l. c., cap. 18, n. 7; verum ex litteris tum editis in *Cartas de San Ignacio*, t. v, tum edendis in Nova Serie, satis elucescit Patrem Miron Regium Collegium acceptasse non expectato Patris Ignatii consensu, qui tamen, hac acceptione supposita nec omnino improbata, voluit ut gratiae Regi agerentur. Vide etiam infra, n. 1641.



id cupiebat; prudenter tamen Cardinalis timebat, ne nimis oneribus Societas premeretur.

1634. Vidit P. Miron aedificium Regii Collegii, in quo praefectus operum quindecim millia ducatorum expendisse Regem dicebat, et totidem ut absolveretur esse necessaria vel plura. Hoc tempore confecta erant quinquaginta cubicula et eo amplius; in inferiori autem parte novem aut decem aulae cum magno coenaculo aut refectorio confecta erant; et quia in situ collegii aliae domus erant antiquae, ubi alia triginta cubicula nostrorum usibus inservire poterant, existimabat P. Miron totum collegium <sup>1</sup> Octobri mense eo commigrare posse, et victoribus vicinum collegium religiosorum S.<sup>ti</sup> Bernardi, quod Regio vicinum erat <sup>2</sup>, dari posse. Religiosos autem S.<sup>ti</sup> Bernardi ad collegium nostrum, quod relinquendum putabat, migrare posse; et ad opera quaedam concinnanda in Regio Collegio tria millia ducatorum a Rege postulabat.

1635. Erant autem reditus Universitatis tam pingues, ut duodecim millia ducatorum excederent; tamen Rex praescripserat ut tria millia ducatorum ex illis singulis annis collegio nostro assignarentur.

1636. Cum autem Roma responsum accepisset P. Miron, quod illi lectores ex Italia mitti non poterant, quos expetebat, ex provincia sua, et subsidio aliquo ex Castella misso <sup>3</sup>, debuit omnibus classibus praeceptores prospicere. Invenit autem collegium nostrum optime constitutum quod ad collegiales attinget, non solum litteris, sed etiam in spiritu, ut ex eis eligere praeceptores idoneos facile posset.

1637. Rector Collegii Regii <sup>4</sup> et praeceptores magnam humanitatem ac benevolentiam nostris ostendebant; per omnes classes nostri circumducti sunt, et scholasticos omnes viderunt, qui plus quam mille esse dicebantur, et eis in favorem Societatis multa dixerunt, et animarunt eosdem ut hanc muta-

<sup>1</sup> Totum collegium, videlicet, omnes, qui in priori Societati a Rege donato Collegio tunc debebant.

<sup>2</sup> Unius tantum Collegii Religiosorum Ordinis Sancti Bernardi mentionem factam apud historicos reperimus, Collegii, scilicet, *do Espiritu Santo, na rua Sophia*; quod tamen fundatum dicitur anno 1570 a Cardinale Henrico, Portugalliae Rege. Vide SOARES D'AZEVEDO, *Portugal antigo e moderno*, t. II, pag. 335, n. 11.—Forte jam inchoatum erat hoc tempore.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 586, n. 1617.

<sup>4</sup> Vide supra, pag. 59<sup>1</sup>, n. 1624.

tionem praeceptorum libenter acciperent; et ita quiete admodum discipuli nostros expectabant; et eorum praeceptores se nostris commendabant, ut apud Regem eis faverent, ut aliquid eis beneficii praeter stipendia conferret, quod P. Miron cum Patre Gonzalo Vaz (qui eum Conimbricam comitatus fuerat) se facturos receperunt; et Rex pro sua benignitate voluntatem ostendit eis gratificandi <sup>1</sup>. Allocuti sunt etiam Episcopum <sup>2</sup> et Universitatis Rectorem <sup>3</sup> et alios ex primariis doctoribus: et omnes Regis consilium se probare ostendebant, et in universum, tam in curia Regis, quam alibi bene de hac mutatione collegii Societatis sentiebant; quamvis non deessent aliqui, qui aliter loquerentur.

1638. Primam classem rhetorices P. Cypriano <sup>4</sup>, secundam Petro Perpignano, tertiam Emmanueli Alvarez commisit; Michaëli de Barros quartam, Varreae <sup>5</sup> quintam, qui praefectus erat scholis Ulyssiponensibus; alios aliis praefecerunt. Quartum cursum philosophicum [tradebat] P. Georgius Serranus, tertium Petrus de Fonseca, secundum Ignatius Martinez <sup>6</sup>, primum, qui in Octobri erat inchoandus <sup>7</sup>, Martialis Vaz; ut supernumerarii, si quid accidisset, Sebastianus de Morales et Cardosus <sup>8</sup> parati erant <sup>9</sup>.

1639. Ulyssiponam ergo profectus P. Miron Regi nuntiavit quo in statu res reliquisset; et statim ei dari iussit tria millia ducatorum, quae postulaverat <sup>10</sup>, sperans quod Octobri mense nostri eo migrare possent, quamvis id non vide-

<sup>1</sup> "Teyve (Didacus de Teve) alla s'enterrer dans un canonicat, qui lui fut donné comme fiche de consolation. Les Français retournèrent soit à Bordeaux, soit à Paris., QUICHERAT, l. c., in fine capitis 23.—Vide infra dicenda, annot. 2 ad n. 1645.

<sup>2</sup> Joannem Soares. O. S. A.

<sup>3</sup> Fratrem Didacum de Murcia, O. S. H. SOARES D'AZEVEDO, l. c. pag. 330, n. 7; *Biografia eclesiastica completa*, t. xiv, pag. 773.

<sup>4</sup> Patri Cypriano Suarez.

<sup>5</sup> Sic; est autem P. Franciscus Varea.

<sup>6</sup> Vide supra, pag. 591, n. 1627.

<sup>7</sup> Re quidem vera omnes et singuli hi quatuor philosophiae cursus proximo mense Octobri erant inchoandi; id tamen sigillatim de *primo* affirmat Polancus, quoniam eum *novi* philosophi, ex humanitatis et rhetorices scholis venientes, aggressuri erant sub *novo* lectore, qui, ut mos illius temporis ferebat, *primo* expleto curriculo, cum eisdem auditoribus ad secundum et dein ad tertium et quartum progressurus erat.

<sup>8</sup> Dominicus Cardosus. FRANCO, l. c., n. 19.

<sup>9</sup> Varia est, apud varios scriptores, harum scholarum divisio, ut videre est apud TELLEZ et FRANCO. Postremus tamen hic magis accet lit ad Polancum multoque magis ORLANDINI, l. c., lib. xv, n. 99.

<sup>10</sup> Vide supra, pag. 594, n. 1634.

batur fieri posse, cum muro vallari situm oporteret, et ecclesiam aedificari, quamvis interim aulam quamdam, quae duo millia hominum capiebat, P. Leo <sup>1</sup> praeparavit in sacelli usum.

1640. Dixit autem Regi Provincialis velle nostros adhuc duos annos retinere habitationem, quam eatenus habuerant. Respondit tamen Rex sibi non videri necessarium, quia sperabat officinas et reliqua ante nostrorum migrationem praeparari posse, et praedictam habitationem nostrorum in usum collegii quorundam religiosorum convertere cogitabat <sup>2</sup>. Et ita Dr. Antonius Pinerus interrogaverat P. Mironem quid acturus esset de praedicta habitatione. Respondit, quidquid Regi placeret nostros esse facturos; sed quae illic expenderant nostri aequum sibi videri ut Societati refunderentur.

1641. Non enim venerat in mentem nostris quod simul cum Regio Collegio suum illud possent retinere, de quo per litteras ex Urbe missas fuerunt admoniti; immo, inter se agentes, iudicabant minime convenire ut in duobus locis Societas Conimbricae resideret, cum praesertim hoc inter cetera Regem movisset ad suum collegium nostris assignandum, ut pro duobus aedificandis et dotandis, unum tantum aedificaret ac dotaret <sup>3</sup>; nam aere alieno Rex magnopere gravatus erat, et multa opera coeperant <sup>4</sup> quae absoluta non erant; et duo alioqui collegia in civitate non magna habere timebant ne odiosum esset, et ne Rex nostros ambitionis notaret; et ita Infanti, quem consuluit P. Miron, visum est, ne mentionem ea de re faceret; vix enim alterum collegium absolvi posse, utrumque autem difficillimum fore; et Reginae tantumdem videbatur. Errasse tamen se fatebatur P. Miron scribens P. Ignatio, quod sine ipsius facultate domum, quam habebant, relinquere et Regium Collegium admittere decrevisset <sup>5</sup>.

1642. Misit autem Romam exemplum statutorum, quae in Regio Collegio ad hoc usque tempus observabantur, ut P. Ignatius videret, an ex eis aliquid probaret; nam Rex omnia, ut di-

---

<sup>1</sup> P. Leo Enriquez, qui Collegio nostro Conimbricensi praeerat, Collegio Regio praefuturus.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 594, n. 1634.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 588, n. 1621.

<sup>4</sup> Sic; *coeperat*?

<sup>5</sup> Vide supra, pag. 594, n. 1634.

ximus <sup>1</sup>, pro Societatis arbitrio gubernari volebat, et expectabant Universitatis constitutiones, quae nondum in Portugalliam missae fuerant <sup>2</sup>; et ideo contractum donationis collegii non fecerunt, sed per edictum Regis nostris traditum est, donec donatio fieret ex parte Regis, et ex parte Societatis obligatio ad onera illa suscipienda; et libenter differebat P. Miron contractus exequutionem, ut si quid vellet P. Ignatius suggerere vel praescribere, id ante stipulationem fieri posset.

1643. Rex autem ad centum quinquaginta alendos, assignatis ad id perpetuis redditibus <sup>3</sup>, et ad aedificium collegii absolvendum, se obligabat; et ita mense Septembri rediit P. Miron Conimbricam, et sub finem hujus mensis <sup>4</sup> Collegium Regis traditum fuit Societati simul cum omnibus, quae in eo erant, scholis etiam et scholasticis; et migrarunt in illud tam praeceptores quam scholastici nostri, et aliqui ex fratribus, qui in probatione versabantur, ut collegio inservirent.

1644. Visum fuit autem expedire ut domus praedicta probationis loco suo non moveretur, immo tota habitatio nostri collegii veteris, quod situm erat in superiori parte urbis, in domum probationis ad tempus cederet; multi enim erant tyrones, cum duobus mensibus viginti novem essent admissi; non quidem omnes ex Conimbricensibus, immo magna ex parte ex aliis locis missi <sup>5</sup>, et P. Antonius <sup>6</sup> Correa cum Gonzalvo Alvarez, alter ut praefectus, alter ut confessarius novitiorum, cum eis manserunt.

1645. Quaedam opportune confecta fuerunt in aedificio col-

<sup>1</sup> Supra, pag. 592, n. 1631.

<sup>2</sup> Scilicet, illam Constitutionum Societatis partem, quae agit *De Universitatibus in Societate admittendis*. Vide *Const. Soc. Jesu*, part. IV, a cap. XI ad finem ejusdem quartae partis.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 591, n. 1628.

<sup>4</sup> "no mes de Outubro," ait TELLEZ, l. c., cap. 18, n. 8. Attamen standum videtur Polanci testimonio, quo modo stetit ORLANDINI scribens *Septembri... exeunte*; nam Regis litterae, quibus jubebatur Rector Collegium Societati tradere, datae sunt 10.<sup>a</sup> Septembris; scholae autem in eo Collegio a Societate hoc anno apertae sunt "ao primeiro dia de Outubro, quando os nossos sahiram a primeira vez a ler no Collegio Real das Artes., L. c., cap. 20, n. 6.

<sup>5</sup> Vide supra dicta in annotatione ad n. 1604.

<sup>6</sup> Petrus habet hic perspicue admodum Ms.; sed mendum certe libraril est; qui enim ab anno 1553 (Vide supra, t. III, pag. 418, n. 925) ad annum usque 1569, Conimbricae primo, dein Ulyssiponae, novitiorum magistrum egit, Antonius, non Petrus, Correa dicebatur. Vide TELLEZ, l. c., lib. IV, cap. 39 per totum.

legii novi, et jam scholastici sacrum in sacello praedicto <sup>1</sup> au diri a nostris in fine Septembris coeperunt, quamvis foeminis aditus ad hoc sacellum patere non poterat. Examabantur interim scholastici (qui alii atque alii in dies accedebant) ut in suas classes distribuerentur, qui magnam erga Societatem benevolentiam prae se ferebant <sup>2</sup>.

Et haec de Collegio Conimbricensi.

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 595, n. 1639.

<sup>2</sup> His, quae a n. 1620 hucusque de hoc Collegio Regio dicta sunt, facile corriges QUICHERAT, l. c., sub finem capituli 23 dicentem: "Notre Simon Rodriguès, ayant pris un empire absolu sur l'esprit de Jean III, arracha de sa faiblesse cette mesure, qui fut le premier pas pour assujettir l'Université de Coïmbre à la Société de Jésus. *Sic vos non vobis*. Ceux qui étoient venus de si loin pour doter le Portugal d'un de ses plus fameux établissements littéraires emportèrent cette récompense de la peine qu'ils s'étoient donnée, et le plus dur pour eux fut qu'ils en reçurent la grâce d'un ancien condisciple.. — Nullas in hoc negotio partes habuit, nec habere potuit, P. Simon Rodriguez, qui jam ab autumno anni 1553 (Vide supra, t. III, pag. 14, n. 17) e Portugallia aberat. — Verum intellectu facile est cur in hoc tam sui dissimilis sit QUICHERAT; nam quae supra ex ipso transcripsimus, exscripsit ipse ex libello *Compendio historico do estado da Universidade de Coïmbra no tempo da invasão dos denominados Jesuitas*, qui libellus, quantum non solum jesuitis adversetur sed etiam ab historica veritate aberrat, facile is suspicabitur qui, harum rerum expertus, locum noverit et tempus, quo in lucem editus fuit. Editus autem fuit Ulyssiponae, anno 1771.

## DE PROVINCIALI PORTUGALLIAE

### AC DE REBUS AETHIOPIAE <sup>1</sup>

1646. Praeter ea, quae de P. Mirone, Provinciali, dicenda occurrerunt, cum de collegiis ejus Provinciae ageremus, aliqua etiam dicenda sunt; ac simul de missionibus extra Portugaliam factis.

1647. Sacerdos quidam, se de Societate esse simulans, eleemosynas petebat pro aedificio S.<sup>ti</sup> Rochi, quae erat Patrum <sup>2</sup> professorum domus, et tamen propter penuriam et annonae caritatem <sup>3</sup> nostri abstinebant ab hujusmodi eleemosynis publice petendis, quamvis mille fere et trecenti aurei in aedificio expensi fuerant, qui omnes ex eleemosynis, quas multi sponte offerebant, habiti fuerant, nec debitum ullum relictum est. Sed clericum illum cum obviam habuisset Pater Miron, capiendum curavit, qui in carcere aliquamdiu retentus, unius anni exilio ab Archiepiscopo <sup>4</sup> mulctatus est.

1648. De P. Gonzalvo de Silveira mittendo in Indiam omnes fere conveniebant, cum duobus aliis praeceptoribus grammaticis, ut Collegium Goense scholas Societatis haberet, quemadmodum apud S.<sup>m</sup> Antonium Ulyssiponae habebantur, et ut locus alius Goae eligeretur ad professorum domum instituendam, quemadmodum Ulyssiponae factum erat. Res collata fuit cum Rege ac Regina, et ipsis magnopere placebat; cum enim de morte P. Francisci Xavier ac Patrum Gasparis, Morales et Ur-

---

<sup>1</sup> Hic tertius quidam ignotus sed certo antiquus inseruit haec: *Sunt hic quaedam ad Provinciam Lusitaniae spectantia.*

<sup>2</sup> Ms. habet hic *prorum*, quod legi posset *priorum* vel *primorum*; sed fortassis mendum est et scribendum *prum.*, quod est abbreviatum *patrum*.

<sup>3</sup> Hoc est, propter penuriam et annonae caritatem, quam totum Portugalliae regnum hoc anno experiebatur. Vide supra, pag. 572, n. 1578.

<sup>4</sup> Ferdinando Vasconcellos et Medeses.

bani <sup>1</sup> et aliorum intellexissent, nullum esse in India existimabant ad ejus Provinciae gubernationem idoneum, et idem verbo affirmabat Andreas Carvallo, qui cum Andrea Fernandez ex India venerat <sup>2</sup>.

1649. Et mirabantur valde quod P. Melchior Nugnes Indiam reliquisset, ut ad Sinas aut Japonenses se conferret <sup>3</sup>; et P. Balthasarem Diaz <sup>4</sup> ad tam grave onus Provinciae ferendum imparem arbitrabantur. Et Rex potius subditis suis quam aliis externis prospici opera nostrorum volebat.

1650. Pro-rex etiam, D. Petrus de Mascaregnas, aegrelaturus videbatur quod nullum theologum Societatis nostrae in confessarium Goae habere posset; et quia nominatim P. Gonzalum de Sylvera ille postulaverat <sup>5</sup>, eum mittendum esse hoc ipso anno censebant. Et eo solidioris virtutis esse debere qui aliis praeesset existimabant, quod vulgo ferebatur et existimabatur inter nostros, quod qui ex Europa in Indiam mittebantur, ibidem in alios homines, id est, minus perfectos, mutari saepe solebant. Quia tamen hoc anno P. Antonius de Quadromissus est, usque in sequentem profectio P. Gonzalvi fuit dilata.

1651. Cum ageret P. Miron cum Rege de ornamentis ad divina officia convenientibus, quae in Aethiopiam mittenda erant, Rex (qui admodum propensus semper fuit ad res ecclesiasticas) a Patre Mirone postulavit an consuevissent diebus dominicis aqua benedicta populum aspergere, prout in parochiis fieri solet. Respondit P. Miron apud nos id usitatum non esse: subiecit Rex bonum fore si etiam ea ceremonia nos uteremur. De thuribulo etiam, quo nostri uti non solebant, significavit idem Rex, quod ejus usus inducendus videretur. P. Miron, quamvis id non esse positum in more Societatis diceret, nihilominus se facturum recepit quidquid Regi videretur, quia id etiam P. Ignatio placitum arbitrabatur. Jussit ergo Rex

<sup>1</sup> Patrum, scilicet, Gasparis Barcael, Emmanuells Morales et Urbani Fernandez. Vide supra, t. III, pag. 558, n. 1203.

<sup>2</sup> Vide supra, t. III, pag. 897, n. 873.

<sup>3</sup> Vide supra, t. IV, pag. 650 et seq., nn. 1389 et seq.

<sup>4</sup> Is a P. Melchiorre Nuñez Indiae praefectus fuerat. Vide supra, t. III, pag. 653, n. 1399.

<sup>5</sup> Id postulaverat Pro-rex, cum in Indiam anno praecedenti Ulyssipona solvit; quamvis tunc non tam Patrem Silveira quam Patrem Michaëlem de Torres secum asportare cupiebat. Vide supra, t. III, pag. 545, n. 1167.

ut thuribulum conficerent, quod et fecerunt, quamvis raro illo vel nunquam uti vellent.

1652. Voluit autem et Rex videre regulas officiorum domesticorum, et earum exemplum petiit, praecipue praefecti ecclesiae, sacerdotum, sacristae et janitoris. Et quia, quamvis aedificationem accepturus erat illis legendis, forte venire ei poterat in mentem ut aliquid eis adderetur, Infans Ludovicus, ejus frater et Societati conjunctissimus <sup>1</sup>, hoc dedit consilii P. Mironi, ut rem ad Patrem Ignatium rejiceret.

1653. Addiderat etiam <sup>2</sup> Rex lumen accendendum esse cum evangelium dicitur, cum intellexit regulam quamdam esse <sup>3</sup>, ut in elevatione Corporis Christi accenderetur <sup>4</sup>; et ideo timebatur ne quid aliud addi vellet. Tamen etiam circa thuribulum dixit P. Mironi ut faceret quod ei videretur expedire.

1654. Episcopi Portalegrensis <sup>5</sup> et Algarbiensis <sup>6</sup> urgebant P. Mironem ut collegia in suis ecclesiis <sup>7</sup> admitteret; et Portalegrensis, qui Reginae valde charus erat <sup>8</sup> ejus favore ad hoc negotium utebatur, et dotationem, abbatia quadam applicata, quam a Rege sperabat se habiturum, pollicebatur ipsa Regina. Episcopus autem statim offerebat quosdam redditus, scilicet centum viginti quinque ducatorum, perpetuos, et omnia necessaria eis, qui mitterentur, se suppeditaturum offerebat.

1655. Sic Algarbiensis ad dotationem faciendam paratus erat, et ducentos quinquaginta aureos annui redditus statim se daturum, et omnia necessaria collegialibus eo usque subministraturum, donec omnino collegium dotaret. Sed cum ad tam multas missiones et onera in Portugalia ferenda pauci essent nostri operarii, justam occasionem habebat P. Miron rem differendi et in aliud tempus rejiciendi.

1656. Cum intelligeret Rex in ipsa custodia, qua S.<sup>m</sup> Sacramentum continebatur, illud ministrari communicantibus, id

<sup>1</sup> De illius erga Societatem studio agunt saepe *Litterae Quadrimestres*. Vide etiam *Cartas de San Ignacio*, t. IV, pag. 268, annot. 2.

<sup>2</sup> Sic; rectius fortassis *enim*.

<sup>3</sup> Inter aeditui regulas septima.

<sup>4</sup> *Ms. elevaretur*.

<sup>5</sup> Julianus Alva.

<sup>6</sup> Joannes de Mello.

<sup>7</sup> Rectius *dioecesisibus*.

<sup>8</sup> Portalegrensis Episcopus Reginae a confessionibus fuerat olim, et nunc a consiliis et eleemosynis erat. SOUSA, l. c.; LIMA, l. c.



se non probare significabat, sed separatum habere calicem, ut ex eo Sacramentum daretur, ne custodia ex altari removeretur. Et ita dedit arculam quamdam aurea tela vestitam, ubi Sanctissimum Sacramentum reponeretur, et calicem in quo particulae reponerentur ad communionem; et ex hujusmodi arculis et calicibus jusserat multos confici ut ad ecclesias Ordinum militarium, quarum ipse Magister erat <sup>1</sup>, mitteret. Dedit et nostris magnam patenam, quam in suo sacello habebat, ad magnum numerum hostiarum parvularum consecrandum, et ferrum quoddam idoneum ad imprimendas hujusmodi formas parvas; hujusmodi etiam arcas dedit ad reponendum Sacramentum in ecclesiis S.<sup>ti</sup> Antonii et S.<sup>ti</sup> Joannis de Longovarez.

1657. Cardinalis Infans dedit hoc anno Eborensi Collegio nostro collegium quoddam vicinum, quod in usum sacerdotum, qui casus conscientiae audirent, aedificabat, quod in magnum Eborensis Collegii beneficium cessit.

1658. Reginae confessarius hoc vere obierat, et ejus loco D.<sup>rem</sup> Torrensem postulabat, nec alium interim, cui confiteretur, assumere voluit, ne injuria ei fieret si postea relinqueretur; sed interim confessario ipsius Regis utebatur, donec, ut superius diximus, P. D.<sup>r</sup> Torres in Portugalliam venit.

1659. Dux Bergantiae <sup>2</sup> in oppido suo Villaeviciosae Domum Professorum, ubi quinque vel sex ex eleemosynis viverent, petebat, sed non visum est expedire.

1660. Ipso die inventionis S.<sup>tae</sup> Crucis omnes professi, qui in domo S.<sup>ti</sup> Rochi versabantur, vota sua renovarunt, scilicet P. Joannes Nunez, nondum consecratus Patriarcha, et P. Andreas de Oviedo, et Patres Gonsalvus de Silvera et Gonzalvus Vaz cum ipso P. Provinciali; quamvis haec renovatio non ad professos sed ad scholasticos pertinebat. Emissio autem simplicium votorum, quae post professionem fieri debent, illa Patribus professis injungebatur <sup>3</sup>. Cum autem constitutionem,

<sup>1</sup> "Os Mestrados das Ordens Militares de Christo, Santiago, e Aviz, incorporou a coroa, por faculdade Pontificia, de que tem a administração e governo." Sousa, *História genealógica da Casa Real Portuguesa*, t. III, lib. IV, cap. 14.

<sup>2</sup> Theodosius de Bragança, de quo jam saepius in hoc Chronico.

<sup>3</sup> Clarior haec evaderent, si concinnarentur ita: *quamvis haec renovatio ad scholasticos pertinebat, non ad professos, quibus id tantum injungebatur ut vota illa simplicia emitterent, quae post professionem emitti debent.* - Vide *Cartas de San Ignacio*, t. V, pag. 92; et *Constitutiones Soc. Jes.*, in fine.

quae de votis simplicibus agit, Regi et Infantibus P. Miron ostendisset, ipsis magnopere placuit.

1661. Cum autem Rex litteras vidisset, quas P. Ignatius Regi Aethiopiae scribebat <sup>1</sup> et instructionem quam Patriarchae mittebat <sup>2</sup>, summopere utrumque probavit, ut etiam Litteras Apostolicas; et omnia optime fuisse constituta affirmavit; et sic rebus P. Ignatii afficiebatur, ut cum eo pervenisset nuncium Sedis Apostolicae vacantis <sup>3</sup>, et de novi Pontificis electione cum P. Mirone ageret, bene facturos esse dicebat Cardinales si P. Ignatium in Pontificem eligerent.

1662. Allocutus fuerat mense Aprili Rex P. Mironem de uno vel pluribus Societatis sacerdotibus ut curam haberent Inquisitionis Ulyssiponensis, ita ut aliis praeessent sub Cardinale; petebat autem an id et similia repugnarent nostris Constitutionibus. Respondit P. Miron non repugnare quidem, sed, inconsulto P. Ignatio, non videri tale munus admittendum, nisi aliter Rex juberet, cujus praeceptis obedire P. Ignatius jusserat; et ita, prout Regina nostris renunciavit, constituit quemdam ex nostris illi Tribunali praeficere, adeo ut jam sollicitus esset Provincialis de aliquo inveniando, qui ad illud munus esset idoneus <sup>4</sup>.

1663. Cardinalis, qui summus Inquisitor erat in eo regno, rem difficilem esse Regi dicebat, ut nostri vellent hoc munus subire, et prorsus de Societate benemeritus fuit, quod impedivit ne id fieret; sed religiosus quidam Ordinis S.<sup>ti</sup> Dominici, qui Eborae Inquisitoris officio fungebatur, ad hoc munus Ulyssiponae obeundum vocatus est <sup>5</sup>. Quod autem movit Cardinalem ut Regi suaderet, ne quis ex nostris ad id eligeretur, hoc fuit: quod videbat nostros numero paucos esse, et multis occupationibus et gravibus districtos, ut non possent tam multis rebus simul operam dare.

1664. Praeterea, tam exemptum ipsum Inquisitorem a sua

<sup>1</sup> Eas habes in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 68-82.

<sup>2</sup> Hanc instructionem dabit Nova series litterarum Sancti Ignatii.

<sup>3</sup> Morte Julii III et paulo post Marcelli II.

<sup>4</sup> Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 255-259, et annot. 2.

<sup>5</sup> "Oleastro (Fr. Hieronymus Azevedo (Oleaster) da Azambuya), depois de ter votado do Concilio de Trento, foi nomeado Inquisidor de Evora em 1552, e transferido para a Inquisição de Lisboa em 1555. Sousa, de Orig. Inquisit., p. 20 e 24., HENRICLAND, *Historia da origem e estabelecimento da Inquisição em Portugal*, lib x.

religione volebat, ut existimaret Societatem id non laturam esse. Quaedam etiam alia incommoda allegabat; quamvis in his, quae praecipua sunt in officio Inquisitionis, fatebatur Societatem melius hoc munere functuram esse. Et quamvis Rex significabat P. Mironi impedimenta haec sibi levia videri, tamen, cum Conimbricam profectus esset <sup>1</sup>, eo absente, hoc onus praedicto religioso S.<sup>ti</sup> Dominici fuit injunctum.

1665. Cum autem sub initium Septembris P. Ignatii litterae fuissent acceptae <sup>2</sup>, quibus non abhorrire se significabat ab hoc munere suscipiendo, litteras Reginae et Infanti Ludovico P. Miron ostendit, qui dixerunt a Deo esse, quod P. Ignatius scribebat; nam postquam Cardinalis impedierrat ne susciperent onus Ulyssiponensis Inquisitionis, sponte sua idem <sup>3</sup> scripserat Infanti Ludovico, ut tractaret cum Rege de Conimbricensi Inquisitione Societati commendanda, ut quemadmodum prius fuerat Ulyssiponae et Eborae tantum, ita Conimbricae in posterum [esset] ut in tertio loco <sup>4</sup>; quod Regi magnopere placuit; et ita rescriptum fuit Cardinali <sup>5</sup>.

1666. Experiebantur nostri Eborae civitatem illam parum esse salubrem, et ita initio Augusti cum fere triginta numero essent, et bona ex parte novitii, aliqui aegrotabant; et inde educendus fuit Rector P. Michaël de Barros, qui Ulyssiponae valetudinem recuperavit.

1667. Cardinalis Infans, ut nostros magnopere diligebat, aegre ferebat quod litigarent cum quodam, qui in monasterium S.<sup>ti</sup> Joannis de Longovarez jus habere dicebat. Nostri autem in manibus ipsius <sup>6</sup> suam causam constituerunt, quod et pars ad-

<sup>1</sup> P. Miron. Vide supra, pag. 592, n. 1680.

<sup>2</sup> Litterae, quarum meminimus supra ad n. 1662.

<sup>3</sup> Cardinalis Henricus.

<sup>4</sup> Sensus est, ut jam non duobus tantum in locis, seu sedibus, Ulyssiponae et Eborae, esset in Portugallia Inquisitionis tribunal, sed in tribus; tertius autem esset Conimbrica.

<sup>5</sup> Totum hoc a vocibus *Cum autem sub initium* superaddidit inter lineas et ad oram paginae ipse Polanci librarius.

Quae a n. 1662 hucusque de hoc negotio Inquisitionis lusitanae enarrat Polancus, ut bene intelligantur, praesertim vero ut quanam fuerit Ignatii mens in hac re certius cognoscatur, legendae sunt omnino litterae supra memoratae, quae sunt in *Cartas de San Ignacio*, t. v, non praetermissa annotatione 2, pag. 257-259. Sed audendus etiam est Franco, qui (*Synopsis Annalium Provinciae Portugalliae Soc. Jes.*, ad an. 1556, n. 9) id, quod P. Marianus Puyal in plerisque Societatis historicis desiderabat, optime praestitit, confirmavitque quae hic asserit Polancus praesertim hoc n. 1663.

<sup>6</sup> Cardinalis.

versa fecerat. Et quamvis nostri jus optimum haberent, injunxit ut ducentos quinquaginta aureos singulis annis litiganti darent, et mille fere aureos pro expensis; quod cum Regi retulisset P. Miron, magnopere laetatus est, et illos mille aureos se daturum esse significavit.

1668. Admonuerat P. Franciscus Borgia merito ut lites abscindere studerent; et ita in aliis minoris momenti aliquam concordiam P. Miron inire decrevit. Et quia imminebat nostris animarum cura quarumdam ecclesiarum, monasterio S.<sup>ti</sup> Felicis annexarum <sup>1</sup>, ut Vicariae perpetuae efficerentur, Romam scripsit.

---

1669. Designatus Patriarcha P. Joannes Nugnez, litteris P. Ignatium sollicitabat ut a Summo Pontifice obtineretur commissarius de Societate nostra, prout superius dictum fuit <sup>2</sup>, qui nomine Sedis Apostolicae ipsi superior esset; nam ad suae conscientiae securitatem, saltem hoc modo, sub jugo obedientiae vivere cupiebat. Venit autem Gonimbricam sub finem anni praecedentis ut, adjutus opera P. Leonis et aliorum, aliqua dubia resolveret; de aliis autem Sedem Apostolicam consuleret. Inter alia autem illud erat, an vinum censendum esset, quod ex passis in Aethiopia conficitur, ita ut in sanguinem Christi per consecrationem <sup>3</sup> transmutari possit. Infunditur enim passis aliquid aquae, et ita illae inflantur, et post paucos dies vinum ex eis exprimitur, quod valde bonum est et inebriat. Doctor quidam medicus verum esse vinum affirmabat, et in usu fuisse olim Romanis: alius theologus Doctor cathedraticus propter multas transmutationes specie differre passam ab uva et non esse vinum idoneum ad sacramentum affirmabat: alii aliter sentiebant.

---

<sup>1</sup> Vide supra passim, dum de Collegio Conimbricensi actum est, praesertim vero t. III, pag. 421, n. 934.—Has parochias enumerat Breve *Copiosus Dominus* Pauli PP. III, datum 5 Julii 1549. Vide *Acta Sanctae Sedis in causa Societatis Jesu*, pag. 7, n. 23.

<sup>2</sup> T. IV, pag. 576, n. 1231, et pag. 379, n. 1236.

<sup>3</sup> Ms. habet *transmutationem*; sed error evidens est.

Secundo, consuluit an circumcisio Aethiopum, devotionis gratia facta et ad Christi imitationem, esset damnanda.

Tertio, quatenus tolerari possent ritus graecae ecclesiae, quos Aethiopia suscepit.

Quarto, salva materia et forma sacramentorum, quatenus diversitas caeremoniarum deberet tolerari.

Quinto, cum illi baptizentur singulis annis, ex devotione, ut ajunt, an id baptisma possit permitti.

Sexto, cum observent simul cum die dominico diem sabbati ex devotione, et quaedam alia legalia, an talis consuetudo, saltem ad tempus, esset toleranda, an statim prohibenda.

Septimo, an in materia Eucharistiae et modo eam faciendi, et in Missae caeremoniis, aliquid condonari consuetudini eorum posset, cum nec amictu, nec manipulo, nec cingulo utantur.

Octavo, cum quotidie omnes communicent in ecclesia qui ad eam accedunt, et extra ecclesiam nemo, licet infirmus; quid in hac parte agendum.

Nono, an tolerari deberent matrimonia clericorum et aliorum sacerdotum, praeter monachos, cum illis consueta sint.

Haec ergo a Sede Apostolica decidi optavit designatus Patriarcha, quamvis propter duorum Pontificum mortem et Pauli IV in initio Pontificatus occupationes, hoc anno nihil fuit constitutum <sup>1</sup>.

1670. Qui electi fuerunt ut in Aethiopiam proficiscerentur, praeter P. Joannem Nuñez, hi fuerunt Roma quidem quinque missi <sup>2</sup>, scilicet: PP. Andreas de Oviedo et Melchior Carnero cum Patribus Antonio Bochiu, flandro <sup>3</sup>, et Michaële Barul, hispano, et Thoma Pasitano, italo; qui simulatque venerunt Ulysiponam, ad Regem salutandum cum P. Gonzalo de Silvera missi sunt, et ab eo magna cum laetitia fuerunt accepti.

<sup>1</sup> Horum dubiorum alia per theologorum consensum, alia vero per Summorum Pontificum decisiones et declarationes soluta jam sunt, ut videre est apud auctores, qui de his rebus fusius agunt.

<sup>2</sup> Verba praeter P. Joannem Nuñez, hi scripsit manu sua Polancus, qui, ut videtur, textum emendavit. Cum enim scriptum esset: "Qui electi fuerunt ut in Aethiopiam proficiscerentur X (decem) numero fuerunt, et Roma quidem quinque missi erant,," Polancus litura delevit X numero, et supra lituram scripsit illud praeter P. Joannem Nuñez, hi, delevitque etiam erant post missi.

<sup>3</sup> Quod tandem nomen erat huic? Antonius, Joannes, Thomas an Joannes Thomas? Nam his omnibus appellatum reperimus. Vide supra, t. iv, pag. 576, n. 1283 et annot. 1; et pag. 577, annot. 2.

1671. Tres, qui venturi erant ex Castella <sup>1</sup>, propter imbres nondum eo pervenerant; postea venerunt, scilicet P. Gonzalez Abula, P. Hieronymus Cuenca Methymna, et Joannes Lopez Compluto, omnes theologi <sup>2</sup>.

1672. In Portugallia autem electus fuit P. Antonius, de Quadros, viginti septem annos natus, sed in theologia bene doctus et magna virtute praeditus. Secundus sacerdos quidam nomine Emmanuel Fernandez, qui Eborae admissus fuerat, fere quadraginta annos natus, valde versatus in divinis officiis et caeremoniis ecclesiasticis <sup>3</sup>. Tertius erat laicus quidam, non ignarus latinae linguae, qui in docendis pueris orphanis et regendis se exercuerat, Paschalis nomine, natione catalaunus, ad sacerdotium statim promovendus <sup>4</sup>. Quidam alius, qui Cardinali Infanti servierat, nomine Antonius de Acosta, in latinis litteris et casibus conscientiae utcumque versatus, et in musica peritus, pius alioqui et bonus vir, hac occasione commotus, mittendorum scilicet in Aethiopiam, in Societatem admitti, et, si fieri poterat, cum aliis jam dictis mitti <sup>5</sup> postulabat, et illi Patres ad hanc missionem destinati magnopere id cupiebant; et ita, praeter duodecim hic etiam admissus est, ut bona cum venia Regis in Aethiopiam mitteretur.

1673. Expectabantur ergo in dies Litterae Apostolicae propter Patriarchae et duorum Episcoporum atque suorum coadjutorum dignitates <sup>6</sup>; et quia jam Februarius mensis procedebat, timere incipiebant ne consecrari possent ante tempus, quo classis in Indiam navigatura erat. Quod si Litterae Apostolicae non venissent ante tempus navigationis praedictae, putabatur Rex ejus sententiae futurus, ut Patriarcha designatus cum Episcopis in Portugallia maneret, quamvis alii recederent; et ita fere accidit; nam P. Joannes Nugnez cum Patre Andrea de Oviedo, cum prima die Aprilis, qua classis recessit, Litterae

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 545, n. 1492.

<sup>2</sup> Melius haec intelliges sic: *scilicet, ex urbe Abula P. Andreas Gonzalez, Methymna P. Hieronymus Cuenca, et Compluto Joannes Alphonsus Lopez, omnes theologi.*

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 576, n. 1588 et annot. 2.

<sup>4</sup> Verba haec a voce *Paschalis* textui inseruit manu propria Polancus.

<sup>5</sup> Ms. habet *admitti*, quod quidem non omnino male est.

<sup>6</sup> Hoc est: Expectabantur in dies litterae Apostolicae, quibus facultas a Pontifice ferret ad Episcopalem dignitatem promovendi tum Patriarcham, tum alios duos Patriarchae successores.

Apostolicae nondum Ulyssiponam pervenissent, a Rege re-tenti sunt, ut consecrati ex Portugallia recederent. Sed P. Mel-chior Carnero, cum reliquis jam superius nominatis, in Indiam profecti sunt; solus Joannes Thomas Pasitanus, quod debilis admodum esset, ire a Rege non est permissus, ut vires hoc anno reficeret.

1674. Fuerunt autem praedictis decem proficiscentibus ad-juncti duo, scilicet, Marcus Nugnez et Josephus Duarte <sup>1</sup>, ut grammaticam in collegio <sup>2</sup> docerent; et ita numero duodecim profecti sunt; et in India adventum Patriarchae expectaturi erant. Et quamvis P. Ignatii haec fuerat sententia, ut in Aethio-piam, post emissam professionem et non aliter, omnes eo desti-nati mitterentur, nec tres ex Castella missi, nec alii tres in Portugallia additi, professionem emiserunt, quia non statim in Aethiopiam profecturi erant, ut liberius Goënsis [Collegii] re-ditibus, licet <sup>3</sup> professi, possent sustentari. Itaque ex his, qui proficiscebantur, solum P. Carnerus ac P. Quadros quatuor votorum, et Patres Joannes <sup>4</sup> et Michaël <sup>5</sup> trium, professionem emiserant. Sed ante profectionem in Aethiopiam reliqui pro-fessionem erant emissuri.

1675. Et ante profectionem <sup>6</sup> omnes simul (dempto Anto-nio de Costa <sup>7</sup>, quia novitius, et in curia cognitus erat), ad Regem deducti, reverentiam ipsi exhibuerunt, et singulorum nomina Rex scire voluit, et an omnes artium cursum audis-sent; et tam ipse quam Regina, omnibus simul conspectis, magnopere laetati sunt. Deinde ad Infantes Cardinalem et Lu-dovicum deducti fuerunt, qui laetum admodum animum osten-derunt; et Infans Ludovicus dicebat se [non] vidisse tanti mo-menti missionem ad illud usque tempus in Indiam, nec homi-num, de quibus tantum spei conceptum esset. Inviserunt et

<sup>1</sup> Hunc Franco (l. c., n. 6) appellat Riberio (*Ribeiro*).

<sup>2</sup> Goënsi.

<sup>3</sup> Ms. habet *hic* *ut*, quod in hujus librarli scriptis, ut fere in aliis ejusdem temporis, est abbreviatum *licet*. Verum si ita legendum sit, perperam positum existimamus et corrigendum hoc modo: *nondum professi*, vel *quia non professi*, vel *secus ac professi*, vel alio simili. Non enim, si professi fuissent, Collegii Goënsis redditibus sustentari po-terant, dum Goae tempus in Aethiopiam proficiscendi expectabant.

<sup>4</sup> P. Joannes Bocchius.

<sup>5</sup> P. Michaël Barul.

<sup>6</sup> Antequam Ulyssipona proficiscerentur.

<sup>7</sup> Sic in hoc loco Polanci librarli, qui hunc superius, n. 1672, *Acosta* appellavit; quare suspicamus ejus cognomen vere fuisse *da Costa*.

Infantem Isabellam <sup>1</sup>, quae prae gaudio flens dicebat, inter illos libenter visuram fratrem suum D. Theutonium <sup>2</sup>, et Infantem Mariam <sup>3</sup> accersivit ut eos videret, quae multitudinem admirata, petebat an aliqui adhuc superessent ex nostris. Alii etiam Principes atque aulici et numerum et varietatem nationum mirabantur. Et cum etiam Archiepiscopum Ulyssiponensem <sup>4</sup> et uxorem <sup>5</sup> Pro-regis, D.<sup>ni</sup> Petri de Mascaregnas, salutassent, domum redierunt, et post biduum ad naves se contulerunt, multis ex nostris comitantibus, quorum aliqui etiam in navibus cum eis pernoctarunt.

1676. Quinta die Aprilis pervenerunt Litterae Apostolicae Ulyssiponam, scilicet, quadriduo post recessum classis <sup>6</sup>, nam propter imbrium magnitudinem et itinerum difficultatem tabellarius pervenire prius non potuerat; et Rex excusationem ejus admisit. Quamvis autem aegre admodum ferret P. Nunez, quod a portu securo obedientiae, quam relinquere necesse erat [recedere juberetur], Sedis tamen Apostolicae mandato paruit <sup>7</sup>; et simul cum P. Andrea, quinta <sup>8</sup> die Maji a Portalle-grensi Episcopo consecrati sunt in ecclesia S.<sup>tae</sup> Trinitatis, duobus aliis Episcopis <sup>9</sup> Portalle-grensi assistentibus, et cum magna hominum frequentia, solemnitate ac aedificatione; sed biduo ante, vota simplicia emisierant, simul cum aliis Patribus professis <sup>10</sup>; sed excusari non potuerunt ab admittendis dignitatibus, propter Summi Pontificis obedientiam. Nihilominus in

<sup>1</sup> Vide *Litterae Quadrimestres*, t. II, pag. 675, annot. 3.

<sup>2</sup> Theutonium de Bragança, de quo jam saepius in hoc *Chronico* et saepissime in *Cartas de San Ignacio*.

<sup>3</sup> Elisabethae filiam, postea Parmensem Principem.

<sup>4</sup> Vide supra, pag. 599, n. 1647.

<sup>5</sup> Eleonoram de Mascarenhas. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 281.

<sup>6</sup> "Quinque ad Indiam solverunt naves. Praetoria dicta a Domina de Barca... Calendis Aprilis reliquere Tagum." FRANCO, l. c., n. 6.—Huic classi praerat Leonardus de Sousa. TELLEZ-ALMEYDA, *Historia geral da Ethiopia a Alta*, lib. II, cap. 20.

<sup>7</sup> Mandavit Julius III Patri Joanni Nunez ejusque coadjutoribus ut munus ad quod electi erant, absque ulla excusatione assumerent, noluitque Commissarium constitui qui eidem Patri Nunez ejusque sociis Superior esset. Vide supra, pag. 605, n. 1669, et *Cartas de San Ignacio*, t. V, pag. 90 et 91, et 99-101.

<sup>8</sup> Sic perspicue in Ms.; *tertio nonas Maii* apud Orlandini, l. c., lib. XV, n. 103; verum FRANCO, l. c., n. 5, *quarta Maii*; TELLEZ in *Chronica*, part. II, lib. VI, cap. 6, n. 15, idemque et ALMEYDA in *Historia geral da Ethiopia*, lib. II, cap. 21, *em quatro de Mayo*; SOUSA, *Historia genealogica da Casa Real Portuguesa*, lib. IV, cap. 14, annum scribit, sed diem et mensem praetermittit.

<sup>9</sup> "Dom Gaspar Cam, Bispo da Ilha de Sam Thomé, e Dom Pedro, Bispo Hipponense." TELLEZ-ALMEYDA, l. c.

<sup>10</sup> Vide supra, pag. 608, n. 1674.



domo professorum S.<sup>ti</sup> Rochi, tam Patriarcha quam Episcopus Andreas confessionibus assidue, et P. Andreas etiam praedicationi, vacabant. De superpelliceo autem vel rochetto ferendo dubitatum est an novi Praelati ad illud ferendum tenerentur, quia monachi non erant, et tamen religiosi erant; et tandem Cardinali ac nostris visum est quod tenerentur; et quia jam mortuus erat Pontifex Julius, cum obedientia dignitates illas suscipiendi ad duos illos pervenit <sup>1</sup>, dubitabant an expirasset; sed iudicio Provincialium ac aliorum professorum acquieverunt. Et ut gratiae, quae Societati conceduntur, ipsis communicari possent, licet Episcopis, a Sede Apostolica per P. Ignatium postularunt.

1677. Saltem viva voce Litteras etiam Apostolicas peculiare petebant ut contra Patriarcham schismaticum possent procedere, si obedire recusasset; quandoquidem tam ipsi quam graeci in Concilio Florentino, sub Eugenio IV, obedientiae Romani Pontificis se subiecissent, et librum, quo declarabantur quae ad sacramenta pertinebant et eodem Concilio declarata sunt, in bibliotheca Regis Aethiopiae servari constabat; et ita ad confirmationem petendam a Summo Pontifice mittere ille Patriarcha debuerat <sup>2</sup>. Facultatem etiam postulavit admittendi Aethiopes et cujusvis generis homines ad nostra officia ut eis afficerentur, et ut nostri etiam eorum officiis possent interesse, licet essent haeretici. Suggestit etiam ut Summus Pontifex Paulus IV Litteras scriberet Regi Aethiopiae, quibus confirmaret quae a Summo Pontifice Julio scripta et concessa fuerant.

1678. P. Andreas nominatim cupiebat renunciare titulum sui Episcopatus, scilicet Hierapolis, quandoquidem ad residendum in eo ire prohibebatur, nisi a Summo Pontifice absolveretur ab officio coadjutoris et successoris Patriarchae. Idem cupiebat dispensari circa annulos et superpelliceum ferendum, et etiam ad socium habendum <sup>3</sup>, cum paupertas vel alia ratio id suaderet. Et quia corpus plus satis praedictus P. Andreas videbatur affligere, et noctu lactucis tantum in coena utebatur, et admonitus a Patriarcha dixerat se in his, quae ad personam suam pertinent, non teneri ad obediendum alii quam Summo

<sup>1</sup> Ms. habet *misit*.

<sup>2</sup> Vide supra, praesertim t. iv, pag. 375, et seq., n. 1230 et seq.

<sup>3</sup> Sic; rectius fortassis *a socio habendo*

Pontifici, vel cui ipse committeret, suggerebat Patriarcha ut facultas ipsa <sup>1</sup> impetraretur ut in licitis et honestis praecipere suis coadjutoribus posset, loco ipsius Pontificis; nam Episcopus Andreas in aegritudinem inciderat, et similia in posterum timeri poterant.

1679. Aliquos etiam de Societate anno sequenti secum deducere Patriarcha cupiebat, cum P. Joannem Thomam <sup>2</sup> in ethicam fere <sup>3</sup> incidisse videret; et quamvis Provincialis <sup>4</sup> paucos esse operarios, multos autem novitios, in Portugallia [diceret], nihilominus P. Gonzalvus de Silvera et P. Franciscus Rodriguez in Indiam cum Patriarcha anno sequenti missi sunt.

1680. Cupiebat Rex in India Collegium Goënsæ augeri nostrorum numero, et scholas ibi, quemadmodum Ulyssiponaë, a nostris aperiri, et ideo duo praedicti <sup>5</sup> ex Portugallia missi fuerunt, quibus, quemadmodum et aliis, in Aethiopiam destinatis, omnia necessaria ad viaticum Rex abunde prospexerat; nam in quatuor naves distributi fuerant, quarum duae Regis sine expensis Nostros acceperunt <sup>6</sup>: duae mercatorum erant; et his sexcenti ducati, pro loco, in quo nostri dormirent et cibum caperent <sup>7</sup>, dati fuerunt; et alios insuper mille, partim ad libros, partim ad alia necessaria donaverat, nam in usum Aethiopiae librorum magna pars, sed aliqua etiam in usum Goënsis Collegii, empta fuit <sup>8</sup>; et illud Collegium magnitudine aequari Conimbricensi Rex videbatur optare.

<sup>1</sup> Sic; *ipsi*?

<sup>2</sup> P. Jo. Tho. Pasitanum. Vide supra, pag. 607, n. 1673.

<sup>3</sup> Sic; *fehriim*?

<sup>4</sup> P. Michaël de Torres.

<sup>5</sup> Videlicet Marcus Nuñez et Josephus Duarte (Ribeiro?). Vide supra, pag. 608, n. 1674.

<sup>6</sup> *Sine expensis NN. acceperunt* addidit manu sua Polancus.

<sup>7</sup> *Pro loco* usque ad verbum *caperent* scripsit Polancus ad oram paginae. — Hoc autem ut recte intelligatur, memoria tenendum est in more communiter illis temporibus fuisse ut qui, itinerandi gratia, navim aliquam conscendebant, suum quisque lectum (hispanice *petate*) suosque cibos ad vescendum secum inferrent; quare solum *pro loco*, in quo dormirent et cibum *caperent* solvere aliquid tenebantur.

<sup>8</sup> Hic prius scriptum erat *nam in Aethiopia magna pars, sed aliqua pars etiam Goæ, empta fuit*. Sed emendavit id manu propria Polancus, quaedam delens verba, quaedam addens, ut vera tandem sententia evaderet.

1681. Domum Probationis, praeter Conimbricensem, Eborae institui debere P. Miron et alii sentiebant, et id Cardinali fundatori non displicebat, immo in singulis domibus ac collegiis idem Provincialis, ob rationes aliquas, Probationis domum fieri debere existimavit. Sed hoc non perinde convenire judicatum est atque Eborae, saltem ad primorum mensium probationem, ubi plures simul et sub aliquo rerum spiritualium magistro idoneo expedit institui. Erat inter classes Eborensis Collegii ipso in claustro ecclesia constructa, et ideo nostris non expedire videbatur ut mulieribus ea pateret; nam experientia docere videbatur Ulyssiponae et Conimbricae, quod pauciores viri ad christianae doctrinae lectionem accedebant, quod foeminae eo admitterentur; et alioqui scholasticos in ecclesia, mulieribus permixtos, sedere non convenire praefecti studiorum judicabant.

Et haec de Provinciali Portugalliae ac expeditione in Indiam et Aethiopiam.

---

## DE REBUS AFRICAE

1682. Acceptis litteris P. Cornelii <sup>1</sup> ex Magno Congo, decreverat Rex Portugalliae aliquos ex nostris eo mittere; et expectabat P. Miron postulationem quatuor aut quinque sacerdotum <sup>2</sup>, quos P. Cornelius optare videbatur, ut regni illius curam in spiritualibus haberent, sacerdotibus quibusdam inde ejectis, qui offendeabant vehementer novorum christianorum animos; immo timebat P. Miron, ne Episcopum aliquem ad regnum hoc mitti, sicut in Aethiopiam, Rex peteret; nondum tamen Rex constituerat quomodo se habere cum Rege Congi deberet; et, quia navis quaedam eo mittebatur, admonitus est P. Cornelius ut se periculis mortis non exponeret, quae illi a quibusdam pravis hominibus imminebant, domi se noctu continendo <sup>3</sup> et domus portas occludendo <sup>4</sup>.

1683. Sed mense Februario jam videbatur eo plane inclinare Rex, ut aliqui saltem ex nostris eo mitterentur <sup>5</sup>, quamvis ad curam animarum habendam bonos aliquos sacerdotes saeculares Cardinalis quaerebat, et de mittendo proprio Episcopo Congi, cum Legato regio, Principes cogitabant. Fuit autem designatus ex nostris P. Petrus Diaz, qui in conscientiae casibus valde versatus et eruditus erat, cum quodam alio fratre cognomine Chalaza <sup>6</sup>; et hoc erat consilium Regis Portugalliae

---

<sup>1</sup> P. Cornelli Gomez.

<sup>2</sup> Scilicet, postulaturum quatuor aut quinque sacerdotes.

<sup>3</sup> Ms. habet *continebant*.

<sup>4</sup> Vide supra, t. iv, nn. 1279-1296, ubi de hac Missione agitur, impedimenta quae corrupti nonnullorum mores Fidei christianae ponebant, necnon pericula quae in dies P. Cornelio impendebant.

<sup>5</sup> Hoc enixe P. Cornelius efflagitaverat, ut remedium unicum rebus congianis. Mala enim, quibus in Congo afflictabatur religio, ex pessimis quorundam sacerdotum moribus potissimum ceu ex fonte redundabant. Vide supra, t. iv, pag. 601, n. 1296.

<sup>6</sup> Hic infra vocatur *Cholanus*.

et fratrum ejus: ut Congi scholas nostri haberent, in quibus legendi et scribendi praxis doceretur et imprimis doctrina christiana scholasticis traderetur; et, si fieri posset, ut pueri illius regionis in loco aliquo, collegio, scilicet, in eundem usum deputato, continerentur, ut a parentum familiaritate sejuncti, a morum etiam pravorum imitatione revocarentur; et admissis in Societatem juvenibus illis orphanis, quos secum deduxerat P. Cornelius <sup>1</sup>, eorum opera ad instituendos pueros ejus provinciae uteretur. Ad grammaticam autem docendam frater ille Cholazus, qui jam mittebatur, sufficere poterat.

1684. Sed longe aliter res, quam existimabatur, successit propter Regis Congi in bono instabilitatem et in pravis moribus pertinaciam; et ipsemet P. Cornelius decima quinta die Augusti, non expectatus, Ulyssiponam venit, duos ex illis orphanis juvenibus secum adducens, nam tertium simul cum Patre Fructuoso Noguera ad se Dominus in meliorem, ut speramus, vitam vocavit <sup>2</sup>.

1685. Res autem sic acta est: P. Cornelius, quamdiu sperabat aliquid remedii adhiberi posse negotio religionis in illo regno, media quaedam per litteras proponebat, et quosdam revocari, alios vero mitti postulabat; sed postea cum Rex Congi decrevisset Collegium in sua civitate non permittere (quod ipsemet aliquando instituere volebat), cumque ejus peccata publica cerneret et ostium remediis oclusum, statuit P. Cornelius eum relinquere, et ita ad portum ex civitate Congi processit, inde navigaturus.

1686. Cum autem adhuc Pindae versarentur (sic portum illum vocant), litteras Regis Portugalliae accepit, quibus ei committebat ne ex regno Congi recederet, donec eo perveniret Legatus, quem brevi ad Regem Congi missurus erat. Litteras etiam alias ad Congi Regem mittebat.

1687. Rediit itaque Congum P. Cornelius, quadraginta leucis Pinda distantem, et Regi dedit litteras a Joanne, Portugalliae Rege, ad ipsum datas; et plus quam duos menses ibidem expectavit quem mittendum Rex dicebat; sed cum nihil de ejus adventu toto hoc tempore intellexisset, immo non esse ven-

<sup>1</sup> Vide supra, t. III, pag. 450, n. 983; et t. IV, pag. 601, n. 1279.

<sup>2</sup> Vide supra, t. III, pag. 451, n. 985.

turum cum plures ei referrent, cumque Societatis ministeria per Regem ipsi exercere non liceret, cumque alioqui pessime se ille Rex gereret, coactus fuit iterum ab ejus urbe recedere, et ad Pindae portum rursus se contulit, ubi, dum expectat Legatum Regis Portugalliae, confessiones audivit multorum Lusitanorum cujusdam navis, quae, cum ex India veniret, ad eum portum delata fuerat; et eodem tempore duo juvenes orphaniani, ejus comites, christianam doctrinam docebant.

1688. Sed dum his vacat, ecce edictum Regis Congi Pindam venit, quo praecipiebat ut omnes albi homines, qui eo in portu versabantur, statim recederent in Portugalliam; et hoc edictum quinque vel sex millia hominum comitabantur, ut homines ad ejus exequutionem compellerent, si sponte non obtemperassent <sup>1</sup>. Statim ergo P. Cornelius cum duobus sociis inde navigans, ad insulam S.<sup>ti</sup> Thomae pervenit, ubi cum viginti quatuor dies exegisset, multa per eum divina Bonitas operata est; et bonus odor rerum Societatis in Portugallia S.<sup>ti</sup> Thomae cives commovit, ut a Rege Portugalliae aliquos ex nostra Societate postularent, ut in ea insula collegium eis instituerent; nec exigua mutatio animorum haec fuit, cum ibidem cum offendiculo gravi P. Riberus paulo ante, ut superius diximus, versatus esset <sup>2</sup>. Cum autem P. Cornelius Regi Portugalliae quae ipsi necessaria videbantur ad illius insulae spirituale auxilium retulisset, omnia diligenter Rex providit.

1689. Duo autem illi socii in Societatem a Patre Mirone admissi fuerunt; et ita tota haec missio Regis Congi, quae parabatur, omissa fuit; quamdiu enim Rex ille Congi viveret, aut certe regnaret, nulla spes erat fructus alicujus percipiendi; et ne loqui quidem cum Lusitanis aut indigenis christianis P. Cornelium de rebus ad eum pertinentibus permittebat, nec illi, Regem timentes, ad ipsum accedere audebant; periculum etiam vitae, si Congi mansisset, sine ulla spe fructus P. Cornelio imminebat; et ita Regi Portugalliae pergratus fuit ejus adventus; et de rebus illius regni plene instructus cum ab eo fuisset, de eo deponendo cogitare videbatur, non solum quod

<sup>1</sup> Ex iis luculenter apparet non convenire regi Jacobo laudes, quas ipsi tribuit Im-merito Lopez Pigafetta, ut notavimus supra, t. iv, pag. 607-608, n. 1292, annot. 4.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iii, pag. 448, n. 982.

Princeps malus esset, sed quia legitimus in eo regno successor non fuisset; et hac ratione a nostris omnino regnum illud Congi relictum est.

---

1690. In civitate Tituani solus erat frater noster Ignatius Vogadus, nec sacerdos ullus loco Patris Patriarchae missus fuerat; quia tamen P. Ignatius potestatem fecerat Provinciali Portugalliae aliquem mittendi, cum secure et commode id fieri posset, aliquem sacerdotem mittere nostri statuebant, cum sexcenti fere essent captivi christiani ea in urbe, qui aliud fere solatium quam nostros non habebant, nec cui peccata confiterentur; et ita conquerebantur quod P. Joannes Nugnez eo non rediisset <sup>1</sup>. Frater quidem noster Ignatius, quamvis solus, magna tamen cum virtute inter captivos perseverabat et charitatem mirandum in modum cum eis exercebat; et non solum Lusitanis, sed Castellanis etiam, ratione captivorum valde nota erat Societas illo in loco.

Et haec de rebus Africae.

---

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 567 et seq., nn. 1218-1225.

---

## DE PROVINCIA BRASILIAE

1691. Initio hujus anni navis ex Portugallia in Brasiliam navigabat, in qua multa ornamenta ad cultum Dei, vinum et farinam tritici ad Missarum usum, et alia ad nostrorum vestitum necessaria mittebant. Quidquid autem a Rege petebatur, libentissime ille concedebat, quamvis ejus ministri male id exequabantur et nostris occasionem exercendae patientiae non exiguam praebebant. Misit etiam Rex decem et octo pueros orphanos ex his, quos P. Domenech <sup>1</sup> instituerat; et quamvis P. Miron Provincialis ne mitterentur curabat, quia nostri scripserant eos non esse necessarios, quodque sufficiebant illi, qui jam in Brasilia erant, voluit Rex nihilominus ut eo irent; qui autem ad christianam doctrinam docendam non erant necessarii, eos posse civibus donari ut eis inservirent: et hoc videbatur esse Regis consilium, ut populum christianorum in illa regione augetet, adultis et pueris eo transmissis; immo et foeminas singulis annis mittebat ut lusitanis nuberent; et hoc ipso anno duodecim misit.

1692. Creatus erat, ut diximus, Provincialis Brasiliae P. Emmanuel de Nobrega <sup>2</sup>, cui facultas etiam professionem emitendi a Patre Ignatio missa fuerat; quod nuntium, licet ipsi gratissimum fuisset, exequi tamen quod injungebatur non potuit, quod professus ea in Provincia non esset, in cujus manibus

---

<sup>1</sup> Petrus, scilicet, Domenech. Villabeltramensis Albas, de quo saepius jam in hoc *Chronico*.

<sup>2</sup> Vide supra, t. III, pag. 478, 479, nn. 1021, 1022; et *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 234. Per epistolam enim Romae 9 Julii 1553 datam P. Ignatius Provinciale Brasiliae constituit P. Nobrega, simulque eum jussit professionem facere. Eam Nobrega emisit 26 Aprilis 1556.



professionem emitteret. Sed Episcopum Brasiliae <sup>1</sup> in dies expectabat in ducatum S.<sup>ti</sup> Vincentii venturum, et si eo non venisset, iturus erat ipsemet ad civitatem Salvatoris ut in manibus ejus profiteretur.

1693. Miserat autem P. Leonardum Nugnez anno praeterito ut, in Europam veniens, P. Ignatio de statu rerum ejus Provinciae plenius informaret; qui et Regi Portugalliae et nostris multa verbo dicturus erat, quae litteris commode explicari non possent; sed hic P. Leonardus nunquam in Portugalliam pervenit. Aliqui referebant navem [in] Gallorum piratarum, qui loca illa infestare soliti erant, manus incidisse <sup>2</sup>; alii vero navem fuisse submersam; et mirabantur nostri in Portugallia, quod P. Nobrega in navi parum bona eum navigare permisisset, quam navis praefectus multis mercibus oneraverat, adeo ut quidam ex naucleris ejus provinciae, antequam quadraginta leucas conficeret, perituram esse navim praedicerent.

1694. Scribebat autem idem P. Nobrega ingentem messem illis in locis detegi, de illis nationibus intelligens, quas lato nomine *charisos* <sup>3</sup> vocant, quorum multos, ad centum usque leucas a civitate Paraguai, castellani domuerant; et [ex] eis multi naturalem legem sic observabant, ut nihil illis praeter fidem christianam deesse videretur.

1695. Ipse autem non audebat tantam provinciam subire vel suscipere, quod nullum habebat de Societate, cui nostros posset committere, qui in Collegio S.<sup>ti</sup> Vincentii versabantur; nam in collegio conservari poterant sub Rectore; sed, si spargerentur, non tantum virtutis talentum habere videbantur, ut possent multis peccandi occasionibus resistere; et praeter eorum damnum, timebat ne bona Societatis existimatio per eos immiueretur; et donec veniret P. Ludovicus de Grana in ducatum illum S.<sup>ti</sup> Vincentii, ut collegialibus praeesset (ex quibus multi admissi fuerant in Brasilia), ne ad invisendas quidem Societatis domos in sua Provincia abesse audebat. Et quamvis biennio

<sup>1</sup> Scilicet, ut statim patet, Sancti Salvatoris Episcopum, Petrum Fernandez Sardinha. Vide supra, t. iv, pag. 549, n. 1176.

<sup>2</sup> Ms. *incidisset*.—Vide quae de expeditione in Portugalliam et naufragio tanti viri annotavimus supra, t. iv, pag. 634-635, n. 1359, annot. 5.

<sup>3</sup> Vide supra, t. iii, pag. 457, nn. 992 et 994; et t. iv, pag. 615, n. 1605.

fuisset idem P. Ludovicus in eadem Provincia versatus, nunquam Provincialem viderant, quod in Baya Salvatoris procul a S. Vincentio resideret, et perdifficilis et rara esset ab uno loco in alium navigatio; et tamen vix committi posse domum, ubi multi essent ex nostris, cuiuspiam putabat <sup>1</sup> ex suis, praeter hunc P. Ludovicum de Grana. Et tales domus duae erant id temporis in Brasilia; altera in civitate Salvatoris praedicta, altera in civitate S.<sup>ti</sup> Vincentii. Et ita tres aut quatuor sacerdotes, qui velut columnae collegia Brasiliae fulcirent, postulabat; et valde opportuna plura collegia in Brasilia institui posse dicebat, quia et aër saluberrimus erat, et facile quae ad victum necessaria essent in regione tam fertili parari posse. Augeri tamen populos lusitanorum bonis civibus necessarium ducebat, et propter metalla, quae detegebantur, facilius id posse fieri censebat, si principes faverent.

1696. Existimabat etiam magna collegia catechumenorum gentilium, ubi christianam doctrinam et bonos mores docerentur, instituenda esse, quamvis ad principes spectabat rationem inire, qua essent alenda; et ad illud usque tempus, minoris talenti fratres, qui virtutis aliqua signa ostendebant, ex Portugallia mitti solitos esse aiebat; et illud S.<sup>ti</sup> Bernardi in nostris impleri, quod nostrum erat spargimus et perdimus; quia, antequam infundamur, festinamus semipleni effundere aliis, et contra legem aramus in primogenito bovis, et ovis primogenitum tondemus <sup>2</sup>. Hanc consuetudinem remove a P. Ignatio cupiebat, et ne mitterentur in Brasiliam qui adhuc lac concupiscunt, nec gustare cibum solidum possunt. Nullibi autem prudentiam, fortitudinem, scientiam, spiritum et reliquas virtutes perinde necessarias esse censebat atque in Brasilia ad negotium conversionis infidelium; quia undecumque multa et semper succedebant, quae hominem perfectum exposcerent, quamvis, ut in collegiis ac domibus sub disciplina Societatis manerent, minus id esset necessarium.

1697. A Ducatu S.<sup>ti</sup> Vincentii centum quinquaginta leucis

<sup>1</sup> Ubi nos scribimus *cuiuspiam putabat*, ms. habet *cui computabat*.

<sup>2</sup> Verba SANCTI BERNARDI sunt haec: "Quod tuum est spargis et perdis, si priusquam infundaris totus, semiplenus festines effundere contra legem arans in primogenito bovis, et ovis primogenitum tondens. *Super Cantic. Serm. XVIII.* "De duabus operationibus Spiritus Sancti, quarum una vocatur effusio et alia infusio."

plus minus civitatem illam Paragai, de qua superius egimus <sup>1</sup>, distantem scribebat, ex qua tam Castellani <sup>2</sup> quam gentiles panem petebant, et non erat qui frangeret eis; nam qui apud ipsos erant operarii iniquitatis, parum utilitatis spiritualis eis afferre poterant; et ita pia importunitate urgebant P. Nobregam ut ad ipsos accederet, et ad id longa itinera et pericula conficiebant ut ipsum quaerent; et adveniente P. Ludovico de Grana, cum eo simul constituere quid facto opus esset volebat; et existimabat necessariam <sup>3</sup> fore ipsius in illam regionem Paragui profectionem.

1698. Ex juvenibus, qui admissi fuerant in collegium S.<sup>ti</sup> Vincentii ad Societatem, aliqui ex patre Lusitano et matre Brasiliica erant; unum vel alterum, qui majoris expectationis videbantur, in Collegium Conimbricense instituendos misit, ut radices in bonis moribus et in litteris agerent; et in posterum, si aliud non videretur Superioribus, alios missurus erat, et eorum loco admittere aliquos <sup>4</sup>, qui male corpore haberent, paratus erat; nam aliqui, ut Josephus et Gregorius <sup>5</sup>, de quorum salute recuperanda medici Conimbricenses desperabant, in Brasiliam pervenientes, sine ullis medicinis, et cum tenuissimo ac vilissimo victu, valetudinem recuperaverant.

1699. Scribit autem Josephus aegrotantibus in Collegio Conimbricensi, quod pharmaca et remedia et deliciae, quae aegrotantibus ibi exhiberi solebant, ad augendum morbum potius quam ad sublevandum valebant, de chronicis quibusdam agendo morbis aut infirma valetudine; et imaginarios ex parte esse aliquos morbos scribit, ex proprio experimento loquens; postquam autem in Brasiliam venit, se ut sanum tractari; et si quae reliquiae morborum ipsum retentabant, nullam earum rationem se habere; et Piratiningae foliis synapis coctis et quibusdam leguminibus, et aliis cibis ea in regione usitatis, vesci, et in tribus classibus diversis se grammaticam docere ab au-

<sup>1</sup> Vide supra, t. III, pag. 458, n. 993; et t. IV, pag. 615, n. 1605.

<sup>2</sup> Voce hac *castellani*, quae respondet lusitanicae *casteños*, intelligendi saepe veniunt, dum de rebus Americae fit sermo, qui ex peninsula Iberica, sive hispani sive lusitani hi fuerint. In illam regionem appulerant ibique degebant; attamen hic, quoniam ex urbe Paragui hi veniebant, quae Imperatori Carolo subiacebat (Vide infra, n. 1702 et 1707), intelligi debent hispani.

<sup>3</sup> Ms. *necessarium*.

<sup>4</sup> Ex Europa, scilicet, missos.

<sup>5</sup> Josephus de Anchieta et Gregorius Serranus. Vide supra, t. III, pag. 397, annot. 1.

rora usque ad noctem, et aliquando a discipulis se dormientem excitari, dum eum interrogant de suis rebus; et nihil horum ipsi nocebat. Et postquam sibi persuasit se infirmum non esse, se sanum esse coepisse; et cum Conimbricae tota Quadragesima carnibus uti a medico juberetur, in Brasilia se totam jejuna-re. Et de Gregorio tantumdem dicit, cui accidit, cum in locum quemdam mitteretur, nocte superveniente, in sylva dormire indusio, ex imbribus madido, sine igne; et tamen valetudinem Deus conservabat.

1700. Medici officio interdum utebantur erga brasilienses, venam scindentes; et aliqui, qui morituri videbantur (nam ex simili morbo passim id accidebat), sanitati restituti sunt.

1701. Idem Josephus <sup>1</sup> scribit se didicisse, inter suas occupationes, artem conficiendi quoddam genus calceorum (*alpar-gatas* <sup>2</sup> vocant); quia ex corio calcei confecti ad incedendum per sylvas illas utiles non sunt. Linguam autem didicit ejus regionis et in artem redegit ad suum usum; nam alii tunc esse non videbantur in ea Provincia, quibus ea ars utilis esse posset <sup>3</sup>; sed qui ex Portugallia venissent, grammaticae periti, utiliter hoc ipsius labore frui posse scribit. Sed non fervores illos sufficere ait venientibus in Brasiliam, qui in medio itinere intepescant, sed qui constantes sint ad quosvis Christi nomine labores ferendos.

1702. Consulebat autem P. Ignatium Provincialis Nobrega de ratione collegii instituendi in civitate Paragai, quae Imperatori Carolo subdita erat; nam Castellani omnia se facturos pollicebantur, quae Societati viderentur ad Dei obsequium et infidelium conversionem ac bonam institutionem. Existimabat autem ibi collegium confici oportere, ut inde ad loca jam domita et parata ad semen Dei recipiendum mitterentur; sed

<sup>1</sup> Idem Josephus Anchieta.

<sup>2</sup> *Alpargatas*, vel *alpargates*. Calcei quoddam genus ex cannabe totum confectum, quod in usu est etiam nunc in pluribus Hispaniae regionibus. — Calceorum tamen materia, quos conficiebat Anchieta, non erat cannabis; ait enim VASCONCELLOS: "Aprendeo a fazer alpargatas de cardos bravos." L. c., lib. 1, n. 157.

<sup>3</sup> "pode reduzir aquelle idioma barbaro a modo e regras grammaticaes, compondo Arte dellas, tão perfeita, que approvada dos mais famosos lingoas, foi dada á impressão, e tem servido de guia, e mestra daquelle faculdade aos que depois vierão, com proveito e facilidade; e della ha lição particular em alguns Collegios da Provincia." VASCONCELLOS, l. c., lib. 1, n. 156. — Vide SOMMERVOGEL, *Bibliothèque de la Compagnie de Jésus*, t. 1, col. 310, n. 1; et col. 312, n. 1.

favore Consilii deputati ad res Indiae <sup>1</sup> et ipsius Principis opus esse.

1703. Quod ad Brasiliam attinet, minus sperabat fructus spiritualis, praecipue si in jure positivo circa gradus prohibitos <sup>2</sup> in matrimoniis dispensare non posset. Et donec Brasilia sic a Lusitanis habitaretur multis ac bonis, a quibus Brasilienses in officio contineantur et, si opus esset, cogerentur cum justitia et secundum rationem vivere, non posse magnum fructum sperare, quamvis aliqui ex filiis indorum Christo acquiri possent, in quibus adhuc timeri posset ne, cum adultiores aetate fierent, ad mores paternos redirent; et ideo mutare eos utile judicabat: sed non id permittebat qui gubernationi praeerat, timens offensionem parentum; immo, licet parentes consensum praeberent, qui praeerat ducatus S.<sup>ti</sup> Vincentii, quatuor aut quinque, qui ad Collegium Conimbricense mittebantur, ire non permisit.

1704. Admonet etiam velut faeces regni Portugalliae in Brasiliam ad id usque tempus missos fuisse, ut exules propter delicta et ejus notae homines; et cum ab eis Indi nec viribus domiti, nec exemplo invitati, aut virtute adjuti essent, mirum non est si ex Brasiliensibus illius maritimae regionis minus fructus percipi posset. Cum his autem, qui remotiores habitabant ab eis, major sperari poterat; maximus autem cum illis, qui jam edomiti erant et quodammodo familiares effecti, quos *Charisos* vocant: quamvis enim ex his, qui eo nomine censentur, aliqui adhuc feri essent et indomiti (quales illi fuerant qui Petrum Corream et Petrum <sup>3</sup> de Sosa occiderant), hi remotissimi erant ab hispanorum civitate Paragai, et ab eorum familiaritate; et propter ostium apertum ad hujusmodi gentes, existimabat P. Nobrega Collegium S.<sup>ti</sup> Vincentii caeteris ejus regionis esse praeferendum, quamvis alioqui civitas Salvatoris, quae in Baya Omnium Sanctorum sita est, primas in tota Provincia Brasiliae tenebat, et in ea praecipuum collegium constitui merito Rex Portugalliae volebat; sed ad conversio-

<sup>1</sup> *El Consejo de Indias* dicebatur.

<sup>2</sup> Sic; clarius tamen si disponderentur verba hoc modo: *si circa gradus in jure positivo prohibitos*.

<sup>3</sup> *Petrum* de Sosa scripsit librarius, sed erravit. Est Joannes, cujus et Petri Correa gloriosam necem a barbaris illatam vide supra, t. IV, pag. 619 et seq., nn. 1315 et seq.

nem gentium Collegium S.<sup>ti</sup> Vincentii praeferendum videbatur, ubi etiam salubriorem esse aërem experientia docebat.

1705. Penuriam rerum necessariarum in hoc Collegio S.<sup>ti</sup> Vincentii nostri sentiebant; et id in causa fuit ut Piratiningam, anno praeterito, nostri a P. Nobrega missi fuerint; quia pueri brasiliensium, quos secum habebant, facilius ab ipsorum parentibus ibi sustentari poterant, qui magno cum labore ad S.<sup>m</sup> Vincentium necessaria ad victum deportabant.

1706. Rex quidem jusserat nostris necessaria subministrari; sed ejus Ducatus praefectus, Blasius Chubas <sup>1</sup>, non exequabatur Regis voluntatem: nec solum substrahebat suis temporibus quae danda nostris erant, sed quae ad Dei servitium et aedificationem proximorum pertinebant impedire solitus erat; quamvis occulte id faceret, et in publico se amicum, propter populi timorem, nostris ostenderet; et quodammodo praestare existimabat Pater Nobrega ut novem aureos, quos singulis mensibus accipiebant, relinquerent, ne Rex existimaret nostris esse abunde prospectum, cum adhuc exigua illa pecuniola male et sero solveretur, ut vix ad mediam partem educeretur; et ita ad civitatem Paragai aliquos ex fratribus mittendos existimabat, nam ex eleemosynis difficile poterant sustentari.

1707. Narrat etiam semina quaedam dissensionum inter Lusitanos S.<sup>ti</sup> Vincentii et Castellanos civitatis Paragai, quod scilicet Thomas de Sosa, Gubernator Brasiliae, quosdam hispanos, qui per magnum flumen, quod vocant *de la Plata*, ad civitatem Paragai tendebant, et in quodam portu Brasiliae quodammodo perditos versabantur, ad S.<sup>m</sup> Vincentium adduci voluit; inter quos erant mulieres quaedam nobiles, ad quas committendas et adducendas missus fuerat P. Leonardus Nugnez ab eodem Thoma de Sosa <sup>2</sup>, et intra octo menses se facultatem a Rege Portugalliae ei missurum [promiserat] ut terrestri itinere ad civitatem Paragai possent discedere, et tamen elapsum jam erat triennium et ea facultas nondum venerat. Ex his itaque aliqui fere desperabundi ad alium quemdam portum inhabitatum magnis cum periculis se contulerunt. Alii etiam tunc apud S.<sup>m</sup> Vincentium expectabant, et quidquid habebant, vi-

<sup>1</sup> Sic perspicue in ms; eritne *Chaves*?

<sup>2</sup> Vide supra, t. III, pag. 471, n. 1011.

ctus gratia, in tam longo tempore vendiderant, ita ut jam nec ad iter faciendum nec ad manendum facultates ullas haberent; et si eleemosynis, quas nostri curaverant, adjuti non fuissent, pejus cum eis actum fuisset. Parum etiam humane ab illo praefecto Blasio Chubas accipiebantur; et haec et alia non pauca gravis perturbationis et offendiculi incolis Paragai causa fuerunt; et ita discordiam inter Castellanos <sup>1</sup> P. Nobrega timebat, et ad pacificandos animos utriusque gentis, inter ceteras causas, aliquem ad praedictam civitatem Paragai mittere volebant, vel ipsemet proficisci, quia vix alium quem mitteret idoneum habebat.

1708. Abusus autem, vel ex ignorantia vel malitia inductos in populum lusitanorum, intolerabiles esse dicebat, cujusmodi erat Indos laudare, cum hostes occidebant et comedebant, immo et aliquando servos suos captivos ad hoc ipsum eis donabant; nec Vicario licebat concubenarios punire et alia hujusmodi, quae remedio a Rege Portugalliae misso indigebant.

1709. Nostri interim, qui Piratiningae residebant, multo quietius et cum majori spe fructus inter Indos versabantur, quamvis illa non omnino magnopere certa esset; nam ut superiori anno diximus <sup>2</sup>, qui ad Christum conversi erant, ad spectandas aliorum gentilium, qui suos hostes occidebant et comedebant, solemnitates, in alium pagum se contulerant. Cum autem redierunt, negabant nostri se eos in ecclesiam admissuros, nisi, prius se verberibus caedentes, a Domino veniam postularent. Omnes ergo fere unanimi consensu, processione facta et ipsorum filiis litanias decantantibus, ut cum nostris in gratiam redirent, in ecclesiam Calendis Januarii se flagellantes et misericordiam a Deo petentes introierunt. Puerorum etiam, qui in scholam nostram veniebant, frequentia in dies augebatur.

1710. Sed humani generis hostis huic ipsorum bono invadens <sup>3</sup>, ut a veritate christianae religionis ac pietate eos averteret, bellum maximum excitavit; et cum ex plurimis locis Piratiningae vicinis Indi convenissent, [et] daemone juvante, magnam victoriam de hostibus reportassent, in omnibus fere locis solemnitates illae execrandae, in quibus necandi erant hostes,

<sup>1</sup> Sic; deest tamen fortassis hic *et lusitanos*.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 629, n. 1347.

<sup>3</sup> Ms. *indigens*.

celebrabantur: adeo ut in quodam oppido Lusitanorum hujus Ducatus S.<sup>ti</sup> Vincentii, quod aliorum caput est, coram omni populo lusitano unus interfectus sit; nec solum illi non reprehendebant, sed omnes fere ad tale spectaculum conveniebant, et quod gerebatur probabant; quae res catechumenos, qui Piratiningae versabantur, sic accendit, ut et ipsi in bellum pergerent, aliquos ex hostibus capturi, quibus in via [occurrerunt] quidam brasilienses admodum feri (*papavas* eos vocant, qui semper in sylvis habitant), ex quibus duos ceperunt, nec ultra progressi, domum, occissuri unum ex ipsis, continuo redierunt.

1711. Misit ergo qui praeerat caeteris Piratiningae (de cujus fide nostri bonam spem conceperant) <sup>1</sup> nuntios ut funes, ense, lignum et reliqua, quibus in tali negotio uti solent, diligenter praepararent, et more gentilico, coram nostris, captivum illum hominem interficere volebant. Catechumeni autem caeteri et alii brasilienses, qui peregre venerant, laetissimo animo hoc nuntium, quod antiquae consuetudini et depravato affectui conveniebat, acceperunt. At nostri eos avertere a nefario hoc scelere studebant, nunc mansuetis verbis Dei utentes, nunc se recessuros Piratininga minantes; sed depravatos animos flectere non poterant. Tunc manus injecerunt in aductos et captum hominem illum negarunt <sup>2</sup>, et magna vi ex ferentium manibus abstorserunt, domique absconderunt. Lignum autem et ense licet extorquere non potuerint, tamen ne ad illum praefectum perferretur effecerunt, quod ille, aegre ferens, falcem magnis clamoribus petebat, qua hominem illum occideret et nostros magnis conviciis perscindebat. Ejus socrus et uxor nostris auxilio erant, et earum opera et minis ac precibus domum praefectus ille deductus fuit et ab ipsius manibus hostis fuit liberatus, sed in locum alium, duobus leucis Piratininga distantem, deferre captivum ille volebat ut ritu gentilico eum occideret. Itaque facile fidei suae vel simulationem vel certe debilitatem satis ostendit et ipse et alii catechumeni ad pristinos mores effrenate redeundo.

<sup>1</sup> Nomen huic erat Martinus Alfonsus de Mello. VASCONCELLOS, l. c., n. 197.

<sup>2</sup> Sic perspicue admodum in m<sup>4</sup>; licet autem vox illa *aductos* emendetur et scribatur *adductos*, sensum tamen non capimus. Esset vero sensus his, quae l. c. narrat Vasconcellos, conformis, si vox *negarunt* tolleretur.



1712. Et ita confirmabatur sententia, quam nostri tenebant, in ea maritima regione Brasiliae sperari non posse magnum conversionis fructum, nisi prius edomarentur et sub legibus justitiae commodis et sub Christi vexillo vivere compellerentur; hi enim catechumeni magnam fidei et probitatis cognitionem initio dederant; sed sive spe quaestus, sive inani quadam gloria, potius quam fidei fervore moverentur, sive quod fides infirma esset et instabilitati obnoxia, suborta occasione aliqua, ad vomitum gentilicorum rituum redibant. Et ita nostri coarctabant, donec tam multi venirent ut ab indis timeri possent, vix alium fructum solidum sperari posse quam ut filios ex aliquibus ipsorum parvulos ad Christi fidem traherent, et in doctrina ac moribus christianis instituerent; et adhuc in multis eorum timendum erat ne, cum adulti essent, ad mores paternos degenerarent. In nationibus autem indorum jam domitis uberes ac certos fructus ex semine verbi Dei percipientes sperabant.

1713. In oppido S.<sup>ti</sup> Vincentii praedicationibus et exhortationibus P. Emmanuelis de Payva, et ministerio etiam sacramenti poenitentiae, fructus aliquis perceptus erat et in dies percipiebatur, in lusitanis praesertim ac servis eorum, qui hujus sacramenti capaces erant; omnesque in doctrina christiana, et praecipue pueri, erudiebantur; et ubicumque nostri versabantur, haec diligenter praestabant.

1714. Interim Piratiningae senex quidam Brasiliensis, jam christianus, concionem habuit ad suos, quibus sui praefecti factum graviter reprehendebat, nostrorum vitam moresque christianos magnopere laudabat, indosque ut sequerentur doctrinam nostrorum hortabatur, qua concione absoluta, praedicta socrus praefecti, quae baptismum jam dudum susceperat, nostrorum partibus favere, et suum generum exagitare reprehensionibus coepit.

1715. Ipse autem contra, percitus furore quodam diabolico, fidei christianae et baptismo suscepto renunciavit, mores christianorum vituperando et brasiliacos laudando, ad quos redire velle omnino videbatur; et relicto nomine, quod in Baptismo susceperat, suum gentilicum denuo resumpsit, et ad bella gerenda et hostes interficiendos, ut antea solebat, se rediturum affirmabat; a quo tamen uxor, socrus et filii vehementer abhor-

rebant. Sed paulo post praefectus ille sive dux, poenitentia ductus, a fratribus nostris veniam petiit, et omni ratione in nostrorum gratiam redire studebat. Alii autem catechumeni se invicem exhortabantur ne a suscepto proposito christianae religionis recederent. Ex alio quodam loco, qui Manichoba dicebatur, in quo aliqui de Societate nostra brasilienses quae Christi sunt edocebant, et ab eis rejecti fuerant <sup>1</sup>, ex illo, inquam, perlatum est maximam ipsorum partem in gravia mala incidisse et fere omnes eos obiisse.

Et haec de Ducatu S:<sup>ti</sup> Vincentii.

---

## DE COLLEGIO SALVATORIS

IN BAYA, QUAM VOCANT OMNIUM SANCTORUM,

UBI CIVITAS SALVATORIS

ET PRAECIPUA SEDES EPISCOPI ERAT

1716. P. Ludovicus de Grana Collegio nostro praeerat <sup>2</sup>. Etiam ille fructum ex illa vinea non magnum colligi posse censebat, praesertim quod ad Brasilienses liberos <sup>3</sup> attinet, quos insatiabilis vindictae affectus excaecaverat, in illo suum honorem constituendo. Ebrietas etiam hunc furorem nutrieat; utebantur enim vino ex quibusdam radicibus et fructibus confecto, ad quod opera puellarum, quamdiu virgines erant, utebantur: vitae honestas et continentia tantum in conjugatis mulieribus cognoscebatur, et ne id quidem magni admodum fiebat; et ideo pueros, qui satis bono ingenio praediti erant, antequam bellis et potationibus assuescerent, assumendos esse et a parentibus separandos P. Ludovicus arbitrabatur.

1717. Et de his aliquid boni sperari posse censebat; et ita,

---

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 613, n. 1301, et annot. 3.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 632, n. 1354.

<sup>3</sup> Scilicet eos, qui lusitanorum servitio mancipati non erant.

praeter confessiones lusitanorum utriusque sexus, et praeter conciones, quas domi nostrae et in alio quodam oppido habebat, hujusmodi pueris operam suam impendebat, et per loca vicina, adhibito aliquo interprete, discurrebat, et parentibus persuadebat ut suos liberos instituendos darent, quamvis diaboli astutia sic illos deludebat, ut simulatque de rebus ad animam pertinentibus vel contra ipsorum abusus aliquid dicebatur, statim recedebant. Mulieres etiam suos liberos in sylvis abscondebant, et suis cantibus valde clamoris obstrepere nostris nitebantur, ut ipsarum filii nostros non audirent, quia sibi persuadebant [quod] statim erant morituri; quia vere permiserat divina providentia ut pueri, qui baptizati erant, paulatim morerentur, et credibile est quod illi praedestinati erant ad vitam aeternam, [et] antequam malitia mutaret intellectum eorum, rapti ab eo fuerunt; et <sup>1</sup> superstitiosi quidam homines (quos vulgus familiares esse daemoni putat, sed P. Ludovicus mendaces potius et deceptores esse existimabat) hoc persuadebant, quod scilicet per baptismum mortem illis nostri afferebant; quodque nominare Jesum et cruce signare pueros erat eos occidere, et tanquam signum illud adducebant, quod ipsi videbant mori aegrotantes cum se cruce signabant aut nomen Jesu nominabant.

1718. Contra divina Bonitas experimento docebat eos aliter se rem habere, ut cum anno praeterito multi ad bellum quoddam cum uxoribus et filiis parvulis irent, in multis cymbis (quas ex arboribus excavatis conficiebant, *canoas* vocant), tempestate <sup>2</sup> subversis canois, omnes infideles perierunt et soli christiani evaserunt; et ex his adolescentem quemdam domi nostri habebant, egregio ingenio praeditum, qui inter brasilienses hoc crebro narrabat et baptismum ipsis fuisse salutis causam testabatur.

1719. Sed inconstantia toti huic genti valde erat familiaris, et ad mores paternos propensa, ac praecipue ad piscationem, quod, inter ipsorum solatia, maximum est; nam utriusque sexus et cujusvis aetatis homines natrare optime noverunt; et ita P. Ludovicus de Grana nullibi frequentius et certius habere

<sup>1</sup> Rectius *At*.

<sup>2</sup> *Enim* additur in textu; sed redundare videtur.

poterat [auditores] quam ad litus maris, et inde aliquos pueros aliquoties vel promissis vel aliis rationibus [ad se alliciebat]; sperabat enim quod libenter aliqui ad institutionem bonam accipiendam mansuri essent; et ita, cum alios pueros viderent domi, libenter in ea manebant; et cum matres aliquando flendo domum nostram adductos quaererent, simulatque vestitos illos videbant, bono animo, illis apud nostros relictis, recedebant; si patres habebant aut fratres, eis renunciabat ne solliciti essent de filiis, quos apud se habebat et quos invisere poterant cum vellent. Et quamvis illi tenere admodum filios diligunt, nec sibi persuadere sinunt ut a se illos ablegent, cum praedicta vel alia ratione ab eis auferebantur contenti erant. Aliquando etiam curabat ut omnes pueri simul a parentibus peterent ut filios apud se relinquerent; et cum patres a tam multis id postulari videbant, resistere nescientes, cum ex ejus praesentia filium removebant, et ipsi tunc recedebant.

1720. Erant in his locis, civitati Salvatoris vicinis, multi christiani, qui aliquando in quodam pago, civitati conjuncto, vixerant, inter quos nostri olim domum et eremitorium quoddam habebant, et ita omnis aetatis et sexus homines christianam doctrinam docuerant. Sed inde jam omnes recesserant; quavis enim ratione [si] in mentem alicui veniat <sup>1</sup> habitaculum, in quo commoratur, igni succendere, id facit; nec quisquam ei resistit, licet totus pagus eodem incendio absumatur; et ita tandem omnes ex illo pago recesserunt.

1721. De his prae caeteris P. Ludovicus sollicitus erat, quia in moribus nullum christianae religionis signum in eis cernebat, nam quod ad fidem attinet, nihil erat cum quo christianam permutaret apud ipsos (*sic*). Deprehendebatur tamen quod baptismus hujusmodi homines juvabat; accidebat enim, quia lenti admodum erant interpretes, ut lusitanica lingua ipsos P. Ludovicus reprehenderet; et quamvis nihil ex ea lingua intelligerent, quia putabant sua vitia merito reprehendi, verecundabantur, nec quidquam respondebant. Tunc manu apprehendens eos, domum deducebat. Quatuor etiam ex eis venerunt, cum eos nemo quaereret; unus ex his, qui venerant, bis aut ter reces-

---

<sup>1</sup> Ms. *veniet*.

serat; ultimo veniens, et in gravem morbum incidens, baptizatus fuit, et exinde stabilis in fide permansit.

1722. Quatuor aut quinque ex eis adolescentibus ad aliqua officia mechanica addiscenda applicavit; et sic alios applicare statuebat. Sed si magister et herus aliquem castigasset, statim recedebat; et domi nostrae etiam hoc periculum nostri experiebantur, cum tamen punitio satis necessaria esset; et hujus rei causa haec erat: quod nullus pater brasiliensis unquam filium castigat, sicut nec uxores, et summa punitio apud eos est alta voce loqui. Summopere ducuntur propria voluntate, sine ulla ratione; et si quis dicat sibi aliquid non licere, nihil est quod ejus flectat voluntatem.

1723. Non opus est ad res fidei tractandas et eos convertendos aut rationibus aut multis verbis uti; tantum id cognoscunt quod Deus res omnes creavit; et in eis percensendis libenter versantur vel immorantur. De morte mentionem facere apud eos odiosum est, quia sibi persuadent quod sic mors in ipsos conjiciatur; et hic ipse conceptus imaginarius ad mortem quibusdam satis est<sup>1</sup>; et saepe P. Ludovicum rogarunt ne mortem ipsis inferret. Modus, quo prius lusitani utebantur<sup>2</sup>, erat, temporales commoditates polliceri, nullam fidei notitiam eis prae-bendo; sed P. Ludovicus de Grana per interpretem eis declarabat quae credenda erant, et per modum dialogi, aliis interrogantibus, aliis respondentibus, ea inculcabat.

1724. Quidam ex eis, jam christiani, per interpretem confitebantur; et experientia id perutile esse docebat; et foeminarum etiam brasiliensium et mixtarum ex lusitanis et brasiliensibus confessiones eodem modo per interpretem ipse audiebat.

1725. Ex praesidio sive Ducatu Pernambuci venerat ad civitatem Salvatoris P. Antonius Perez<sup>3</sup>, qui ante duos annos cum dimidio a P. Nobrega evocatus fuerat, et nunquam navigandi commoditatem, ut ad S.<sup>4</sup> Vincentii praesidium veniret, invenerat; et ita annum integrum expectaverat in praedicta civitate Salvatoris, nec amplius eo iturus erat, quia, eo relicto, ibidem cum P. Antonio Perez, ut Collegii Salvatoris curam ha-

<sup>1</sup> Sic; *eis* (scilicet quae ad fidem pertinent) *per discendis*?

<sup>2</sup> Id est, *mortem quibusdam affert, vel sufficiens quibusdam mortis causa est.*

<sup>3</sup> Intellige non ad indos convertendos, sed sibi subjiendos.

<sup>4</sup> Vide supra, t. iv, pag. 632, n. 1354.

beret, ipsemet P. Ludovicus <sup>1</sup> ad S.<sup>m</sup> Vincentium evocabatur <sup>2</sup>; et quia pauci numero tunc erant, duo tantum loca retinere, scilicet, Salvatoris et S.<sup>ti</sup> Vincentii cogitabant. Venerant autem litterae a Rege Portugalliae ut in praedicta civitate Salvatoris collegium institueretur cum scholis ad eum modum, quo Ulyssiponae fuerat institutum, cujus Rector futurus erat praedictus P. Ambrosius <sup>3</sup>, et lectionem lecturus de casibus conscientiae; aliquam autem de grammatica frater noster Blasquez <sup>4</sup> praelecturus erat, ubi quinque vel sex de nostris residerent, inter quos erat quidam Petrus de Goëz, nobilis, et bono ingenio praeditus, qui in Brasilia admissus fuerat.

1726. Accepit autem P. Ludovicus facultatem a P. Ignatio professionem emittendi; sed non statim eam emisit, quia expectabat ut P. Provincialis Nobrega prius eam emitteret in manibus Episcopi ad praesidium S.<sup>ti</sup> Vincentii, ut dicebatur, profecturi <sup>5</sup>.

1727. Ante tamen quam P. Ambrosius Perez ad civitatem Salvatoris veniret (nam jam fere octo menses nihil ex Portu Securo, ubi ille versabatur, acceperat) ad S.<sup>m</sup> Vincentium proficisci decrevit <sup>6</sup>, P. Antonium ibi relinquendo; obierat enim R. Salvator Rodriguez, cum magna aedificatione ibidem versatus, ipso die Assumptionis B. Virginis, quam peculiari devotione colere solitus erat <sup>7</sup>.

1728. Monet autem idem P. Ludovicus difficile admodum

<sup>1</sup> Sententiam, a verbis *nec amplius eo* hucusque expressam, haud facile, ut putamus, lector capiet Quare ex his, quae immediate sequuntur, eam eruentes, sic scribereimus: *nec in Pernambuci ducatum amplius erat rediturus, quia, eo relicto, in civitate Salvatoris manere debuit simul cum Patre Ambrosio Perez, qui ejusdem civitatis collegio praefectus erat. Nam P. Ludovicus de Grana...*

<sup>2</sup> "Ainda neste tempo (anno 1555 ineunte) se não tinham avistado estas duas columnas da Companhia do Brasil, Nobrega, e Gram; e parecia necessario fazel-o. assi pera communicar o passado, como pera consular o futuro. Pelo que partio Gram a verse com Nobrega a S. Vicente." VASCONCELLOS, l. c, n. 193.—"e foi servido que no proprio dia 15 de Maio de 1555 em que havia de partir (P. Emmanuel de Nobrega), chegasse nova que tinha aportado á villa de S. Vicente o Padre Luis da Gram, seu Collateral, por quem esperava." *Id.*, *ibid.*, n. 199.

<sup>3</sup> P. Ambrosius Perez, vel Pires

<sup>4</sup> Antonius Blasquez.

<sup>5</sup> Vide supra, pag. 617, n. 1692.

<sup>6</sup> Ipse P. Ludovicus de Gram (de Grana). Vide supra, pag. 630, n. 1725.

<sup>7</sup> Obierat quidem P. Salvator Rodriguez; ejus autem obitus ad annum 1553 est referendus Vide supra, t. iv, pag. 634, n. 1353, annot. 4. Elogium hujus pientissimi viri et alia ad eum spectantia, ex VASCONCELLOS desumpta, quae praetermisit POLANCO, repeties supra, t. iii, pag. 479, n. 1022, annot. 2.

nostros in Collegio Salvatoris sustentari, cum ex eleemosynis populi tantum aliquid farinae colligeretur, et quas Gubernator <sup>1</sup> et quidam alii faciebant, ad victum sufficere non poterant; agros quosdam habebat collegium, sed ad eos colendos nec vires nec otium nostri habebant; duo servi et totidem servae mortui fuerant, et aliqui, qui supererant, a P. Provinciali non pro legitimis servis habebantur <sup>2</sup>; nec enim titulus, quo in servitutem redacti erant, ei placebat; nec aliquid erat in Brasilia, quod majorem gereret scrupulum conscientiae, quam eos servorum loco habere, qui legitime pro servis habendi non erant. Partim ergo ex eleemosynis, partim aes alienum conflando nostri victitabant, quod tamen ex nova-quadam Regis eleemosyna, quam singulis annis dari jusserat, dissolvebant. Domos quasdam aedificaverunt nostri, quae bis ceciderant, sed jam coctis tegulis earum tectum operuerant; quidam autem faber murarius, qui exul ex Portugallia missus fuerat, domum novam construxit.

1729. Affirmat idem Ludovicus quod et P. Nobrega affirmabat: ex adultis hominibus fructum sperari non posse, quia capaces christianae vitae non videbantur, quamvis aliquot signa in initio bona dederint; et ex omnibus brasiliensibus, qui baptismum susceperant, ne unus quidem id specimen religionis praebebat, quod quivis <sup>3</sup> ex servis aethiopibus Ghineae dare in Portugallia solitus erat. Videbatur ad eorum conversionem utile futurum quod idola non haberent; sed experimento discere nostri videbantur quod hoc nocebat, quia nullum sensum religionis habebant. Reliqua erat spes in pueris, quamvis perdifficile de parentum manibus, ut diximus <sup>4</sup>, eripiebantur. Et non pauci ex his, qui utcumque a nostris excipiebantur, fugiebant; et jam quatuordecim aut quindecim sub initium hujus anni sub P. Ludovico fugerant. Itaque non admodum satisfaciebat P. Ludovico fructus, qui ex hac vinea Domini colligebatur; qui enim in locis prope urbem Salvatoris residebant, quo viciniore Lusitanis, eo minus idonei ad fidem et vitam

<sup>1</sup> Eduardus (*Duarte*) da Costa. Vide supra, t. iv, pag. 549, annot. 1.

<sup>2</sup> Hoc est, ut ex sequentibus patet, non habebantur tales, ut in eos dominium, quale in servos solet, exerceri ab ullo posset.

<sup>3</sup> Ms. *cuius*.

<sup>4</sup> Supra, pag. 628, n. 1719.

christianam suscipiendam erant. Cum lusitanis aliquid boni fiebat, minus tamen quam ipse P. Ludovicus optabat.

1730. Profectus est autem ex civitate Salvatoris versus S.<sup>m</sup> Vincentium initio mensis Januarii <sup>1</sup>; sed quia navis multis in locis haerebat, sub Aprilis finem ultra praesidium Spiritus Sancti progressa non fuerat. Ibi P. Ludovicus praedicationi et confessionibus<sup>2</sup> Quadragesimae audiendis operam dedit, et P. Blasio Laurentio, quem in hoc praesidio invenit cum socio, in piis huiusmodi laboribus auxilio fuit.

1731. Observavit autem quod egregie praedictus P. Blasius suum officium cum incolis ejus oppidi exercuerat, et mutatio morum in melius fructum praedicationis et sacramentorum ostendebat. Cum brasiliensibus tamen ad id usque tempus non perinde utiliter versari potuerat, quia procul aberant ab eo portu, nec minus a voluntate suos filios instituendos tradendi; et suspicabatur P. Ludovicus hujus rei causam esse, quod illi timerent ne lusitani filios in servitutem redigerent; nam haec cupiditas lusitanorum homines in servitutem redigendi satis barbaris illis explorata erat. Servi tamen lusitanorum ordine satis commodo docebantur, donec sub adventum P. Ludovici bellum cum brasiliensibus geri coeptum est; quidam enim populi brasiliensium, quos *Tamogios*<sup>3</sup> vocant, quaedam loca huic oppido vicina invaserant et septem homines captos abduxerant, quamvis nullus eorum lusitanus erat, et unus solus ex patre lusitano et matre brasilica; et videtur hoc permisisse Dominus ut excitarentur a negligentiae et incuriae somno lusitani, quamvis ea in regione nihil in bellis gravius esse soleat quam expectatio adventus hostium, quae impedire solet ne homines ad suos [adeant] agros (*rosas* vocant), in quibus radices illae proveniunt, ex quibus panis conficitur<sup>3</sup>, nec piscationem exercent.

1732. Ea regio Spiritus Sancti fertilis admodum est, et in qua facilius brasiliensium filii ali quam in nullo alio loco totius Brasiliae possent; et incolae ejus oppidi laeti admodum erant quod praeter metallum, quod intra ipsum etiam oppidum inventum fuerat et argentum esse existimabat, et praeter ma-

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 630, n. 1725.

<sup>2</sup> VASCONCELLOS scribit *Tamoyos*.

<sup>3</sup> Vide supra, t. 1, pag. 452, n. 497.



nam ferri copiam, cum misisset Vascus Fernandez Chutigno<sup>1</sup> aliquos per mediterranea loca, aurum invenerunt et lapides quosdam, quos pretiosos existimabant, et utriusque abundantia magna erat; et nostris magnopere id placebat ut multi invitarentur ad Brasiliam adeundam, a quibus barbari illi populi edomari possent; et sic ab eis fructus uberior, quod ad animarum pertinet salutem, sperabatur.

1733. Initio hujus Quadragesimae tam P. Ludovicus de Grana quam P. Blasius Laurentius in morbum inciderunt, et nihilominus pergens<sup>2</sup> navigare versus S.<sup>m</sup> Vincentium, vi maris ad eundem portum Spiritus Sancti rejectus fuit, et ita in morbum, a quo convaluerat, recidit, et gravius adhuc sentiebat quod illi venti, qui ad S.<sup>m</sup> Vincentium ducebant, jam prope modum erant extincti et contrarii per sex menses duraturi erant; et tamen cum sua febris, quae in tertianam abierat, pergere in sua navigatione paratus erat, si quod navigium eo pergeret, quia pluribus litteris a Provinciali Nobrega evocabatur.

1734. Nova quaedam et non inutilis occupatio nostris, qui erant in oppido Spiritus Sancti, oblata fuit. Postquam enim tempestate compulsus, ut diximus, eo rediit P. Ludovicus, pervenit ad idem oppidum vir quidam primarius brasiliensis, quem *Marachaya achun*, id est, *chatum grandem* vocabant<sup>3</sup>. Is inter christianos valde notus, magno terrori inter brasilienses erat. Is prope flumen, quod Januarium<sup>4</sup> vocant, habitabat et cum tamogis<sup>5</sup> jam pridem bellum gerebat; et cum ab eis multas victorias retulisset, tandem ab illis in magnas angustias redactus et in suo pago ab eis obsessus est. Misit ergo filium suum ad Ducatum S.<sup>ti</sup> Spiritus ut mitteret aliquot navigia ad se, ut secundo flumine cum sua familia et aliis suae factionis hominibus versus oppidum S.<sup>ti</sup> Spiritus veniret; nam omnes christianos velle fieri affirmabat. Incolae hujus oppidi commiseratione ejus, quem amicum fidelem christianorum

<sup>1</sup> Sic; est autem *Continho*, "Governador da terra do Spirito Santo." VASCONCELLOS, *ibid.*, n. 204.

<sup>2</sup> P. scilicet Ludovicus.

<sup>3</sup> "o principal dos Temiminós..., e se chamava *Maracayaguaçu*, que vem a dizer em nossa linguagem o grande Gatto." VASCONCELLOS, *ibid.*, n. 204.

<sup>4</sup> *Rio de Janeiro*. Vide supra, t. III, pag. 469, n. 1008.

<sup>5</sup> Vide supra, pag. 633, n. 1731.

experti erant, moti fuerunt; et in extrema necessitate constitutum esse illum constabat, nam post paucos dies capiendus et in cibum adversariorum cum suis convertendus videbatur, et hanc voluntatem religionem christianam suscipiendi jam dudum ille ostenderat.

1735. Nostri ergo a praefecto postularunt ne subsidium hoc illi denegarent, cum multarum animarum salus, saltem filiorum parvulorum, inde sequutura<sup>1</sup> erat, et quia aequum erat juxta amicitiae leges amicum in tali necessitate non deserere. Praefectus ergo Vasilez (*sic*) Fernandus Chutigno quatuor navigia misit cum bombardis et commeatu necessario; timebantur enim piratae Galli, qui regionem illam infestare soliti erant. Cum ergo eo pervenerunt, cum jam domus et res aliae combustae essent, tanta cum festinatione navigia illi conscenderunt, ut parentes suos filios in littore relinquerent, et aliquos, qui jam jam expiraturi erant ex fame, nostri baptizarunt. Hi ergo, ad oppidum Spiritus Sancti deducti, prope muros ejus suam habitationem in novo pago construxerunt, et inter hos P. Ludovicus libentius quam in ipso oppido habitasset, sed P. Blasius Laurentius, qui ibidem manebat, idem effecturus videbatur. Hos ergo sperabant christianos futuros, et eorum filios fideliores futuros quam alii brasilienses esse solent.

## DE NOSTRIS QUI IN PORTU SECURO VERSABANTUR

1736. P. Ambrosius Perez cum socio Antonio Blasquez in hoc Ducatu Portus Securi residebant et consuetis nostrorum officiis vacabant; Antonius enim Blasquez tam liberos Brasilienses quam servos et pueros etiam in christiana doctrina instituebat et eos legere ac scribere docebat<sup>2</sup>. Ipse autem P. Antonius<sup>3</sup> verbo Dei proponendo instabat, et Deo propitio, per hoc praedicationis ministerium et sacramentorum confessionis et communionis multi concubinarij legitimo matrimonio

<sup>1</sup> Ms. habet *sequuta*.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 634, n. 1357.

<sup>3</sup> Sic; verum error manifestus est et scribendum *Ambrosius*: nam P. Antonius Perez in Bala Salvatoris erat. Vide supra, pag. 670, n. 1725. — Vide etiam litteras annotatione sequenti memoratas, et n. seq.

suas concubinas sibi copularunt; multae injuriae condonatae, multa odia et lites extincta fuerunt; nec concordiam ullam inter dissidentes tentarunt, cui Dominus bonum successum non dederit. Habitabat P. Ambrosius in quadam domo conjuncta templo, quod B. Virgini Adjutrici <sup>1</sup> dicatum erat, quod egregium et magna devotione veneratum a christianis erat. Ex duobus aut tribus locis christianorum ejus Ducatus diebus sabbati eo multi confluebant; nam domus haec non procul ab eis oppidis distabat, sed nec a Brasiliensibus, quorum pagi satis erant vicini; sed cum aegre admodum possent a suis bellis et ab hostibus victis comedendis revocari, quamvis baptismum desiderarent, cum magno delectu a nostris ad eum admittebantur; merito enim timebant ne ad antiquos mores redirent.

1737. Cum autem solus esset sacerdos P. Ambrosius, integro anno perseveravit in Missa duobus in populis dicenda, et in consequenti praedicatione singulis dominicis et festis diebus; deinde debilitas corporis, ex labore contracta, impedivit ne utrobique id facere posset.

1738. Erat pulchrum altare in hoc templo, ubi Salutatio B. Virginis per angelum depicta erat. Erat et fons pulcherri-  
mus, quem eo in loco valde optaverat P. Nobrega, cum domus aedificaretur, qui miraculo apertus esse videtur; cum enim vir quidam in arbore quadam esset, ejus ramos praescindendo, terra simul cum arbore mota fuit et aliquamdiu progressa, nec quicquam incommodi vir ille accepit; et unde arbor evulsa fuerat, inde fons scaturire coepit, ex cujus aqua bibentes multi, qui aegrotabant, sanitati restituti sunt; et in dies alii atque alii restituebantur.

1739. Situs etiam et prospectus terrae ac maris amoenus erat et aër salubris; sed hoc erat incommodi, quod ab oppido Portus Securi mediae leucae spatio domus et templum hoc separatum erat; et propter bella accidebat aliquando ut intempesta nocte amici eo venirent et nostros sollicitarent ut, sarcinulis suis acceptis, ad oppidum properarent propter motus bellicos indorum; quamvis divina Bonitas eos retinuit.

<sup>1</sup> "è qui una casa della compagnia della Inuocatione della nostra donna dell' aiuto, molto buona, et di grande deuotione.", Ambrosius Perez Patri Ignatio de Loyola, 15 Junii 1555, in *Diversi avist particolari dall' Indie di Portogallo, ricevuti dall' anno 1551 sino al 1558*, fol. 246.

1740. Ex obedientia Provincialis recedere debuit ex Portu Securo P. Ambrosius ad Bayam Omnium Sanctorum, quamvis cum dolore non exiguo incolarum illius Ducatus Portus Securi. Regio illa versus mare valde sterilis est, nam ad interiora, cum pauci sint christiani, penetrare non audent; et ita cum duos vel tres annos agri illi maritimi colebantur et fructum [non] reddebant, ut steriles relinquebantur. Est etiam molestus formicarum exercitus, quae quasdam velut forcipes habent in ore, quibus omnia quae plantantur abscindunt et desiccant; adeo ut incolae pro remedio utantur liberalitate pascendi formicas, ne oris veneno plantas illas corrumpant, ex quarum radicibus panis conficitur; et plus una nocte illae destruunt quam multi homines multis etiam diebus efficere solent; nec fieri potest hortus ullus, qui statim ab eis non corrumpatur <sup>1</sup>. Vites quidem optime illis in locis proveniunt, bis etiam singulis annis; sed servari ab huiusmodi formicis eas oportet; alioqui hodie plena fructibus et die crastina omnibus spoliata, desiccata, tantum ad ignis usum valet. Molesta etiam illis est locusta omnia consumens; itaque non deest peccatis sua punitio.

1741. Cum pervenit P. Ambrosius ad civitatem Salvatoris, quae est non solum Bayae Omnium Sanctorum, sed et totius Brasiliae caput, illi Collegio praeesse iussus est <sup>2</sup> et domui puerorum indorum; et omnes numero erant quadraginta quatuor <sup>3</sup>. Sed indi hujus regionis bellis infestabant christianos, beneficio sylvarum utentes, per quas illi, ut animalia, secure solent incedere. Christiani autem ne sine armis quidem (quae tamen illis sunt valde necessaria contra sagittas Brasiliensium) per eas possunt incedere. Sunt etiam illi in sagittando tam exercitati, ut fugientes, immo et natantes per mare innumerales conjiciant.

1742. Praeter P. Ambrosium solus illic sacerdos erat P. Antonius Perez, vir non vulgaribus virtutibus praeditus, et ea industria, ut manu sua aedificia omnia necessaria tam quae a fabris caementariis, quam quae a lignariis confici solent, melius quam ullus artifex ejus regionis fabricaret, quas artes in Brasilia didicit, dum charitas eum urgeret ut necessitatibus

<sup>1</sup> Sermo est de formica *Oecodoma cephalotes*, Latreille.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. C30, n. 1725.

<sup>3</sup> Numerum intellige puerorum indorum, qui sub nostrorum cura erant.

nostrorum subveniret. Nec solum industria valebat, sed et viribus corporis, ut plus operis ipse, quam duo alii artifices, posset efficere.

1743. Multis etiam pietatis operibus pro sua prudentia et humilitate cum optimo successu vacabat, et inter caetera, inter Episcopum et Gubernatorem ac ipsius filium cum magnopere inter se dissiderent et velut factionum capita erant, et inimicitiarum ac tumultus eo in populo causa esse poterant, sic pacem composuit, ut mutuo se illi in signum amicitiae inviserent, et filius Gubernatoris ad veniam ab Episcopo petendam accederet. Visitabat carceres et ibi detentorum negotia cum Gubernatore et iudice transigebat; pauperibus et viduis elemosynas curabat; hospitale visitabat et confessionibus etiam audiendis vacabat; nec interim tempus deerat, quod orationibus et contemplationibus impenderet.

1744. Antonius Blasquez, P. Antonium comitatus, pueros legere et scribere docebat: grammaticam etiam, ut hi essent discipuli Domini, docturus<sup>1</sup>. Utebantur autem opera puerorum, quos domi alebant, et fere mameluchi erant (sic vocant ex patre christiano et matre brasiliensi natos) tanquam interpretum ad agendum cum indis, quamvis et ille Petrus de Goëz, de quo superius memini<sup>2</sup>, cum puer in Brasiliam venisset, hoc officio interpretis fungi poterat. Erant autem inter hos octo indorum filii ex utroque parente, et quidem bonae indolis, et septem eorum jam christiani. Quatuor autem habebant servos ad ministeria domestica: unus autem valde bonus obiit, prius tamen cum magna ipsius et nostrorum consolatione baptizatus.

1745. Expectabatur in dies Provincialis adventus, ut Collegium, juxta Regis Portugalliae voluntatem, ea in civitate institueretur<sup>3</sup>.

1746. Consonat P. Ambrosii testimonium cum praedictis, qui spirituales fructus laboribus magnis non respondere in ea regione existimabat; quamvis operarii magna cum charitate et indefesso labore sterilem illam vineam excolerent; nec solum indi depravatorum suorum morum tenaces erant,

<sup>1</sup> Sic; sed sensum certo non attingimus; et, quoniam respondent haec illis Ambrosii Perez verbis *et podrà anco insegnar la grammatica*, existimamus id, quod Polancus scribendum a librario voluit, fuisse *si qui essent discipuli idonei, docturus*.

<sup>2</sup> Pag. 630, n. 1725.

<sup>3</sup> Vide *ibid.*

sed et christiani multi, quamvis et nostros reverebantur, et libenter eos audiebant, et multi etiam, ut diximus, relictis peccatis, vitam in melius mutassent.

1747. Sacerdotes etiam saeculares, vel ignorantia vel cupiditate ditescendi vel aliis vitiis, offendiculo erant civitati; et, quos nostri absolvi non posse judicabant, sine ulla difficultate hi homines hos absolvebant, majori utentes facultate, quam Deus Ecclesiae suae aut ejus Vicario reliquit; itaque quod nostri aedificabant, ex parte illi destruebant.

1748. Pueri autem, ex Portugallia missi, aliquid perturbationis nostris afferebant, quod eos alere nec facile nec commode possent; nam praeter farinam, ex praedictis radicibus confectam, quae bona erat, carniū et piscium et aliarum rerum necessariarum in usum hominum magna erat penuria. Ad sublevandos autem aegrotantes nulla fere remedia inveniebantur.

1749. In spiritualibus etiam illi adolescentuli valde periclitabantur, eo quod foeminae non solum nudaē incederent, sed hos adolescentulos insectarentur, et decipiebant interdum ut ad peccatum adducerent. Non itaque mittendos esse ullo modo censebat, nec quemquam, qui radices in virtute non egisset.

1750. Gerebatur bellum inter christianos et Brasilienses in hoc Ducatu, et multos ipsorum pagos incenderant, et procul a civitate Salvatoris eos abegerant, et ex vexatione aliquid utilitatis sperabatur.

1751. Redierat P. Navarrus ex illa peregrinatione, quam anno praeterito susceptam diximus <sup>1</sup>, et tam ipse quam ejus socii incolumes redierunt ad Portum Securum, ubi eum detinuit incolarum devotio. Ejus socii nec aurum nec argentum tulerunt, quia non ausi sunt penetrare ad quamdam provinciam, ubi haec metalla inveniri perceperant.

<sup>1</sup> Supra, t. III, pag. 474, n. 1017. Peregrinatio autem quam P. Joannes de Azpilcueta, dictus vulgo P. Navarrus, instituit, POLANCO hic ad annum praeteritum revocat; et re quidem vera, supra, t. IV, pag. 635, n. 1361, de ea loquitur tamquam de re praesenti: Pater vero VASCONCELLOS ei assignat annum 1552 his verbis: "Fazem menção d'esta missão do Padre Navarro o Padre Nicoláo Orlandino no livro 13, n.º 71 das Chronicas da Companhia, e o Padre Balthasar Telles tom. 1, liv. 3, cap. 9 das Chronicas de Portugal... nenhum com tudo declara o tempo d'ella: porém como por outra via consta que no principio do anno seguinte de 1553 se avistou o Padre Nobrega com elle em Porto-seguro (como logo veremos) fica provado que foi a partida no anno de 1552 em que a escrevemos." *Chronica da Companhia de Jesu do Estado do Brasil*, lib. I, n.º 122.

# DE PROVINCIA INDIAE ORIENTALIS

AC PRIMUM

## DE NAVIGATIONE NOSTRORUM

1752. • Duodecim ex nostris hoc anno prima die Aprilis Ulyssipona recesserunt in quatuor naves distributi <sup>1</sup>. In earum una P. Melchior Carnero, in altera P. Antonius de Quadros, in tertia P. Hieronymus de Cuenca, in quarta P. Gonzalez reliquorum caput erat. Omnes optimum sui odorem in suis navibus sparserunt: praedicationibus, christianae doctrinae explicandae, confessionibus audiendis, casibus conscientiae dissolvendis, infirmis curandis et aliis piis operibus, pro more Societatis, operam dederunt.

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 577, n. 1232, annot. 2.—En ex Orlandini et Tellez omnium nomina.

ORLANDINI	TELLEZ
1. P. Melchior Carnerius, Episc. designatus.	1. P. Antonio de Quadros.
2. P. Antonius Quadrius, Superior.	2. Outro sacerdote.....
3. P. Emm. Fernandius.	3. Hu Irmán.....
4. P. Michael Barulus.	4. P. Melchior Carneyro..
5. P. Joannes Bocchius, <i>belga</i> .	5. P. Manoel Fernandes..
6. P. Hieronym. Concha.	6. Hum Irmán.....
7. P. Andreas Consalvius.	7. P. Jeronymo de Cuenca .....
8. P. Paschalis <i>Catalaunus</i> .	8. P. Joam <i>Framengo</i> ..
9. F. Alphonsus Lopus, scholasticus.	9. Hum Irmán.....
10. F. Antonius Acosta, novitius.	10. P. André Gonçalves..
Et hi quidem in Aethiopiam destinabantur.	11. P. Paschoal Catellám..
Praeter quos in Indiam solverunt, Goae latinitatis scholas habituri, duo, scilicet.	12. Irmán Affonso Lopez
11. Marcus Nunnius.	Navarro, theologo de
12. Josephus Riberius.	muyto bõ talento. ....

In navi *Nossa Senhora da Barca*.

In navi *S. Philippo*.

In navi *Assumptione*, alio nomine *Algaravia a velha*.

In navi *Conceptione*, dicta alio nomine, *Algaravia a nova*.

1753. Et illa quidem navis, in qua P. Carnerus vehebatur, insulam, quam Mozambichem <sup>1</sup> vocant, attigit, nongentis leucis ab India distantem; aegrotantes ergo ad hospitale deduxerunt, et in eodem ipse P. Melchior cum sociis hospitium habuit, et eorum ac aliorum plurimorum, qui ex navibus descenderant, confessiones audiebant, et in populo Mozambiche cum fructu verbum Dei P. Melchior praedicavit.

1754. Inde autem centum aethiopes vel *cafres*, ut ipsi vocant, secum adduxerunt, et postquam viginti fere diebus in christiana doctrina eos docuerunt, baptismum eis ministrarunt. Et tam de his neophytis, quam de veteribus christianis benemeriti, circa festum Nativitatis B. Virginis Goam appulerunt.

1755. P. Antonius de Quadros in eadem navi, qua praefectus ejus classis <sup>2</sup> vehebatur, et post paucos dies aliae ab aliis navibus pro more separatae fuerunt. Ipse autem P. Antonius, quamvis nauseabundus, ipso die Palmarum concionari coepit, et curavit ut omnes illi confiterentur; quia ea Quadragesima, propter festinationem conscendendi naves, confessi non fuerant; et alii multi, quamvis id fecissent Ulyssiponae, nihilominus hac Hebdomada Sancta ex devotione confessi sunt, prout illos fuerat adhortatus.

1756. Divina etiam officia ejus Hebdomadae [peracta sunt et] praedicatio Passionis Domini in die Parasceves secuta est cum magna spirituali consolatione. Et ipso die Paschae, ultra insulas Capitis Viridis <sup>3</sup> progressi, et tractum maritimum Ghineae ingredienti, unam ex navibus suae societatis <sup>4</sup> viderunt et die sequenti alteram; et mutuis colloquiis se invicem consolati sunt.

1757. In navi, cujus nomen erat S.<sup>ti</sup> Philippi, veniebant P. Melchior Carnero et P. Emmanuel Fernandez; in altera, cui nomen erat Assumptionis, P. Hieronymus de Cuenca cum socio; et aliquamdiu simul [naves] procedentes, deinde separatae sunt usque Indiam.

1758. Inventa fuit muliercula quaedam in praetoria navi,

<sup>1</sup> Mozambicum.

<sup>2</sup> Leonardus de Sousa. Vide supra, pag. 609, n. 1676.

<sup>3</sup> Cabo Verde.

<sup>4</sup> Scilicet unam ex eis, quae eodem die Ulyssipona solverant, in qua socii alii vehebantur, quaeque pars erat classis in Indiam navigantis.



quae furtim in illam irrepserat; sed antequam aliae naves recederent, curavit P. Quadros ut in navim Assumptionis transferretur, et <sup>1</sup> in cubiculo quodam inclusa, usque in Indiam deducta fuit; et ibi in honesta domo collocata, honestam et ipsa vitae rationem instituit.

1759. Undecima die Maji lineam aequinoctialem transierunt; et quia non passi fuerant aestus magnos (prout assolent aliis annis) pauci eo tempore et leviter aegrotarunt. Et judicatum est juvisse valetudinem quod paulo largius aqua ibi fuerat distributa; ad hoc usque tempus nullam gravem tempestatem passi fuerant, praeter quam ipso die S.<sup>ti</sup> Marci, ubi ventorum vis sic navim inclinabat, ut alterum ejus latus sub aqua jam summam oram haberet, donec vela omnino restricta fuerunt; sed post octo vel novem horas tempestas haec et periculum cessarunt, quia <sup>2</sup> deinde, deficiente vento, parum admodum procedebant, et multis processionibus factis <sup>3</sup>, sexta die Maji cum quatuor gradibus a linea aequinoctiali distarent, quidam venti, quos generales vocant, navim impulerunt; et ita 11 Maji, ut diximus, ultra lineam progressi sunt.

1760. Ad hoc usque tempus, praeter propria munera Societatis, ministerio aegrotantium sic vacabant, ut quae in suum usum ex Portugallia attulerant, eis distribuerent; cum enim corpore valerent, non existimarunt <sup>4</sup> illis esse utendum pelliceis <sup>5</sup>, quae in aegrotantium subsidium eis donata erant.

1761. Diebus dominicis et festis Missam *siccam* <sup>6</sup> cantabant, quam concio sequebatur; et quamvis initio post Pascha parum viderentur propensi ad conciones audiendas, postea eis delectabantur et proficiebant. Quidam frater noster, nomine Joseph <sup>7</sup>, juvenibus, qui multi erant, quotidie christianam doctrinam proponebat; aliquando etiam toti navi per modum concionis eam explicabat. Utile etiam experiebantur quibusdam horis per navim egredi, et, cum hominibus loquendo, ad con-

<sup>1</sup> Ms. habet *ut*.

<sup>2</sup> Sic; rectius forte *quamvis*.

<sup>3</sup> Supplicationibus scilicet institutis, quae *processiones* appellari jam consueverunt.

<sup>4</sup> *Existimavit* est in Ms.

<sup>5</sup> *Pelliceis* habet Ms.; sed scribendum *pelliceis*, scilicet *vestibus*; quamvis existimamus positum pro eo, quod hispanice dicitur *pellica*.

<sup>6</sup> In qua non conficiebatur sacramentum.

<sup>7</sup> Josephus Ribeiro, seu Duarte. Vide supra, pag. 698, n. 1674, et pag. 640, n. 1752.

fessionem eos allicere; et tam multi confluebant, praecipue sub festum Pentecostes, ut quamdam speciem Hebdomadae Sanctae referrent. Post hoc festum Josephus, cujusque mensis sanctos singulis distribuens ex martyrologio, eos in die, quo celebrabatur festum sancti, ad confessionem obligabat; et ita singulis diebus quatuor vel quinque vel etiam sex ad confessionem accedebant; nam si quis memor non esset, Josephus eum commonefaciebat.

1762. P. Michaël Barul, qui in hac navi vehebatur, confessionibus etiam erat intentus, sed peculiari quodam zelo iuramenta et ludos ex navi eliminare studuit; et tam ferventer homines confessioni instabant, ut defatigationis excusationem nullam admitterent, et prorsus erat hominum devotio ut omnes usque ad unum confessi fuissent, nisi occupationes aegrotantium, de quibus infra agetur <sup>1</sup>, impedivissent; et ex faece gravissimorum peccatorum aliqui per misericordiam Dei emergerunt.

1763. Composuerunt etiam quasdam inimicitias magni momenti; et ne otiosi desiderent in navi multi, egrediebatur Joseph et in media navi librum quemdam spirituales legebat, ad quem audiendum undique conveniebant: nec poenitendus fructus ex his et hujusmodi capiebatur.

1764. Caput S.<sup>ti</sup> Augustini \* 23 Maji transierunt. Sed 26 ejusdem mensis alia tempestate valde saeva agitati fuerunt, quae vela abruptit; et si brevis admodum non fuisset, cessante vento, aut si velum ipsum non fuisset concisum, nullo modo resisti potuisset, ut nauclerus dicebat, ventorum furori.

1765. Ipso die S.<sup>mæ</sup> Trinitatis, 12 Junii, altitudinem capitis Bonae Spei ingressi sunt, et debilibus admodum adjuti ventis, tandem 7.<sup>a</sup> Julii caput Bonae Spei transierunt, et parum abfuit quin naufragium facerent, nisi vidissent, die lucescente, quod in syrtes quasdam forti vento ferebantur; et rursus progredientes versus portum Mozambiche, pridie festi B. Virginis Nivium <sup>3</sup> in alias syrtes prope insulam S.<sup>ti</sup> Laurentii jam jam

<sup>1</sup> Num. 1766.

<sup>2</sup> "*Cabo de S. Agostino*, promontorium Americae meridionalis in Brasilia cum valida arce, in Praefectura Pernambuci; sex leucis germanicis distat ab Olinda in Austrum." FERRARI, *Lexicon geographicum*.—In Orientalem Indiam vela facientes oportet Brasiliae oras attingere, quo ventos marisque fluxus capient opportunos.

<sup>3</sup> Festum Dedicationis Basilicae Sanctae Mariae ad Nives agitur die 5.<sup>a</sup> Augusti.

navis erat ingressura; sed quidam, piscatum forte egrediens, id animadvertens, coepit clamare; et sic omnes nautae attoniti effecti erant, ut vix nauclerus compos esset ut alio navim averteret; sed tandem declinantes, eadem nocte in alias syrtes propemodum inciderunt, quae, quia non erant in charta naucleri depictae, credere nolebat quod vicinae essent; sed quidam ex nautis in alia sua charta syrtes illas descriptas habebat, et, non credente nauclero, P. Quadros praefectum ipsum classis adivit et, auctoritate sua usus, compulit nauclerum navim avertere ab illo loco; quod si non fecisset, ibi peritura navis erat, ut oculis paulo post inspexerunt; usque adeo periculosa est ea navigatio, ut qui non mortem jam animo devoravit, vix possit non magnis molestiis et animi anxietate torqueri; quae tamen hujus vitae ac rerum temporalium amatores angunt, ea contemptores et qui Dei gloriam atque animarum salutem quaerunt, consolationibus spiritualibus replere<sup>1</sup> solent.

1766. Post caput Bonae Spei a tergo jam relictum multi in varias aegritudines incidere coeperunt; nostri autem non solum curam illorum gerebant, sed in cubiculum suum aliquos gravius laborantes recipere coeperunt. Et primo quidem quemdam, febribus et caduco morbo laborantem, receperunt, quem quindecim diebus sanitati Deus restituit; sed donec in Indiam pervenerunt, duos vel tres aegrotantes in proprio cubiculo habuerunt. Ipsi autem extra illud in tabulis dormiebant, quamvis non solum defatigati, sed ex laboribus infirmi aliquando essent. Inter hos hospites quidam ex pleuritide in frenesim incidit: parum abfuit quin P. Antonium Quadros calcibus occideret, et facile id accidisset, nisi calcium impetu portam evertisset cubiculi<sup>2</sup>.

1767. Cum etiam P. Michaël aegrotare inciperet, pondus<sup>3</sup> supra Patrem Quadros et Josephum inclinavit, qui non solum aegrotantium multitudini serviebant, sed postquam omnia, quae ad suam sustentationem attulerant<sup>4</sup>, indigentibus dederant, ele-

<sup>1</sup> Ms. *repleri*.

<sup>2</sup> "e mi cominciò a dar tanti calci, che se non si rompeva una tavola della camera con la forza delli calci, per donde io hebbi luogo di fuggire, penso che m'ammazzava." Antonius de Quadros fratribus conimbricensibus, 18 Decembris 1555.

<sup>3</sup> Scil., totum laboris pondus

<sup>4</sup> Vide supra, pag. 611, n. 1680.

emosynas a primoribus ejus navis in usum aegrotantium petere coeperunt, et praefectus large omnia necessaria suppeditare coepit. Quemdam etiam amicum habebat <sup>1</sup>, qui aliqua remedia adhibere noverat; et nostri pharmaca conficiebant, et infima quaeque ministeria praestabant quadraginta vel quinquaginta aegrotantibus, et cibum eisdem coquebant tanto cum labore, ut nemo nostris non compateretur.

1768. Succubuit labori tandem Josephus et in morbum incidit, et, quod ei suppeditaret in cibum cum pauperibus dedissent, non habebat nisi ex eleemosynis, quae abunde ad ejus et aliorum usum suppeditabantur, et ipsi etiam nautae delicata quaedam, quae ipsi attulerant, in usum aegrotantium mittebant.

1769. Solus jam supererat P. Antonius, cui valetudinem et vires Dominus conservavit, ne alii multi morerentur, qui haud dubie, si humana expectentur, sine ejus opera mortui fuissent. Quamvis autem hoc tempore, quo tam multis aegrotantibus inserviebat, confessiones audire non poterat, nunquam tamen diebus festis et dominicis concionem intermisit; quamvis nullum prorsus studii tempus superesset, nunquam melius concionatus fuisse dicebatur: aliquando tamen auditores expectare oportebat donec ipse cristeres <sup>2</sup> aegrotantibus exhibuisset; quibus animadversis, tanto amore nostros tota illa navis prosequabatur, ut eos in visceribus gestare viderentur. Et multi veniam petebant quod offensi fuissent, dum viderent nostros tam multa in navim inferre; nam postea viderant quod delicatiora prorsus in aegrotantium usum expenderant: et reliqua, ad sustentationem nostrorum illata, etiam indigentibus largiti <sup>3</sup> fuerant, et commodas habitationes, quas magno pretio Rex ipsis comparaverat <sup>4</sup>, eorundem infirmorum hospitium fecerant.

1770. Cum autem in quodam sermone exaggeraret necessitatem multorum, quae quodammodo extrema videbatur, praefectus classis, ut vir bonus erat, postridie jussit bonum

<sup>1</sup> P. Antonius de Quadros.

<sup>2</sup> Hispanicae *clister* et *clistel*, a voce graeca κλύζω Vide *Litterae Quadrimestres*, t. 1, pag. 113.

<sup>3</sup> Ms. *largita*.

<sup>4</sup> Vide supra dicta, annot. 7, ad n. 1580.

vinum hominibus dari; et praeter mensam, quam Regis famulis proponebat, aliam pauperibus proposuit, ad quam conveniebant quotquot ea capere poterat, et ipsemet praefectus inter ipsos cibum capiebat. Deinde conjunxit mensam pauperum cum mensa nobilium, et ita multos pauperes aluit; et fatebantur homines quod multi fame periissent, si nostri in ea navi non venissent.

1771. Non pervenerunt ad portum Mozambiche; sed errore quodam naucleri, qui alibi quam erat se esse putabat, in syrtes alias propemodum inciderunt, a quibus etiam Deus eos eripuit; et dum se putabant prope Goam esse, animadverterunt se esse prope exitum maris Rubri et prope Arabiam Felicem esse; et hic error accidit etiam aliis navibus, propter maximos aquarum decursus, qui hoc anno acciderunt.

1772. Demum 9.<sup>a</sup> die Septembris Goam pervenerunt, cum biduo eos naves S.<sup>ti</sup> Philippi et Assumptionis praecesserant, in quibus P. Melchior Carnero et Hieronymus Cuenca veniebant <sup>1</sup>.

1773. At alia navis Conceptionis, in qua P. Gonzalez cum P. Paschale et fratre Joanne Lopez veniebant, non eundem successum habuit <sup>2</sup>; nam quingentis fere leucis ab insula Goac navis in syrtes quasdam impexit ac naufragium fecit <sup>3</sup>; sed omnes vectores evaserunt in quamdam insulam, quae praeter arenam et lapides nihil ad usum hominum habebat, praeter fontem quemdam aquae dulcis; quae cooperta etiam erat ex parte, sed detecta fuit. Ducenti fere homines in illam evaserunt; qui autem praerat navi <sup>4</sup>, in ipsa scapha navis cum quadraginta fere hominibus Goam per vastum illud pelagus pervenit. Interim Pro-rex aliquot biremes (*fustas* vocant) cum eodem duce remisit et cum peritissimo quodam nauclero, ut nostros et alios etiam homines inde abduceret.

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 640, n. 1752.

<sup>2</sup> Ms. *habuerunt*.

<sup>3</sup> XI Kal. Septembris. ORLANDINI.—Porro de hoc miserrimo naufragio scribunt TELLEZ, *Chronica da Companhia de Jesu*, Part. 2, livr. 6, cap. 11; ALCÁZAR, *Chronica de la Prov. de Toledo*, Dec. 11, Año v, cap. 11, § 14 y v. (Vide *Carias de San Ignacio*, t. v, pag. 464.—Et in eodem opere et tomo pag. 472, n. 15, *fragmentum epistolae* P. MICHAELIS *Baruli*). Cf. ORLANDINI, *Hist. S. J.*, P. 1, lib. xv, nn. 124-127.

<sup>4</sup> "Era Capitán Francisco Nobre." TELLEZ, op. cit.—Et "Maestro de la nave (nauclerus) Juan Luis, hombre nacido para dar al través y perder naves, y con ellas á los pasajeros." ALCÁZAR, op. cit., *ibid*.

1774. Ex his, quae in navi ad sustentationem hominum ferebantur, educta fuerunt quae educi potuerant, ex quibus aliquot dies cibum habere poterant; sed ex confractae navis lignis navigium quoddam novum confecerunt, in quo fere quinquaginta homines vastum illud mare transeuntes, Goam etiam venerunt. Invitabant illi aliquem ex nostris ut secum iret; sed ne centum quinquaginta homines sine consolatione spirituali relinquerent, quorum susceperant curam, manere cum eis voluerunt, ut illi ipsi referebant qui Goam venerant; quamvis nostri scripserunt quod venire quidem voluissent, ut obedientiae satisfacerent, quae ad regnum Aethiopiae eos destinabat; sed quod visum fuerat convenire ut cum aliis manerent; et populo quidem magnae aedificationi id fuit, immo et Regi ac Principibus Portugalliae.

1775. Erat autem insula illa, ubi substiterant, valde parva; tantum enim in circuitu tria millia passuum habere dicebatur, et ideo difficile poterat inveniri; et nec arbor, nec frutex aut herba ulla in ea nascebatur; et prope insulas Maldivae<sup>1</sup> ea esse ferebatur, quae decem aut undecim millia<sup>2</sup> esse dicuntur, et ex illis duo millia habitari. Qui inde navigaverant in duabus scaphis jam dictis partem ciborum secum tulerant, et tamen quinque jam fere dies a cibo abstinuerant priores cum in Indiam pervenerunt; qui autem posteriores inde recesserunt quinque tantum saccos panis illi multitudini relictos dicebant, sed piscabantur satis multos pisces et nitebantur aliquas aves aquatiles, quae ad insulam veniebant, capere. Sed cum tres illae biremes<sup>3</sup> eo pervenerunt, jam nostros simul cum aliis fame extinctos invenerunt. Sic enim placuit divinae Bonitati eorum longam peregrinationem brevi compendio absolvere.

1776. Aliquod simile periculum navis S. Philippi, in qua P. Melchior et Emmanuel<sup>4</sup> veniebant, passa est; et cum per

---

<sup>1</sup> Polanci librarius scripserat *Malivinae*; sed emendavit recte Sacchinius supra scribens *Maldivae*. "*Les Maldives*, insulae Indiae, seu multitudo insularum, in mari Indico, fere 130 leucis a promontorio Comorino in occasum. Sunt pro maiori parte satis parvae; extendunturque a septentrione in meridiem per 300 leucas circiter; sed dividuntur in 18 partes, quas vocant *Atollons*... Ab eis mare adjacens dicitur Archipelagus Maldivarum.", FERRARI, *Lexicon Geographicum*.

<sup>2</sup> Ms.  $\frac{m}{11}$ .

<sup>3</sup> Vide supra, n. 1773.

<sup>4</sup> PP. Melchior Carneiro et Emmanuel Fernandez.

altitudinem capitis Bonae Spei non progressum facerent, ut a Domino auxilium impetrarent, novem dierum processiones Domino voverunt; et antequam illae absolverentur, prospere caput praedictum Bonae Spei praetergressi, versus insulam Mozambiche processerunt; et in ultima processione, quae valde sollemnis fuit, multos habuerunt, qui magna cum devotione se flagellis caedebant; et quia diu commorati in mari fuerant, decernebant, non attingendo insulam Mozambiche, recta Goam pergere.

1777. Pauperes autem cum multis lacrymis postulabant ut in insulam Mozambiche potius irent et ibidem hyemarent; periculosum enim esse valde solet et cum multorum morte iter illud tenere, quod, non attingendo insulam Mozambiche, destinabant.

1778. Pater autem Melchior Carnero pauperum causam suscepit, et rogabat navis praefectum ut potius Mozambiche hyemare vellet, quam periculis mortis vitam multorum exponere. Praefectus autem, ut P. Melchiori satisfaceret, peritorum coacta congregatione, juramento eos adegit ut quid facto opus esset dicerent. Omnes autem jurarunt, relicta insula Mozambiche, iter exterius tenendum esse. Cum ergo id magno cum dolore pauperum esset constitutum, suscepit eorum patrocinium Deus, et validum quemdam ventum immisit, qui omnino iter, quod ipsi destinabant, prohibuit, et recta eos ad insulam praedictam Mozambiche retulit, quo eos secunda die Augusti perduxit; et tamen non propterea ibidem hyemare oportuit; quin potius in Indiam, antequam praetoria navis, ut superius diximus<sup>1</sup>, pervenerunt.

1779. Et non omittam quod vir quidam dives et bono intellectu praeditus, qui ex insula S.<sup>ti</sup> Laurentii in Mozambiche venerat, retulit P. Melchiori Carnero, in quadam praedictae insulae parte omnes esse albi coloris, quos oriundos a Sinensibus putabat; et quia naturae mitis ac bonae illi erant, fructum non mediocrem capere posse Societatem ex eis affirmabat. Et quamvis odorem aliquem sectae Mahometanae tenebant, in ea instructi non erant. Immo, cum vir hic et ejus uxor aliquas imagines secum adduxissent, illi parati erant ad omnia, quae do-

<sup>1</sup> Pag. 641, n. 1754.

cerentur, sectanda. Orationum formulam scire cupiebant, qua utebatur, quam aliquas alias (*sic*) mulieres docuerat; et suis expensis vir hic lusitanus nostros deducere volebat; et si sancta obedientia id probasset, libenter P. Melchior id tempus, quod in India exigere debebat, dum Aethiopica expeditio parabatur, in illa insula exegisset; quia classe magna opus erat ad nostros in Aethiopiam deducendos, et bono comitatu ad mediterraneum iter conficiendum, eo quod turcae loca illa maritima occupaverant, per quae in Aethiopiam ingrediendum erat. Classem etiam illi habebant in mari Rubro, quamvis circa haec tempora praecellaram victoriam navalem Lusitani a praedictis Turcis (quos *rumes* vocant) reportaverant, multis triremibus eorum captis, aliis combustis, et reliqua demum classe dissipata.

Et haec de navigatione nostrorum sint dicta.

#### DE COLLEGIO GOAE

1780. Pauci ex nostris sacerdotibus in hoc Collegio, cui praeerat P. Balthasar Diaz, sub initium hujus anni erant, adeo ut Pro-rex D. Petrus Mascaregnas, ut suis litteris ad P. Mironem scripsit, de eorum paucitate conquereretur; multi enim obierant, ut jam alibi diximus <sup>1</sup>; P. Melchior Nugnez in Japonem recesserat et alii ad alia loca; et ita plus satis magnos redditus habere ei videbatur Goënsse Collegium et operarios multos submitti postulabat; nec enim ad tam multa collegia admitenda in Portugallia tenebatur ex evangelica lege, sed animabus proximorum in tanta necessitate constitutis debere subvenire; nec esse mittendos in Indiam eos censebat, quibus facile carere in Portugallia poterant, sed optimos quosque et virtute et rerum experientia praestantes; et ita suo nomine P. Ignatio scribi et aliis, qui ejus nomine Societati illis in locis praeerant, jubebat.

1781. Judicavit idem Pro-rex aliquem ex nostris in Aethiopiam mittendum esse ut praecursor esset Patriarchae, et inte-

---

Vide supra, t. IV, pag. 661, n. 1423 et seq.



rim lusitanis, qui ei inserviebant non pauci, spirituale auxilium afferret <sup>1</sup>, qui confessarium nullum habebant. Pater quidem Balthazar Diaz penuriam operariorum dissimulare non poterat; sed cum Pro-regem ad hanc missionem propensum videret, qui in mandatis hoc a Rege Portugalliae se accepisse dicebat, elegit P. Gonsalvum Rodriguez cum duobus fratribus nostris, quorum alter cum ipso in Aethiopia maneret, alter autem renuntiaret quo in statu res essent, in Indiam rediens <sup>2</sup>; et ita praedictum P. Gonsalvum ex praedicto Collegio Bazaini evocans, ejus loco P. Franciscum Bieram misit.

1782. Magna prorsus missio Aethiopiae videbatur; sed in tanta operariorum paucitate plus nostri amplecti quibusdam videbantur, quam stringere possent. Mense ergo Januario <sup>3</sup> hujus anni praedictus P. Gonsalvus Rodriguez cum duobus sociis profectus est, de cujus navigatione inferius agetur <sup>4</sup>.

1783. Non sine causa multi operarii a nostris expetebantur; nam ex eorum defectu in regione Commurini, ut numero ita et firmitate fidei ac religione caeteris praestante, multi defecerant a fide, cum pene solus esset P. Henricus Henriquez, quamvis aliqui etiam ex Praefectis regni Portugalliae aut Gubernatoribus hujus defectionis causa erant, quibus tamen omnia Rex committebat: et aliqui ex eis nostros persequiebantur et bellorum contra christianos novos causa erant, et necessaria etiam ad sustentationem P. Nicolao <sup>5</sup> cum quinquaginta pueris Indorum, quos domi habebat, deerant; et cum de illis Pro-regem allocutus esset, respondit ille, partim quod non totum orbem complecti deberemus, partim quod reditus valde magnos nostrum Collegium Goënsse habebat, nec haberet in quo eos expenderet; et tamen sub initium hujus anni mille fere aureos aeris alieni Rector illius Collegii contraxerat. Et quamvis hoc

<sup>1</sup> Ms. *adferrent*.

<sup>2</sup> Unum tantum socium nominat TELLEZ, *Historia geral da Ethiopia a Alta*, lib. II, cap. 23, scribens: "Era neste tempo Reytor de nosso Collegio de Sam Paulo de Goa o Padre Balthazar Dias, o qual, feyta consulta, nomeou pera esta jornada a o Padre Mestre Gonçalo Rodrigues, varam de raro exemplo, e de muytas letras e lhe deu por companheyro o irmam Fulgencio Freyre, que, antes de ser Religioso, tivera na India cargos honrados nos quays tinha servido muyto bem a El Rey, mais depois na Companhia servio muyto melhor a Deos. Tudo isto conta tambem Diogo do Couto no lugar citado. *Decad.* 7, lib. 1, cap. 7 et 8."—Unum etiam tantum ipse Polancus infra, n. 1896.

<sup>3</sup> Septima Februarii ait TELLEZ, l. c.

<sup>4</sup> N. 1896 et seq.

<sup>5</sup> Patri Nicolao Lancilotto. Vide supra, t. IV, pag. 564, n. 1214.

significavit Pro-regi, videbatur ille ad redditus Collegii immi-  
nuendos animum adjecisse; et circumferebatur in India, quod  
ad hoc usque tempus Pro-reges ac Gubernatores detrahebant  
de bonis Regis in usum suum et aliorum; sed modo venisse  
D. Petrum, qui quod Rex hominibus dederat ab eis detrahebat,  
eo quod Regem pauperem esse diceret. Demum si non mitteret  
sequenti anno duodecim vel quindecim ex nostris Provincialis  
Portugalliae, admissurum se scribit complures ex militibus [in]  
Societatem vel Pro-regem redditus diminuturum esse; et nimis  
familiarē esse Pro-regem Societati scribit, et ipsum dicere  
solitum esse quod non minus, immo magis, de rebus Societatis  
nostrae ipse sciret quam Rector Collegii. Et ita judicabat si-  
miles homines minus domesticos esse debere, nec in aliquod  
cubiculum domus nostrae admitti debere. Sed paulo post ipse  
Pro-rex lenius agere coepit, et nostri cum Regis fisci<sup>1</sup> procura-  
tore D. Cosmo Agnes<sup>2</sup>, qui Societati valde addictus erat,  
omnia negotia temporalia tractare coeperunt<sup>3</sup>.

1784. Prima die Januarii venit Pro-rex ad Collegium no-  
strum sub auroram, quia festum nominis Jesu eo die celebratur,  
et concionabatur aliquis ex Dominicanis; Franciscani autem  
Missam decantabant; et eodem die Pro-rex Rectori Baltha-  
sari confessus est, et de ejus manibus SS.<sup>mam</sup> Eucharistiam  
accepit; quod quibusdam parum placuit; et prorsus nostris  
convenire videbatur in India Pro-regum et Gubernatorum con-  
fessiones non audire; quamvis de hoc Pro-rege existimabatur  
quod nihil nisi Dei et Regis servitium ante oculos haberet<sup>4</sup>.  
Eodem die reliquit in Collegio puerum quemdam octo fere  
annorum, qui Ceilani Rex erat, qui simul cum aliis a nostris  
institueretur; D. Joannes vocabatur. Ibidem erat et alius ipsi<sup>5</sup>  
subditus, sed ex principibus ejus regni, D. Alphonsus.

1785. In Societatem receptus fuit Franciscus Chabral<sup>6</sup> no-  
bilis lusitanus, qui nostris Conimbricae notus fuerat, et in spi-  
ritualibus Exercitiis egregie proficiebat. Admissi etiam fuerunt

<sup>1</sup> Ms. *fisco*.

<sup>2</sup> Cosmus, vel Cosmas, Anes. Vide supra. t. iv, pag. 663, n. 1427.

<sup>3</sup> Ms. *coepit*.

<sup>4</sup> Vide tamen supra, t. iv, pag. 662, n. 426.

<sup>5</sup> Scil., regi Ceilam.

<sup>6</sup> Sic; scribitur tamen frequentius et, ut videtur, rectius *Cabral*.

duo gentiles ex his quos Gogues <sup>1</sup> vocant, similes illi Paulo Ormuziensi <sup>2</sup>; sed tamen hi multo peritiores erant illo; octodecim linguas noverant. Hos autem separatos esse voluit in puerorum indorum domo, nec cum fratribus nostris aut externis commorari Rector sinebat.

1786. Ibi autem aliquot cubicula conficienda Rector curavit in usum catechumenorum; et ita hi Joghi catechismum discabant, nec prius ad baptismum eos admittere volebat, quam optime, quae fidei nostrae essent, perdicerent.

1787. Paulus Ormuziensis ex Portugallia in Indiam venerat et nostris crebro confitebatur; sed in eo amor pecuniae nimius cernebatur et plus satis ad ducendam uxorem properabat <sup>3</sup>.

- 1788. Concionabatur Goae pro more suo P. Balthasar Diaz, Rector, tum dominicis, tum festis diebus in templo nostro, et cum frequenti admodum hominum concursu et aedificatione. Diebus mercurii in hospitali Regio idem praestabat.

1789. Hoc anno in Collegio Goae centum christiani et amplius instructi et baptizati fuerant, partim brachmani, partim chanarini <sup>4</sup>. Alii etiam Aethiopes, Persae et aliarum nationum, qui omnes prius diligenter in christiana doctrina exercebantur; quod ante illud tempus in India non perinde diligenter ab aliis religiosis vel saecularibus fiebat, et ita ad vomitum multi redibant.

1790. Excipiebantur ergo hospitio qui ad fidem Christi accedere volebant, et duos vel tres menses in parte quadam domus, quam aedificandam ipsemet Rector curaverat, conjuncta cum Collegio puerorum, instituebantur, ac deinde cum profecisse viderentur quantum satis esset in doctrina fidei, baptizabantur, juxta illud Domini praescriptum "*docete omnes gentes*", et postea subdit "*baptizantes eos*".

1791. Mulieres in quodam hospitali, quod Collegio nostro

<sup>1</sup> Rectius *Jogues*, infra *Joghi*, et *Gioqui*.

<sup>2</sup> Paulo Sanfidio (*de Santa Fe*), de quo jam saepius in hoc *Chronico*.

<sup>3</sup> Vide supra, t. III, pag. 398, n. 873; et pag. 409, n. 904; et t. IV, pag. 531, n. 1130.

<sup>4</sup> Sic; existimamus tamen hos esse, qui apud PAGÈS, *Lettres de Saint François Xavier*, lib. II, pag. 123, designantur voce *caçanars*, et apud MENCHACA, *Sancti Francisci Xaverii, Indiarum Apostoli, Epistolarum* lib. I, epist. XXIX, pag. 131, *Canacar*. De quo POSSINUS in *Indiculus exegetico*, p. LXII, ait: "Canacar hic usurpatum nomen in illis partibus designat Judicem Majorem, Magistratum auctoritatis illic magnae."

conjunctum erat, instruebantur sub honesta quadam et perspectae virtutis matrona, et P. Paulus <sup>1</sup> italus earum institutioni praeerat, et deinde baptismo regeneratas dimittebat.

1792. Emerat autem P. Balthasar domos quasdam Collegio vicinas, et ad studia publica scholas quasdam conficiebat, ubi nostri suas lectiones possent prosequi.

1793. Collegium, quod diximus <sup>2</sup>, puerorum indorum septuaginta vel octoginta sub hujus anni finem habebat, et praeter duos illos Principes, Joannem et Alphonsum dictos <sup>3</sup>, tertius Ormuzio venerat, nomine D. Antonius. Erant et inter alios aliqui lusitanorum filii ex mulieribus lusitanis vel indis, ut suo exemplo et colloquiis alios adjuvarent. Aliqui eorum legere et scribere et praxim arithmeticae addiscebant; triginta et quatuor ex eis latinis litteris dabant operam, et inter eos aliqua erant praeclara ingenia. Praeerat eis idem P. Paulus cum duobus ex nostris Patribus, qui studiis operam dabant.

1794. Quamvis fructus egregius percipiebatur ex nostrorum laboribus Goae et in aliis Indiae locis, conficiebantur tamen pauci operarii messis magnitudine; et ideo jucundissimus fuit nostrorum adventus, qui hoc mense Septembri in Indiam appulerunt, et pulsus campanarum Cathedralis ecclesiae in laetitiae signum nostros commonefecit naves ad portum appulisse. Occursus etiam multorum, qui ad Collegium congratulaturi veniebant, aliquos ex nostris venisse significaverat <sup>4</sup>.

1795. Misit ergo P. Balthasar duos ex fratribus cum scapha ad portum, duabus leucis distantem, et occurrerunt reliqui collegiales venientibus, quos plurimi etiam homines cum magna laetitia deducebant; nec facile esset explicare quanta laetitia et nostros et externos perfuderint, quamvis intellectum sit majorem eorum partem in Aethiopiam destinatam esse; et post aliquos dies praefectus navis, quae fecerat naufragium, cum sociis, ut supra diximus <sup>5</sup>, venerat. Sed ante initium Novembris redire non potuit idem praefectus cum tribus biremibus, propterea quod venti contrarii id impediabant.

---

<sup>1</sup> P. Paulus Camers, seu ex *Camerino*.

<sup>2</sup> Supra, pag. 650, n. 1783.

<sup>3</sup> Supra, pag. 651, n. 1784.

<sup>4</sup> Vide supra, pag. 641, n. 1751 et pag. 645, n. 1772.

<sup>5</sup> Pag. 646, n. 1773.

1796. Ipsi gentiles aedificationem accipiebant non medio-  
crem cum populum tam laetum ex adventu nostrorum vide-  
rent; et fuit qui ad plateam se conferens, duodecim sedes valde  
commodas emeret, ut qui venerant ex nostris in eis sedendo  
conquiescerent. Sed cum Constitutiones et Regulae Societatis,  
ab his in Indiam allatae, hoc anno publicari coeperunt, mirum  
quanta alacritas et aviditas <sup>1</sup> ad eas audiendas et promptitudo  
ad observandas in nostris cerneretur <sup>2</sup>.

1797. Postquam aliquot dies conquieverunt, de studiis insti-  
tuendis actum est, et lectiones grammaticae, logicae et casuum  
conscientiae institutae fuerunt. Marcus Nugnez orationem  
publice habuit nostro in templo, coram Pro-rege et multis  
nobilibus ac religiosis S.<sup>ti</sup> Dominici et S.<sup>ti</sup> Francisci, cum alio  
numero populo, qua rationem horum studiorum reddebat, et  
hortabatur homines ad filios suos ad tam studiosam exercita-  
tionem litterarum mittendos, et abunde auditoribus satisfa-  
ctum est.

1798. Idem Marcus Nugnez primae classi praefectus est;  
P. Michaël Barul secundae; paulo post Josephus <sup>3</sup> tertiae prae-  
ficiendus erat; et initio centum scholastici venire coeperunt, sed  
jam alii atque alii accedere ex praesidiis vicinis incipiebant.  
P. Antonius de Quadros octo vel novem fratribus ex nostris  
cum quibusdam externis logicam interpretari coepit.

• 1799. Qui autem legere discebant et scribere trecenti et  
amplius erant, et omnes numero ad quadringentos et quinquaginta hoc anno accedebant. Legebat praeterea P. Melchior  
Carnero quotidie multis, tam clericis quam laicis, lectionem de  
casibus conscientiae, et idem dominicis diebus ac festis mane  
in templo nostro concionabatur: vesperi P. Quadros eisdem  
diebus idem praestabat.

1800. P. Emmanuel Fernandez cum ipso P. Rectore aliis in  
locis concionabantur; et quamvis praescriptum fuerat a P. Mi-  
rone, tunc Provinciali Portugalliae, ut Goa non recederent qui  
in Aethiopiam erant profecturi, nihilominus P. Hieronymus de  
Cuenca (qui bene et ipse concionabatur) Bazainum missus est  
loco P. Francisci Vierae, qui Tanaam destinatus fuit ut posset

<sup>1</sup> *Habilitas* scripserat perperam librarius.

<sup>2</sup> Vide supra, t. IV, pag. 462, n. 425.

<sup>3</sup> Josephus Ribeiro, vel Duarte.

Franciscus Henriquez, qui ibidem cum fructu magno versatus erat, Goam ad afflictam valetudinem curandam venire.

1801. Scribit P. Melchior quod ostensum fuit ipsi et sociis corpus P. Francisci Xaverii, cujus pedes et manus cum magna consolatione ipse est osculatus; et volebat curare ut testimonia aliquorum miraculorum ipsius legitime examinarentur, et ex his instrumentum conficeretur in Europam mittendum. Pro certo autem affirmabatur quod, cum Cocino corpus ejus deferretur, mulier quaedam, ad ejus corpus videndum se conferens, aliquas ejus reliquias sibi dari magna cum devotione postulavit, sed nihil illi dederunt, praeter partem cujusdam cinguli, quo ejus corpus ligatum erat, quam illa argento inclusit, et cum aliquis aegrotabat, simulatque supra ejus corpus reliquiarum praedictum ponebatur, aegritudo recedebat.

1802. Affirmat etiam P. Michael Barul quod magnam devotionem ex veneratione ejus corporis et ipse senserit; et cum quidam monachi S.<sup>u</sup> Dominici dicerent balsamo conservari ejus corpus et intestinis vacuum esse, misit Pro rex suum protomedicum (qui aperuit corpus, et manum immisit, et digitos tanquam sanguine recenti madidos eduxit). Sed postea reliquum corpus tectum fuit et tantum manus ac pedes detecti relictis sunt.

1803. Ante horum Patrum adventum, qui hoc Septembri novem numero in Indiam appulerunt, P. Balthasar praedicationis onus sustinuit, et praeter superius dictos dies <sup>1</sup> usque ad finem Quadragesimae, diebus veneris de poenitentia concionatus est; ultima autem concio fuit in nocte, quae diem veneris sancti praecedebat, non in ipso templo nostro, sed in atrio interiori, quod multo capacius erat quam templum, ut auditorum multitudo locum commodiorem ad audiendum haberet; et tam atrium, quam claustra et deambulatoria quaedam superiora domus, hominibus plena erant; et cum post mediam noctem usque ad auroram sermonem protraxisset, tanta fuerat animorum commotio, ut a principio usque ad finem magna lacrymarum effusio ubique cerneretur; et cum in fine crucifixum amplexus <sup>2</sup> fuisset et concionem absolvisset, sic ipsemet conciona-

<sup>1</sup> Supra, pag. 654, n. 1799.

<sup>2</sup> Ms. *amplexum*.

tor debilitatus jam erat, ut tanquam mortuus in cubiculum deportatus fuerit; nihilominus, receptis viribus, in reliquo anni tempore usque ad adventum aliorum praedicationem <sup>1</sup> dominicis, festis et mercurii diebus conciones continuavit, ea <sup>2</sup> ommissa, quae diebus veneris fiebat, ut populus a laboribus quiesceret.

1804. Praecipuus tamen fructus ex ministerio confessionum capiebatur, quibus tam ipse Pater <sup>3</sup> Balthasar quam alii tres sacerdotes, qui ante classis adventum ibi erant, vacabant; et quamvis parum usitata esset confessio et ideo multi repugnarent in initio, ejus frequentia paulatim affici eidem homines coeperunt; et ita quotidie multae confessiones in nostra ecclesia audiebantur, et plurimi, singulis diebus sabbati confitentes, diebus dominicis communicabant.

1805. Pergratus etiam fructus capiebatur ex doctrina christiana, in moribus praesertim puerorum et adolescentum in melius longe mutatis; et vix puer, qui quindecim annos non excederet, inveniebatur, qui totam christianam doctrinam non memoriter teneret; nam optimo ingenio ea in regione praediti sunt, et ut praeceptor multorum ex eis refert, P. Michaël Barul, qui in Collegio Perusino <sup>4</sup> et alibi docuerat, feliciori ingenio ibi sunt pueri quam in Europa ipse viderat; et pueri animosi et diligentes in studiis erant, et non solum ipsi christianam doctrinam addiscebant, sed et domi suae docebant; et si quos viderent agere aut loqui quicquam perperam, peccantes admonebant; et experiri videbantur nostri verum esse quod P. Franciscus Xavier sentiebat, ex hujusmodi adolescentum ac puerorum profectu parentum salutem pendere; et ideo magno opere eorum institutionem commendavit.

1806. Illi duo catechumeni Giogui <sup>5</sup> de quibus superius facta est mentio, baptismo post instructionem donati sunt; et nihilominus complures dies sub P. Paulo <sup>6</sup> et inter pueros collegiales multa didicerunt. Magnam illi orbis partem percurrebant simul et varios hominum mores observaverant; tandem

<sup>1</sup> Vox haec *praedicationem*, aut quae paulo infra est, *conciones* redundare videtur.

<sup>2</sup> Ms. habet *ac*.

<sup>3</sup> Ubi nos scribimus *Pater*, ms. habet *alter*.

<sup>4</sup> Vide supra, t. III, pag. 47, annot. 2; et t. IV, pag. 8, n. 7.

<sup>5</sup> Vide supra, pag. 651, n. 1785.

<sup>6</sup> P. Paulo Camerte.

in pagum quemdam lusitanorum, viginti quatuor leucas Goa distantem, nomine Batteghalam <sup>1</sup>, devenerunt, ubi Dominus eos illuminavit; et cum mulier quaedam lusitana, nostris addicta, hanc in eis voluntatem animadvertisset, secum eos Goam adduxit et nostris tradidit; ubi cum eos alloqueretur Paulus Ormuziensis, qui ejusdem sectae fuerat, fatebatur quod majoris illi auctoritatis, quam ipse, inter gentiles fuerant <sup>2</sup>.

1807. Ex his autem qui convertebantur, cum aliqui uxores haberent, P. Paulus etiam matrimoniorum inter ipsos curam gerebat; et quamvis valetudinarius esset, ad opera charitatis multas vires illi Dominus subministrabat. Erat autem non minima ejus occupatio in hospitali, quod collegio conjunctum diximus, ubi semper multi morbis, etiam contagiosis, ac plagis laborantes curabantur; qui si non excepti fuissent et eorum habita cura, haud dubie perituri videbantur, quod inter hujusmodi homines gentiles nec charitas nec humanitas tanta est, ut hujusmodi miseris hominibus sublevandis dent operam. Confecerat hoc hospitale Cosmus Agnes <sup>3</sup>, qui etiam Collegii S.<sup>4</sup> Pauli praecipuus auctor fuerat antequam Societati traderetur, et nomen ei Sanctae Fidei imposuerat, et ad opus conversionis infidelium redditus idolorum applicandos curaverat; quamvis, ut superius diximus <sup>4</sup>, illi Portugalliae Rex alia duo millia ducatorum annui redditus addiderat.

1808. Hic Cosmus Agnes non admodum probabat quod lusitanorum filii inter alios indorum filios eo in Collegio instituerentur, ut suis litteris idem ad P. Ignatium significat <sup>5</sup>, quibus ei gratias agit quod tanquam benefactori Missas et suffragia multa et peculiarem charitatem ei exhiberi P. Ignatius injunxerat; et ex illis pueris hunc sperari fructum inter caeteros non contemnendum ait: quod interpretum loco nostris operariis esse

<sup>1</sup> Scribitur ab aliis *Bathacala* et *Baticala*. Verum distinguendus probe est hic pagus lusitanorum ab urbe, ejusdem nominis, sita in insula Ceilani, quae quidem urbs longius multo quam viginti quatuor leucas Goa distat.

<sup>2</sup> "e diceva di loro Paolo di Santa Fede che erano stati huomini di più credito fra gli gentili, che esso non era stato.", *Diversi avvisi*, etc., fol. 222 v.

<sup>3</sup> Cosmus Agnes sive Anes, vel etiam Cosmeanes. Vide supra, n. 1783 et t. iv, pag. 643, n. 1427, annot. 3.

<sup>4</sup> T. iv, pag. 563, n. 1212.

<sup>5</sup> Has Cosmi Agnes litteras reperire nondum valuimus.



possint in variis suarum nationum linguis, quamvis et ipsi in suis regionibus evangelium concionari possint.

1809. Idem censebat collegium in quodam praesidio, quod Changanorum vocabant, de quo superius mentio facta est <sup>1</sup>, admittendum esse; quamvis hoc nostris expedire non visum est.

1810. Praefecti scholarum, quamvis litteras docebant, praecipuam operam christianae doctrinae docendae impendebant; et multis in locis ea proponebatur a nostris, sed in pluribus ab ipsismet discipulis, qui se etiam magistros aliis exhibent; et iis, qui recens ex Portugallia venerant, spectaculum jucundum et novum erat varietatem auditorum intueri: alii enim erant albi, alii nigri, alii fusci, hi vestiti, illi nudi, quamvis panno quodam exiguo secretiora loca corporis tegebant. Nec mirum si tanta esset varietas in multitudine summa servorum; erant enim qui trecentos et amplius servos haberent, alii plures et pauciores, qui variis officiis mechanicis utuntur, vel ad naves conficiendas, vel ad alia conficienda hominibus necessaria; et lucra, quae ex eorum labore et industria proveniunt, in dominorum usum cedunt.

1811. Venit hoc anno quidam ex christianis, quos S.<sup>ti</sup> Joannis vocant, ex provincia quadam, quam Bassora vocant, in Arabia, qui invisere voluit juvenem quendam in Goënsi Collegio institutum, quem Ormuzio P. Antonius de Heredia miserat, et dubitabant nostri an eum baptizare deberent necne; constabat enim in ea provincia et praelatos et ecclesias et baptismum esse et alias caeremonias; et B. Joannem Evangelistam ibidem Christi fidem plantasse ferunt. Sed an veram formulam in hoc sacramento illi observarent nostri dubitabant, nec hactenus id eis satis constare poterat. Hoc tamen sciebant; quod vicinos haberent saracenos, hinc Regem Basora, illinc alios, quos Syrae et Xaa vocabant, Principes saracenos; et propter horum hominum simplicitatem non satis haec poterant intelligi. Id tamen per interpretem nostri didicerunt, quod sub obedientia Ecclesiae Romanae versabantur, et sacramenta ac caeremonias ejus observabant, quodque Patriarcha Armeniae Episcopum illis mittebat <sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Vide supra, t. I, pag. 455-457, n. 500 et 501.

<sup>2</sup> Horum quaedam attingit brevis epistola Gca Romam missa, cujus particulam exhibent *Diversi arabi* etc., fol. 222 v. et 223.

1812. Princeps proprius saracenus ecclesias quidem ipsis permittebat, in quibus etiam Missas celebrabant; sed turcae saepius eo venientes ecclesias subvertebant, et christiani cogebantur ad montes confugere, ad quos <sup>1</sup> turcae non veniebant, ut suas Missas celebrarent.

1813. Vir autem ille, quem diximus venisse ad puerum quemdam videndum, secum illum in patriam adduxit, alios consanguineos et pueros adducturus Goam, ubi et habitare volebat, constituebat <sup>2</sup>; quamvis et quatuor millia familiarum christianarum in Bassora esse dicebat. Quamvis ex Collegio Goae accideret aliquos ex illis pueris, quibus arcta fortassis ea disciplina videbatur, fugere <sup>3</sup>; fidem quam imbibant sic retinebant, ut cum capti in manus saracenorum aliqui venissent, et multis inflictis verberibus, et mortis jam jam imminentis <sup>4</sup> terroribus avertere illos a christiana fide niterentur, nunquam id ab eis impetrare potuerunt. Immo cum inter saracenos viverent, alios etiam captivos ad perseverantiam in fide christiana animabant; et prorsus in juvenibus melius quam in provectionis aetatis hominibus christiana Religio imprimebatur, quod cerni potuit anno ante hunc proxime elapso, cum triginta fere pueri et adolescentes in navi quadam a turcis capti fuerunt cum multis lusitanis (quorum unus hoc narravit), quos turcae multis modis, partim blanditiis, partim minis, ad sectam suam traducere conati sunt; incutiebant etiam flagella multa et alios cruciatus, sed nunquam a fide christiana eos remove potuerunt.

1814. Erat inter alios puer quidam, quem invitum circumciderunt, quem cum alii pueri saracenorum saracenum esse dicerent, respondit ille contra suam voluntatem se circumcissum esse; et non saracenum sed christianum se esse profitebatur. Duo tantum expugnati fuerunt, quorum alter lusitanus erat, alter ex patre lusitano et matre inda. Itaque in his pueris instituendis non exiguum operae pretium erat. Fere semper autem cum illis erant duodecim aut quindecim fere viri cate-

---

<sup>1</sup> Ms. *ad quem*.

<sup>2</sup> Ms. *habet constituebant*; verum aut hoc aut praecedens *volebat* redundare videtur.

<sup>3</sup> Ms. *fugerent*.

<sup>4</sup> Ms. *infligente*.

chumeni, qui cum duos vel tres menses ibi instituti essent, recedebant, et alii eis succedebant; praeter hos aliae mulieres catechumenae in hospitali, ut diximus <sup>1</sup>, instituebantur.

1815. In insula nomine Chioram <sup>2</sup>, quae media leuca Goa distat, multi jam opera nostrorum christiani effecti erant; et ideo ex eleemosynis nostri ecclesiam ibi confecerant, et ibi quemdam ex fratribus nostri Goënses tenebant solida virtute praeditum, qui christianos ea docebat, quae ad salutem erant necessaria; et singulis dominicis ac festivis diebus quidam sacerdos ex Collegio mittebatur, qui sacrum apud eos celebraret et juxta eorum captum concionaretur.

1816. Erat autem quidam quasi exactor institutus, cujus haec erat cura, ut christianos ad ecclesiam et ad catechismi lectionem congregaret <sup>3</sup>, cui quidam vir bonus ob laborem singulis mensibus aureum tribuebat. Quidam etiam lusitanus, valde pius et nostris addictus, ex charitate, nostrorum rogatu, protectionem eorum christianorum suscepit, ne ullam injuriam vel damnum eis inferri pateretur.

1817. Pro-rex, D. Petrus Mascaregnas, cum videret insulam Goae in tres partes esse divisam, unam earum Ordini S.<sup>ti</sup> Dominici, alteram Ordini <sup>4</sup> S.<sup>ti</sup> Francisci, tertiam Collegio nostro commisit; et in quavis harum partium aliquis lusitanus protector novorum christianorum etiam fuit institutus, quorum etiam officium erat de causis ipsorum judicare et de eis docendis, et, si opus esset, puniendis curam habere <sup>5</sup>; et haec tertia pars christianorum ejus insulae non parum negotii et occupationis nostris exhibebat. Cum autem Pro-rex audiebat hujusmodi christianae doctrinae lectiones, ut zelo magno honoris Dei praeditus erat, caput aperire et manus in coelum elevare ac Deo gratias agere solitus erat, quod ejus nomen in terris infidelium laudari audiret; et prorsus magnam consolationem

<sup>1</sup> Supra, pag. 652, n. 1791.

<sup>2</sup> Alibi saepius *Choram*.

<sup>3</sup> Ms. *congregabat*.

<sup>4</sup> Ubi nos *Ordini* scribimus, ms. habet *Ordinis*.—Nonnihil immutata hic sunt, quae scripsit 6.<sup>a</sup> Decembris hujus anni 1555 P. Antonius de Quadros. Ait enim: "Il Vicerè Don Pietro Mazcaregnas, per più aumento del servizio d' Iddio, uolle partir questa isola di Goa in tre parti, dando cura alli Padri di S. Domenico delli Christiani dell' una, et alli P. di S. Francesco delli Christiani dell' altra, et alli P. della compagnia nostra dando la cura delli Christiani dall' altra." *Diversi avvisi*, etc., fol. 214 v.

<sup>5</sup> Ms. *haberet*.

nostris praestabat, quod ex ipso Collegio resonare audiebant in domibus privatorum christianam hanc doctrinam, quam discipuli, qui in Collegio audierant, suis in domibus docebant. Et quia pueri ac juvenes liberi, superbi et libidinibus dediti esse solebant, eorum reformatio ac profectus merito magni fiebat.

1818. Per lectionem casuum conscientiae ignorantia etiam in plurimis clericis eam audientibus exterminabatur; sed et laici quadraginta vel quinquaginta adesse eidem lectioni soliti erant<sup>1</sup>; et cum de restitutione ageretur, de instituendis generalibus confessionibus, suis conscientiis consulendo, solliciti erant.

1819. Conciones etiam matutinae et vespertinae, de praeceptis Domini, ad cor redeundi multis occasionem praebebant, nam semper auditores erant frequentissimi, nec solum templum, sed claustra implebant, ex quibus concio audiri poterat. In carcere etiam et aliis civitatis locis eadem doctrina explicabatur. Consultores<sup>2</sup> autem de rebus ad conscientiam pertinentibus plurimi erant, et praecipue eo tempore, quo naves ex Bengala et Malaca veniebant; et ideo multos operarios huic vineae Domini necessarios esse P. Quadros admonet, quamvis hoc anno non pauci venerant, et inter eos P. Joannes Flander<sup>3</sup> ab aurora usque ad vesperam confessionibus audiendis vacabat, cui lingua lusitanica infusa a Domino videbatur; tam recte ea jam uti poterat quam addiscere vix posse prius videbatur. Et P. Emmanuel Fernandez per domos etiam aegrotantium discurrebat ut eorum audiret confessiones et morituris assisteret; domi etiam confessiones audiebat, et quintodecimo quoque die cum magna devotione et populi satisfactione concionabatur.

1820. Agebat etiam confessarium P. Quadros, quamvis lectioni et praedicationi, ut diximus<sup>4</sup>, instaret, et aliis piis operibus dabat operam; et in consiliis, quae multis ad se confluentibus propter conscientiae suae negotia dabat, occupabatur.

1821. Dolebant autem quod cum anno praeterito Prorex Legatum ad Regem Sinarum mitteret, nullus ex nostris socius

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 654, nn. 1797 et 1799.

<sup>2</sup> Hi scilicet, qui, consilium quaerentes, ad nostros aliosque religiosos accedebant.

<sup>3</sup> P. Joannes Bocchius. Vide supra, pag. 640, n. 1752.

<sup>4</sup> Pag. 652, n. 1788, et pag. 654, n. 1798.

se adjungi potuit, quia operariorum paucitas non permittebat <sup>1</sup>. Illi etiam christiani, quos S.<sup>ti</sup> Joannis Evangelistae vocant, aliquem ex nostris optabant ad se mitti, ad sinum persicum, et eadem causa mitti non potuit. Et cum aliqui populi extra Goam, in continenti, Regi Portugalliae se subiecissent, ostium aperiebatur ad Evangelium Christi gentibus illis annunciandum; sed *mensis multa, operarii pauci*.

1822. Constitutis studiis et praedictis exercitationibus, misit P. Balthasar, Rector, quemdam ex sacerdotibus, nomine Didacum de Soveral, ad maritimam oram Commurini ut suppetias ferret P. Henrico Enriquez, qui cum duobus fratribus in amplissima Domini vinea plus aequo laborabat. Tunc etiam misit P. Hieronymum de Cuenca Bazainum <sup>2</sup>; et tamen decem sacerdotes et novemdecim alii fratres in Collegio Goae, sub hujus anni finem, relictis fuerunt, quibus P. Antonius de Quadros quotidie ad unius horae spatium Constitutiones Societatis, quas attulerat ex Portugallia, declarabat.

1823. Divisa sunt etiam officia et eorum regulae unicuique datae, quas magna cum alacritate exceperunt et executi sunt. Et ut [nostri exequerentur] ea, quae in constitutionibus de confessionibus generalibus singulis annis vel sexto quoque mense faciendis, et de votis renovandis praecipiuntur <sup>3</sup>, P. Balthasar, Rector, omnibus injunxit, ut juxta easdem constitutiones confiterentur. Quod cum factum esset, die veneris octava Novembris, postquam P. Carnerus Missam celebrasset in interiori quodam sacello inter claustra, omnes sua vota cum magna devotione et lacrymis renovarunt et emiserunt; et deinde SS.<sup>mu</sup>m Sacramentum acceperunt. Et haec fuit prima votorum renovatio in India, ex qua cum magna promptitudine ad omnes labores pro Christi amore ferendos egressi sunt.

1824. Ipso die S.<sup>ti</sup> Andreae P. Emmanuel Fernandez quatuordecim christianos simul in nostra ecclesia baptizavit. Pa-

---

<sup>1</sup> "ua alla China un' ambasciadore, nepote del Vicerè D. P[ietro], il quale ambasciadore avanti la partenza desiderò menar seco un padre della compagnia, per lasciarlo doue sta il Re della China, et il medesimo desiderava il Vicerè; ma per non ui essere alhora padre alcuno per star tutti occupati, et esser stato mandato M. Gonzalo al Prete Giouanni, se ne andò senza menare nessuno." Didacus Soveral 20.<sup>a</sup> Januarii 1555, in *Diversi avisi*, etc., fol. 227 v.

<sup>2</sup> Vide supra, pag. 634, n. 1800.

<sup>3</sup> Ms. *praecipitur*.

ratae sunt etiam positiones, quas publice defenderent ipso die Circumcisionis Domini, qui primus erat Januarii sequentis, ut specimen litterarum civitati Goae praeberetur.

1825. Sed dum res penitus considerantur, animadversum est nullum esse, qui Provincialis facultatem in India haberet; cum enim P. Franciscus Xavier, qui legitimus erat Provincialis, in Japonem profecturus, Patrem Gasparem primo loco et, eo moriente, Patrem Morales, et, si etiam moreretur, P. Melchiorem Nugnez Indiae praeficeret; cumque P. Morales diem extremum obiisset et post illum P. Gaspar, anno 1553, morti vicinus, evocari jussit P. Melchiorem Nugnez ut curam Provinciae susciperet, quam ille suscepit et gessit; et quidem omnia bona fide acta sunt <sup>1</sup>. Sed cum paulo post intellectum esset mortuum fuisse P. Franciscum Xavier sub finem anni praecedentis, hae nominationes jam amplius validae non erant de jure <sup>2</sup>; et ita, cum P. Melchior Cochinum, Caulanum et Comurinum venisset, ut nostros illis in locis pro officii sui ratione inviseret <sup>3</sup>, et cum Patribus Henrico Enriquez, Nicolao Lanciloto, Francisco Perez ac P. Cypriano <sup>4</sup>, qui praedictis locis praeerant, rem contulisset, eorum suffragia in scriptis accepit, ut si judicatum esset Goae novam electionem Provincialis esse faciendam, eum ipsi eligerent, quem in Domino eligendum censerent.

1826. At illi cum P. Francisci voluntatem cognoscerent, libenter suo suffragio eundem P. Melchiorem ad officium illud promovebant; sed Goae nulla Congregatio Patrum facta est, nec ulla electio juridica celebrata, juxta Litteras Apostolicas, quae ad illam in India faciendam facultatem largiuntur <sup>5</sup>. Et ita cum canonice non esset electus in Provinciale, multis privilegiis uti non poterat, nec subditis ea communicare, nec alia, quae ad officium Provincialis pertinent, exercere.

<sup>1</sup> Vide supra, t. II, pag. 731, n. 674; et t. III, pag. 486, n. 1032; et pag. 487, n. 1033.

<sup>2</sup> Poterat enim P. Franciscus Xavier sibi aliquem substituere, qui, suas absentis vices in India gerens, Provincialis munus exerceret et auctoritate fungeretur; non tamen poterat successorem sibi, si moreretur, designare.

<sup>3</sup> Vide supra, t. III, pag. 486, n. 1032.

<sup>4</sup> P. Alphonso Cypriano, alias *Cebrian*.

<sup>5</sup> *Ms. largitur*.—"Praeposito Provinciali, in illis longinquis partibus (Infidelium) residente, decedente, interim dum alius per Generalem Praepositum mittitur loco Praepositi sic decedentis, alium eligere libere et licite valeant." PAULUS III, Constit. LICET DEBITUM, xv Kal. Nov. 1519.

1827. Haec mense Decembri 1553 transacta sunt. At P. Melchior bona, ut diximus, fide anno 1554, ut sequeretur vestigia P. Francisci Xaverii, in Japonem, ut praediximus, profectus est, et sibi substituit in India P. Balthasarem Diaz; et cum admoneretur Cochini a P. Francisco Perez, quod electio celebranda erat ut cum legitima auctoritate res transigerentur, ille <sup>1</sup>, qui cum prima commoditate Malacham navigaturus erat, nec expectare commode poterat, dixit, si eo anno Provincialis ex Europa non mitteretur, ut ipsi, qui in India manebant, congregarentur et eligerent Provinciale quem vellent, cui se libenter obediturum dixit.

1828. Nullus autem Provincialis eo anno venit in Indiam, nec etiam sequenti anno 1555; quamvis enim in Portugallia jam constabat de morte P. Francisci, cum classis profisceretur nondum P. Ignatius Provinciale quemquam elegerat; sed P. Miron scripsit in proximum annum exspectari hanc electionem a P. Ignatio vel confirmationem ejus, qui interim a nostris in India juxta Litteras Apostolicas electus esset <sup>2</sup>. Admonitus ergo ab his Patribus, qui hoc anno in Indiam venerant, P. Balthasar significavit nostris, qui in variis Indiae praesidiis residebant, ut si eis videretur electionem factam bonam esse, non convenirent Goam; si autem legitimam non esse existimarent, ut convenirent, vel sua suffragia ad novam electionem faciendam mitterent.

1829. Aliqui ergo eorum venerunt, inter quos fuerunt Patres Nicolaus Lancilotus et Franciscus Perez; alii sua suffragia in scriptis miserunt. Congregatis ergo his, qui in India versabantur, cum aliis, qui ex Europa advenerant hoc anno, decreverunt in primis Provinciale esse eligendum, ne sine capite ea esset Provincia, et ut facultatibus Societati concessis uti et aliis eas communicare posset.

1830. Actum fuit in Congregatione an canonice electus esset P. Melchior, et responsum est non fuisse canonicam electionem ob superius dictas rationes. Petitum est deinde qui deberent habere suffragium ad hanc electionem, quandoquidem nec in Litteris Apostolicis nec in Constitutionibus quicquam ea in re

<sup>1</sup> P. Melchior Nuñez

<sup>2</sup> Ms. *est*.

praescriptum erat, et jus commune sequendum esse decreverunt; et quia tam sacerdotes quam alii fratres in votis aequales erant, nec ullus professionem solemnem in India emiserat, ut omnes aequaliter suffragium haberent, qui vota simplicia emiserant. Sed communi consensu tredecim electores elegerunt, quibus tota auctoritas eligendi Provinciam est commissa.

1831. Hi autem fuerunt: Patres Antonius de Quadros, Melchior Carnero, Franciscus Perez (et hi ad scrutinia facienda deputati etiam fuerunt), Balthasar Diaz, Paulus Camers, Nicolaus Lancilotus, Emmanuel Fernandez, Franciscus Enriquez et Franciscus Lopez; et ex non sacerdotibus Marcus Nugnez, Christophorus de Acosta, Alexius Diaz, Balthasar Nugnez. Quod ad suffragium passivum attinet, videbatur quibusdam eligi non debere quemquam illorum, qui in Aethiopiam erant destinati, cum velut hospites essent, et anno sequente cum Patriarcha, ut credebatur, recessuri, et tunc alia electio esset celebranda; et ita aliquem ex his eligendum esse censebant, qui in India prius versabantur et ejus mores et negotia perspecta habebant; sed fortioribus rationibus nitebantur alii, quod scilicet ex omnibus eligi posset Provincialis, cum professus esse deberet juxta Constitutiones, et nullus erat hujusmodi, ut diximus, in India, praeter designatos ad Aethiopiam, inter quos quatuor erant professi et in theologia docti, quod deerat aliis, quos in India invenerunt; et non esse separanda videbantur a corpore praecipua ejus membra. Et demum constitutum est ut prima die Januarii anni 1556 celebraretur electio, Missis interim et orationibus praecedentibus, et ut eligi posset quivis ex his, qui in Aethiopiam erant destinati.

1832. Primo ergo die Januarii omnibus congregatis ad campanae pulsum in chorum superiorem ecclesiae, postulatum est an vellent Indiae Provinciam, per tredecim prius nominatos eligi, in quos jam compromiserant. Illis autem affirmantibus, tunc, adhibito juramento, suffragia collata sunt, et P. Antonius de Quadros et P. Melchior Carnero totidem, P. Franciscus Perez unicum habuit. Et cum nihil effectum esset<sup>1</sup>, repe-

<sup>1</sup> Nihil effectum erat, quoniam ad plura medietate suffragia eligendus erat Provincialis.



titis suffragiis, septem habuit P. Antonius de Quadros, quinque P. Carnero, unum P. Melchior Nufiez absens.

1833. Surgens autem P. Melchior Carnero dixit se nomine Societatis in India eligere in Provincialem P. Antonium de Quadros. Omnes autem cum magna consolatione eum in praelatum et superiorem suum admiserunt. At P. Quadros jussit ut omnes quiescerent, et, prout ipse sentiebat, dixit se minime teneri ad acceptandam hujusmodi electionem, et ita eam non accepit.

1834. Reddidit autem non acceptandi rationes, quas superius attigimus, scilicet quod hospes esset in Aethiopiam iturus, etc.; nec alioqui lectiones, quas susceperat, prosecui se posse cum hoc novo onere; et alia quaedam, inter quae fuit illud, quod in rerum exequutione remissus esset, quodque, cum in Lusitania curam [aliorum] haberet, cordis dolorem ex eo contraxit, a quo jam liber erat, sed recidere in ipsum facile poterat. Se etiam aetate juvenem esse, cum non excederet 27 annos, et juniorem etiam quam esset videri. Has rationes dedit in 2.<sup>a</sup> Congregatione, quae sub noctem eodem die habita fuit. In diem autem sequentem indicta est Congregatio ad vesperam, et ut interim rem Domino commendarent praescriptum est.

1835. Sequenti ergo die, id est, 2.<sup>a</sup> Januarii, sub noctem, easdem rationes adducens P. Quadros, se non admissurum esse affirmavit, et hanc addidit rationem, quod Patri Ignatio existimabat gratum futurum ne ipse eam curam susciperet; quia, cum ei scripsisset P. Quadros Eborae se aegritudinem corporis ex ea cura contraxisse, responderat ei quod sublevandus esset ab eo labore et, si necesse esset, omnino eo onere liberari, quod idem etiam concessurus esset, in eo sequens formam divinae providentiae, quae juxta rerum naturas et propensiones, quae malae non sunt, eas gubernat; et alios regere, prorsus contra ejus erat propensionem: sed omnes fere ei contradixerunt.

1836. Proposuit autem medium hoc idem P. Quadros, ut scilicet tres ipse eligeret cum omnium beneplacito, et quod illi constituerent se facturum; et quamvis multi repugnarent quia id derogabat factae electioni, tamen suffragia singulorum postulans ad id, plures censuerunt id illi esse permittendum.

<sup>1</sup> Ms accederet.

1837. Elegit ergo Patres Joannem Bochium et Michaëlem Barul, qui ejus erat confessarius, et quemdam alium ex fratribus laicis. Hos enim ille existimabat minus in alterutram partem propensos esse quam caeteros; sed tam sacerdotes quam reliqui hanc trium electionem non approbandam censuerunt. Et cum urgerent ut ipse admitteret officium, ad quod electus erat, tandem admisit.

1838. Prius tamen votum coram Deo et omnibus emisit, quandoquidem ipse se ineptum ad eam curam existimabat, quod quandocumque illi constituissent non convenire ut ipse regeret Provinciam Indiae, substituturus erat suo loco aliquem ab ipsis electum, cui suas vices et auctoritatem committeret, quodque non <sup>1</sup> valde convenire existimabat; et P. Ignatium per litteras urgebat ut mitteret quem missurus erat ad ejus Provinciae curam suscipiendam et exercendam. Et exinde officio suo fungi coepit cum magno humilitatis ac etiam prudentiae exemplo.

1839. Suggestit autem Patri Ignatio suis litteris, quod cum India tam esset a Praeposito Generali remota, ut aliquando tribus et quatuor annis responsum litterarum esset expectandum, expedire videbatur, ut Praepositus Provincialis officio suo in quibusdam casibus privari a subditis posset, quemadmodum Praepositus Generalis privari poterat. Suggestit etiam ut in Constitutionibus vel Regulis forma Praepositi Provincialis [eligendi] in remotissimis locis constitueretur; nihil enim esse praescriptum in ea parte non parum negotii nostris in India exhibuerat.

1840. Idem proposuit de cantu divinorum officiorum in Indiae regionibus tolerando, ut rudes illi homines in religione ad Dei cultum ea ratione magis allicerentur. Et perfacile Goae id fieri poterat, ubi pueri cantandi officio fungebantur, quibus unicus sacerdos in cantanda Missa per mediam horam prolixius quam in privatis immoraretur <sup>2</sup>: et id probatum fuisse a

<sup>1</sup> Sic, nec sensum certo capimus. Forte loco horum verborum *quodque non* scriberetur rectius *quod quidem*, tuncque sensus congrueret optime cum his, quae n. sequenti dicuntur.

<sup>2</sup> Sic; magis autem perspicua foret sententia si diceretur "fungebantur, et unicus sacerdos adhiberi poterat, qui in Missa cantanda dimidio tantum horae prolixior esset quam in privatis."—Ad haec responsum jam dederat Ignatius litteris, quas habes in *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 370-374.

P. Francisco Xavier; nec difficile erat cantores docere <sup>1</sup>, cum provectiores in cantu pueri reliquos docerent.

Et haec de Collegio Goae dicta sufficiant, et de ipso novo Indiae Provinciali.

## DE NOSTRIS

QUI ORMUZII, BAZAINI, TANAE, COCHINI, CAULANI,  
ET IN TRACTU COMMURINI ET S.<sup>ti</sup> THOMAE  
VERSANTUR

1841. P. Antonius de Heredia hoc anno fere toto Ormuzii in consuetis exercitiis occupatus fuit, et bis aut ter in hebdomada populo cum fructu non exiguo concionatus est, et assiduis confessionibus ac ministerio SS.<sup>mae</sup> Eucharistiae dabat operam; nam fere totus populus christianorum in praecipuis anni festis communicabat.

1842. Quatuor ex uxoribus vel concubinis Regis Ormuzii ejus opera ad Christum conversae sunt, et ipsemet Rex non procul abesse a sua conversione videbatur; et notatu digna fuit Dei providentia, quae voluit ut ab his etiam mulieribus ille desereretur, ut stimulis acrioribus Rex ipse ad suam conversionem urgeretur.

1843. Alia multa, et quidem magni momenti, ei, ut scribit, accidebant; quae propter varietatem et instabilitatem rerum, in eodem statu numquam permanentium, scribere non audebat.

1844. Eo pervenit Paulus ille, olim Giogus, a P. Gaspare conversus, qui ex Portugallia, ut diximus <sup>2</sup>, in Indiam redierat, qui scribebat se charitate nostris conjunctissimum, licet propter Constitutiones Societatis nostris non cohabitaret. Praestitit autem interpretis ministerium Patri Antonio de Heredia, et ad mendacia et fraudes daemonum detegendas et seductorum

<sup>1</sup> *habere?*

<sup>2</sup> Pag. 652, n. 1787.

hominum utilem operam praestitit, et eos Ormuzio, Deo adjuvante, expulit; et cum concionatus esset lusitanice P. Antonius contra errores saracenorum, et eandem concionem Paulus sermone persis <sup>1</sup> vernaculo fecisset, et contra saracenos disputaret, quorum duo millia fere inter auditores erant, et aliqui lusitani, Praefectus arcis Ormuziensis ne ulterius progredierentur (*sic*) prohibuit; dicebat enim timeri posse ne bellum aliquod excitaretur; sed ipse Paulus potius id <sup>2</sup> referebat ad dona, quibus Praefectum oppugnatum esse suspicabatur.

1845. Inde reversus est in Indiam Paulus; sed etiam ipse P. Antonius de Heredia, aegrotans admodum, sub hujus anni finem in Indiam venit. Prius etiam venerat P. ille Michaël de Nobrega, quem diximus superius <sup>3</sup>, cum a Societate defecisset, a turcis captum; sed a Praefecto Ormuziensi redemptus, ad Societatem Goam rediit.

1846. Bazaini, ut superius diximus <sup>4</sup>, fuerat P. Gonzalvus Rodriguez, donec, in Aethiopiam mittendus, inde evocatus fuit, et ejus loco missus fuit P. Franciscus Viera, donec sub hujus anni finem P. Franciscus Enriquez inde Goam, ut valetudinem curaret, evocatus est; et in ejus locum successit praedictus P. Viera, et in ejus locum P. Hieronymus de Cuenca Bazainum est missus <sup>5</sup>, qui suis in concionibus pergratus illi populo esse coeperat, et familiaribus etiam colloquiis fructum non mediocrem divini servitii inde capiebat.

1847. Quae de ministerio sacramentorum et doctrina alias scripta sunt, hoc anno etiam dicta intelligantur; sicut etiam de scholis et collegio puerorum, quod ibi institutum est <sup>6</sup>.

1848. Qui autem in civitate Tanaae ex nostris residebant non sine magno fructu ibi versabantur. P. Franciscus Enri-

<sup>1</sup> Ms. habet *persis*.

<sup>2</sup> Ubi nos *id* scribimus, ms. habet *sic*.

<sup>3</sup> Vide supra, t. iv, pag. 128, n. 255.

<sup>4</sup> Vide supra, t. iv, pag. 565, n. 1433.

<sup>5</sup> Haud satis perspicue haec dicta videntur; quare rectius existimamus concinnanda hoc modo: "Bazaini, ut superius diximus, fuerat P. Gundisalvus Rodriguez, donec in Aethiopiam mittendus, evocatus Goam fuit (supra, pag. 649, n. 1781); et ejus loco missus fuit P. Franciscus Viera; qui tamen Bazaini nonnisi ad hujus anni finem substitit; nam ex insula Tanaa (Vide supra, t. iv, pag. 666, n. 1434) cum evocatus fuisset Goam, ut valetudinem recuperaret, P. Franciscus Enriquez, illuc ac contulit praedictus P. Viera, in cujus locum P. Hieronymus de Cuenca Bazainum missus est (Vide supra, pag. n. 1800).

<sup>6</sup> Vide supra, t. i, pag. 474, sub medium numeri 523.

quez, antequam Goam veniret, plusquam ducentos ipse baptizaverat; quamvis illud desiderari posse affirmabat, quod a superiore nullo singulis annis, ut oportebat, visitati fuerant <sup>1</sup>; et ideo injungendum esse Provinciali censebat ne ex India recederet ad regna remota, cum magnopere Indiae Provincia assistentia sui Provincialis indigeret.

1849. Cochini versabatur cum duobus sociis P. Franciscus Perez, postquam a P. Francisco Xavier Malacha eo missus fuerat <sup>2</sup>, ubi in ministerio verbi et sacramentorum diligentem et strenuam operam navavit. Et quamvis ejus socii pueros legere et scribere, aliquos etiam grammaticam docebant, praecipuus tamen scholarum fructus in christianae doctrinae institutione, et in juvenibus ad confessionem crebram inducendis, et, si qui idonei essent, etiam communione reficiendis, consistebat. Diebus autem veneris hi pueri, litanias decantando, modo ad hanc, modo ad illam ecclesiam deducebantur; et hi non in collegio nostro, sed apud parentes vel tutores suos habitabant, ubi noctu servos et ancillas, quae ipsi didicerant in scholis, docebant. Et in tota India hanc rationem institutionis puerorum et, per pueros, domesticorum P. Franciscus Xavier instituerat; et in his praecipue locis, ubi Rex Portugalliae arces in ora Indiae maritima habebat. Et uberrimos fructus ex hac tam pia exercitatione provenit in omnibus illis regionibus, ex quo Societas in eas devenit.

1850. Situm habebat Societas Coccini prope ecclesiam Matris Dei, qui anno praeterito muro fuit omnino circumdatus, et domus perfecta, in qua pueri docerentur; et ipsamet civitas ad aedificium pecuniam dederat. Data fuerat Societati ecclesia ipsa Matris Dei; sed quia confratres jus suum ad illam amittere nolebant, et moleste admodum ferebant quod eo a Societate privari viderentur, eis relinqui ecclesiam voluit <sup>3</sup>, retinendo nihilominus ad Societatis nostrae usum portam, qua ex conjuncta domo in ipsam nostri ingrediebantur ad Missas dicendas, et ad praedicationem et christianae doctrinae explicationem; et ita initio hujus anni se res habebat; quamvis autem P. Franciscus Xavier chartam manu

<sup>1</sup> M<sup>s</sup>. habet *non fuerant*; sed illud *non* redundat.

<sup>2</sup> Vide supra, t. III, pag. 487, n. 1034.

<sup>3</sup> P. Franciscus Perez.

sua subscripserat, qua fatebatur nos jus ad eam ecclesiam non habere, sed cum consensu confratrum praedictorum ibidem ministeria Societati consueta obituros esse.

1851. Oeconomi hujus ecclesiae Patri Ignatio ea de re scripserant, et anno praecedenti responsum ab eo acceperant, quo significabat nostros non omnino cedere ipsis ecclesiam donec cum Rege Portugalliae res conferretur; et quamvis P. Franciscus Perez Dei gloriam fore censebat, si sine scandalo fieri posset, ut haec ecclesia libere Societati donaretur, et sic futurum ei videbatur (si Summus Pontifex ac Rex ipse id vellent), Pater tamen Nicolaus Lancilotus confratribus relinquendam esse ecclesiam adhuc sentiebat; et quamvis praedicti confratres in Regis gratiam suo jure privari se tolerarent, immo sibi gratum esse dicerent quicquid Regi videretur, nihilominus aliter eos sentire et aliam esse ipsorum voluntatem affirmabat. Satis tamen probabile videbatur, quod P. Franciscus Xavier relinquere templum illud non poterat sine consensu majoris partis Societatis, si Litterarum Apostolicarum tenorem, de bonis stabilibus alienandis, consideraret <sup>1</sup>; et tamen expedire ut omnino relinqueretur multis rationibus idem P. Nicolaus suadere nitebatur <sup>2</sup>.

1852. Collegium illud Coccinense eo in loco situm est, ex quo operarii in vineam Domini egredi perutiliter possent: erant enim vicini christiani, quos S.<sup>ti</sup> Thomae vocant; et inde facile ad maritimam Commurini regionem excurrere poterant; sed cum pauci essent hactenus operarii, P. Franciscus Perez cum sociis inde recedere non facile poterant.

1853. Substitit aliquamdiu Coccini P. Jacobus Soveral inde ad Commurini caput progressurus, et valde conqueritur quod praefecti militum et Regis Portugalliae ministri, dum opibus cumulandis vacant, religionis negotium impediunt; immo aliqui non esse gentiles ad Christum adducendos sentire se ostendebant, et perditam esse Indiam aliqui dicebant postquam religiosi ad eam missi fuerant. Nec solum de bonis Regis ditescebant, sed aliqui pauperes opprimebant, et magna ty-

<sup>1</sup> Prius scripserat Polanci librarius *consideraret non posset*; at linea super ducta delevit vocem *consideraret*, cum delere debuisset, ut nobis quidem videtur, voces *non posset*.

<sup>2</sup> Ms. *nititur*.

rannide mercedem laborantium retinebant, et aliquos etiam magna cum injustitia affligebant; et aliqui ex gentilibus interrogati cur ad Christum non converterentur, responderunt <sup>1</sup> se timere persecutionem, quam conversi ad Christum patiebantur.

1854. Et accidebat aliquos, quibus duo vel tria millia aureorum in singulos annos erant assignata, ubi duos vel tres annos ibi mansissent, centum et bis centum millia <sup>2</sup> ducatorum congregare, quae partim de Regis redditibus, et partim de pauperum bonis cumulabantur; et hujusmodi nec praedicationibus nec confessionibus juvari, et miserandum in modum velut desperatos in India mori affirmat <sup>3</sup>; et haec abominatus P. Franciscus Xavier fertur eo libentius inter infideles mori voluisse.

1855. Resedit autem idem P. Soveral Coccini, donec P. Franciscus Perez, ad Congregationem superius dictam <sup>4</sup>, Goam profectus, rediret, et juvandis trecentis circiter pueris, lusitanorum filiis et indigenis <sup>5</sup>, eo tempore vacabat; ex quibus multi ad Societatem aspirabant, si in eam admittere voluissent. Invisit autem idem Soveral Regem Coccini gentilem, qui magnopere se laetatum esse [ostendens] gratias egit, sed nihilominus in suis ille erroribus brachmanum versabatur.

1856. Chaulani P. Nicolaus <sup>6</sup> hoc etiam anno versatus est, quamvis sub ejus finem ad Provincialis electionem Goam, ut diximus <sup>7</sup>, venit. Cum autem anno praecedenti apud ipsum esset P. Melchior Nugnes <sup>8</sup> et evocatus esset Caulanum P. Henricus Henriquez <sup>9</sup>, de morte P. Francisci Xavier intellexerunt, et, ut superius tetigimus, simul cum aliis, scilicet, P. Francisco Perez, P. Henrico ac P. Cypriano (qui mense Aprili eo venerant), ideo scriptis suffragiis eundem P. Melchiorem in Superiorem eligebant, quia id temporis alius theologus inter ipsos in India

<sup>1</sup> Ms. *respondit*.

<sup>2</sup> In ms. 100 et <sup>m</sup> 200.

<sup>3</sup> Scil., idem P. Jacobus, seu Didacus, Soveral, qui (n. praecedenti) "substitit aliquamdiu Coccini et valde conqueritur, de avaritia quorundam praefectorum.

<sup>4</sup> Pag. 664, n. 1829.

<sup>5</sup> Ms. *indigenas*.

<sup>6</sup> P. Nicolaus Lancilotus. Vide supra, pag. 664, nn. 1829 et 1830.

<sup>7</sup> Vide pag. 665, n. 1831.

<sup>8</sup> Vide supra, t. iv, pag. 653, n. 1401.

<sup>9</sup> Vide supra, t. iv, pag. 643, n. 1376.

non erat <sup>1</sup>; et quia missus fuerat Superior in Indiam; quamvis gubernationis cura nec a nostris Goënsibus nec a P. Francisco Xavier ei tradita fuit usque ad mortem P. Gasparis <sup>2</sup>. Et existimabat P. Nicolaus, cum reliquis, eum Goae residere oportere, cum multa quotidie occurrerent eo in loco, quae ejus doctrina et auctoritate opus haberent: sed visum ipsis fuit simul cum P. Melchior nullam tunc mutationem Superioris aut Provincialis faciendam esse nec praelectionem (*sic*), sed ut uteretur Provincialis officio.

1857. Sed cum postea Goa recessit P. Melchior versus Japonem, nullum ex praedictis Patribus consuluit, sed eos tantum, qui Goae versabantur; nec declaravit praedictis quatuor, qui aliis praeerant suis in locis, quod Patri Balthasari Diaz obedire deberent. Ipse autem Balthasar, quamvis saepe eis scriberet, numquam eis declaraverat acceptam facultatem in ipsos pro sua humilitate, donec interrogatus ab eis se eam habere respondit.

1858. Non dissimulabant tamen hi Patres quod majori cum consideratione P. Melchior ex India recessisset <sup>3</sup>, quamvis forte a Spiritu Sancto eundem impulsus credebant; omnes autem obedierunt hoc anno P. Balthasari, quem tamen admonuerunt (quia anno praecedenti ex Portugallia venerat), ut consilio eorum in gubernatione procederet, qui in rebus Indiae longioris experientiam haberent, et ne suo tantum judicio (ut quidam alii fecerant) crederet, ne erraret ut alii, scilicet P. Antonius Gomez, et si quis ei similis fuit.

1859. Accepit <sup>4</sup> Roma jubilaum et indulgentias a P. Igna-

<sup>1</sup> "Examinatus autem Melchior a Conimbricensibus doctoribus, ad gradum Doctoris theologiae promotus est., Supra, t. II, pag. 358, n. 396.

<sup>2</sup> Ex his facile quis conjiciet Patrem Melchior Nùñez, ex Europa in Indiam, totius Indiae Superiorem missum fuisse; ei enim post Patris Gasparis Barcae mortem, totius Indiae gubernatio tradita est. Verum, ut ipse Polancus narravit supra, t. II, pag. 398, n. 469, cum Indiam appulit, "ferebat P. Melchior Nùñez patentes litteras a P. Simone, Portugalliae Provinciali, ut ei cura Collegii Goënsis traderetur., Et tradita quidem ei fuit; verum "post duos dies, cum intellexisset (P. Antonius Gomez, Rector) quod non ferebat litteras Patris Ignatii sed Patris Simonis..., dubitavit quid facto opus esset... Et ita, re collata cum aliis fratribus, qui Goae versabantur, hanc curam Patri Paulo (Camerti) reliquit., non Patri Melchiori Nùñez.

<sup>3</sup> Sic; attamen contrarium omnino exprimi debet, scil., "quod majorem considerationem adhibere P. Melchior Nùñez debuisset, prius quam in Japonem recederet., seu "quod parum considerate japonicam profectionem fuisset aggressus.,

<sup>4</sup> P. Nicolaus Lanciotus. Sermo enim hic esse videtur hic, ut in praecedentibus et sequentibus, de domo Caulanensi, cui ille praeerat.



tio missas in christianorum auxilium, et admonuit, cum hujusmodi aliqua mittuntur, ut quam perspicue fieri posset declararentur; nam alioqui multorum interpretationibus fore obnoxium (*sic*).

1860. Habebat secum Chaulani duos fratres, Antonium Fernandez et Hieronymum Fernandez <sup>1</sup>, quorum uterque egregie suo fungebantur officio tum in pueris instituendis, tum in aliis domesticis exequendis. Uterque autem docebant in scholis, et domi etiam in privatis studiis, prout a P. Nicolao didicerant, utiliter se exercebant; nec interim orationis ac devotionis studia omittebant. Triginta sex pueros sub initium hujus anni domi aiebat P. Nicolaus; alios non paucos, quia jam grandiores nati erant et in christiana doctrina instructi, ad domos suas remiserat, vel in domibus lusitanorum collocaverat, quamvis alios quindecim aut viginti ex maritimis Commurini ad se mitti jusserat, ut saltem ad quinquaginta eorum numerus perveniret.

1861. Pro more autem suo conciones apud ipsos vel spiritalia colloquia habebat, minus tamen frequenter quam prius propter valetudinis valde afflictæ debilitatem. Ubi autem ipse deficiebat, ejus socii diligenter supplebant. Non parum autem molestum erat Patri Nicolao temporalia subsidia huic Collegio impetrare; nullos enim redditus habebat alios, quam eleemosynam illam, quam Rex subministrari eis jubebat in singulos annos <sup>2</sup>; sed ministri Regis ejus voluntatem tam male exequebantur, ut aliquando relinquere minus molestum quam recuperare videretur. Et tamen optime et expensæ et labor in hujusmodi pueris alendis et instituendis collocabantur, qui jam lusitanice loqui cum didicissent, etiam de peccatis confitebantur Patri Nicolao, qui in ratione bene confitendi et sacramenta percipiendi eos instruebat. Et multi ex eis in devotione valde proficiebant, et multis cum lacrymis confitebantur, et signa magna interni profectus in veritatis cognitione prae se ferebant.

1862. Ecclesia ex lapidibus et calce confecta jam erat opera P. Nicolai, sed nunquam coctis tegulis eam tegere ad hoc usque tempus potuerat, ob lignorum, quæ tecto necessaria erant, penuriam; sed jam rebus necessariis comportatis, hoc

<sup>1</sup> Sic; in hujus tamen mentionem nunc primo incidimus.

<sup>2</sup> Vide supra, t. II, pag. 758, n. 727, et infra, n. 1864.

Aprili mense eam tecto solido ac tegulis tegere constituit. Ipsum etiam Collegii aedificium, quod ex terra compressa constructum erat, ex lapidibus etiam et calce anno praeterito confecit, quamvis adhuc foliis palmarum, more ejus regionis, tectum operiretur. Sed hoc male habebat P. Nicolaum, quod situs Collegii ejusmodi erat ut, si obsideretur ab hostibus Chaulanum, inde aliquid molestiae arci posset inferri; et timebat ne alicui gubernatori videretur totum hoc aedificium evertendum; ea enim ingenia cernebantur in hujusmodi praefectis, ut cuique nova placerent <sup>1</sup>, et libenter, quae ab aliis facta invenirent, dissolverent.

1863. Quod si accidisset Collegium illud dirui, intelligere a P. Ignatio cupiebat an situs ille cum alio commutari, et ecclesia, in qua jam aliqui sepulti erant et Missae celebrabantur, profanari, ac situs vendi posset, ut alio in loco templum et collegium erigerentur <sup>2</sup>.

1864. Intellexerat Regem Portugalliae jussisse trecentos quinquaginta ducatos singulis annis Chaulanensi Collegio numerari; sed valde timebat ne D. Petrus Mascaregnas, Prorex, qui valde exhaustum Regis patrimonium invenerat, hanc elemosynam minueret.

1865. Suggerebat initio hujus anni idem P. Nicolaus ut, si P. Ignatius Societatem in India habere vellet, Provinciale mitteret egregiis Dei donis praeditum; nam praeterquam quod spiritualis et doctus esse debebat, negotia omnia saecularia intelligere eum oportebat, quae cum ipso erant conferenda, nec mediocri gubernationis talento indigebat ut, perspectis nostrorum qualitatibus in India, ad ea loca quemque mitteret, quae unicuique convenirent; alia enim aestibus, alia frigoribus, alia majoribus, alia minoribus periculis et laboribus erant obnoxia; qui posset etiam fervores temperare nostrorum, qui se immoderatis laboribus conficiebant: et qui <sup>3</sup> in Europa tolerabiles fuissent, eos in Indiam non tolerari posse affirmat, propter regionis ejus relaxationem et intemperiem aëris.

<sup>1</sup> Ms. *placeant*.

<sup>2</sup> Periodus haec sic fortasse legenda est: Quod si accidisset Collegium illud dirui, et ecclesiam (in qua jam aliqui sepulti erant et Missae celebrabantur) profanari, intelligere a P. Ignatio cupiebat an situs ille commutari cum alio aut vendi posset; ut alio in loco templum et collegium erigerentur.

<sup>3</sup> Scil., labores.

1866. Litteras acceperat a P. Ignatio P. Nicolaus, ex quibus facile colligebat pergratum ipsi futurum esse ut in Europam veniret <sup>1</sup>, si ratio valetudinis id ferret; sed ea valde incommoda ac debili P. Nicolaus utebatur, nec aliter fere quam in lectulo jacendo, vel sedendo, vivere poterat; pectoris dolorem ac tussis molestiam alio medicinae genere sublevare non poterat quam sanguinis emissionem, qua frequenter utebatur <sup>2</sup>, gustu satis prostrato, nec ullam refrigerandi jecoris ardentis rationem inveniebat; et quia phthisica jam multos annos [laborare] a medicis dicebatur, praeter spem eorum multos annos vitam protraxerat.

1867. Sed cum prima die Novembris hujus anni in gravem aegritudinem incidisset, et consuetum emittendi sanguinis remedium non juvaret, quin potius noceret, vicinum morti se esse existimans, Goam se contulit, ut eo in Collegio inter multos fratres cum majori consolatione et spiritali auxilio ex hac vita migraret; et ibi interfuit electioni Provincialis, Patris Antonii de Quadros <sup>3</sup>; et multum ejus animus refectus et recreatus est, cum gubernationem Goënsis Collegii et inchoatas lectiones videret. Et quamvis medici inter tres et quatuor menses eum morituum dicerent, hortati sunt eum nihilominus ut Chaulanum rediret, quod aër ille temperatior et aegritudini phthisis salubrior esset; et ideo sub initium anni sequentis 1556 eo, unde venerat, rediit, secum P. Jacobum Soveral Coccini assumens.

1868. Collegium tamen Chaulani valde imminutum fuerat, eo quod subsidia temporalia in dies minuerentur <sup>4</sup>, adeo ut multi sentirent Collegium illud relinquendum esse. Decem ergo ex pueris, qui Chaulani instituebantur, Goae reliquit; alios ad artes mechanicas addiscendas vel ad serviendum quibusdam hominibus tradidit, et quindecim tantum in eo Collegio Chaulanensi retinuit.

1869. Admonet autem collegium Goae tam insalubre esse, ut fere omnes nostri infirma valetudine ibi uterentur, et propter labores continuos corporis et spiritus ad magnam virium debi-

<sup>1</sup> Vide supra, t. III, pag. 497, 498, n. 1033. Et *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 229, ann. 5.

<sup>2</sup> Vena scilicet scissa.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 664, n. 1829.

<sup>4</sup> Vide supra, pag. 674, n. 1861.

litem redactos esse. Et labores, quos in Hispania ferre poterant, immo nec mediam quidem partem in India tolerari posse; et ita vix quemquam studia absoluturum esse, quin [in] corporis adversam valetudinem incidat.

1870. Admonuerat P. Ignatius ut de locis, in quibus Societas residebat aut versabatur, admoneret in quot gradus versus aequinoctialem posita essent; sed haec suspecta esse lusitanis, praesertim si ab externis <sup>1</sup> fierent, respondit; et ideo ea de re nihil scripsit. Suspicionis occasio proveniebat ex partitione Orbis Novi, quem Alexander VI Pontifex Maximus inter Portugalliae et Castellae Reges diviserat <sup>2</sup>.

1871. Et quia de moribus etiam ut scriberetur ac de Religione eorum hominum injunctum ei fuerat (ut Cardinalis S.<sup>tae</sup> Crucis, postea Summi Pontificis, et aliorum satisfaceret desideriis), de moribus quidem nihil scribit, tum quod varii et ridiculi, tum quod foedi et a ratione remotissimi, ut a daemone inventi, essent.

1872. De Deo autem tam varie sentiebant, ut vix duo invenirentur qui idem saperent. Satis diligentem se fuisse P. Nicolaus asserit, ut ab eis, qui inter caeteros peritiores habebantur, intelligeret quid sentirent; et tam absurda erant, quae illi sentiebant, tamque a ratione aliena, ut indigna quae scribebantur ea sit arbitratus. Multi quidem dicebant unum esse Deum;

<sup>1</sup> Scil., ab iis, qui lusitani non essent.

<sup>2</sup> Bulla INTER CAETERA DIVINAE MAJESTATIS BENEPLACITA. Vide *Alguns documentos do Archivo nacional da Torre do Tombo acerca das navegações e conquistas portuguesas*, pag. 66-68.—Antiquissima, ut videtur, geographica charta, in qua, juxta Pontificis Bullam, linea quadam a septentrione ad meridiem ducta novus orbis divisus est, ex Archivo Vaticano, Summo Pontifice, Leone XIII, annuente, extracta, exhibita fuit Matrili anno 1892-1893. Eam sic describit opus *Exposición Histórico-Europea, 1892-1893, Catálogo general*, sala v, n. 2: Bellísima y completa carta geográfica, de gran tamaño, en vitela, del antiguo y del nuevo mundo, trazada en la tercera década del siglo xvi.—Mide 85 centímetros de alto por 2,09 metros de ancho. Lleva esta inscripción: *Carta universal en que se contiene todo lo que del mundo se ha descubierto hasta agora, hacia Diego Rivero, cosmógrafo de S. M., año de 1529, en Sevilla. La qual se divide en dos partes conforme la capitulación que hicieron los Cathólicos Reyes de España é el Rey Juan de Portugal en Tordesillas, año de 1494.* Al uno y al otro lado de la línea, conforme á la capitulación, están los pendones de España y de Portugal, cogiendo éste en América la tierra del Brasil. En el Perú llega la conquista hasta la provincia de Sierra Morena, en cuya extremidad meridional aparece escrito de tinta roja el último nombre de población entonces conocida, *Chincax Sibdad*; es decir, la ciudad de Chíncha, fundada por Almagro. El escudo de Alejandro VII (1656-1667) y los de la familia Chigi, que en el centro del mapa y en su parte inferior se observan, están puestos sobre raspado del mismo mapa.

sed, cum de Dei proprietatibus interrogarentur, varia et ridicula dicebant. Alii quidem aquam esse, et omnium animalium animas atque ipsorum hominum aequales esse, et velut guttas aquae, quae deinde in aquam essent reiturae et in corpus Dei, cujus partes erant, reintegrandae.

1873. De aëre aliqui omnia dicebant, quae de aqua diximus. Alii Deum omnium creatorem fatentur, qui bonis bene<sup>1</sup> faciat, malos puniat. Sed animas multas in septem mundos misisse ea lege, ut septies nascerentur et morerentur, et qui in ultima vita boni essent, eos cum Deo mansuros.

1874. Sed in ipso etiam paradiso locum peccatis relinquunt et punctionibus ac praemiis; et ita jubere Deum ut nascantur aliqui sub felicibus stellis ut ita sint felices, quemadmodum Reges ac Domini, alii contra; sed demum omnia scire Deum respondent et se ignorare; sed haec ab antiquis scripta esse, et a suis magistris sic edoctos esse.

1875. Omnes autem diabolum adorant ne ipsis noceat; quamvis ipsum malum esse sciant et Dei servum, et<sup>2</sup> sacrificiis placari.

1876. Affirmat autem nullum fere ex his hominibus indis inveniri, qui aliquid novi addiscere studeat; eos autem qui, mores gentilicos relinquentes, christiani fiunt vel saraceni, id fere ob temporalia commoda eos facere; sectam autem Mahometi, ut affectibus eorum et gentilicis moribus magis consonam, mirifice in illorum animis imprimi et admirandos progressus in illis regionibus facere. Christiana vero Religio, ab eorum abusibus tam aliena, si non minueretur, esse quod Deo magnas gratias agerent. Et cum lusitani, qui in Indiam veniunt, id tantum animo intendunt, ut ditiores in Portugalliam redeant, non sic vivunt ac procedunt, ut ad conversionem infidelium opus esset, quin potius contrario modo se habent<sup>3</sup>; et cum non carperent urbes nec munirent, potentes non erant ut a tyrannis eos defenderent, qui Christi fidem amplecterentur; et ita pauci, praeter pauperculos quosdam, convertebantur. Et quamvis alii meliori spe atque animo essent, Pater tamen Nicolaus timebat ne lusitani, si procedendi modum non mutarent in Indiae

<sup>1</sup> Ms. *male*.

<sup>2</sup> Sic; melius forte *sed*.

<sup>3</sup> Ms. *habeant*.

negotiis, Indiam diu retinere non possent; et alios id etiam deflere videbat.

1877. Cernebantur autem punitiones Dei acerbae; et detrimenta gravissima a quinque jam elapsis annis, in bonis tam regiis quam privatis, et in ipsis hominibus passi erant <sup>1</sup>. Anno autem proxime elapso 1554 in insula Ceilani viginti quinque millia christianorum a fide defecisse scribit, et septuaginta millia christianorum capitis Commurini in magno periculo versari ne tantumdem faciant, nisi de ducibus et praefectis militum, qui Deum timerent, ei regioni prospiceretur. Vix enim scribi posset quantum impedimenti huiusmodi praefecti neophytorum profectui adferant; et labores, quos nostri in maritima illa ora (quam Pescariam vocant) insumebant multis annis, huiusmodi homines paucis mensibus subvertebant; et clare ipsi profitebantur quod Rex illis in regionibus eos praeficeret in praemium diuturnorum obsequiorum; et ita per fas et nefas utilitati suae temporali consulunt.

1878. P. Henricus Henriquez cum duobus aut tribus <sup>2</sup> in longissimo illo tractu maritimo post caput Commurini, quem Pescariam vocant, versabatur, et sentiebat vel revocandum esse ex Japone <sup>3</sup>, vel Provincialem ex Europa mittendum; timebat enim ne defectu experientiae aliquid a P. Balthassare constitueretur, quod in damnum communis boni cederet, ut, recedente P. Francisco Xavier, aliquando experti erant; quamvis spiritu Dei actum eundem P. Franciscum egressum esse ex India non dubitabant.

1879. Mirifice autem hic P. Henriquez litteris P. Ignatii recreatus est, qui eum in coadjutorem Societatis admittebat; et ex animo de eo dono gratias agit <sup>4</sup>; sic enim de nostro Instituto sentiebat P. Henricus, paucos ad illud idoneos esse, et solida

<sup>1</sup> Ms. *passi essent*.

<sup>2</sup> Sociis e nostris.

<sup>3</sup> Scil. P. Melchlorem Nugnez, qui in Japoniam se contulerat, relicto sibi successore in administranda Provincia P. Balthassare Diaz. Vide supra, pag. 664, n. 1827.

<sup>4</sup> Quaedam erat peculiaris ratio cur de se in Societatis corpus admissio gauderet P. Enriquez et gratias ageret; nam dispensavit cum eo Ignatius in impedimento ex essentialibus tertio (Vide *Constitutiones Soc. Jes., Exam.* cap. II, et part. I, cap. III). Scripserat enim P. Nicolaus Lancillotti Patri Ignatio 26.<sup>a</sup> Decembris 1548: "Acirca gli impedimenti di quelli che non possono essere della Compagnia, dico che sono qua tre, quali furono frati, ma non professi: doi furono capocini, e uno domenicano; uno di loro è sacerdote; si chiama Anriquez...". *Selectae Indiarum epistolae*, pag. 62.—Vide etiam *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 39.

admodum virtute ei opus esse, ut gravissima pericula illis praesertim in locis evadat, cum praesertim soli incederent, nec haberent qui eos animarent et in suis tentationibus subvenirent, et tam multa negotia occurrerent <sup>1</sup>, ut vix tempus supersit, quo se colligant, cum ad nostrum exemplum Christus in hortum recesserit ut orandi exemplum praeberet.

1880. Accedebant gravia pericula tyrannorum, et falsorum fratrum, et latronum maritimorum et terrestrium, et praefectorum etiam lusitanorum: male etiam comedendum et bibendum erat; disputandum, praedicandum, et contra haereticos, saracenos et gentiles nostrae fidei rationem reddendam. Aliqui ex nostris capiebantur et affligebantur ab infidelibus. Paulus de Valle, socius P. Henrici, in carcerem conjectus fuit, ubi per mensem nihil aliud, quam modicum orizae siccae et aquae ad victum habuit; ac deinde ex morbo contracto obiit <sup>2</sup>.

1881. Quidam etiam Rex alium ex nostris sacerdotibus occidere voluit quod diem dominicum observari a christianis curabat, et aliquos gentiles, qui inter eos erant, convertere ad Christi fidem studebat.

1882. Quemdam alium ex fratribus, qui christianam doctrinam docebat, gentiles occiderunt; et cum tantum reliquus esset P. Henricus cum alio quodam fratre, capti et misere ligati fuerunt circulo quodam ferreo, [cum] manus simul et pedes eorum vincirent, et ita aliquot dies tenuerunt; quamvis ejus virtutem reveriti, non diu sic P. Henricum tenuerunt. Immo, cum sanctum virum eum existimarent, honore ipsum sunt prosecuti donec redemptus fuit. Ejus autem frater ac socius, per spatium unius leucae versus naves quasdam saracenorum [fulgens], servitutem evasit <sup>3</sup>.

1883. Perseveravit nihilominus P. Henricus in populis christianorum instruendis et in religione christiana retinendis; et quia ecclesiae ab hostibus infidelibus combustae fuerant [vel] a turcis, eas instaurandas curavit, et in christiana doctrina addiscenda et exercenda curabat ut causas etiam Incarnationis et Passionis Christi intelligerent; et etiam pueri fidei suae ratio-

<sup>1</sup> Ma. ~~occurrere~~.

<sup>2</sup> Contigit beata illius mors anno 1552. Vide supra, t. II, pag. 730, n. 672; ORLANDINI, *Hist. Soc. P. I.*, lib. XII, n. 127.

<sup>3</sup> Vide JARRIC, *Rerum Indicarum thesaurus*, lib. II, cap. 7.

nem reddere noverant, quod multi ex antiquis christianis facere non ita potuissent; et cum tamen nostri tam pauci essent, minime id praestare potuissent, nisi boni illi viri, quos instar eremitarum esse superius diximus <sup>1</sup>, hoc officio docendi multis in locis functi essent; quos cum ex probatissimis christianis P. Henricus eligeret, nostrorum penuriam supplebat.

1884. Multum temporis ac curae mane ac vesperi pueris ac puellis instituendis tribuebatur, et ab hominibus provectoribus aetate utriusque sexus ratio etiam doctrinae christianae exigebatur; et sic inculcabatur haec fidei doctrina, ut licet crasso admodum essent ingenio, non possent necessaria ad salutem ignorare.

1885. Et dominicis diebus viri, diebus sabbati mulieres, explicationi mysteriorum Fidei intererant, et frequentes ad ecclesias accedebant et sua munera offerebant; et aliquoties in suis morbis hac ratione a Christo sanitatis donum obtinebant; et in dies magis mendacia gentilium et fidei veritatem cognoscebant. Primariorum autem virorum aliquos filios ad Collegium Goae vel Chaulani P. Henricus mittebat; nam referre plurimum arbitrabatur ut ibidem illi instituerentur, qui populis erant praefuturi, ut sic mores christiana Religione dignos discendo, et verbo et exemplo caeteris praeirent.

1886. Cum regionem hanc turcae vastaverant, etiam hospitale, quod in oppido primario, nomine Punicale, institutum erat, combuserant. Hoc etiam P. Henricus reaedificandum curavit et in eodem pauperes aegrotantes excipiendos, et ad id eleemosynas quaerebat; quae omnia cum summa populi aedificatione fiebant.

1887. Fere semper autem residebat in hoc oppido Punicali P. Henricus, quod adversa valetudo discursum per loca illius regionis prohibebat. Eo tamen ex omnium christianorum locis de suis negotiis referebant, et ille responsum inde omnibus mittebat et, si quid opus erat, providebat. Uno die aliquando ex quatuor et sex locis litteras accipiebat, in lingua malabari scriptas, et in eadem statim respondere necesse erat. Et domi habebat virum quemdam indigenam, bono ingenio et memoria

---

<sup>1</sup> *Chanacopolas* intellige seu *Canacepolas*, de quibus sermo jam factus est supra, t. II, pag. 760, sub medium n. 728, et t. IV, pag. 667, n. 1488.



praeditum, cujus opera ad hujusmodi litteras scribendas multum utebatur <sup>1</sup>; et ab aurora usque ad vesperam totum tempus in hujusmodi piis negotiis christianorum expendebat, quibus etiam, dum cibum caperet, aliquando vacare oportebat. Et quia valde afflictam P. Henrici valetudinem intuebantur, quomodo posset tam multis rebus dare operam merito mirabantur.

1888. Hoc tantum male habebat aliquando P. Henricum, quod minus temporis quam optasset poterat orationi tribuere, dum hujusmodi occupationibus continuis distrahebatur; et experientia sibi didicisse videbatur, tam in aliis quam in se, quod [si] totum tempus proximorum commodis tribuebatur, paulatim spiritus proprius debilior reddebatur <sup>2</sup>.

1889. Aliqua in lingua malabari ad christianorum doctrinam scripserat, et plura scripturus erat, si aliqui ex nostris operariis in subsidium ipsi missi fuissent <sup>3</sup>.

1890. Populi autem magna ipsum dilectione prosequabantur; et quia haec benevolentia ad eorumdem spirituale auxilium multum conferebat, juxta consilium P. Francisci Xavier <sup>4</sup>, eis condescendere, ubi fieri poterat, et eorumdem captui sese accommodare et omnia omnibus fieri, ut omnes lucrifaceret, nitabatur; et qui aliam viam, bono quidem zelo sed non secundum scientiam, sequuti fuerant, errasse eos et non sine scandalo multorum, observaverat. Non deerant contradictiones multorum, ut superius dictum est <sup>5</sup>.

1891. Sentiebat et P. Henricus Provincialem ex India recedere ad regna remotiora non debere <sup>6</sup>.

1892. Uterius in tractu illo maritimo P. Cyprianus <sup>7</sup> in civitate S.<sup>ti</sup> Thomae versabatur; quamvis Aprili mense Chaulanum veniens, a P. Nicolao retentus est per quatuor menses, eo quod ipse graviter aegrotabat et mortem sibi vicinam esse arbitrabatur; et toto eo tempore quo hyems in India transigitur, scilicet, Majo, Junio, Julio et Augusto Chaulani concionatus

<sup>1</sup> "Egregie, tamen "linguam illius provinciae, in qua versabantur, didicerat." Supra, t. II, pag. 759, sub finem n. 727.

<sup>2</sup> Vide supra, t. II, pag. 403, n. 494.

<sup>3</sup> Vide SOMMERVOGEL, *Bibliothèque de la Compagnie de Jésus*, t. III, col. 276 et 277. —Vide etiam hic supra, t. II, pag. 760, sub medium n. 728

<sup>4</sup> Vide supra, t. II, pag. 407, n. 490.

<sup>5</sup> Pag. 680, nn. 1880-1883.

<sup>6</sup> Vide supra, pag. 673, n. 1858, et pag. 679, n. 1878.

<sup>7</sup> P. Alphonsus Cyprianus cum fratre Joanne Lopez. Supra, t. IV, pag. 667, n. 1439.

est, quod in civitate praedicta S.<sup>ti</sup> Thomae dominicis et festis diebus facere solitus erat; et ejus socius, Joannes Lopez, christianam doctrinam explicabat, et semper in ea Domini vinea, et quidem diligenter, laborabat; septem jam annos illo in loco bonus senex exegerat, de lusitanis et indigenis bene mereri studendo.

1893. Locus ille in pulchro valde situ magnificas plus satis domos habet, et ad corporis commoditatem, et exercitationem etiam venationum, multis commodis abundat. Ibi passum esse S.<sup>m</sup> Thomam, et corpus ejus ibidem sepultum et inde alio translatum, ab eis traditur et scribitur <sup>1</sup>.

1894. De rebus divinis minus erant solliciti quam par erat; pauci christiani erant et multi gentiles saraceni. Utraque potestas, ecclesiastica et saecularis, sic se gerebant, ut offendiculo potius quam aedificationi indigenis essent. Et cum christiani veteres male viverent, neophyti, naturam suam sequentes, deficiebant. Et qui nondum ad Christum per fidem accesserant, accedere recusabant, cum eam vitae rationem in christianis veteribus viderent, ut odio dignior esset quam imitatione; et praecipue apud finitimos male christiani audiebant inter infideles, ut illud Ezechielis *Commaculastis nomen meum et pollulistis illud in gentibus* <sup>2</sup> merito de illis christianis dici posset, qui factis negabant quod se fide credere dicebant: et etiam P. Cyprianus, quemadmodum de P. Nicolao diximus, punitiorem quamdam universalem Dei timebat; nam juxta illud Prophetiae <sup>3</sup> *gloriantur cum male fecerint*, pro honore ducere videbantur male se gerere, et terra repleta esse iniquitate videbatur. Et si unus ex India Christo acquirebatur, quatuor ex his, qui venerant ex Portugallia, perire videbantur; nam simul atque in Indiam veniebant, eorum mores degenerabant; et major eorum pars moriebatur non naturali morte, sed violenta,

<sup>1</sup> Vide supra, t. I, pag. 167, n. 112.

<sup>2</sup> Textum hunc integrum non invenimus. Est quidem in Ezechiele xxxvi, v. 22: "Idcirco dices domui Israël: Haec dicit Dominus Deus: Non propter vos ego faciam, domus Israël, sed propter nomen sanctum meum, quod pollulistis in gentibus, ad quas intrastis." Apud Jeremiam autem, xxxiv, v. 16: "Et reversi estis, et commaculastis nomen meum...."—Ex quibus fieri potuit ut integer textus efficeretur, qui Ezechiel a Patre Cypriano inter scribendum tribueretur.

<sup>3</sup> Non in Prophetis, ut videtur, leguntur haec, sed paululum immutata in libro Proverbiorum, II, 14: "Qui laetantur cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis."

vel in aquis, vel inter infideles, vel mutuis inter ipsos pugnis. Qui autem in India lucrifiebant, cum deesset qui exemplo eos aedificaret, et multi eis scandalo essent, nec alio transferri possent, de eorum stabilitate merito timeri poterat.

1895. Haec senex Cyprianus, 65 annos natus, exaggerat, qui tamen corpore valebat, et, si in Europa mansisset, jam diu se fore mortuum existimabat. Nec solum in praedicationibus, sed etiam in confessionibus assiduus erat.

---

## DE P. GONZALI MISSIONE IN AETHIOPIAM

1896. Missum fuisse P. Gonzalum <sup>1</sup> Rodriguez ut praecursorem Patriarchae, id postulante Pro-rege, D. Petro Mascaregnas, diximus <sup>2</sup>. Goa ergo septima die Februarii cum fratre nostro Fulgentio Freire discessit. Mittebatur autem classis pro more ad sinum maris Rubri, quod vulgo vocant (*el Strecho* <sup>3</sup> *de Mecha*), in qua nostri vehebantur et in Regis Aethiopiae littora ejiciendi erant.

1897. Quindecim diebus pervenerunt Sochotoram, quae in faucibus Rubri maris est, ubi Sancti Apostoli <sup>4</sup> ecclesiam inviserunt; et cum audisset multorum militum confessiones, et ipsius etiam Praefecti Generalis classis, omnibus Sanctissimum Sacramentum in eadem ecclesia, quam factam ab eodem Apostolo ferebant, ministravit. Multi ibidem christiani successione continua ab eo tempore in ea insula fuerant, ab ipso Apostolo edocti et baptizati; et consolationem acceperunt nostri, dum eorum sacerdotes, aut potius qui sacerdotum officio funguntur, videbant devote suas orationes et divina officia decantantes; et unus eorum in thuribulo incensum praebebat; et quaedam velut versiculos dicebat, et alii velut responsoria reddebant. Ferebat autem fama vel traditio horum hominum quod templum illud B. Thomas ex navi quadam confracta, quae in ea

---

<sup>1</sup> Scil., Gonzalum (Consalum, sive Gundisalvum) Rodriguez.

<sup>2</sup> Supra, n. 1781.

<sup>3</sup> Miscuisse hic videtur librarius italicum *lo stretto* cum hispanico *el estrecho* (*de Babelmandel*).

<sup>4</sup> Sti. Thomae.

insula naufragium fecerat, construxisset, et eos populos ad Christi religionem convertisset; qui quamvis a saracenis tyrannide oppressi diu fuerint, neminem ipsorum ad suam sectam unquam traduxisse ferebatur.

1898. Tres naves habebat ecclesia, antiquo more, muro inter se invicem distinctas, et portas totidem habentes. Prope templum erat coemeterium valde magnum, in cuius circuitu incedebant pro defunctis orando, et ligneo quodam instrumento loco campanae pulsando: habebant etiam baptisterium; et hi sacerdotes capillos oblongos et ad posteriorem partem reiectos more nazareorum habebant, et pro lectis, pellibus quibusdam, victu etiam et vestitu paupere admodum utebantur. Nec reditus aut ulla stabilia bona possidebant, sed eleemosynis victitabant, quas de rebus, quae ibi in usu sunt, scilicet lactis, carnis, et charicarum <sup>1</sup>, emendicabant; et tamen eos populus magnopere venerabatur.

1899. Gens illa aliis quidem cibus caret, sed vaccis ac pecoribus et optima aqua abundat, et aëre salubri fruitur: pisces maritimos quosdam etiam piscantur.

1900. Nullum interpretem P. Gonzalvus invenire potuit ut cum illis ageret, et tamen videbantur ei ad omnia bona parati, si quis eos docuisset; sed quia auro et argento externos non invitant, ab omnibus contemni videntur.

1901. Gavisi sunt autem magnopere cum imaginem B. Thomae, quam nostri ferebant, simul cum aliis eis ostenderunt; nihil enim tale unquam viderant. In ea ecclesia altare P. Gonzalvus extruxit et Sanctorum imaginibus ornavit, et Missae sacrificium obtulit; et B. Apostolus multos commovisse videbatur ex his, qui in classi veniebant.

1902. Cum octo dies in Sochotora mansissent, per fauces maris Rubri ultra Adem progressi, duas naves magnas, quas *galeones* vocant, obvias habuerunt, quarum altera magna valde, et armis turcarum instructa, et divitiis plena, ex Tanascharim <sup>2</sup> veniebant. Cepit autem cupiditas milites navem hanc aggrediendi, et ad ejus puppim sic accesserunt, ut parum abfue-

<sup>1</sup> Sic in ms.; verum, cum litterae Gundisalvi, e quibus haec deprompta sunt, habeant *dattili*, videtur hic scribendum *caryotarum*.

<sup>2</sup> Sic; sed neque in chartis expressum, nec apud historicos memoratum hujus nominis locum reperimus.

rit quin nostri igne bombardarum consumpti perirent; nam illi, erectis statim vexillis sericis, et bellica instrumenta pulsare coeperant, prout assolent [cum] praeliandum est. Sed placuit Domino ut ejus navis Praefectus magnis clamoribus nostros alloqueretur ut recederent et iter suum prosequerentur, postquam multis ictibus bombardarum navigia nostra concutere coepissent. Frater noster Fulgentius, ad gubernaculum prope-rans et alio illud vertens, effecit ne biremis nostra sub magna illa navi maneret.

1903. Hoc ergo periculum cum evasissent, eodem die sub vesperam tractum illum maris ingressi sunt, in quo turcarum classis nostros spectare solita erat; sed ab hoc etiam periculo et a syrtibus multis, quae in eo mari sunt, liberati, Mazuam <sup>1</sup> pervenerunt et inde Archichum <sup>2</sup>, qui portus est Aethiopiae, venerunt; cujus media pars turcis, altera media Regi Aethiopiae parebat.

1904. Initio quidem valde perturbati, sua bellica instrumenta, quibus ad bellum parare soliti erant, magnis clamoribus pulsarunt; sed dux nostrae classis pacem cum ipsis inivit; et ita, arundines suas in manibus gestantes, per oppidum Archichum nostri sunt egressi. Et admirabantur vehementer saraceni, quod tam securi per urbem incederent, quamvis turcae quidam coram nostris satis feroces cum suis sclopetis incederent.

1905. Quaerebant autem nostri aliquam rationem deferendi suas sarcinas <sup>3</sup>. Populus Archicho cuidam lusitano ex parte subditus erat, cujus famuli, qui ibidem ad recuperandos reditus manebant, statim ad nostros venerunt, et bene se habere res Aethiopiae retulerunt.

1906. Circa medium Martium Archicho nostri recesserunt et qui eos comitabantur, posquam ibi triduo mansissent; et omnes ensibus armati erant ut se defenderent a saracenis, inter quos transeundum erat: nec exiguam famem in eo itinere passi sunt, cum panem secum non attulissent, et fere triduo per quoddam desertum euntes jejunarunt; nec sine timore leonum,

<sup>1</sup> Sic; in veteribus chartis *Macna*, in recentioribus *Massowah*.

<sup>2</sup> Sic; TELLEZ, *Arquico*; apud allos veteres *Ercoco*; nunc *Arkeho*.

<sup>3</sup> Cum scripsisset librarius: "Quaerebant autem nostri chamelos, quibus suas sarcinas vehendas curarent,; Polancus textum emendavit, ut dedimus.

sed, cum de Dei proprietatibus interrogarentur, varia et ridicula dicebant. Alii quidem aquam esse, et omnium animalium animas atque ipsorum hominum aequales esse, et velut guttas aquae, quae deinde in aquam essent rediturae et in corpus Dei, cujus partes erant, reintegrandae.

1873. De aëre aliqui omnia dicebant, quae de aqua diximus. Alii Deum omnium creatorem fatentur, qui bonis bene<sup>1</sup> faciat, malos puniat. Sed animas multas in septem mundos misisse ea lege, ut septies nascerentur et morerentur, et qui in ultima vita boni essent, eos cum Deo mansuros.

1874. Sed in ipso etiam paradiso locum peccatis relinquunt et punctionibus ac praemiis; et ita jubere Deum ut nascantur aliqui sub felicibus stellis ut ita sint felices, quemadmodum Reges ac Domini, alii contra; sed demum omnia scire Deum respondent et se ignorare; sed haec ab antiquis scripta esse, et a suis magistris sic edoctos esse.

1875. Omnes autem diabolum adorant ne ipsis noceat; quamvis ipsum malum esse sciant et Dei servum, et<sup>2</sup> sacrificiis placari.

1876. Affirmat autem nullum fere ex his hominibus indis inveniri, qui aliquid novi addiscere studeat; eos autem qui, mores gentilicos relinquentes, christiani fiunt vel saraceni, id fere ob temporalia commoda eos facere; sectam autem Mahometi, ut affectibus eorum et gentilicis moribus magis consonam, mirifice in illorum animis imprimi et admirandos progressus in illis regionibus facere. Christiana vero Religio, ab eorum abusibus tam aliena, si non minueretur, esse quod Deo magnas gratias agerent. Et cum lusitani, qui in Indiam veniunt, id tantum animo intendunt, ut ditiores in Portugalliam redeant, non sic vivunt ac procedunt, ut ad conversionem infidelium opus esset, quin potius contrario modo se habent<sup>3</sup>; et cum non carerent urbes nec munirent, potentes non erant ut a tyrannis eos defenderent, qui Christi fidem amplecterentur; et ita pauci, praeter pauperculos quosdam, convertebantur. Et quamvis alii meliori spe atque animo essent, Pater tamen Nicolaus timebat ne lusitani, si procedendi modum non mutarent in Indiae

<sup>1</sup> Ms. *male*.

<sup>2</sup> Sic; melius forte *sed*.

<sup>3</sup> Ms. *habeant*.

negotiis, Indiam diu retinere non possent; et alios id etiam deflere videbat.

1877. Cernebantur autem punctiones Dei acerbae; et detrimenta gravissima a quinque jam elapsis annis, in bonis tam regiis quam privatis, et in ipsis hominibus passi erant <sup>1</sup>. Anno autem proxime elapso 1554 in insula Ceilani viginti quinque millia christianorum a fide defecisse scribit, et septuaginta millia christianorum capitis Commurini in magno periculo versari ne tantumdem faciant, nisi de ducibus et praefectis militum, qui Deum timerent, ei regioni prospiceretur. Vix enim scribi posset quantum impeditenti huiusmodi praefecti neophytorum profectui adferant; et labores, quos nostri in maritima illa ora (quam Pescariam vocant) insumebant multis annis, huiusmodi homines paucis mensibus subvertebant; et clare ipsi profitebantur quod Rex illis in regionibus eos praeficeret in praemium diuturnorum obsequiorum; et ita per fas et nefas utilitati suae temporali consulunt.

1878. P. Henricus Henriquez cum duobus aut tribus <sup>2</sup> in longissimo illo tractu maritimo post caput Commurini, quem Pescariam vocant, versabatur, et sentiebat vel revocandum esse ex Japone <sup>3</sup>, vel Provincialem ex Europa mittendum; timebat enim ne defectu experientiae aliquid a P. Balthassare constitueretur, quod in damnum communis boni cederet, ut, recedente P. Francisco Xavier, aliquando experti erant; quamvis spiritu Dei actum eundem P. Franciscum egressum esse ex India non dubitabant.

1879. Mirifice autem hic P. Henriquez litteris P. Ignatii recreatus est, qui eum in coadjutorem Societatis admittebat; et ex animo de eo dono gratias agit <sup>4</sup>; sic enim de nostro Instituto sentiebat P. Henricus, paucos ad illud idoneos esse, et solida

<sup>1</sup> Ms. *passi essent*.

<sup>2</sup> Socii e nostris.

<sup>3</sup> Scil. P. Melchiorum Nugnez, qui in Japoniam se contulerat, relicto sibi successore in administranda Provincia P. Balthassare Diaz. Vide supra, pag. 664, n. 1827.

<sup>4</sup> Quaedam erat peculiaris ratio cur de se in Societatis corpus admissio gauderet P. Enriquez et gratias ageret; nam dispensavit cum eo Ignatius in impedimento essentialibus tertio (Vide *Constitutiones Soc. Jes., Exam.* cap. II, et part. I, cap. III). Scripserat enim P. Nicolaus Lancillotti Patri Ignatio 26.<sup>a</sup> Decembris 1548: "Acirca gli impedimenti di quelli che non possono essere della Compagnia, dico che sono qua tre, quall furono frati, ma non professi: doi furono capocini, e uno domenicano; uno di loro è sacerdote; si chiama Anrique Anriquez... *Selectae Indiarum epistolae*, pag. 62.—Vide etiam *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 39.



admodum virtute ei opus esse, ut gravissima pericula illis praesertim in locis evadat, cum praesertim soli incederent, nec haberent qui eos animarent et in suis tentationibus subvenirent, et tam multa negotia occurrerent <sup>1</sup>, ut vix tempus supersit, quo se colligant, cum ad nostrum exemplum Christus in hortum recesserit ut orandi exemplum praeberet.

1880. Accedebant gravia pericula tyrannorum, et falsorum fratrum, et latronum maritimorum et terrestrium, et praefectorum etiam lusitanorum: male etiam comedendum et bibendum erat; disputandum, praedicandum, et contra haereticos, saracenos et gentiles nostrae fidei rationem reddendam. Aliqui ex nostris capiebantur et affligebantur ab infidelibus. Paulus de Valle, socius P. Henrici, in carcerem conjectus fuit, ubi per mensem nihil aliud, quam modicum orizae siccae et aquae ad victum habuit; ac deinde ex morbo contracto obiit <sup>2</sup>.

1881. Quidam etiam Rex alium ex nostris sacerdotibus occidere voluit quod diem dominicum observari a christianis curabat, et aliquos gentiles, qui inter eos erant, convertere ad Christi fidem studebat.

1882. Quemdam alium ex fratribus, qui christianam doctrinam docebat, gentiles occiderunt; et cum tantum reliquus esset P. Henricus cum alio quodam fratre, capti et misere ligati fuerunt circulo quodam ferreo, [cum] manus simul et pedes eorum vincirent, et ita aliquot dies tenuerunt; quamvis ejus virtutem reveriti, non diu sic P. Henricum tenuerunt. Immo, cum sanctum virum eum existimarent, honore ipsum sunt persecuti donec redemptus fuit. Ejus autem frater ac socius, per spatium unius leucaae versus naves quasdam saracenorum [fugiens], servitutem evasit <sup>3</sup>.

1883. Perseveravit nihilominus P. Henricus in populis christianorum instruendis et in religione christiana retinendis; et quia ecclesiae ab hostibus infidelibus combustae fuerant [vel] a turcis, eas instaurandas curavit, et in christiana doctrina addiscenda et exercenda curabat ut causas etiam Incarnationis et Passionis Christi intelligerent; et etiam pueri fidei suae ratio-

<sup>1</sup> Ms. *occurrere*.

<sup>2</sup> Contigit beata illius mors anno 1552. Vide supra, t. II, pag. 730, n. 672; ORLANDINI, *Hist. Soc. P. I.*<sup>a</sup>, lib. XII, n. 127.

<sup>3</sup> Vide JARRIC. *Rerum Indicarum thesaurus*, lib. II, cap. 7.

nem reddere noverant, quod multi ex antiquis christianis facere non ita potuissent; et cum tamen nostri tam pauci essent, minime id praestare potuissent, nisi boni illi viri, quos instar eremitarum esse superius diximus <sup>1</sup>, hoc officio docendi multis in locis functi essent; quos cum ex probatissimis christianis P. Henricus eligeret, nostrorum penuriam supplebat.

1884. Multum temporis ac curae mane ac vesperi pueris ac puellis instituendis tribuebatur, et ab hominibus provecioribus aetate utriusque sexus ratio etiam doctrinae christianae exigebatur; et sic inculcabatur haec fidei doctrina, ut licet crasso admodum essent ingenio, non possent necessaria ad salutem ignorare.

1885. Et dominicis diebus viri, diebus sabbati mulieres, explicationi mysteriorum Fidei intererant, et frequentes ad ecclesias accedebant et sua munera offerebant; et aliquoties in suis morbis hac ratione a Christo sanitatis donum obtinebant; et in dies magis mendacia gentilium et fidei veritatem cognoscebant. Primariorum autem virorum aliquos filios ad Collegium Goae vel Chaulani P. Henricus mittebat; nam referre plurimum arbitrabatur ut ibidem illi instituerentur, qui populis erant praefuturi, ut sic mores christiana Religione dignos discendo, et verbo et exemplo caeteris praeirent.

1886. Cum regionem hanc turcae vastaverant, etiam hospitale, quod in oppido primario, nomine Punicali, institutum erat, combuserant. Hoc etiam P. Henricus reaedificandum curavit et in eodem pauperes aegrotantes excipiendos, et ad id eleemosynas quaerebat; quae omnia cum summa populi aedificatione fiebant.

1887. Fere semper autem residebat in hoc oppido Punicali P. Henricus, quod adversa valetudo discursum per loca illius regionis prohibebat. Eo tamen ex omnium christianorum locis de suis negotiis referebant, et ille responsum inde omnibus mittebat et, si quid opus erat, providebat. Uno die aliquando ex quatuor et sex locis litteras accipiebat, in lingua malabari scriptas, et in eadem statim respondere necesse erat. Et domi habebat virum quemdam indigenam, bono ingenio et memoria

---

<sup>1</sup> *Chanacopolas* intellige seu *Canacepolas*, de quibus sermo jam factus est supra, t. II, pag. 760, sub medium n. 728, et t. IV, pag. 667, n. 1488.

praeditum, cujus opera ad hujusmodi litteras scribendas multum utebatur <sup>1</sup>; et ab aurora usque ad vesperam totum tempus in hujusmodi piis negotiis christianorum expendebat, quibus etiam, dum cibum caperet, aliquando vacare oportebat. Et quia valde afflictam P. Henrici valetudinem intuebantur, quomodo posset tam multis rebus dare operam merito mirabantur. :

1888. Hoc tantum male habebat aliquando P. Henricum, quod minus temporis quam optasset poterat orationi tribuere, dum hujusmodi occupationibus continuis distrahebatur; et experientia sibi didicisse videbatur, tam in aliis quam in se, quod [si] totum tempus proximorum commodis tribuebatur, paulatim spiritus proprius debilior reddebatur <sup>2</sup>.

1889. Aliqua in lingua malabari ad christianorum doctrinam scripserat, et plura scripturus erat, si aliqui ex nostris operariis in subsidium ipsi missi fuissent <sup>3</sup>.

1890. Populi autem magna ipsum dilectione prosequabantur; et quia haec benevolentia ad eorumdem spirituale auxilium multum conferebat, juxta consilium P. Francisci Xavier <sup>4</sup>, eis condescendere, ubi fieri poterat, et eorumdem captui sese accommodare et omnia omnibus fieri, ut omnes lucrificeret, nitabatur; et qui aliam viam, bono quidem zelo sed non secundum scientiam, sequuti fuerant, errasse eos et non sine scandalo multorum, observaverat. Non deerant contradictiones multorum, ut superius dictum est <sup>5</sup>.

1891. Sentiebat et P. Henricus Provincialem ex India recedere ad regna remotiora non debere <sup>6</sup>.

1892. Ulterius in tractu illo maritimo P. Cyprianus <sup>7</sup> in civitate S.<sup>ti</sup> Thomae versabatur; quamvis Aprili mense Chaulanum veniens, a P. Nicolao retentus est per quatuor menses, eo quod ipse graviter aegrotabat et mortem sibi vicinam esse arbitrabatur; et toto eo tempore quo hyems in India transigitur, scilicet, Majo, Junio, Julio et Augusto Chaulani concionatus

<sup>1</sup> "Egregie, tamen "linguam illius provinciae, in qua versabantur, didicerat., Supra, t. II, pag. 759, sub finem n. 727.

<sup>2</sup> Vide supra, t. II, pag. 403, n. 494.

<sup>3</sup> Vide SOMMERVOGEL, *Bibliothèque de la Compagnie de Jésus*, t. III, col. 276 et 277. —Vide etiam hic supra, t. II, pag. 760, sub medium n. 728

<sup>4</sup> Vide supra, t. II, pag. 407, n. 490.

<sup>5</sup> Pag. 680, nn. 1880-1883.

<sup>6</sup> Vide supra, pag. 673, n. 1858, et pag. 679, n. 1878.

<sup>7</sup> P. Alphonsus Cyprianus cum fratre Joanne Lopez. Supra, t. IV, pag. 667, n. 1439.

est, quod in civitate praedicta S.<sup>ti</sup> Thomae dominicis et festis diebus facere solitus erat; et ejus socius, Joannes Lopez, christianam doctrinam explicabat, et semper in ea Domini vinea, et quidem diligenter, laborabat; septem jam annos illo in loco bonus senex exegerat, de lusitanis et indigenis bene mereri studendo.

1893. Locus ille in pulchro valde situ magnificas plus satis domos habet, et ad corporis commoditatem, et exercitationem etiam venationum, multis commodis abundat. Ibi passum esse S.<sup>m</sup> Thomam, et corpus ejus ibidem sepultum et inde alio translatum, ab eis traditur et scribitur <sup>1</sup>.

1894. De rebus divinis minus erant solliciti quam par erat; pauci christiani erant et multi gentiles saraceni. Utraque potestas, ecclesiastica et saecularis, sic se gerebant, ut offendiculo potius quam aedificationi indigenis essent. Et cum christiani veteres male viverent, neophyti, naturam suam sequentes, deficiebant. Et qui nondum ad Christum per fidem accesserant, accedere recusabant, cum eam vitae rationem in christianis veteribus viderent, ut odio dignior esset quam imitatione; et praecipue apud finitimos male christiani audiebant inter infideles, ut illud Ezechielis *Commaculastis nomen meum et pollulistis illud in gentibus* <sup>2</sup> merito de illis christianis dici posset, qui factis negabant quod se fide credere dicebant: et etiam P. Cyprianus, quemadmodum de P. Nicolao diximus, punitiorem quamdam universalem Dei timebat; nam juxta illud Prophetarum <sup>3</sup> *gloriantur cum male fecerint*, pro honore ducere videbantur male se gerere, et terra repleta esse iniquitate videbatur. Et si unus ex India Christo acquirebatur, quatuor ex his, qui venerant ex Portugallia, perire videbantur; nam simul atque in Indiam veniebant, eorum mores degenerabant; et major eorum pars moriebatur non naturali morte, sed violenta,

<sup>1</sup> Vide supra, t. I, pag. 167, n. 112.

<sup>2</sup> Textum hunc integrum non invenimus. Est quidem in Ezechiele xxxvi, v. 22: "Idcirco dices domui Israël: Haec dicit Dominus Deus: Non propter vos ego faciam, domus Israël, sed propter nomen sanctum meum, quod pollulistis in gentibus, ad quas intrastis.. Apud Jeremiam autem, xxxiv, v. 16: "Et reversi estis, et commaculastis nomen meum...."—Ex quibus fieri potuit ut integer textus efficeretur, qui Ezechieli a Patre Cypriano inter scribendum tribueretur.

<sup>3</sup> Non in Prophetis, ut videtur, leguntur haec, sed paululum immutata in libro Proverborum, II, 14: "Qui laetantur cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis.."

vel in aquis, vel inter infideles, vel mutuis inter ipsos pugnis. Qui autem in India lucrifiebant, cum deesset qui exemplo eos aedificaret, et multi eis scandalo essent, nec alio transferri possent, de eorum stabilitate merito timeri poterat.

1895. Haec senex Cyprianus, 65 annos natus, exaggerat, qui tamen corpore valebat, et, si in Europa mansisset, jam diu se fore mortuum existimabat. Nec solum in praedicationibus, sed etiam in confessionibus assiduus erat.

---

## DE P. GONZALI MISSIONE IN AETHIOPIAM

1896. Missum fuisse P. Gonzalvum <sup>1</sup> Rodriguez ut praecursorem Patriarchae, id postulante Pro-rege, D. Petro Mascaregnas, diximus <sup>2</sup>. Goa ergo septima die Februarii cum fratre nostro Fulgentio Freire discessit. Mittebatur autem classis pro more ad sinum maris Rubri, quod vulgo vocant (*el Strecho* <sup>3</sup> *de Mecha*), in qua nostri vehebantur et in Regis Aethiopiae littora ejiciendi erant.

1897. Quindecim diebus pervenerunt Sochotoram, quae in faucibus Rubri maris est, ubi Sancti Apostoli <sup>4</sup> ecclesiam inviserunt; et cum audisset multorum militum confessiones, et ipsius etiam Praefecti Generalis classis, omnibus Sanctissimum Sacramentum in eadem ecclesia, quam factam ab eodem Apostolo ferebant, ministravit. Multi ibidem christiani successione continua ab eo tempore in ea insula fuerant, ab ipso Apostolo edocti et baptizati; et consolationem acceperunt nostri, dum eorum sacerdotes, aut potius qui sacerdotum officio funguntur, videbant devote suas orationes et divina officia decantantes; et unus eorum inthuribulo incensum praebebat; et quaedam velut versiculos dicebat, et alii velut responsoria reddebant. Ferebat autem fama vel traditio horum hominum quod templum illud B. Thomas ex navi quadam confracta, quae in ea

---

<sup>1</sup> Scil., Gonzalvum (Consalvum, sive Gundisalvum) Rodriguez.

<sup>2</sup> Supra, n. 1781.

<sup>3</sup> Miscuisse hic videtur librarius italicum *lo stretto* cum hispanico *el estrecho* (*de Babrmandel*).

<sup>4</sup> Sti. Thomae.

insula naufragium fecerat, construxisset, et eos populos ad Christi religionem convertisset; qui quamvis a saracenis tyrannide oppressi diu fuerint, neminem ipsorum ad suam sectam unquam traduxisse ferebatur.

1898. Tres naves habebat ecclesia, antiquo more, muro inter se invicem distinctas, et portas totidem habentes. Prope templum erat coemeterium valde magnum, in cuius circuitu incedebant pro defunctis orando, et ligneo quodam instrumento loco campanae pulsando: habebant etiam baptisterium; et hi sacerdotes capillos oblongos et ad posteriorem partem reiectos more nazareorum habebant, et pro lectis, pellibus quibusdam, victu etiam et vestitu paupere admodum utebantur. Nec reditus aut ulla stabilia bona possidebant, sed eleemosynis victitabant, quas de rebus, quae ibi in usu sunt, scilicet lactis, carnis, et charicarum <sup>1</sup>, emendicabant; et tamen eos populus magnopere venerabatur.

1899. Gens illa aliis quidem cibis caret, sed vaccis ac pecoribus et optima aqua abundat, et aëre salubri fruitur: pisces maritimos quosdam etiam piscantur.

1900. Nullum interpretem P. Gonzalvus invenire potuit ut cum illis ageret, et tamen videbantur ei ad omnia bona parati, si quis eos docuisset; sed quia auro et argento externos non invitant, ab omnibus contemni videntur.

1901. Gavisi sunt autem magnopere cum imaginem B. Thomae, quam nostri ferebant, simul cum aliis eis ostenderunt; nihil enim tale unquam viderant. In ea ecclesia altare P. Gonzalvus extruxit et Sanctorum imaginibus ornavit, et Missae sacrificium obtulit; et B. Apostolus multos commovisse videbatur ex his, qui in classi veniebant.

1902. Cum octo dies in Sochotora mansissent, per fauces maris Rubri ultra Adem progressi, duas naves magnas, quas *galeones* vocant, obvias habuerunt, quarum altera magna valde, et armis turcarum instructa, et divitiis plena, ex Tanascharim <sup>2</sup> veniebant. Cepit autem cupiditas milites navem hanc aggrediendi, et ad ejus puppim sic accesserunt, ut parum abfue-

<sup>1</sup> Sic in ms.; verum, cum litterae Gundisalvi, e quibus haec deprompta sunt, habeant *dattili*, videtur hic scribendum *caryotarum*.

<sup>2</sup> Sic; sed neque in chartis expressum, nec apud historicos memoratum hujus nominis locum reperimus.

rit quin nostri igne bombardarum consumpti perirent; nam illi, erectis statim vexillis sericis, et bellica instrumenta pulsare coeperant, prout assolent [cum] praeliandum est. Sed placuit Domino ut ejus navis Praefectus magnis clamoribus nostros alloqueretur ut recederent et iter suum prosequerentur, postquam multis ictibus bombardarum navigia nostra concutere coepissent. Frater noster Fulgentius, ad gubernaculum properans et alio illud vertens, effecit ne biremis nostra sub magna illa navi maneret.

1903. Hoc ergo periculum cum evasissent, eodem die sub vesperam tractum illum maris ingressi sunt, in quo turcarum classis nostros spectare solita erat; sed ab hoc etiam periculo et a syrtibus multis, quae in eo mari sunt, liberati, Mazuam<sup>1</sup> pervenerunt et inde Archichum<sup>2</sup>, qui portus est Aethiopiae, venerunt; cujus media pars turcis, altera media Regi Aethiopiae parebat.

1904. Initio quidem valde perturbati, sua bellica instrumenta, quibus ad bellum parare soliti erant, magnis clamoribus pulsarunt; sed dux nostrae classis pacem cum ipsis iniivit; et ita, arundines suas in manibus gestantes, per oppidum Archichum nostri sunt egressi. Et admirabantur vehementer saraceni, quod tam securi per urbem incederent, quamvis turcae quidam coram nostris satis feroces cum suis sclopetis incederent.

1905. Quaerebant autem nostri aliquam rationem deferendi suas sarcinas<sup>3</sup>. Populus Archicho cuidam lusitano ex parte subditus erat, cujus famuli, qui ibidem ad recuperandos reditus manebant, statim ad nostros venerunt, et bene se habere res Aethiopiae retulerunt.

1906. Circa medium Martium Archicho nostri recesserunt et qui eos comitabantur, postquam ibi triduo mansissent; et omnes ensibus armati erant ut se defenderent a saracenis, inter quos transeundum erat: nec exiguam famem in eo itinere passi sunt, cum panem secum non attulissent, et fere triduo per quoddam desertum euntes jejunarunt; nec sine timore leonum,

<sup>1</sup> Sic; in veteribus chartis *Macana*, in recentioribus *Massowah*.

<sup>2</sup> Sic; *TALLEZ*, *Arquico*; apud alios veteres *Ercoco*; nunc *Arkeko*.

<sup>3</sup> Cum scripsisset librarius: "Quaerebant autem nostri chamelos, quibus suas sarcinas vehendas curarent,," Polancus textum emendavit, ut dedimus.



tigrium et aliarum bestiarum noctibus in campo dormiebant; et ut ab illis securiores essent, locum, in quo dormiebant, ignibus circumdabant, et aliqui eorum suis temporibus per vices vigilabant, et aliquando in hac peregrinatione frementes huiusmodi bestiae in loco quo dormiebant audierunt.

1907. Pridie quam Baroam<sup>1</sup> venissent, quindecim aut viginti lusitani, qui Baroae residebant et adventum classis lusitanae expectabant, ut securius in Indiam navigarent, nostris occurrerunt, et mulas aliquot prius obviam miserunt cum cibis; intellexerant enim quam his destituti nostri et eorum comites essent, qui vix jam incedere prae debilitate poterant. Magno autem cum gaudio gratias agebant lusitani Deo, quod nostros ad ipsorum animas curandas eo deduxisset.

1908. Post quatuor dies pervenerunt Baroam simul cum lusitanis. Est autem ea civitas primaria in provincia Tygrai<sup>2</sup>, in qua fere semper residet ejus Princeps, qui dicitur Bernagais, quod nomen significat ducem aut regem maris, quod inde viginti leucis distat. Ibi viginti dies commorati sunt, ubi P. Gonzalvus quinque lusitanorum confessiones audivit, qui quindecim annis confessarium habere non potuerant.

1909. Non probabant autem aethiopes incolae quod occasio peccandi ab eis removeretur et solebant quasi in proverbii modum dicere: "O quam malus monachus est iste, qui omnes vult facere monachos." Cum lusitani intellexissent quod nostri nullum viaticum ferrent (missi enim fuerant ex India a Prorege sine ullo commeatu, praeter quam communis panis bisco, ti<sup>3</sup>), inter se eleemosynas contulerunt, ac mulas emerunt, quae

<sup>1</sup> In veteribus chartis *Barva*, apud TELLEZ-AIMEYDA *Debaroa*, in recentioribus *Dobaraa*, "urbs Africae, in Aethiopia superiori seu Abyssinia et regno Barnagassi inter urbes Chaxumum et Ercocum, iuxta Marabum fluvium, vixque 70 miliaribus a Mari Rubro.", BAUDRAND in additionibus ad *Lexicon* FERRARI.

<sup>2</sup> "Tigre, *Tigré*, regnum Africae et pars regni Abyssinorum, cuius Prorex, *Tigremahon* dictus, ansam prae-buit errori nonnullorum, qui *Tigremahon* distinxerunt a regno *Tigré*. Sed neque regnum Barnagassi ab hoc distingui debet; illa quippe portio regni Tigræ, quae sinui Arabico est vicina, sic appellatur, teste Hieronymo Lupo Lusitano in suo opere de origine Nilii fluvii et de Aethiopia superiori, ubi per duodecim annos commoratus est, quod anno 1660 Balthasar Tellus publici iuris fecit Conimbricæ et postea latinitate donavit Vossius.", BAUDRAND, l. c.

<sup>3</sup> Hispanice *biscocho*, lusitanice *biscouto*. "Pão do mar; chamao-lhe assim do Latim *Bis*, duas vezes, e de *Coctus*, cozido, como quem dissera *Pão duas-vezes cozido*. Para as pequenas viagens se coze duas vezes o Biscouto, e quatro vezes para as grandes. *Panis biscocctus* se acha neste sentido em alguns Autores, mas não Classicos Latinos. Na Vida de San Bernardo diz Guilhelme, *Sicut solent, qui maria transeunt panem*

sarcinas deferrent in itinere; et quarta die Aprilis Baroa recedentes, quinque lusitanis eos <sup>1</sup> deducantibus, incedebant.

1910. Modus autem iter faciendi in eo regno is est, quo <sup>2</sup> Aegyptii (quos Xingaros <sup>3</sup> italice vocant), uti solent; domum suam secum deferunt; id est, aliquod tentorium et farinam paratam secum in saccis deferunt, et tus aut sal loco monetae ad reliqua emenda; pro diversorio autem sunt tentoria praedicta, quae in montibus aut vallibus defiguntur, procul admodum a locis habitatis, quae in provincia Tygrai in editissimis montium culminibus sita sunt; et itinera valde sunt aspera; homines ejus regni fere pauperes et qui nuditatem non erubescunt, nec viri nec mulieres, praesertim si sint plebeji; et valde petaces sunt; et si quid ipsi donant, id faciunt ut multo plus ipsis donetur. Furtum inter ipsos crebrum est, et si deprehendantur, veniunt ipsi nudi et butyro uncti.

1911. Ratio victus eorum satis est immunda; carnibus crudis utuntur et, pellibus detractis, eas statim in cibum adhibent; ventrem ipsum excussum sine alia ablutione comedunt; immo ex felle et boum faecibus jusculum conficiunt. Ajunt autem nostros nescire bonum carnis gustum accipere, eo quod eis assis utantur.

1912. Sunt pigri agrorum cultores et tantum ad necessitatem eos exercent. Seminant multum lini et ejus semine pro cibo utuntur, et paleam projiciunt, quia ex ea utilitatem capere nesciunt. Ferratis quibusdam lignis pro aratris utuntur, quibus parum admodum profunde terram sulcant; nec ligonum nec falcium usum noverunt; domos ex paleis conficiunt, in quibus nihil praeter ollas et coria quaedam pro lectis habent. Tela quadam vestiuntur; nec habent urbes nec oppida muris circumdata, sed pagos triginta vel quadraginta domorum.

1913. Videbatur autem hoc regnum longitudinis ducentarum leucarum aut amplius; in toto autem itinere nihil vidit praestantius, quam monasterium quoddam, quod opus artificis ex Europa videbatur. Erat autem scissum in rupe, et templum

*ferre biscoctum.* Melhor será chamar-lhe *Panis nauticus*, a imitação de Plínio, que no livro 22. cap. 25, diz: *Nauticus panis tusus, alque sternum coctus, sistit aluum.* BLUTEAU, *Vocabulário português e latino.*

<sup>1</sup> Ms. eo.

<sup>2</sup> Ms. quem.

<sup>3</sup> Sic; rectius *zingari*, hispanice *gitanos*.

tres habebat naves, cum choro et sedibus et majori altari et sacristia; quae omnia a fabro incisa pereleganter fuerant; in cuius circuitu aliquot monachi habitabant, et in circuitu agri erant ad res victui necessarias producendas apti.

1914. Situs illius regni ejusmodi est, ut quadraginta viri, ex quibus per vices decem possunt pugnare, obsistere possent exercitui turcarum, ne ad ulteriora progrediretur, propter vallium, inter montes admodum asperos, angustias. Quatuor vel quinque leucae tantum singulis diebus fieri poterant; et post meridiem duas horas subsistendum erat ut jumenta possent pascere, quae noctu alligari oportebat cum multis ignibus in circuitu propter leonum multitudinem.

1915. Accidit autem ut P. Gonzalvus Rodriguez, ut quietius horas canonicas diceret, paululum a societate aliorum recederet, et magnus ei leo occurrit, qui tamen, Deo protegente, Patre conspecto recessit, et ipse ad socios intra pugnaculum ignis rediit.

1816. 17.<sup>a</sup> die Maji ad locum, ubi erat Rex Aethiopiae, pervenerunt, qui in lato quodam campo cum plurimis in circuitu ejus tentoriis, a nostris inventus est. Jussit autem Rex Aethiopiae <sup>1</sup> tam nuncium Regis Portugalliae, quam nostros cum reliquis sociis, hospitio recipi. Post biduum ad Regem accesserunt quaedam reverentiae signa, illis consueta, excipiendo <sup>2</sup>.

1917. Sedebat ille in quodam lectulo, super quem cortinae, et tentorium regium ex <sup>3</sup> peristromatis sericis, ex Perside et Ormuzio missis, et ex Chairi. Dedit autem ei Didacus Diaz, Regis Portugalliae Nuncius, litteras, quas ad eum ferebat, quas statim legi jussit coram omnibus lusitanis, qui linguam etiam aethiopicam tenebant.

1918. Summa litterarum erat, quod sequenti anno quemdam ex suis domesticis ad eum missurus erat, cum aliquo numero religiosorum sanctae vitae et approbatae doctrinae, etc. Et usque adeo mente confusus fuit his litteris auditis, ut cum nostri aliqua ei dicerent, numquam ad rem responderit; et ita redierunt nostri ad sua tentoria, in quibus cum quibusdam lu-

<sup>1</sup> Hic librarius scripserat *Portugalliae*, sed emendavit recte Sacchini.

<sup>2</sup> Sic; *exhibendo*? Vide infra, n. 1931.

<sup>3</sup> *Ms. et.*

sitanis, qui tunc Regis curiam sequebantur, hospitium habebant.

1919. Post duos aut tres dies recessit ex eo loco Rex, ut octo dierum itinere ad aviam suam invisendam iret. Nostri autem in campo illo deserti fuerunt, nec habebant qui sarcinas ipsorum ferret; sed nobilis quidam lusitanus, Gonzalus Herrera nomine, ad quaedam sua loca vicina nostros deduxit, et in propria domo eos relinquens, Regem deinde secutus est; et ibi per mensem integrum usque ad ejus reditum conquieverunt.

1920. Regio illa, in qua Rex assidue versabatur, multo fertilior est aliis, quas prius nostri viderant, adeo ut bis et ter singulis annis fructum ferret; et accidebat unum esse in spica et aliud jam seminatum. Habet mala persica, ficus Indiae et cannas sacchari et aliquas vites; nec abundat hujusmodi fructibus, quia terra non excolitur. Aquis abundat et optimis fluminibus ac multis et magnis piscibus: arbores ab his, quae sunt in Hispania et India, diversae sunt, et spinas habent, adeo ut non sine molestia per itinera equitare liceat, nam vestes et omnia discerpunt.

1921. Ecclesiae rotundae sunt et palea opertae, nec imagines habent, quod pictorum defectu accidere videbatur. Clerici conjugati sunt, et pauci fiunt: monachos magnopere reverentur, quorum multi casti censebantur, quamvis alii male audirent; qui tamen ex monachis in desertis locis habitabant, vitam vere anachoriticam prae se ferebant.

1922. Vulgus hominum ad devotionem propensum videtur, sed pauperes non libenter vident mendicare, forte quia et ipsi pauperes sunt et animi parum generosi. Quod ibi valde alios aedificat est cum magna recollectione et vitae gravitate vivere; et ut fructus aliquis capi ex eis posset, necessarium esse P. Gonzalus censebat sic se gerere, ut in scientia et in virtute homines se superiorem existiment. Quamvis autem multae sint ecclesiae et loca monachorum in eo regno, non solvuntur decimae a populo, sed agri assignati sunt in clericorum et religiosorum usum.

1923. Hoc mense, quo reditum Regis nostri expectabant, gratiam postularunt ab eo <sup>1</sup> ad Regis Aethiopiae mentem intel-

---

<sup>1</sup> Sic; verum existimamus scribendum esse *a Deo*.

ligendam, quod ad nostros excipiendos attinet. Accidit autem, Deo rem dirigente, ut lusitanus quidam, qui multum gratiae apud Regem Aethiopiae habebat et scripserat responsum, quod ille Regi Portugalliae mittebat, ad locum illum veniret, ubi nostri commorabantur, qui affirmavit Aethiopiae Regem nolle Patres nostrae Societatis **admittere**, quodque in suis litteris scribebat se illis non indigere, nec **obedientiam Ecclesiae Romanae** se dare velle.

1924. Et quia magnates in regno Aethiopiae affirmabant se malle saracenis (qui hostes perpetui illorum erant) subjici, quam suos mores ac ritus mutare et nostros assumere, decrevit P. Gonzalvus, studio adhibito, aliquas veritates nostrae Fidei scriptis comprehendere ut errores aliquos aethiopum confutaret, et saltem aethiopes in dubium adduceret, qui in vetustissimis suis erroribus tam securis animis quiescebant, ut ex responso, quod ejus scriptis daretur, Regis Aethiopiae veram intentionem colligeret, quam tamdiu celaverat, quae alia ratione forte intelligi non poterat; nec nocere posse videbatur majorem lucem in hoc negotio Aethiopiae, quam [quae] hactenus habita fuisset, curare. Et lusitani, quibus res Aethiopiae perspectae erant, id probabant.

1925. Ex monachis ergo doctioribus eorum opiniones praecipuas, in quibus a Catholica Religione dissidebant, didicit; et ita quicquid Regi fuisset concionatus, si calluisset aethiopicum idioma, eadem scriptis comprehendere decrevit. Sed dum huic labori invigilat, in fluxum sanguineum incidit, quo morbo propemodum extinctus est. Sunt enim ibi paucissima remedia, nec inveniuntur quae ad vires reficiendas in hujusmodi morbis sunt opportuna. Augebat etiam morbum non solum quod indigenas in tam multis errorum tenebris caecutire videret, sed quod etiam in lusitanis magnam incuriam, in rebus ad animarum salutem pertinentibus, observabat.

1926. Hyeme ergo adveniente, et valetudine utcumque recuperata, ad Regem, octo vel decem dierum itinere distantem, nostri se contulerunt; et quia flumina hyemali tempore valde creverant, non sine periculo ea transierunt et sarcinas humeris aethiopum deferentes; ipsi etiam nudi flumina transiebant; nullum enim pontem in tam multis fluminibus inveniabant; sed aliquando in vaccarum coriis, quae lignis quibusdam

alligantur, transire solent, et multi suffocati pereunt et alii periclitantur.

1927. Pervenerunt demum ad castra Regis et a quibusdam lusitanis ibi excepti fuerunt, et [Pater] ibi in morbum, a quo convaluerat, recidit, et ideo ad Regem salutandum non accessit, nec Rex ipse nostrorum memor fuerat post primam illam prius dictam salutationem.

1928. Decrevit ergo P. Gonzalvus brevibus litteris Regi Aethiopiae significare quomodo se haberet, et quorsum in Aethiopiam venisset, ad ipsius scilicet obsequium. Sed cum intellexisset nullo modo placere Regi Aethiopiae quod in ejus regno nostri versarentur, quod timeret suos defectus detegi, nec Romanae Ecclesiae vellet acquiescere, decrevit in scriptis ea ad eum transmittere, quae verbis dicere non poterat; et haec est ratio, qua cum Rege Aethiopiae homines negotia sua transigunt vel per nuncios; nec fere unquam ejus faciem vident.

1929. Id etiam agebat P. Gonzalus ut non liceret Regi dissimulare et amplius decipere Portugalliae Regem, ut jam idem fecerat. Postulavit autem ut Rex aliquos viros doctos et monachos ipsi assignaret, ut in chaldaicam linguam transferrent aliquot veritates nostrae Fidei, quandoquidem nostros haereticos esse et saracenis peiores dicebant, juxta quemdam ipsorum librum, cujus titulus erat *Adulterium Franchorum*<sup>1</sup> ab haereticis Alexandriae compositum, qui Concilium Chalcedonense reprehendit, ac dicit ex Trinitate quatuor personas per errorem Patres illos in divinis asseruisse. Hunc ergo librum postulavit P. Gonzalvus, et aliqui nobiles milites lusitani dixerunt, quod ipsi amplius inservituri non essent, nisi prius intelligerent nostrae Fidei veritatem, ut in ea existimatione haberentur, qua deceperat (*sic*)<sup>2</sup>. Hunc librum Rex dare noluit, et indigne tulit quod nostri scirent talem librum penes ipsum esse, et Patri Gonzalo renunciari fecit non esse illi necessarium hunc librum videre, sed ipsi licere scribere quae vellet; et ad

<sup>1</sup> "um livro, a que chamam *Adulterio de Frangues*," P. Gundisalvus Rodriguez Socius lusitanis, apud TELLEZ-ALMEYDA, l. c.

<sup>2</sup> Sensus sane obscurus, qui nescio an in hunc modum reddi et compleri possit: Et aliqui nobiles milites lusitani, quorum opera Rex utebatur, dixerunt se amplius Regi non inservituros, nisi prius intelligerent nostrae fidei veritatem in ea existimatione ab illo haberi, quam olim ostenderat, et qua ipse lusitanos et regem Portugalliae ad legationem mittendam quodammodo deceperat.

id duos monachos misit, qui in sermonem chaldaicum verterent, quod per quemdam Alphonsum de Francha, qui in Regis Portugalliae cubiculo servierat, diceretur.

1930. Dictavit autem P. Gonzalus summam Catholicae Fidei, errores simul confutando, quos in regno Aethiopiae observaverat. Sed impedire daemon <sup>1</sup> nitebatur, ne coeptum hoc opus absolveretur, cum non invenirentur monachi, qui in chaldaicum sermonem, ut illi duo coeperant, quod reliquum erat verterent ac scriberent. Itaque dux lusitanorum coactus fuit semel atque iterum monachos scriptores a Rege petere; et non impetrassent, si Rex intellexisset quae scripturi erant. Regina etiam nitebatur id impedire; sed tandem res confecta fuit.

1931. 20.<sup>a</sup> ergo Augusti (quo tempore jam hyems ad finem vergit) ad Regem <sup>2</sup> cum illo Praefecto militum et septem aut octo lusitanis venit in quamdam pauperum domum, quae optima erat totius Aethiopiae, et ibi expectarunt donec Rex eo venit; et cum in lectulo solito sederet, nostros jussit accersiri. Genibus autem coram eo flexis, manum ipsius P. Gonzalus osculatus est; et cum inciperet ei declarare sui adventus causam, interruptit Rex filum discursus et alia de re agere coepit, ut qui paratus erat ad ictus declinandos. Dedit ergo ei scriptum in chaldaica lingua, quod legere coepit; et cum ad locum quemdam perveniebat contra errores aethiopum, ad ulteriora progrediebatur. Demum detegens quod in ejus pectore latebat venenum, a matre et ab aliis suis conceptum, qui eum oppugnabant, ac nullo modo ritus suorum progenitorum deserendos esse affirmabant, irato vultu atque oculis dixit P. Gonzalo, quod ipse postulaverat facultatem ad nostrae Fidei veritatem explicandam, et ad id monachos, qui eadem scriberent, postulaverat; et quod non id praestabant, sed potius errores eis adscribebat, qui non errabant.

1932. Respondit autem illi P. Gonzalus Rodriguez ita ut Regi satisfactum sit. Et cum ille diceret hujusmodi non esse dicenda a simplici sacerdote, sed ab Episcopis et insignioribus Praelatis et a Romano Pontifice talia proponenda esse et non ab ipso, respondit Gonzalus, quod pauper sacerdos ipse esset,

<sup>1</sup> Ms. *deinum*.

<sup>2</sup> Ms. addit *se*.

sed quae ibi scripta erant evangelicam veritatem esse et sacra Concilia, et ut ea audiret et non ipsum.

1933. Quod autem dicebat hujusmodi errores a suis non teneri, se gratias agere Deo, si Rex ipse hujusmodi errores non teneret; sed ejus subditos omnia, quae in scripto continebantur, tenere; et ut curaret eo evocari suos monachos et doctores: se ostensurum, quod vel omnes, vel eorum major pars, illos errores tenebat. Tunc clare respondit Rex nolle se hujusmodi disputationes, cum supra mille annos hanc fidem in Aethiopia tenuissent; disputandum potius esse cum gentilibus; et cur tot saeculis nullus venisset, praeter ipsum, qui suos errores ei denunciaret <sup>1</sup>. Respondit P. Gonzalus, propter hominum peccata, similia a Deo permitti, quodque ipse deberet Deo gratias agere quod suo tempore lucem veritatis evangelicae in Aethiopiam mitteret. Rex quatuor sedes esse dixit, in quas Catholica Ecclesia esset divisa, et aethiopes uni ex eis obedire; sed ostendit ex Conciliis P. Gonzalus quod omnes Romano Pontifici subessent, et hanc veritatem Primatus, auctoritate etiam Doctorum et aliis modis, ostendit.

1934. Rex tunc dixit quod ab Indiae Pro-rege aliquem postulaverat ut sacramenta lusitanis ministraret, quodque scribebat Pro-rex se mittere ipsum ad hoc ministerium; quare ergo ulterius ipse progrediebatur et inter se et Regem Portugalliae, fratrem suum, antiquam amicitiam dissolvere nitebatur? Respondit P. Gonzalus verissimum esse quod a Pro-rege Indiae ad ministranda sacramenta lusitanis missus esset; sed ad id etiam, ut mentem ipsius Regis de admittendo quodam magno viro et aliis religiosis, de quibus ei Pro-rex scribebat, intelligeret; nam prudentissimus Rex Portugalliae non debebat tales viros in Aethiopiam mittere, nisi ei constaret quod excipiendi essent; quorsum enim cum tantis sumptibus, et sine ullo fructu, nolenti tales viros obtruderet? Sui praeterea officii esse, licet a nemine mitteretur, evangelicam veritatem ipsi denunciare; quod si alii sacerdotes de hujusmodi erroribus nihil ei dixissent, ideo accidisse fortassis quod eos non intelligerent. Hortabatur proinde ut scriptum illud bene legeret, in quo re-

---

<sup>1</sup> Iverat paucis ante annis Joannes Bermudez, Patriarcha. Vide TELLEZ-ALMEYDA l. c., lib. 1; et CASSANI, *Mission de Ethiopia*.



spondebat omnibus, quae ipse interrogabat, et caveret ne ex illis esset, de quibus David dicebat: nolunt intelligere ut bene agant <sup>1</sup>.

1935. Demum, multis ultro citroque habitis, dixit illi Praefectus militum hoc velle P. Gonzalum intelligere, an vellet obedientiam Pontifici Romano praestare et admittere doctos illos ac religiosos viros, quos Portugalliae Rex ad eum mittere volebat: videret ergo num vellet obedientiam praestare, ut jam alibi praestiterat <sup>2</sup>.

1936. Ad haec clare respondit Rex se satis multos doctos et religiosos viros in suo regno habere, quodque aliis a Rege Portugalliae missis non egebat. Dicebat etiam numquam se aut suos obedientiam Pontifici Romano dedisse, et obedientiam illam, quam Gaspar de Malagagnes <sup>3</sup> tulerat, se eam dedisse negabat; sed monachum quemdam arabem, qui verterat suas litteras ad Regem Portugalliae, non bene eas intellexisse; se velle ei obedire, cui semper obedierat, id est, Patriarchae Alexandriae.

1937. Tunc P. Gonzalus, accepta Regis manu, eam est osculatus, quod tam brevi et clare eum expediret; timebat enim ne diuturna dissimulatione uteretur. Et cum ab ipso vellet recedere, dixit Rex se lecturum scriptum ejus, quamvis Pro-rex Indiae non ea de re scripsisset; sed ad hoc respondit Gonzalus suae discretionis hoc a Pro-rege relictum esse; et cum Pro-rex petebat ut ipsum audiret non petentem aurum, equos aut mulas, sed loquentem de veritate nostrae Fidei, audiri ab ipso petebat. Denuo dixit se lecturum; et ita redierunt nostri ad suum hospitium; quibus recedentibus, manente tamen ibidem Praefecto militum lusitanorum, coepit Rex Aethiopiae magnopere laudare doctrinam Patris Gonzali, et vehementer admirabatur quod, cum tam juvenis esset, tantum eruditionis esset assequutus; et tamen vere Pater hic vix inter mediocriter doctos censeretur poterat. Legebat autem et crebro in manibus habebat scriptum, et matri suae et fratri ac primoribus regni ostendebat; et quia Patriarcha schismaticus Aethiopiae prohibuerat sub

<sup>1</sup> Ps. XXXV, 4. *Verba oris ejus iniquitas et dolus: noluit intelligere ut bene ageret.*

<sup>2</sup> Vide supra, t. I, pag. 191, n. 148.

<sup>3</sup> Sic: est autem Gaspar de Magallanes, seu de Magalhães, ut habet ipse Gondisalvus, l. c.

excommunicationis poena ne quis P. Gonzali scripta legeret, postridie misit ad eum Rex ut facultatem sibi daret scriptum illud perlegendi: et quia noluerat eam dare facultatem Patriarcha (quem *Bunam* <sup>1</sup> vocant), referebant quod Rex eum injuriis affecerat, saracenum et haereticum eum vocans; quod legeret ipse alchoranum Mahometi et impediabat ne scriptum tam excellens et sanctum legeret, quod P. Gonzalus ipsi proposuerat, et ex tam excellentibus christianis collectum; sed quandoquidem ipse missus fuerat in Aethiopiam ut Patriarcha, ut responderet eis, quae simplex sacerdos sine ulla dignitate, qualis erat P. Gonzalus, proponebat; et ut disputaret cum ipso, et tunc intelligeret quam eximii christiani nostri essent. Ad haec respondit Patriarcha se nolle disputare, quia non venerat ad ejus regna ad aliud quam ad ordines conferendos.

1938. Magna autem contentio fuit orta inter familiares Regis et Reginae; nam ejus familia contraria erat valde veritati catholicae, et in erroribus et vitiis pertinax. Rex autem et primores regni favere parti catholicae aliquantulum videbantur; et cum hi urgebantur a contrariis, remittebant eos ad P. Gonzalum, qui eis rationem redditurus et errores ipsorum ostensus erat.

1939. Demum Rex decrevit monachos quosdam religiosos (quorum magna erat sanctitatis existimatio) congregare, ut ipsos de hoc negotio Fidei consuleret. Currit interim per regnum Aethiopiae fama de confessione Fidei, quam in scriptis P. Gonzalus Regi obtulerat, et multi religiosi et alii ad eum videndum veniebant, magnopere stupentes quod tam juvenis tantum doctrinae haberet, quantum ipsi ex illo scripto concipiebant.

1940. Alii autem magni viri, qui propter timorem Regis venire ad eum non audebant, miserunt ad eum, qui nomine ipsorum benedictionem S.<sup>ci</sup> Petri peterent: et illi ipsi monachi, quos Rex miserat ut in linguam chaldaeam scriptum illud verterent, quo Fidei confessio et errorum Aethiopiae confutatio continebatur, cum inter alios docti essent, publice dicebant se nunquam vidisse nec legisse tam dulce et tam excellens scriptum, quam illud erat, quod Regi P. Gonzalus obtulerat; et ita

<sup>1</sup> *Abunnani* cum vocat Gundisalvus.

asseverabant aethiopes errare, et nostros Fidei veritatem tenere; et si Rex non obediebat, se recessuros cum P. Gonzalo affirmabant, si in Indiam vellet eos deducere et inde Romam mittere; et prorsus verisimile videbatur, quod si scriptum illud chaldaica lingua evulgatum esset <sup>1</sup> inter eos, qui eruditi habebantur, quod multos ad meliorem sententiam mutasset et alios confudisset. Quod cum Rex praevideret, noluit ut aliud exemplum scriberetur. Sed cum P. Gonzalus post mensem unum a Rege peteret ut suum scriptum ipsi redderet, et, si ejus vellet exemplum, ut scribi juberet, respondit Rex illud scriptum fuisse ut ipse illud videret, seque in manibus semper illud habere, et quod poterant sufficere P. Gonzalo libri, ex quibus scriptum illud collegerat.

1941. Postea nihilominus intellectum est quod Rex transcribi jusserat, quamvis suspicabatur P. Gonzalus quod aliqua inde subtraheret, ut <sup>1</sup> quae de Papa Leone Magno et de Dioscoro Alexandriae Episcopo agebant; nam aethiopes Leonem execrantur, sicut et Concilium Chalcedonense, quod injuste condemnasset ut haereticum Dioscorum, quem ipsi sanctum existimant.

1942. Hoc tempore Rex Aethiopiae conqueri jubebat multos libros ex primariis regni sui ecclesiis et non cessabat ab eis evolvendis; et notabat ex eis quae videbantur ad rem facere ut responderet scripto P. Gonzali, et ad Regem Portugalliae ac Pro-regem Indiae scriberet, si qua ratione posset suos errores celare; sed cum id non inveniret, affirmabat Fidem nostram et suam eandem esse, nec tamen propterea Romanae Ecclesiae obedire volebat. Et ut cognoscantur eorum hominum animi hoc addam, multos ex gentilibus, qui regno Aethiopiae vicini sunt et tributum ei Regi pendunt, postulasse ut christianos ipse efficeret, sua nihilominus jura ei soluturos; quodque nollent aethiopes id facere, ut liceret ipsis irruptiones in eos liberius facere, ut faciunt, eorum filios, uxores et bona depraedando; et ad mare homines mittunt, ut turcis et saracenis vendant, decem et duodecim millia servorum singulis annis, ex quibus nullus est qui libenter christianus non fieret.

---

<sup>1</sup> Ms. erat.  
Ms. et.

1943. Aliqui tamen in eo regno <sup>1</sup> magna abstinencia et virtutibus praediti sunt; et prorsus P. Gonzalus iudicabat totum hoc negotium ex Rege pendere, quodque si ipse vellet Apostolicae Ecclesiae parere, alii libenter parerent, quamvis nonnulli, tam monachi quam idiotae, sint tam obstinati, ut potius vitam quam mores antiquos relinquere parati essent. Voluit P. Gonzalus ad gentiles illos transire, ut videret num fructum aliquem Christo inter ipsos capere posset; quandoquidem inter aethiopes hos, quos abissinos vocant, illum pro suo desiderio non capiebat; sed admonitus est, quod si id faceret, simulatque abexini id scirent, occissuri eum erant.

1944. Cum jam tempus esse videretur responsum petendi a Rege, quod ipse promiserat, respondit ille non esse quod tantopere properaret, cum patris ipsius legatus ad Portugalliae Regem <sup>2</sup> aliquot annos in Portugallia commoratus esset antequam a Rege expediretur; sed ipse P. Gonzalus facile intelligebat quod nolebat Rex Aethiopiae ut ad mare ipse accederet, ne de rebus ipsius quae intelligebat scriberet; nam si ex inferioribus regni litterae mittebantur, statim intercipiebantur; sed cum urgeret Gonzalus, ultimo respondit Rex ut adhuc mensem unum expectaret; et si eo tempore responsum non daret aliud quam prius dederat, ut tunc intelligeret se expeditum, et pro suo arbitrio recederet.

1945. Tentaverat prius P. Gonzalus, cum Rex peteret ut in sua curia maneret, ut facultatem concionandi coram ipso Rege semel singulis hebdomadis haberet; sed Rex nullum responsum huic petitioni dederat.

1946. Evocatus fuit a Regina Aethiopiae quarta die Octobris, quae ipsum alloqui optabat et calicem quemdam videre, quo idem Pater in sacris utebatur, qui apud ipsam valde fuerat laudatus. Cum quibusdam ergo lusitanis ad Reginam admissus in quodam tentorio tapetibus strato, cum et ipsa in lectulo quodam sederet. Genibus ergo flexis, manum Reginae osculatus ac felicia precatus, se excusavit quod prius ipsam non sa-

---

<sup>1</sup> Ms. habet hic relativum *qui*; sed videtur supervacaneum esse et orationis sensum pervertere.

<sup>2</sup> Armenus quidam, nomine Matthaeus, missus a Rege Aethiopiae, Lebna Danguil, alias David, ad Emmanuelem, Portugalliae Regem, anno 1516. CASSANI, *Mission de Ethiopia*; *Cartas de San Ignacio*, t. I, pag. 514, et t. V, pag. 76.

latusset. Postulavit ab eo Regina cur prius ipsi non significasset quod ipsam vellet salutare (nam hic est mos ejus regionis). Ille se expectasse dicebat ut voluntas ejus ipsi significaretur; et demum voluntatem ipsi et Regi, ejus filio, serviendi in Domino ostendit.

1947. Et cum de scripto Regi dato mentio fieret, dixit Regina eandem esse Fidem ipsorum et nostram, nec opus esse quicquam ea in re innovare. Respondit P. Gonzalus id facile posse intelligi, an ita se haberet, ex scripto Regi oblato. Et quamvis alia in re non errarent aethiopes cum suis Principibus quam in obedientia Romano Pontifici et Christi Vicario neganda, quod id solum sufficeret ad omnium damnationem, quemadmodum Adam et Eva cum posteris propter inobedientiam damnati fuerant. Cumque ipsa diceret nec Petro, nec Paulo, nec Christo, qui in coelis erat, se obedientiam negare, subjecit P. Gonzalus illud Christi: "qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit;" et ita qui spernebat Romanum Pontificem, Christi Vicarium, Christum spernebat.

1948. Postulavit etiam a Regina, quandoquidem futurum est unum ovile et unus Pastor, juxta Joannis Evangelium, quisnam esset futurus Pastor hujus ovilis? Respondit illa "S.<sup>m</sup> Petrum." Subjecit P. Gonzalus quod etiam qui succedebant ei. Tunc illa plusquam mille annos suos majores in illa fide fuisse affirmabat, nec admonitos fuisse tot saeculis quod errabant.

1949. Et quia P. Gonzalus unum corpus mysticum Christi unum habere caput et non plura diceret, per concilium aliquod et non per privatum hominem haec esse proponenda dicebat; et ut nostri ad Patriarcham Alexandriae se conferrent et cum illo talia transigerent, nam juxta Concilium Nicaenum aethiopes illi obedire tenebantur. Et cum P. Gonzalus aegrotantium esse diceret medicinam quaerere, et quod debebat scribere Rex Aethiopiae Patriarchae Alexandrino an vellet obedire Pontifici Romano, ut quadringentis et amplius annis ante Dioscori discessionem et Concilium Chalcedonense obedivissent; quod si nolle, illum ut haereticum relinquendum esse, et alium Patriarcham, a Romano Pontifice missum, admittendum esse cum doctrina catholica.

1950. Et cum illa abstinendum diceret ab his sermonibus

propter sui Patriarchae excommunicationem, non esse timendam talem excommunicationem dicebat, sed potius Romani Pontificis, quae singulis annis in die coenae Domini legitur, contra omnes qui separantur ab ipsius obedientia, cum maledictione Sanctorum Petri et Pauli; et timendum esse ab illis ne Petrus portas coeli eis clauderet, quandoquidem claves ejus habebat.

1951. Et ita a Regina recessit: et simulatque domi Missam celebravit, quidam vir primarius ex familia Reginae ad eum accessit, et ejus nomine duas vaccas, et multum panis cocti, ac mellis ex vino confecti, ei dedit.

1852. Post paucos dies castra movit Rex, quem nostri comitati sunt, et sub quodam tentorio altare erexerunt, in quo Missam celebrarent. Ibi tres monachi ipsum adierunt, inter quos unus erat, qui satis versatus fuerat in Sacris Litteris, et per quemdam lusitanum aditum sibi paraverat, ut Patrem Gonzalum alloqueretur, et coepit dicere nostra ipsi valde probari, praeterquam quod sabbatum non observamus, et carne porci ac leporis vescimur: sed cum rationem utriusque P. Gonzalus ei reddidisset, non solum satisfactum est, sed fatebatur Ordinis sui religiosos, qui sub titulo B. Virginis militabant, antiquitus adversatos fuisse eis, qui sabbatum observabant, sed nunc, ne ab aliis reprehenderentur, se custodire sabbatum; nam satis intelligebant verum sabbatum esse dominicum diem.

1953. Coepit deinde eum interrogare de quibusdam opinionibus, in quibus errare solent abyssini, ac primum quo deducerentur animae post mortem: respondit ille, quod ad paradysum terrestrem, quodque non statim videre poterant Dei essentiam. Interrogavit, Spiritus Sanctus a quo procederet? respondit a Patre; sed etiam esse spiritum Filii, nec improbabat quod ab utroque procedere diceretur, quandoquidem una erat Patris et Filii essentia.

1954. Interrogavit deinde de Purgatorio; sed nesciebat ille ab Inferno distinguere, et affirmabat animas malorum christianorum ad infernum ire, et ibi manere, donec eorum peccata purgarentur; et tandem omnes baptizatos salvos fore, et solos infideles in inferno mansuros; et probabat ex verbis Christi "*qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non*

*crediderit condemnabitur* <sup>1</sup>; Et "*qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam*" <sup>2</sup>.

1955. Postquam autem hos errores P. Gonzalus confutasset, ita ut monacho satisfactum esset, interrogavit monachus an nos teneremus Fidem Leonis Papae; et cum affirmaret P. Gonzalus, subjecit quod ipsi librum quemdam habebant, qui Papam Leonem reprehendebat, quod Filium Dei Patre minorem diceret, et ita quatuor Personas in Trinitate constitueret; et communiter aethiopes hoc de catholicis censent. Sed declaravit ei Gonzalus verum esse quod Christus aequalis esset Patri secundum naturam divinam, propter quam dixit "*Ego et Pater unum sumus*" <sup>3</sup>, et minorem esse secundum humanitatem, unde idem dixit "*Quia Pater major me est*" <sup>4</sup>. Et cum monachus putaret hoc dictum ex humilitate a Christo, et propter auctoritatem generationis, declaravit illi utramque [naturam], divinam et humanam, in una persona, alteram creatam, alteram increatam; et ita monacho abunde satisfactum est; et accedens ad aures P. Gonzali dixit, ita ut alii monachi non audirent, quod hoc verum erat, quod ab ipso dicebatur, et ita in suo corde erat crediturus; et sic a nostris recessit.

1956. Cum autem in castris sub tentorio Missam diceret, et ibidem confessiones audiret et sacramentum Eucharistiae ministraret lusitanis, qui ibidem erant, significavit illi Rex, quod Missam audire vellet more Romano. Lusitani ergo altare egregie exornarunt in rotundo quodam tentorio tapetibus strato, et ibi coram Rege et fratribus ejus, et aliis primoribus regni, Missam de S.<sup>ma</sup> Trinitate P. Gonzalus celebravit. Sumpserunt autem sanctissimum Eucharistiae sacramentum undecim lusitani, quorum omnium confessiones generales idem Pater audierat. Sic enim necesse erat cum diu confessariis in eo regno caruissent.

1957. Placuit autem valde Regi ritus ac modus sacrificii Missae more Romano. Absoluto autem sacro, ostendit ei P. Gonzalus calicem et sacramentum, hostiam, et imaginem crucifixi, et quamdam B. Virginis imaginem penicillo depictam,

<sup>1</sup> MARC., XVI, 16.

<sup>2</sup> JOAN., VI, 55.

<sup>3</sup> ID., X, 30.

<sup>4</sup> ID., XIV, 28.

quae omnia libenter Rex vidit; et cum vellet, inde occasione accepta, ad alia colloquia progredi, Rex, qui sua vulnera contingi nolebat, expedita quadam ratione P. Gonzalum a se dimisit; et ipse timens ne obstinatio redderetur, abstinuit in posterum ab huiusmodi colloquiis et scriptis. Tantum ei obtulit Athanasii Symbolum, quod illi falsum et detruncatum penes se habent, praecipue ubi Christum Patre minorem secundum humanitatem diceret, propter quod ipsi etiam S.<sup>to</sup> Athanasio abissini infesti sunt. Obtulerunt etiam quatuordecim vel quindecim regnorum christianos Principes <sup>1</sup>, simul cum Imperatore Romano, et quam multa hominum millia eorum quisque ad bellum armare posset, qui omnes eandem fidem sub Romani Pontificis obedientia tenebant; nec alium esse christianum Regem, praeter ipsum, qui extra obedientiam Sedis Apostolicae viveret, quod magnopere Regem terruit; et misit qui interrogasset P. Gonzalum an omnia haec sint vera, quae in illo catalogo regnorum dicebantur.

1958. Hoc tempore P. Gonzalus confessiones audiebat lusitanorum, qui ex variis Aethiopiae locis ad eum veniebant; et quia multae restitutiones fiebant, tam multi ex abissinis ab his et illis provinciis veniebant ut ipsis restituerentur quae lusitani vel eorum famuli ab eis acceperant, ut summae aedificationis in curia Regis causa esset. Et circumferebatur nulum esse in orbe sacerdotem huic Patri Gonzalo similem, nec permitti oportere ut ex ea Curia ille recederet: novum enim prorsus erat et inusitatum, ita ut <sup>2</sup> tam Rex ipse quam caeteri valde admirarentur, quod res oblivioni jam traditas, et de quibus recuperandis omnino desperabant, ipsis restituerentur. Et ipsimet lusitani evocabant tam christianos quam saracenos, et sua illis reddebant; et de eo magis stupebant, quod nec monachi inter christianos, nec chasizes <sup>3</sup> inter saracenos ablata restituere jubent, nec apud illos ullum restitutionis genus est.

1959. Exacto mense, quo Rex Aethiopiae expectari jusserat responsum, petiit ab eo facultatem recedendi P. Gonzalus, qui dixit posse eum pro suo arbitratu recedere; et quod ad sacerdo-

<sup>1</sup> Scilicet, ut ex sequentibus apparet: Obtulit Regi P. Rodriguez in catalogo descriptos quatuordecim vel quindecim regnorum christianorum Principes.

<sup>2</sup> Ms. *et*, loco verborum *ita ut*.

<sup>3</sup> Vide supra, t. 1, pag. 105, annot. 2.



tes attinet, quos anno sequenti Rex Portugalliae missurus erat, se hominem quemdam designasse, qui cum ad portum Mazua pervenissent, eos exciperet et in regnum Aethiopiae adduceret; se enim velle eos audire, et postquam eos in suo regno haberet, tunc de se deliberaturum de obedientia praestanda vel non praestanda Pontifici Romano.

1960. Sed P. Gonzalus, rebus diligenter observatis, sibi persuadebat omnino quod id numquam facturus esset, quod ad obedientiam pertinet, nisi Praefectus aliquis militum cum octingentis aut mille militibus eo cum Patriarcha mitteretur; si enim id ita fieret, prophetiam se illi habere ajunt, quae affirmat multos monachos haereticos morituros, quodque Rex cum lusitanis praelium committeret, in quo mortem obiturus esset, et ejus loco regnaturum esse quemdam ejus fratrem, et post illum Aethiopiam ab illo peregre adveniente regendam esse, Proregem aut Gubernatorem aliquem insinuando.

1961. Sentiebat ergo P. Gonzalus Regem Aethiopiae dissimulatione hac velle ne ejus amicitia cum Rege Portugalliae dissolveretur; si enim lusitani ab eo removerentur, actum esse de suo regno putabat, et necessitate sola eum adduci posse ad obedientiam praedictam.

1962. Cum autem Rex videret discedentem jam P. Gonzalum, Praefecto lusitanorum dedit decem uncias auri, quae centum aureos perficiunt, ad expensas itineris; sed noluit eas P. Gonzalus admittere, sed ab eo Praefecto postulavit ut daret tres vel quatuor uncias cuidam pauperi conjugato, qui in ejus societate veniebat, et hoc nomine eleemosynae, et reliquas Regi restitueret, cui omnia felicia precabatur, quod sui memor fuisset, sed prospectum sibi fuisse de rebus necessariis.

1963. Pervenerunt autem ad locum cujusdam lusitani, ubi aliqui P. Gonzalum expectabant ut eorum confessiones audiret et tres pueros baptizaret. Oportuit autem ut ibidem aliquot dies maneret, nam lusitani ex diversis locis ad generales confessiones faciendas confluebant. Audivit etiam quarundam foeminarum abissinarum confessiones, quae protestabantur ex corde se in unione catholicae Fidei et obedientia Romani Pontificis vivere ac mori velle; et ita matrimonio legitimo cum his lusitanis eas copulavit, cum quibus in concubinato diu vixerant. Una earum sanguine Regi valde propinqua erat, ex his

quas *Unzaras* illi vocant, in Hispania *Infantas*. Ibi etiam aliquot paces magni momenti curavit; nullibi enim inimicitiae asperiores quam ibi sunt.

1964. Eo tempore litteras ex castris Regis accepit, quod a Rege auditum fuerat ipsum litteras ex India accepisse arabica lingua, ne crederet litteris, quas Didacus Diaz, superius nominatus, a Rege Portugalliae adferebat; falsas enim esse. Fieri potest ut diabolus, ad fructum spirituales impediendum, aliquem moverit ex suis ministris ad has litteras scribendas; forte et ipse Rex hoc finxit ut, si minus satisfaceret Regi Portugalliae, ex hac suspitione occasionem habuisse videretur.

1965. Post multos dies ex eo loco recedens, in alium, nomine Graream <sup>1</sup>, se contulit, ut septem vel octo lusitanorum qui ibidem manebant confessiones audiret, et aliquos pueros baptizaret, quibus peractis ad quemdam locum, ubi monasterium monachorum et alterum monialium erant, se contulit, utrumque valde numerosum; et ex hoc monasterio monachorum, quod Britibanum vocant, tota fides aethiopum pendere dicitur: et eorum superiorem, magnae auctoritatis virum apud Regem et populum, invisere voluit. Sed cum ad monasterium nostri venerunt, eum minime invenerunt; nam in sylvas egressus fuerat ad caedenda ligna; novum enim monasterium conficiebat. Monasteria vero ejus regionis non similia sunt nostris; singuli monachi in singulis domibus habitant, quas sibi ipsi conficiunt; itaque monasterium speciem quamdam pagi refert, quamvis ex palea domus conficiantur; et ex una parte monachi et ex altera moniales habitant; et ferunt inter ipsos multos filios nasci.

1966. Inde profecti sunt et Andozem <sup>2</sup> pervenerunt, qui locus prae caeteris in Aethiopia fertilis habetur, nec aliud est melius oppidum in toto regno: lacum habet vastissimum, quem vix septem aut octo diebus circuire quis poterit; per medium ejus flumen Milli <sup>3</sup> transit, cujus ortus vicinus ei loco esse di-

<sup>1</sup> Nullum hujus nominis oppidum reperimus in antiquis neque in recentioribus chartis, neque in descriptione Aethiopiae, quam afert TELLEZ-ALMEYDA.

<sup>2</sup> Idem dicendum hic venit ac de *Glarea*, annot. praecedenti.

<sup>3</sup> Sic; sed indubium esse videtur scribendum esse Nili, et sermonem hic esse de lacu *Dembea*, antiquis *Dambea* et *Dombea*. Vide TELLEZ-ALMEYDA, l. c., lib. I, cap. 6, quod inscribitur: *Dasse noticia da grande alagoa de Dambea, em que o Nilo entra, e do modo que della saye para o Egypto*.

citur et ex hoc lacu auctior multo profluit. Animalia ibi plurima visa sunt, *gomeræ* vocant, aspectu foedissima et horrenda et satis magna; et anfibia sunt; nam partim in lacu habitant, partim campos depascunt<sup>1</sup>. Abundat etiam crocodilis<sup>2</sup>. Decem aut duodecim dies juxta hunc lacum exegit in cujusdam lusitani loco usque ad festum Epiphaniae; et postquam ei ministrata sunt sacramenta, ad alium locum, nomine Agara, ubi aliqui erant lusitani, venit. Et cum pauci essent, pauciores ex eis confessi sunt.

1967. Itaque cum per regnum illud centum lusitani sparsi sint, centum ex eis confessiones audivit, et ad eos quaerendos in suis locis ac villis, saltem multos eorum, ire P. Gonzalum oportuit.

1968. Baroam inde profectus est, itinere duodecim dierum distantem; quidam Alphonsus de Silvera cum aliquot hominibus nostros comitatus est; nam per loca valde periculosa trans-eundum erat, quae a quibusdam judaeis ex vicino monte descendentes, et ab aliis quibusdam (quos *agaos*<sup>3</sup> vocant) infestari solebant; et cum nostros ad secreta loca deduxerunt, domum redierunt.

1969. Occurrerunt autem nostris ex civitate Baroa aliquot lusitani (qui classem Pro-regis Indiae expectabant) magna cum laetitia; sed post paucos dies intellectum est praecusam esse viam, quodque Rex Aethiopiae nullum ex lusitanis accedere ad mare permittebat.

1970. Postquam ergo lusitanorum confessiones audivit, quos Baroae invenit, ad mare descendit, et viginti dies nuncium aliquod classis expectavit; sed cum nihil intelligerent, retro redibant; et cum unius diei itinere a mari recesissent, tunc de-

<sup>1</sup> Nuspiam hujus nominis *gomeræ* animal descriptum reperimus; sed forte hoc nomine designantur "muytos cavallos marinhos que sahem a pascer na terra em alguns lagares mays razos, e fazem nelles grande destruição nos mantimentos." — TELLEZ-ALMEYDA, l. c., lib. 1, cap. 6, ubi de lacu Dambea sermo est.

<sup>2</sup> Ms. *cocodrillis*. — Apud TELLEZ-ALMEYDA, l. c., dicitur: "Nam ha porem nesta alagoa (Dambea) geralmente falando Lagartos e Crocodilos (como em outras partes do Nilo), por onde o gado alegremente anda pastando a relva que se dá junto a suas ribeyras."

<sup>3</sup> *Agas* appellantur apud TELLEZ-ALMEYDA, l. c., cap. 6; et gentiles, non judaei, esse dicuntur. Sunt tamen aliqui *agans*, vel, ut recentioribus placet, *agaons*, qui speciem quamdam judaismi in suis ritibus prae se ferunt, il praecipue, quibus nomen est *Felachas* vel *Falachas*. Vide JOSEPH HALÉVY, *Prières des Falachas* et *Revue des études juives*, passim.

mum, de adventu classis certiores effecti, propere redierunt; nec sine timore, cum inter turcas et saracenos transeundum esset; ad mare pervenientes a lusitanis laeto animo in classe excepti sunt. Cum autem nullas ibi litteras invenissent, et quas P. Melchior Carnero scripserat intercidissent, in Indiam redeundum sibi esse P. Gonzalus iudicavit, ut verbo de rebus Aethiopiae commodius nostros informaret quam scriptis fieri poterat, cum Baroae alioqui parum utiliter annum integrum expectaturi essent.

1971. Mazoa <sup>1</sup> ergo profecti, in egressu sinus illius, e regione Mechae <sup>2</sup> urbis, orta tempestate, plusquam viginti dies in insula quadam commorati sunt, quam *Locustarum* vocabant, quia tantum illi oriza et locustis victitarunt; et quia dies erant Quadragesimae, fere omnes classis illius homines de peccatis confitentes audivit, ad quod exhortationibus etiam suis eos adduxit. Hic aliquot naves saracenorum et turcarum biremes lusitanorum aggressae sunt; sed ab illis se defendentes, cum ventus locum dedit, navigationem secuti sunt per oram maritimam Zeilae <sup>3</sup>, multis navigiis et quibusdam locis saracenorum combustis. Sed quidam ventus nescio qua ratione sic biremem in latus impulit, in quo erat P. Gonzalus, ut intra mare os ejus ingrederetur, et sic aqua implebatur, ut si per spatium, quo salutatio angelica dicitur, sic amplius mansisset, navigium prorsus in profundum esset iturum. Sed cum valide auxilium B. Virginis implorarent, sine dubio ab ea adjuti mortem evaserunt; et ita hoc miraculum depictum est in templo Matris Dei Goae. Voluit ergo divina Bonitas ut subito ventus cessaret, et navis erecta est sic aqua plena ut moveri non posset; sed statim et aquam ejecerunt, et sarcinas quasdam madidas, et aliqua ad victum deportata; et sic navigare potuerunt. Nec hoc solo periculo jactati, Goam, minime expectati nostri appulerunt. Sed rationibus adventus auditis, Patris Gonzali consilium a nostris probatum est.

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 687, n. 1903.

<sup>2</sup> Sic; sed existimamus scribendum *Moka*, antiquis *Mocca*, quae urbs vere est in egressu sinus, seu maris, Rubri; *Mecha* autem, vel *Mecca*, longe est septentrionem versus, non ab egressu sinus tantum, verum etiam ab urbe ipsa *Massowah*, ex qua veniebat Gundisalvus.

<sup>3</sup> Recentioribus *Zeilah*, "urbs Africae in regno Adello, in Aethiopia superiori, in ora maris Arabici, paulo extra fauces maris Rubri", BAUDRAND, l. c.

## DE MOLUCIS, MALACA

ET ITINERE AD SINAS P. MELCHIORIS NUGNEZ

1972. P. Antonius Vaz cum socio Emmanuele de Tavora in Molucas insulas missus fuerat, quae magnam operariorum penuriam patiebantur. Cum autem quartana febris in itinere laborare coepisset P. Antonius Vaz, et quietem ac remedium aliquod [adhibere cogitans] ubi pervenisset in arcem Malucci (sita illa est in insula Ternate), aliter longe ipsi accidit. Cum enim ibidem invenisset Patres Joannem de Veira et Alphonsum de Castro cum alio fratre graviore morbo laborantes, ut sanum se gerere debuit; avidissime enim populus ejus operam exspectabat, et ita praedicationi ac confessionibus vacare debuit; et ita cum corpusculo plus oneris imponeret quam ferre posset, cum alii aegrotantes sanitatem recuperaverint, simplex quartana illi in duplicem commutata est.

1973. Est autem ea regio valde idonea ad patientiae virtutem exercendam, nam panis loco farina quaedam ex quodam insipido ligno confecta, et odoris parum boni, utuntur, et carni ac piscium magna ibidem penuria laboratur; aer ipse salubris censetur, quamvis nostri hanc salubritatem experti non sint, forte quia ratio victus, qua utebantur, valde diversa a saecularibus propter paupertatem et labores et incommoda, quae patiebantur in insulis illis invisendis, adversae valetudinis ipsis causa erat; hominum etiam perversitas, propter quam fructus spiritualis impediatur, cum afflictione animi, corporis adversam valetudinem augebat.

1974. P. Alphonsus de Castro cum socio Emmanuele de Tavora et alio in insulas Amboini missus est. Pater autem Joan-

nes de Beira usque ad Quadragesimae finem in arce Malucci commoratus est; sed illa transacta, in insulas Mauri cum socio Figueredo 'se contulit, ubi alii duo fratres, Nicolaus et Antonius, versabantur.

1975. Non exiguum autem Malucco obsequium praestabatur; cum enim Vicarius obiisset, nec alius ibi sacerdos esset, oportuit P. Antonium Vaz, ejus loco, animarum illarum curam gerere; nec licebat ei, licet feбри tertiana et quartana laboranti, aegrotantem agere. Populus ille Malucci quater aut quinquies incendio conflagravit; sed ultimum incendium hujusmodi fuit, ut ex lusitanorum habitationibus versus mare et terram ipsam parum superfuerit; et Misericordiae, quam vocant domus, sic arsit ut, praeter imaginem crucifixi et vexillum, vix aliud flammis eripi potuerit.

1976. P. Alphonsus de Castro partim baptismo parvulorum, partim adultorum, in insulis Ambuini dabat operam; et multum ei negotii exhibebat in adultis captus exiguus ad evangelicam doctrinam intellectu et moribus imbibendam. Puero-rum major spes erat; opera tamen diligentium cultorum etiam ager ille petrosus et zizaniis plenus fructum aliquem referre posse sperabatur.

1977. Maxima ex insulis Ambuini circuitum habet sexdecim fere leucarum, et in ea triginta christianorum populi erant. In alia vero insula, per leucae spatium ab hac distante, decem christianorum populi erant; et in alia etiam vicina tres ad Christum accesserant.

1978. Quod ad consuetudinem ejus gentis attinet, humanis carnibus vescebantur, et alii ab aliis parentes et consanguineos jam senes in cibum postulant, vicem eisdem reddituri. Hi autem populi in altissimis montium culminibus et procul a littore habitant, et ita cum magno labore accessus ad eos patebat, et ejus asperitati calcei non resistebant; sed magna patientia opus erat. Ut autem ex Ambuino ad insulam Ternate iretur, motio quaedam ventorum expectanda erat, et alia ad reditum; et navigatio quindecim dierum et satis periculosa erat.

1979. Cum ergo solus esset sacerdos P. Alphonsus, consolatione sacramenti confessionis refici non poterat, non solum

---

<sup>1</sup> Melchiorre Figueredo. Vide supra, t. III, pag. 490.

propter itineris longitudinem et difficultatem, sed etiam ne Provinciam illam solam relinqueret; et ideo alium sacerdotem cum duobus aliis fratribus necessarios existimabat, tum ad mutuam nostrorum consolationem et auxilium, tum ad populos in officio continendos; cum [enim] maligna sint animorum propensione, auctoritate alicujus, qui eis praesit, magnopere indigent. Et ita in his tantum locis, ubi versabatur P. Alphonsus, aliquam christianae vitae speciem prae se ferebant; alibi autem saepe ad vomitum depravatarum consuetudinum redibant, quod se visitandos non sperarent.

1980. Cogebatur autem propter parvulorum baptismum tantum unum aut alterum diem in singulis locis commorari. Cum autem ex insula Java, a quodam saraceno evocati, infideles in insulas Ambuini venissent, ut christianos, qui non bene confirmati videbantur, a fide averterent, qui praefectus erat lusitanis, D. Georgius, scapham ad praefectum Malucci, ut auxilium ab eo peteret, misit. Addidit et suas litteras ad eundem Pater Alphonsus. Misit autem in eorum subsidium tres biremes, quas *fustas* vocant, et Rex etiam Malucci brevi venturus in subsidium cum majori classe videbatur.

1981. In aliis etiam locis labores ac molestias nostri gravissimas et pericula non minora patiebantur, et pro deliciis habuissent qui aegrotabant, si modicum panis ex frumento confectum habuissent; et in insulis Mauri forte majores quam alibi inter Malucas tolerari oportebat; sed sic lapides ad coelestis Jerusalem aedificium expoliebantur.

1982. Malacae initio hujus anni adhuc versabatur P. Melchior Nugnez <sup>1</sup>, ubi undecim menses expectare debuit commoditatem aliquam in Japonem navigandi; et praeter P. Gasparem Vilelam et alios fratres nostros, quinque habebat pueros orphanos, quos Goa eduxerat et in japonensi lingua addiscenda diligentes erant; et praeceptore Joanne, qui Pauli Japonensis frater erat, non illi solum, sed aliqui etiam ex fratribus nostris, in ea profecerunt.

1983. Instruebantur etiam a P. Gaspare in ratione officiorum divinorum ut ad japonensium aedificationem ea aliquando celebrare possent. Alius ex fratribus nostris, nomine Mel-

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 654, n. 1403, et pag. 669, n. 1440.

chior Diaz, servos et ancillas, qui Malacae plurimi erant, catechismum docebat et tintinnabulum noctu pulsans ut orarent pro animabus Purgatorii, populum excitabat. Audiebantur etiam confessiones, et aliqui ad earum frequentiam adducti fuerunt, et octavo quoque die ad sacramenta accedebant. Cum autem unus ex his pueris orphanis semel in navi et iterum Malacae de Passione Domini concionaretur, rei novitas mirum in modum homines ad devotionem commovit; sed praedicatio P. Melchioris perutilis fuit ei civitati, quamvis, eo recedente, inimicus homo superseminavit zizania.

1984. Laboravit autem etiam hoc anno non solum fluxu sanguinis periculoso, sed et calculo, adeo ut triduo antequam proficisceretur Malaca, non profecturus morbi vi videretur. Ex laboribus autem nimis non solum ministeriorum spiritualium, sed etiam parandae navis, in morbum incidisse creditur; cum enim navim, qua in Japonem proficisceretur, non inveniret, dominus Antonius de Norogna, Malacae Praefectus, regiam illi navem, quam *Charavelam* vocant, dedit, quae non parum nostrorum patientiam in adversis et fiduciam in Dominum exercuit; neccessarium enim fuit ut nostri et officialibus et aliis rebus necessariis navim instruerent, et quidem propriis expensis, quamvis mille aureos ad viaticum, qui Regis negotia Malacae agebat [nostris dederit], et in praeparanda navi fere octingentos expenderunt.

1985. Sed frater noster Ferdinandus Mendez, de quo jam alias mentio facta est, quod reliquum erat supplevit, et toto fere Februario et Martio mense in conficiendis negotiis navis laborarunt. Cum autem in ultima concione populo valediceret P. Melchior, admirandum doloris sensum lacrymis et clamoribus auditores ostenderunt; sed et pueri multo majorem, recedente fratre nostro, qui eos instruebat, ostenderunt; nam per tres horas nullum finem fletuum et clamorum faciebant, et multi perlibenter parentes reliquissent et se nostris socios adjunxissent.

1986. Aucta fuerunt ornamenta, quae ferebant ad cultum Dei, multis Malacae oblatis, quae pulcherrima et ditissima erant; sed et aliqua japonensibus donanda obtulerunt, et donec navim conscendit, multi de populo nostros non relinquebant.

1987. Prima ergo die Aprilis Malaca recesserunt; et tam multa impedimenta, praeter ea quae hactenus senserant, in



hoc itinere Japonem versus experti sunt, ut aliqui suspicari possent hanc protectionem ad japonenses humana potius, licet bona, quam divina voluntate susceptam fuisse, vel certe suorum patientiam, fidem ac spem probare Dominum voluisse.

1988. Primum periculum duodecim leucis a portu Malacae prope insulam (quam vocant *Pulopichon* <sup>1</sup>) nostros excepit, tam valida tempestate orta, ut vela abruperit, quae si non rupisset, omnibus in profundum demersis, absoluta fuisset navigatio.

1989. Secundum fuit nona die Aprilis cum ad sinum Sinchapurae accederent, ubi navis inter quasdam rupes haerere coepit et quidem in hostium provincia; et cum alia non esset ratio evadendi, oportuit ut P. Melchior cum fratribus Stephano de Goëz et Ferdinando Mendez cymbam conscenderet et ad petendum auxilium a quadam navi, quam viderant transeuntem, se conferret; et fratres illi, ut militum speciem prae se ferrent, sclopetas super humeros habere debuerunt; et cum nox supervenisset, ex quibusdam parvis insulis aliqua parva navigia, quas *paraos* vocant <sup>2</sup>; sed, cum viderent speciem armatorum, non aggressi sunt scapham nostrorum. Sed paulo ulterius progressi, in locum quemdam inciderunt, ubi 50 vel 60 navigia parva substiterant; et ubi nostrorum scapham viderunt, cum summis clamoribus sunt eam aggressi in duas partes divisi ut media scapha non elaberetur; et quamvis nostri speciem exhiberent sclopetariorum, et ipsi P. Melchiori in manibus ardentem ticionem posuerint ad hoc ipsum, illi nihilo-

<sup>1</sup> Emendatum est hoc nomen, nec satis apparet an legendum sit, prout primo scriptum fuerat et nos legimus, an *Pulopisaon*. Quamvis autem in chartis sive veteribus sive recentioribus expressa haec insula, forte quia parva admodum est, non reperiatur, ex aliis hujus regionis nominibus deducta similitudine, existimamus ei nomen esse *Pulopisang*. Ni forte illa sit, quam recentissimae chartae *Pulopinang* vocant; quae tamen, licet in conspectu portus Malacae sit, longius satis quam octo leucis ab eo distat.

<sup>2</sup> Quaedam hic desiderantur, a librario fortasse inter describendum praetermissa. Sensus videtur requirere ut dicatur, navigia illa parva, quae praedonum erant, simul ac nostrorum cymbam viderunt, voluisse subito egredi ex insulis ubi latitabant et recta in nostros contendere: at conspectis e vestigio militibus qui in cymba vehebantur, flexisse aliquantulum cursum ut se cum suis sociis conjungerent et magis opportuno loco nos depraedaturi circumvenirent.

Vel simplicius:

Cum nox supervenisset, ex quibusdam parvis insulis aliqua parva navigia, *paraos* vocant, [egressura erant]; sed cum viderent speciem armatorum, non egressi sunt [contra] scapham nostrorum; [qui] paulo ulterius progressi, in locum quemdam inciderunt, ubi quinquaginta...

minus urgebant; sed cum in Deo, non in hujusmodi propugnatoribus, spem constituisset P. Melchior, ab eo liberati sunt; et cum ad navem illam magnam lusitanorum accederent, omnes hi piratae recesserunt.

1990. Qui autem illi navi praeerat, nomine Ludovicus de Almeida, statim suam dedit scapham cum hominibus et aliis necessariis ad navigium ex illis saxis eruendum, et omnem suam operam et navim obtulit. Cum autem P. Melchior cum sociis ad locum accederent, ubi navem suam reliquerant, jam extra saxa egressam, Deo adjuvante, et navigare incipientem invenerunt.

1991. 14.<sup>a</sup> ejusdem mensis ad insulam Pulotioman <sup>1</sup> ingressi sunt, et quinque ex nautis summopere necessariis fugerunt, et parum abfuit quin inciderent in insidias quorundam infidelium; et frater noster Ferdinandus Mendez fuit captus. Et [qui] constitutus fuerat navigii praefectus, despondens animum, nolebat ulterius progredi nec officio suo fungi; sed patientia ac prudentia P. Melchioris effectum est ut ulterius pergeret.

1992. Quartum fuit periculum in regno Patenae <sup>2</sup>, quo pervenerunt sexta Maji, ubi Ferdinandus Mendez donum quoddam Regi obtulit, cui notus erat; et quia paulo ante dux navis, de qua paulo ante egimus <sup>3</sup>, aliam hujus regni ceperat, immo ipsius praefecti Patenae, occisis eis, quos invenerat in ea (errore autem id fecerat Ludovicus de Almeida, cum ostium regni Siam illud esse putasset), concitata erat civitas et arma ceperat, et saracenorum variae turmae vel circumdabant nostros, vel prope eos currebant; et nisi Rex ipse, qui vir bonus et lusitanis amicus erat, nostros defendisset, de omnium vita actum erat.

1993. In omnibus his periculis, non solum nostris, sed et pueris orphanis miram constantiam Deus praestabat; nec consueta charitatis opera in navi nostrorum omittebantur, immo, cum egressi essent e sinu jam dicto Syngapore tempore Sanctae Hebdomadae, officia, illis diebus fieri consueta, cum magna

<sup>1</sup> Sic; infra, n. 1994, et in *Diversi avist*, fol. 265, *Pelotimaon*; est autem *Poulo-Timoan*, vel *Poulo-Timon* in mari Sinensi, ad orientalem plagam peninsulae Malacae.

<sup>2</sup> Sic; infra, *Patanar*; in *Diversi avist*, l. c., *Patane*; apud recentiores *Patani*, urbs et portus, regni ejusdem nominis caput, in orientali plaga peninsulae Malacae.

<sup>3</sup> N. 1990.

devotione, et qua potuit fieri solemnitate, peracta sunt; et ipsa nocte, quae sequebatur diem Jovis Sancti, Mandatum Domini ac Passionem fere usque ad auroram [P. Melchior] praedicavit.

1994. 13.<sup>a</sup> die Maji ex regno Patanae Japonem versus solverunt, et quidem valde laeti, quod nullo in loco usque ad Japonem haerendum erat, et Bungi sperabant cum fratribus festum B. Joannis celebrare; sed in pelago, quod vocant Pulochondor <sup>1</sup>, ingens tempestas oborta est, ita ut navigium ab inferiori parte vi undarum aperiri inciperet; et ab utroque latere superiori aqua navim etiam implebat, ut mors videretur vicina admodum imminere; et quamvis tres tantum horas vel quatuor vis tempestatis major duravit, coacti fuerunt eo unde venerant redire; et tam praefectus navis quam lusitani conquerebantur quod P. Melchior, ut animas japonensium salvas faceret, perdere ipsos volebat, et necesse fuit demum Pelotimaon <sup>2</sup> redire; juraverant enim in manibus praefecti nautae, quod juxta experientiam, quam habere poterant marium illorum, sine miraculo non poterat navigium, quo volebant, pervenire, et res ipsa docere id videbatur; cum enim ad ejiciendam aquam e navi <sup>3</sup> diu noctuque vacarent, assiccare eam <sup>4</sup> non poterant, et ventus tam contrarius erat, ut in quadraginta quinque leucis confi-ciendis fere quadraginta dies consumpserint.

1995. Recreavit tamen, cum Politemaum <sup>5</sup> venissent, P. Melchiorem nuncium, quod accepit, duarum navium postridie ad eundem locum venientium, quarum praefecti erant Franciscus Toschanus et Antonius Perera, nostris valde amicitia conjuncti, qui suas naves P. Melchiori obtulerunt. Proficisciebantur illi ad Sinas, et inde facile navim inveniendam, quae in Japonem duceret, dicebant.

1996. Hic jam dubitabat valde P. Melchior, an ea esset Dei voluntas ut in Japonem pergeret, an potius ut in Indiam rediret ut officio suo fungeretur; sed cum intra novem menses nulla commoditas Malacha navigandi in Indiam futura esset, expedire judicavit ut ad sinas perveniret et statum illius regni

<sup>1</sup> In Sinensi mari ultra promontorium *Camboge* seu *de Cambodja*. Scribitur frequentius *Pulocondor*.

<sup>2</sup> Vide supra, n. 1991.

<sup>3</sup> Ms. habet *marí*, loco *e navi*.

<sup>4</sup> Ms. *eum*.

<sup>5</sup> *Poulo-Timon*. Vide pag. 713, annot. 1.

exploraret, quod attinet ad fidem christianam suscipiendam; et si quod ostium aperiretur ad Evangelium praedicandum, eam occasionem non esse praetermittendam iudicabat.

1997. Et ita navigare ad sinas, suo navigio relicto, constituit. Prius tamen quam illud <sup>1</sup> relinqueret, in majori quam unquam vitae periculo versatus est; nam gravis tempestas orta unam ex illis magnis navibus sic impulit, ut supra nostrorum navigium ferretur, et propemodum in profundum illud ageret; sed evadentes hoc periculum, nocte adhuc valde obscura in aliam navim impegit et demum mergi incipiebat. Sed Antonius Perera scapham emisit, et ut nostri evaderent praesentissimum mortis periculum adjuvit; et stupebant aliqui ex saecularibus in itinere, ad Dei honorem suscepto, tam multa impedimenta et pericula occurrere; sed P. Melchior castigari a Deo, quos ipse amat, et electos, ut aurum in fornace, probari ac purgari sentiebat.

1998. Ex his ergo, quae in navigio suo ferebant, potissima quaeque in navim Francisci Toschani transtulerunt; quaedam etiam furto in hac trepidatione sublata fuerunt.

1999. Die autem ipso S.<sup>ti</sup> Joannis inde profecti versus Sinas, in insulam, quae vocabatur Pulo Campalo, pervenientes, sacrum in ea celebravit P. Melchior, ubi crucem quamdam in petra excisam invenerunt, quam quidam Eduardus Choëlus <sup>2</sup> confici curaverat; et non sine periculis vigesima Julii in insulam Sanchoam vocatam, quae triginta leucis a civitate Chanton distabat, et in eodem loco, ubi corpus P. Francisci Xavier sepultum fuerat, Missam celebravit, prius evulsis herbis, quibus is locus jam oclusus <sup>3</sup> erat. Et multis Dominus spiritualem consolationem eximiam eo in loco tribuit.

2000. Demum tertia die Augusti in insulam Lambacham <sup>4</sup> venerunt, ubi lusitanorum naves ad sua commercia commorari solitae erant. Curavit autem ea in insula P. Melchior ut in civitatem Sinarum Chantonem duceretur, nam post mortem

<sup>1</sup> Ms. *illam*.

<sup>2</sup> Sic; *Coelho*?

<sup>3</sup> Ms. habet *evulsus*.

<sup>4</sup> Sic; infra *Lampachaon*. Existimamus autem, ut ex sequentibus educi posse videatur, sermonem esse non de insula diversa ab illa, quae dicitur *Sanchoam*, sed de portu quodam in eadem insula. Vide infra, n. 2015.

P. Francisci Xavier statim permiserunt sinae accessum lusitanis ad suum regnum, ut in praedicta civitate Chantone et aliis locis mercaturam exercerent; et omnes lusitani sibi persuadebant suis orationibus in coelo P. Franciscum impetrasse, quod magno cum labore, cum viveret in terris, curavit. Et ita sine ulla difficultate P. Melchior Chantonem ingressus est, quo numquam ipse P. Franciscus pervenire potuerat.

2001. Ex tredecim provinciis Sinarum, quarum singulae unam ut caput habent, ex qua tota pendet gubernatio, omnium minima ferebatur esse ista Chanton nuncupata<sup>4</sup>, quae nihilo minus, iudicio lusitanorum, Ulyssipona major erat, bonis muris circumdata et egregias habens domos ac vias publicas, quae singulae suis portis clauduntur ad facinora et furta vitanda. Erat etiam ornata porticibus multis et arboribus magnis et ordinatis ante domorum portas.

2002. Abundat autem commeatu, et fere tota per circuitum murorum navigari potest. Agri sunt magni ante urbem, qui irrigantur, et ita ter in anno, propter aquae abundantiam, fructus afferunt; et quidem valde similes nostris: animalia etiam sunt qualia in Europa; vestitus tam virorum quam foeminarum honestus. Artifices cujusque operis mechanici simul habitant, nec pater filiis aliam artem quam suam tradere potest: nullum otiosum esse permittunt; itaque et caecos pistrino deputant.

2003. Mirum est ingenium horum hominum in artibus mechanicis: nec permittunt quemquam ex suis plebejis ad statum nobilium aspirare, nec redditus perpetuos habere. Legatus Regis Siaon [dicebat] habere Regem Sinarum quingentos gigantes pro suo praesidio, quos ipse viderat; tantam esse mercium abundantiam, quae mari deferuntur, ut in una navi, ex Japone adveniente, centum millia ducatorum in argento elaborato deferrentur, et supra quadringenta millia librarum piperis in portu essent; et intra unum mensem omnia divendebantur. Merces autem suas extrahebant chantoenses ad insulam Sanchoam, ubi cum externis mercaturam factitant, et affirmabant sinae

---

<sup>4</sup> Haec, quo sensum prae se ferant, quem intendit Polancus, ita videatur concinnanda: "Divisum est Sinarum imperium in Provincias tredecim, quarum singulae urbem unam ut caput habent, ex qua tota pendet gubernatio. Omnium porro harum urbium minima ferebatur esse ista Chanton nuncupata." Vide *Diversi avisi*, fol. 267.

quod Provincia haec Chantonis sexcenta millia librarum argenti Regi pendebat; sed vectigalia gravissima sunt; nam singula hominum capita a decimo octavo usque ad sexagesimum tertiam partem aurei nummi solvunt; et singulae domus tantumdem; et ex mercibus, quae ad Chantonem veniebant, quinta pars solvebatur; quarumdam etiam mercium media pars.

2004. Navigia ibi sunt innumera; intra mensem unum 280 naves contra japonenses congregarunt, quibus decem militum millia imposuerunt.

2005. Infesti sunt valde japonenses his regionibus, praesertim maritimis, quas saepe praedare solent.

2006. Mira tranquillitas in magno populo cernebatur; sine armis ullis homines incedebant; magistratus magno in honore habebantur, et tertio quoque anno mutabantur: populus cibo et potui valde deditus est; quidam iudex de criminibus cognoscit; alius redivitibus regiis recuperandis praeest; tertius in rebus militaribus supremam habet curam in mari et continenti. Est et alius, quem Chaën vocant, qui omnibus praedictis praeest, ut videat num officium suum faciant, cujus insignia sunt oculus et manus depicta. Sed omnibus major est quidam, quem Tutaon vocant, et est velut Prorex, qui totius Provinciae curam universalem gerit, et eam totam per se ipsum visitat. Nemo hos magistratus alloquitur nisi genibus flexis et procul.

2007. Affirmabant periti centum millia hominum in Provincia Chantonensi regiis stipendiis vivere, qui vel justitiae administrandae, vel Provinciae custodiendae dabant operam.

2008. Magistratus satellites pro armis cannas <sup>4</sup> quasdam habent, non admodum longas, ad ignem duratas, et his quemcumque volunt, divitem aut pauperem, percuti jubent sub poplitibus crurium, et tam valide caedunt, ut qui quinquaginta ictus acceperit moriendum ei sit, aut certe inutilis efficitur, cum etiam ipsa ossa confringant.

2009. Nomen generale magistratus est de *mandarini*. Alia plurima de moribus hujusmodi hominum dici possent.

2010. Nihil difficilius reddebat, ut videbatur, conversionis ad Christi Fidem negotium, quam populorum exacta obedientia erga suos Principes; si enim humana expectemus, num-

---

<sup>4</sup> Ms. *Chanas*.

quam illi audebunt, sine magistratuum facultate, novam religionem suscipere; sed nec magistratus eam concedent, nisi Rex consultus id approbasset. Et duae occurrebant viae P. Melchiori, rebus perspectis, ad semen Evangelii in amplissimo illo agro sinensi jaciendi. Altera humanae industriae innitebatur, ut scilicet Legatus aliquis, nomine Regis Portugalliae, mitteretur, ut pacta Regis sinarum cum lusitanis sanciret et confirmaret, quem aliqui de Societate nostra comitarentur, et ad Regem Sinarum penetrantes, qui quingentis leucis a regione maritima Cantonis, in interioribus regni partibus residebat, et ab eo peteret facultatem praedicandi legem Creatoris, et divina officia more christiano celebrandi, et alia pietatis opera exercendi; et postquam perspecta essent bona opera Societatis, tunc etiam peti posse ut libere christianam Religionem amplecti permitterentur quicumque vellent. Et quia constabat non admittendum fore Legatum, antequam a Rege venisset facultas, eo tempore posse nostros in civitate Chantone mores Provinciae ac linguam addiscere.

2011. Altera via, ut minus innitebatur humanis mediis, ita divino favore magis egebat; et haec erat, ut duo ex nostris cum suis interpretibus, recedentibus lusitanorum navibus, Chantone remanerent, et praedicare Christi fidem partim in plateis, partim in privatis domibus inciperent. Non vacabat tamen haec ratio magnis periculis et carceris et etiam mortis, si forte Domino placeret, grano frumenti mortuo, fructum adferre. Sed illud incommodum evitari non poterat, quod interpretes sinae nec declarare possunt, ut oportet, Fidei mysteria, nec si quid adversi accideret, constantiam habituri videbantur, nec vitae exemplo alii alios aedificaturi.

2012. Cupiebat ipsemet P. Melchior ibi manere, si officium Provincialis ipsi commissum id permisisset: aliquem saltem ex fratribus ibi relinquere ad linguam et mores addiscendos cogitabat, sed sine facultate Gubernatoris non judicavit expedire huic periculo fratrem suum exponere. Et hanc facultatem negandam ipsi prorsus esse periti affirmabant. Et cum ad id vellet ipse in scriptis, pro ipsorum more, supplicationem adferre Gubernatori, numquam id facere potuit.

2013. Perspicacibus ingeniis sinae praediti videbantur, et perspicaciora habituri erant, si ad Christum accederent et a

carnalibus gulae ac libidinis vitiis abstinerent; nam quod ad negotia temporalia attinet et artes mechanicas, plus satis erant perspicaces; sed in rebus ad animam pertinentibus mira in eis caecitas erat, quae inde ortum habere videbatur, quod praeter hanc vitam, nullam aliam expectent, nec Deum Creatorem rerum agnoscant, et ideo sacerdotes apud eos contemptui habentur, inter quos nullum eruditum invenire potuit P. Melchior, a quo de ipsorum secta edoceretur. Quisque sua idola domi habet; ad illos nullam orationem fundunt, sed subfumigatione quadam eorum contenti sunt. Sortibus tamen superstitiose admodum credunt; sed si quando decepti fuerint, idola poenas luunt, quae egregie fustibus caedunt. Miraculis ea gens prorsus et singulari vitae exemplo indigere videbatur, ut ad Christi fidem, vitiis relictis, accederent.

2014. Septies aut eo amplius quotidie comedunt, et in delictationibus gulae ac veneris, epicureorum more, felicitatem videntur constituere. Et ad haec vitia accedit usura latissime patens; et his armis daemon atrium suum illud custodit, quod Christo facile esset expugnare, si oculis misericordiae provincias illas respiceret.

2015. Bis P. Melchior Chantonem venit ex illo portu, in quo diximus, mercaturam a lusitanis et sinis exerceri<sup>1</sup>. Primo quidem nitebatur quemdam, Matthaeum de Brito nomine, lusitanum ex carceribus ac servitute redimere, cum aliis quibusdam, qui in eadem civitate in custodia publica tenebantur. Curavit autem Mandarinus coram se venire Matthaeum, qui pedibus nudis, sine pileo, manibus simul colligatis, venit; et ex ejus collo tabula quaedam pendebat, quae delictum ejus describebat; compedes etiam habebat ferreos; pendens autem illa tabula reum mortis illum esse significabat.

2016. Eo tempore capti fuerant hi, quo bellum inter sinas et lusitanos erat. Ferebat autem P. Melchior ad hunc et quinque alios redimendos aliquid ambrae, nam ferebatur Sinarum Rex magnis praemiis propositis id quaerere, quod ad vitam prorogandam multum conferre intellexisset, si eo cum aliis quibusdam rebus vescerentur.

2017. Secundo rediit cum mille et quingentis ducatis mutuo

---

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 715, n. 2000.



acceptis, quos Pro-regi<sup>1</sup> daturus erat ut illos captivos libertate donaret, et ex eleemosynis sperabat se posse eam summam restituere eis, qui mutuo dederant. Cum primo venisset, mensem unum, et cum secundo, tantumdem Chantone commoratus est, et bonum aliquem odorem christianae religionis ibi relinquere studuit. Cum eodem ivit Ludovicus de Almeida, navis jam dictae praefectus, et secum Stephanum de Goëz<sup>2</sup> deduxit, ut si se occasio obtulisset, ibidem eum relinqueret. Quamvis autem statim liberatus non fuit Matthaeus de Brito, precibus tamen P. Melchioris et Ludovici de Almeida a vinculis liberatus et in cujusdam mercatoris amici domo collocatus est.

2018. Cum ad templum quoddam magnificum P. Melchior venisset, ejus sacerdotem alloquutus est; et cum de veritate Fidei nostrae aliquid disputare inciperet, ille, alienus ab hujusmodi disputationibus, officium suum esse dixit in illo templo orare pro mortuis, nec se quicquam aliud scire.

2019. Cum autem secundo rediit, cum quodam magno ipso-  
rum sacerdote, et qui prae caeteris auctoritatem apud suos habebat, publice coepit disputare, et trecenti sinae aut amplius congregati fuerunt, inter quos multi sinarum disciplinis instructi erant, disputationis arbitri futuri. Coepta est autem disputatio cum magna admiratione et satisfactione circumstantium, cum de creatione rerum visibilium et invisibilium aliqua ipsis valde nova audissent. Sed statim sacerdos ille, disputandi animum abiciens ne auctoritati suae dispendium faceret, visum propemodum P. Melchioris conspuens: "diabolus, inquit, hunc alterum diabolum huc deduxit,." Sed sinae circumstantes fugam sui sacerdotis irridere coeperunt, et hac occasione aliquid ex doctrina salutis audire coeperunt.

2020. Cum in insula Lampachao P. Melchior cum fratribus versaretur, ipse quidem cum fratribus intra naves negotiatorum lusitanorum domicilium habebat, sed quotidie in insulam egrediebatur et Missam celebrabat; et cum fere quadringenti lusitani ibi tunc commorarentur, crebrae admodum confessiones eorum audiebantur. Duo autem ex fratribus nostris in ipsa

<sup>1</sup> Sic; sed procul dubio sermo est de Gubernatore sinensi urbis Canton, seu Mandarinum, qui in vinculis tenebatur Matthaeum de Britto.

<sup>2</sup> Vide supra, t. iv, pag. 652, n. 1396.

insula, ut ecclesiae curam haberent, pernoctabant prope templum <sup>1</sup>.

2021. P. autem Gaspar Vilella <sup>2</sup>, etiam cum recederet Chantonem P. Melchior, his pietatis operibus dare operam potuit. Hoc autem tempore venit ex Japone in eundem portum Lampachaon navis quaedam valde dives Eduardi de Gama <sup>3</sup>; et cum ageret P. Melchior de reditu versus Malacam et Indiam, a qua fere duos annos abfuerat, nec unquam perveniendi in Japonem data ei facultas fuerat; et tam multa tamque prospera de rebus japonensium lusitani acceperunt, ut Christi fidem serio ibi crescere intelligerent, ut jam complures navium praefecti eo navigare vellent et P. Melchiorem invitarent certatim ad hanc navigationem, quam prius ne magnis quidem suis impensis commodam invenire poterat.

2022. Judicavit ergo expedire, antequam in Indiam rediret, ut japonenses etiam inviseret, et biennium illud, quod in hoc itinere consumpserat, quamvis male ipsum haberet, sed tamen consolabatur exemplo B. Pauli, qui biennio Romae detentus fuit et hyemavit in insula Melitae post naufragium; quamvis ne in hoc quidem biennio cessaverat Malacae, et in navibus, et in portu Lampachai a praedicatione et christiana doctrina edocenda, et multis etiam per colloquia familiaria juvandis et a peccatis removendis.

2023. Hoc tamen fatebatur, summam se consolationem habiturum fuisse si expresso obedientiae praecepto hanc navigationem, tot periculis et navigationibus plenam, subiisset; nam saepe dubitandi occasionem habebat, num Deo placeret hoc iter, quod propter Deum quidem, sed sponte sua, susceperat; et quodammodo errare per obedientiam maluisset, quam, ductum propriae voluntatis sequendo, non errare.

2024. Quidam autem Ludovicus de Almeida, de quo infe-

<sup>1</sup> Enucleatius haec habentur in litteris Ludovici de Froës ad fratres Collegii Goënsis: "Il P. Melchior s' allogiò sempre con Egidio di Goes, nella sua nave; e veniva in terra a dir la messa. Il P. Gaspar Vilella alloggiava nel galeone di Francesco Toscano, con nostro fratello Stefano di Goes, et il Sagrestano, et fanciulli che menavano della dottrina Christiana: et nostro fratello Antonio Diaz nel galeone d' Antonio Pereira: et Ferrante Mendez, con Antonio Paez, nostri fratelli, alloggiorno in terra a canto della Chiesa, per accomodar li sacerdoti che là venivano per dir la Messa." *Diversi avvisi*, fol. 277.

<sup>2</sup> Vide supra, t. IV, pag. 652, n. 1396.

<sup>3</sup> Vide PAGÈS, *Lettres de Saint François Xavier*, I, pag. xcvi et cxi.

rius agetur <sup>1</sup> (et alius est ab illo praefecto navis ejusdem nominis), misit ad eum duo millia ducatorum, ut posset sese ad hoc iter versus Japonem praeparare, ex quo multum utilitatis ad Religionis negotium promovendum sperabat. Sed P. Melchior hac liberali eleemosyna non indiguit, nam duae vel tres naves venti motionem expectabant ut in Japonem navigarent.

2025. Invitatus etiam fuit a Rege Firandi, qui litteras ad ipsum P. Melchiorem scripsit decima sexta Octobris hujus anni <sup>2</sup>, qui dicebat a P. Francisco Xavier et a P. Balthasare Gago christianos aliquos in illa sua Provincia factos fuisse, et aliquos ex his suos consanguineos, et alios nobiles, et id sibi magnopere placuisse affirmat; ac se aliquoties eorum doctrinam audivisse, quam magnopere probaverat, et in corde suo retinebat, ac vicinum se esse affirmabat ut fidem Christi susceperet; et ideo pergratum ipsi futurum esse, si P. Melchior eo veniret; licet enim semel non stetisset promissis, se in posterum fidem suam liberaturum, et se cum honore P. Melchiorem excepturum. Et ita constituit <sup>3</sup>, antequam in Indiam rediret, in Japonem navigare; sed sequenti anno, quae reliqua sunt, persequemur <sup>4</sup>.

2026. Hoc tantum hic addam, quod cum Pro-rex Indiae, D. Petrus Mascaregnas, nepotem suum Legatum ad Regem Sinarum misisset <sup>5</sup>, nec aliquis de Societate, ut ipse optabat, adjungi Goae illi potuisset, constituerat ille <sup>6</sup> Malacae P. Melchiorem socium assumere, si ibidem eum invenisset. Sed ex his, quae dicta sunt, constat quod hic Legatus toto hoc anno ad Sinarum portum non pervenerit. Forte vel navigationis casus aliquis hoc iter impedivit, vel cum intelligeret mortem Pro-regis, qui hoc ipso anno in India extremum diem obiit <sup>7</sup>, non

<sup>1</sup> N. 5041 et 2044.

<sup>2</sup> Haec Regis Firandi litteras affert P. GUZMAN, *Historia de las misiones de la Compañía de Jesus en la India oriental, en la China y Japon*, lib. v, cap. 25, ubi Regem appellat *Taquanombo*.—Italice sunt in *Diversi avisi*, fol. 283 v. et 288, ibique Rex dicitur *Taquanomo*.

<sup>3</sup> P. Melchior Nuñez.

<sup>4</sup> *Ms. persequentur*.

<sup>5</sup> Vide supra, pag. 662, n. 1821.

<sup>6</sup> Scilicet, Legatus.

<sup>7</sup> Obiit Petrus de Mascarenhas ante medium Junium hujus anni 1555. Cum enim Goam ex Aethiopia rediens appulit Patriarcha Joannes Bermudez cum Patre Gundi-  
salvo Rodriguez, erat Indiae Pro-rex "Francisco Barreto, filho de Ruy Barreto, Al-  
cayde mór de Faro e de Dona Maria de Vilhena, o qual depois morreo na conquista de

existimavit in legatione praedicta sibi perseverandum esse. Facilitas autem navigandi ad japonenses ex portu Sinarum illi fortassis major fuit, quod, cum bellum gererent japonenses cum sinis, nec mutua inter se commercia haberent, mercatores lusitani, lucra uberiora sectantes, eo libentius ad japonenses navigabant.

2027. Hoc ipso anno sub autumnno Malaca profectus est quidam religiosus S.<sup>ti</sup> Dominici, nomine Fr. Gaspar, ad regnum quoddam Sinis vicinum (quod Chamboiam <sup>1</sup> vocant), nam ejus provinciae Rex ad se aliquem mitti postulaverat, a quo doceretur de Creatore coeli et terrae et de evangelica lege, in qua vivunt christiani; et ex civitate S.<sup>ti</sup> Thomae alius religiosus S.<sup>ti</sup> Francisci ad regna Pegu <sup>2</sup> et Syam, quae Sinis etiam vicina sunt, ut videret num fructum aliquem Christo inde referre posset.

2028. Fuit autem relictus Malacae <sup>3</sup> Ludovicus Froys, qui in christiana doctrina docenda et aliis pietatis operibus hoc anno perseveravit; quae a Deo, post recessum P. Melchioris Nunes, non semel incensa est, nam septies conflagrare coepit; et unum ex his incendiis valde fuit periculosum; nam tetigit ignis locum valde vicinum domui, in qua pulverem tormentorum bellicorum asservabant, quam si tetigisset, B. Virginis templum et nostram domum conflagrasset. Sed B. Virginis protectio utrumque pium locum defendit.

---

Monomotapa, e tinha sucedido no governo da Índia a Don Pedro Mascarenhas em dezasete de Junho de mil e quinhentos e sincoenta e sinco., TELLEZ-ALMEYDA, l. c., lib. II, cap. 24.

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 714 n. 1994.

<sup>2</sup> Vide supra, t. IV, pag. 644, annot. 1.

<sup>3</sup> Ms. *Malcae*; sed emendavit id vel interpretatus est Sacchini ad oram paginae scribens: *Relictus Malacae Aloysius Froes*. Relictus autem fuit cum P. Nuñez Japonem versus Malaca solvit. Vide supra, pag. 711, n. 1934.

---

## DE REBUS JAPONENSIBUS

2029. Jam tribus vel quatuor annis nihil ex India nostri japonenses vel subsidii vel litterarum acceperant. Aliquae quidem naves a portu Sinarum profectae fuerant et, vi ventorum repulsae, ad portum eundem redierant. Alia Malaca profecta fuit, et in insula, quam Liampon <sup>1</sup> vocant, piratae, omnibus occisis, navem ceperant, ubi aliquid subsidii nostris mittebatur.

2030. Cum reliquit P. Franciscus Xavier Japonem, ubi fere duos annos cum dimidio exegerat, P. Cosmum de Torres cum fratre nostro Joanne Fernandez cum quingentis fere christianis reliquerat; et cum anno 1552 ex India versus Sinas rediret, Malaca miserat P. Balthasarem Gaghum cum duobus fratribus, Petro de Alchazeva et Duarte de Sylva, per Sinas in Japonem misit <sup>2</sup>.

2031. Distat autem portus Lampachai a Japonensibus trecentis leucis. Cum autem sub finem ejusdem anni in insula Sinarum, Sanchoam P. Franciscus obiisset, ejus orationibus, ut nostri sibi persuadebant, religionis christianae sectatores et numero et virtute magnopere aucti sunt.

2032. Hoc ergo anno 1555 duobus in locis Societas nostra residebat, Amangucci, scilicet, et Bungi, quae praeclarae civitates ejus regionis sunt. Amangucci in triginta et quatuor gradibus cum tertio versus polum sita est, ubi residebat P. Cosmus

---

<sup>1</sup> *Liampo. Diversi avisi*, fol. 275.

<sup>2</sup> Sic; verum aut hoc *misit* aut *superius miserat* redundat.

de Torres cum quodam fratre socio <sup>1</sup> et duobus japonensibus, qui etiam concionabantur; et plusquam duo millia christianorum Deum ibi jam colebant.

2033. Bungi etiam Rex situm, ut superius <sup>2</sup> diximus, dederat, ubi domum et ecclesiam aedificarunt, ubi mille et quingenti ad Christum conversi erant, qui assidui erant in Missa audienda et praedicatione, quae quotidie fiebat; et dominicis ac festis diebus domus illis plena erat, qui res intelligebant et assidui erant [et] mire prae aliis proficiebant. Et hi fere pauperes erant, et capaces sacramentorum inveniebantur ac rerum divinarum intelligendarum; principes viri non facile ad Christum convertebantur, quos vitia ligatos tenebant, ac daemon persuaserat post vitam hanc aliam expectandam non esse. Et quamvis dum verbum Dei audiebant, contraria huic persuasioni intelligebant, mundi amor, quem nullum adversarium habebant <sup>3</sup>, eos retrahebat.

2034. Reges ipsi horum regnorum nostris benevolentiam exhibebant; et tam eos quam alios, qui ipsorum loco populis regendis praeerant, invisere certis quibusdam temporibus pro more gentis opus erat.

2035. Modus concionandi, quo initio nostri utebantur antequam linguam ipsorum addicerent, hic erat: ut ex libro quodam in ipsorum lingua, sed characteribus nostris conscripto, quo Christi vita continebatur, pars aliqua eis praelegeretur <sup>4</sup>. Sed jam hoc anno Evangelium dominicis et festis diebus eis explicabatur <sup>5</sup>, quorum doctrina magnopere eis hominibus placebat, et ita fraudes et errores suarum sectarum in dies melius percipiebant.

2036. Doctrinam ergo moralem frater noster Joannes Fernandez variis in locis suis concionibus declarabat; et tam familiarem sibi fecerat japonensium linguam aut magis quam propriam.

2037. Alius etiam frater noster, Eduardus de Sylva, concio-

<sup>1</sup> Eduardo de Silva. Vide supra, t. iv, pag. 678, n. 1456.

<sup>2</sup> T. III, pag. 496, n. 1049.—Ms. habet *inferius*.

<sup>3</sup> Scil., quem nullum, i. e. nullius momenti reputabant; quem non ut adversarium habebant.

<sup>4</sup> Vide supra, t. iv, pag. 671, n. 1450.

<sup>5</sup> Intelligendum ex sequentibus videtur explicationem hanc fieri incoepisse a nostris lingua japonica et viva voce loquentibus.

nari incipiebat. Erant et aliqui japonenses, qui egregie concionandi munere fungebantur; sed nobiliores ac honoratiores ex japonensibus eos, quod ejusdem essent nationis, contemnebant. Sed inter pauperes magno cum fructu hujusmodi japonenses concionantur.

2038. Horum opera duo libri in lingua japonensi et eisdem characteribus conscripti sunt; alter de Christi vita, alter de rerum omnium principiis agebat; sed experientia edocti sunt nostri quod viva voce melius quam scripto res hujusmodi declarabantur.

2039. Ideo ad japonenses mittendos esse censebat P. Balthasar Gago juvenes, qui in Dei et proximi charitate radices egissent, ut japonensium linguam addiscerent, quae non est valde difficilis, nam prorsus magna messis in Japone cernebatur; et multis mediis divina Bonitas vel per morbos, vel paupertatem, vel daemonis vexationem, vel per alias afflictiones ad veritatis cognitionem trahebat. Meliores christiani futuri erant japonenses, nisi quod dominis subjecti fere sunt, qui daemonum sunt servi; plebs enim nihil proprium habet; pendet eorum victus ratio ex agris, quos praedicti domini colendos eis tradunt; et tamen impedire christianorum profectum illi persaepe nituntur. Si primores converterentur, magna sperari possent de christianae religionis augmento.

2040. Inter alios abusus hic erat inter japonenses, quod parentes proprios suos filios occidere solent simulatque nascuntur, partim ne in paupertate illi vivant, partim taedio eos alendi.

2041. Accidit autem ut quidam lusitanus, nomine Ludovicus de Almeida <sup>1</sup>, compateretur vehementer his infantibus, quemadmodum et aliis pauperibus aegrotantibus compassus fuerat, et in eorum gratiam hospitale instituerat sumptibus propriis; et quia chirurgi artem noverat, exceptos ibi pauperes ipsemet cum magna charitate curabat; nam ex proprio habebat quatuor aut quinque millia ducatorum.

2042. Hic ergo Ludovicus, qui nostris Bungi adhaeserat, praeter hospitale domum aliam construxit, in qua hujusmodi infantes, quos parentes impie occidere solebant, exciperentur et enutrentur. Allocuti sunt simul Regem Bungi, qui eo die

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 721, n. 2024.

domum nostram veherat, et quam multa bona ex hoc opere pio sequerentur ei exponentes, postularunt ut sub aliqua poena prohiberet ne quis infantes huiusmodi occideret, sed deferret ad hospitale, quod Ludovicus confecturus erat, qui statim ad aliud conficiendum et praeparandum mille aureos dedit. Ibi enim curaturos esse nostros ut nutrentur; et si accideret aliquem ipsorum mori, eorum animas salutem aeternam consequuturas.

2043. Res placuit magnopere Regi, qui magnum peccatum esse arbitrabatur infantes occidere; et non solum iussit ne quis occideretur, sed promisit se nutrices daturum ad infantes alendos; et sic Ludovicus Bungi commorari decrevit. Et praeter baptismum parvulorum, nutrices etiam ad Christum conversae baptizabantur; et ad magnam aedificationem totius provinciae japonensis hoc pium opus cessit.

2044. Hic est ille Ludovicus, de quo paulo ante diximus quod miserat duo millia aureorum P. Melchiori <sup>1</sup>. Cum autem apud japonenses, licet medici inveniantur, chirurgi nulli essent, haec ars Ludovici magni fiebat, cum praesertim eam ex charitate liberaliter exerceret. Et paulo post in Societatem ingressus, perutilem operam etiam in sanandis animae vulneribus multis praestitit <sup>2</sup>.

2045. Venerat hic in Japonem in navi Eduardi de Gama <sup>3</sup>, cujus Eduardi eleemosynis nostris necessaria supeditata fuerunt; quamvis et aliunde etiam subsidia aliqua acciperent, ab eodem etiam Eduardo curata; et cum tam multis annis ex India nihil acceperant <sup>4</sup>, nec a japonensibus iudicaret mendicandum esse, hac ratione divina providentia nostris prospexit.

2046. Bungi tanto cum fervore ad Missam audiendam accedebant, ut ex vicinis locis ejus <sup>5</sup> et concionis audiendae gratia convenirent, et quidem noctu praecedente domi nostrae dormiebant; et alii duas horas ante lucem accedebant ut locum haberent.

<sup>1</sup> Vide supra, pag. 721, n. 2024.

<sup>2</sup> Huius fratris vitam et res gestas enarravit P. Nizandengo, *Varones illustres de la Compañia de Jesus*, ed. antiq. Matritensis, t. 1, pag. 718; novae Bilbaënsis, t. 1, pag. 165.

<sup>3</sup> Vide supra, pag. 721, n. 2021.

<sup>4</sup> Vide supra, pag. 724, n. 2039.

<sup>5</sup> Scil., Missae.



2047. Declarabat autem illis Joannes Fernandez orationem dominicam cum magna ipsorum consolatione: et toto hoc tempore aliqui christiani fiebant, aliquando quindecim, aliquando viginti; pridie Parasceves in ecclesia nostra flagellis se caeciderunt, et deinde Passionis Domini praedicationem audierunt. Nec solum tempore Quadragesimae, sed usque ad Pentecosten, petentibus eisdem, quotidie concionandum erat. Diebus autem Quadragesimae septingenti christiani facti sunt, prius in catechismo instructi.

2048. Modus, quo christiani utuntur in defunctorum corporibus sepeliendis, magnae aedificationis japonensibus erat; et accidit tria hominum millia aliquem defunctum, quem primo nostri sepelierunt, comitari. Ipsi gentiles valde inhumane<sup>1</sup> se gerere solent in hac parte; nec solum sine honore sepeliunt, sed ne per portam quidem primariam domus corpora ferri volunt. Et ipsi bonci, quando aliquem morti vicinum vident domi suae, ne ibidem moriatur exportare alio consueverunt.

2049. Et ita charitas christianorum in hujusmodi funeribus curandis summopere placebat et religionem christianam magni aestimari faciebat.

2050. Sacramentum confessionis christiani perlibenter frequentabant, quamvis unicus sacerdos, qui erat Bungi<sup>2</sup>, non omnibus poterat satisfacere.

2051. Sic autem vitae rationem emendabant post baptismum susceptum, ut cum magna aedificatione parentes et amici id admirarentur.

2052. Cum autem eo quod christiani essent aliquid injuriae acceperant, felices se arbitrabantur. Unus fuit inter alios, qui Christum erubescere ac se abscondebat; sed sic paulo post facti eum poenituit, ut non solum palam confiteretur Christi fidem, sed diu noctuque ad alios adducendos ad fidem et ab erroribus japonensium revocandos studeret.

2053. Dixi ex locis vicinis multos concurrere, quia in variis ejus regni locis jam christiani erant, ut in Jachataa sexaginta, in Sichido totidem, in Chutami<sup>3</sup> ducenti et amplius, et

<sup>1</sup> Ms. *inhumani*.

<sup>2</sup> P. Cosmas de Torres.

<sup>3</sup> Horum locorum nomina scribuntur in *Diversi acti*, fol. 258 v., sic: *Jacataa*, *Siguido*, *Cutami*.

quidem satis in fide constantes; et in quovis loco constitutus erat aliquis ex christianis, quem alii propter virtutem magis revererentur, qui cum Bungum saepius ad nostros veniret, instructior ad alios docendos redibat.

2054. Contulerat se P. Balthasar Gagus sub aetatis finem Firandum, ut lusitanorum, qui eo appulerant, confessiones audiret, et secum deduxit Joannem Fernandez et tres vel quatuor alios. Sed antequam recederet, Bungi Rex, domum nostram veniens, jussit P. Balthasarem de itinere sollicitum non esse: missurum se quemdam ex suis, qui euntem et redeuntem deduceret et nihil ei deesse permetteret. Et jumenta ipsemet ad iter dedit, et suorum locorum gubernatoribus injunxit ut de rebus omnibus opportunis ei prospicerent. Et non parum commodi haec Regis cura in itinere attulit, cum via latronibus plena esset.

2055. Aliqui autem ex christianis domum nostram, in qua Eduardus de Silva manserat, noctu custodiebant, in eadem pernoctantes; et aliis advenientibus de divinis rebus loquebantur, et librum, eorum lingua scriptum, de quo superius egimus<sup>1</sup>, legebant.

2056. Post pulsum autem ad salutationem angelicam in crepusculo vespertino orabant simul cum nostro Eduardo, complures orationes recitantes, ac nominatim pro nostris navigantibus in Japonem orabant, et contra inimicos visibiles et invisibiles litanias dicebant.

2057. Venit hoc tempore mulier quaedam cum suo marito ex loco quodam vicino, nomine Ida, ubi aliqui christiani habitabant, et baptizari a P. Balthasare cupiebant, quo non invento, reditum parabant; sed quidam ex novis christianis, qui domi nostrae versabantur, hortatus est alios ad orandum pro duobus illis<sup>2</sup>: simul dominicam orationem alta voce dixerunt. Interim mulier illa tremere sic coepit, ut tres homines vix eam tenere possent, et dentes prae stridore abrumpi videbantur; sed demum obdormivit. Ille autem, qui ad orandum pro ea caeteros moverat, aqua benedicta eos aspersit, reliquis interim orantibus. Cum vigilavit, dixit se nolle inde recedere; et cum ei diceretur ut nominaret Jesum et Mariam, pronunciavit quidem ea

<sup>1</sup> Pag. 725, n. 2035, et pag. 726, n. 2038.

<sup>2</sup> Ms. *aliis*.

nomina, sed quasi furibunda; sed post orationem omnino ad se rediit et nomen Jesu et Mariae cum magna devotione dixit, et adorare se dicebat Deum, a quo creata fuerat: et dixit Eduardo quod a septimo aetatis suae anno velut grave quoddam pondus in suo corde gestaverat, a quo jam liberam se sentiebat Et ita laeta admodum cum marito domum rediit, cum eodem baptisma acceptura, cum Firando P. Balthasar rediisset.

2058. Multi in ea regione a daemone vexabantur etiam in corporibus, qui orationibus et exorcismis Ecclesiae consuetis curabantur.

2059. Amangucci cum Rex apud nostros Septembri mense coenasset et magna cum voluptate de Deo loqueretur, quosdam redditus assignare voluit ad eorum sustentationem, qui legem Dei in sua ditione docerent; sed nostri non esse sibi id valde necessarium affirmarunt, sed hortati sunt ut in hospitali pauperum eos redditus converteret, quod et fecit.

2060. Quidam vir primarius ejus civitatis, Naintandonus nomine <sup>1</sup>, qui multa millia armatorum pro suo arbitratu educere in praelium poterat, aetate valde propecta, ad Christum conversus, genibus flexis et manibus atque oculis in coelum extensis, a Domino in meliorem vitam transferri petebat; sed, ut credendum est, ad majus aliorum bonum ejus vitam fuisse prolongatam. Alius etiam cum trecentis subditorum suorum ad Christum etiam accessit. Et circumferebatur multorum sermonibus per nostros ac per aliquos ex neophytis Deum miracula magna operari.

2061. Ex duobus bonzis, qui Meaco venerant, alter subtili admodum ingenio erat: cum post disputationem conversus esset ad Christum, cum multa de B. Paulo narrari audivisset, quod scilicet prius persecutus esset Ecclesiam Dei, deinde, conversus, vas electionis ad Christi nomen gentibus annuncians factus fuisset, optavit sibi nomen Pauli in baptismo imponi, ut qui ipsum imitatus fuisset in priori vita, eundem etiam in posteriori imitaretur. Castigavit ille corpus severissime post conversionem, et valde orationi mentali deditus fuit, et magna per eum Dominus operatus est; nam Christi Evangelium variis in locis praedicando, multos ad Christum convertit, et statis

<sup>1</sup> Vide supra, t. II, pag. 415 et 416, nn. 506 et 507.

temporibus ad P. Balthasarem veniebat, sacramentorum percipiendorum gratia <sup>1</sup>.

2062. Octo japonenses ex regno Sundae in navi Didaci Perera ad Sinas venerant. Unus autem, in navi P. Melchioris veniens <sup>2</sup>, eos ad Christum convertit, et a Patre Melchiore baptizati sunt.


Aliis de rebus sequenti anno videbitur.

## FINIS TOMI QUINTI


---

<sup>1</sup> Vide supra, t. iv, pag. 671, n. 1451.

<sup>2</sup> Is non ex Sinarum imperio sed Malacca cum P. Melchiore Nuñez veniebat. Ait enim Ludovicus de Froës litteris supra memoratis: "Di Sunda uennero alla China nella naue di Diego Pereira otto Giapanesi; menaua di qji uno il P. Melchior, che si chiama Gioachino, del quale hauerei caro di scriuerui molti particolari, se non mi mancasse il tempo: il suo padre fa spade nel Giapan, et lui è grande artefice di lima: questo come uidde gl' altri otto nella China, cominciò a parlargli di N. S.: finalmente gli conuertì tutti, et gli battezzò il padre Maestro Melchior „ *Diversi avvisi*, fol. 293.



# INDICES



## INDEX ONOMASTICUS PERSONARUM

### A

- Abbas Complutensis, Vide Rincon.  
 Abbas de Berlanga, Vide Bivero.  
 Abbas de Salas, Vide Miranda.  
 Abbas major in Complutensi Academia,  
 Vide Corrionero.  
 Abbas Mandaniciensis, Vide Ansalonus.  
 Abbas Montis Serrati (Monserrat) mona-  
 sterii, 381.  
 Abbas S. Theoderici (S. Thierri), Vide Gu-  
 lielmus.  
 Abbas Verulensis monasterii O. S. Bern.,  
 Vide Marco.  
 Abbas Villae Beltrami, Vide Domenech,  
 Petrus.  
 Abulensis Collegii S. J. Rector, Vide Al-  
 varez, Ferdinandus.—*Id.* Prádano.  
 Abulensis Episcopus, Vide Alaba et Es-  
 quivel.—*Id.* Sanchez de Mercado et  
 Zuazola.  
 Accolis, Petrus de, Episcopus Cardinalis  
 Sabinus, antea Ravennatensis Archie-  
 piscopus, 25.  
 Acebedo, Didacus de, 385.  
 Acebedo, P. Gaspar de, Burgensis Collegii  
 S. J. Rector, 438, 439.  
 Acebedo, P. Ignatius de, Vide Azevedo.  
 Acebedo, Mag. Petrus, 498.  
 Acebedo, P. Petrus de, 518, 519, 522, 523.  
 Acebedo et Zúñiga, Alphonsus de (alias  
 Alphonsus de Fonseca et Acebedo), Co-  
 mes de Monterey, 462, 554, 553.  
 Achillis, P. Paulus d', Panormitani Col-  
 legii S. J. Rector, 194, 195, 197, 198, 200,  
 203-205.  
 Acosta, Fr. Antonius, novitius S. J., 640.  
 Acosta, Antonius de, 428.  
 Acosta, Fr. Christophorus de, 665.  
 Acosta, Hieronymus de, 422.  
 Acosta, Josephus de, 421.  
 Acosta (postea de Costa), Antonius de, lu-  
 sitanus, 607, 608.  
 Acquaviva (Aquaviva), P. Claudius, V  
 Praep. Generalis S. J., 216.  
 Adam, 700.  
 Adler, Jonas, 8, 266.  
 Adriaenssens, Agnes, 299.  
 Adriaenssens (Adriani), P. Adrianus, Lo-  
 vaniensis domus S. J. Superior, 289-292,  
 295, 297-301, 312, 317.—Ejus mater, 295.  
 Adriani, Joannes Baptista, 97, 104, 351.  
 Adrianus, Petrus, 285, 286.  
 Adrianus VI Pontif., 296.  
 Aethiopiae Patriarcha, Vide Bermudez.—  
*Id.* Nunez Barreto.  
 Aethiopiae Patriarcha schismaticus, 610,  
 697, 701.  
 Aethiopiae Patriarchae Successor electus,  
 Vide Oviedo.—*Id.* Carneiro.  
 Aethiopiae Rex, Vide Lebna Dengul.—  
*Id.* Asnaf Segued.  
 Afan de Ribera et Portocarrero, Petrus,  
 Tarifae Marchio (postea Compluti Dux  
 et Neapolitanus Prorex), Catalauniae  
 Prorex, 379-383, 389.  
 Agnus, vel Agaeus, populi Aethiopiae,  
 706.  
 Agnes, Beata, Bohemiae regis filia, 250, 257.  
 Agrioola, P. Ignatius, 231, 268, 269.  
 Aguilera, P. Emmanuel, 188, 202, 203, 207,  
 216-218, 220-223.  
 Agustin, Antonius, Caroli V Imperatoris  
 Vicecancellarius, 393.  
 Agustin, Petrus, Oscanis Episcopus, Do-



- mus S. J. Caesaraugustanae Conservator iudex, 393-397, 399, 401, 404-407.
- Agustín del Castillo, Jacobus (Jaime), 395, 399, 401, 405.
- Ajuto, Petrus de, 213.
- Alaba et Esquivel, Diacus de, Abulensis Episcopus, Praeses Regii tribunalis Granatensis, 443, 444, 510.
- Alarcon, P. Garcías de, 536.
- Alba, Dux de, Vide Alvarez de Toledo.
- Albadelejo et Piqueres, Dominus oppid., Vide Giron de Alarcon. — Ejus uxor, Vide Pacheco, Joanna.
- Albertus V. Bavariae Dux, 37, 236, 255, 259, 260, 264, 270, 274.
- Albotodo, P. Joannes de, 515.
- Alcazeva, Fr. Petrus de, 721.
- Alcantarae Commendatarius major, Vide Dávila (alias de Avila), Ludovicus.
- Alcazar, P. Bartholomaeus, 445, 446, 466, 473, 514, 556, 590, 646.
- Alconchel et Mirabel, III Dominus de, Vide Zúñiga et Sotomayor, Fadrique de.
- Aldimari, Blasius, 47.
- Alegambe, P. Philippus, 54, 81, 181.
- Alencastre, Alphonsus de, Legatus Lusitaniae Regis, Romae, 23, 33, 40, 574.
- Alençon, Dux de, Vide Franciscus (antea Hercules).
- Alexander, Franciscus, 41.
- Alexander VI Pontif., 677.
- Alexander VII Pontif., 677.
- Alexandrinus Episcopus haereticus, Vide Dioscorus.
- Alexandrinus Patriarcha schismaticus, 35, 700.
- Algarbiensis Episcopus, Vide Mello.
- Allard, Hermannus, 236.
- Almagro, Didacus de, 677.
- Almeida (Almeyda), P. Emmanuel de, 609, 688, 693, 695, 703, 706, 723.
- Almeida (Almeyda), Ludovicus de, 721, 722, 726, 727.
- Almeida (Almeyda), Ludovicus de, navis Praefectus, 713, 720, 722.
- Almeriae Episcopus designatus, Vide Corríonero.
- Almeyda, Vide Almeida.
- Almeyda, Stephanus de, Carthaginiensis Episcopus, 370, 383, 462, 533-537.
- Alphonsus, Princeps adolescens Cellani, 651, 658.
- Altamura, Fr. Ambrosius, O. P., 38, 39, 271, 272, 418, 459.
- Alva, Julianus de, Portalegrensis Episcopus, 601, 609.
- Alvarez, Antonius, 411. — Vide etiam Rueda, P. Antonius de.
- Alvarez, P. Balthasar, 453.
- Alvarez, P. Emmanuel, 591, 595.
- Alvarez, Ferdinandus, Abulensis Collegii S. J. Rector, 439, 442, 443.
- Alvarez, P. Gabriel, 364, 363, 367, 392, 394, 395, 399, 401-404, 407, 409, 534, 597.
- Alvarez, P. Joannes, postea P. Paulus dictus, 410, 486, 496, 500-503, 509, 538.
- Alvarez de Tavora, Ludovicus, I Marchio de Tavora, Comes S. Joannis da Pesqueira, 553.
- Alvarez de Toledo, Ferdinandus, Comes de Oropesa, 413, 466, 467, 538, 543, 514.
- Alvarez de Toledo, Ferdinandus, Dux de Alba, Neapolitanus Prorex, 115, 180.
- Alvarez de Toledo, Franciscus, Comitiss de Oropesa frater, 467, 538, 543.
- Alvarez de Toledo, Joannes, O. P., Compustellanus Archiepiscopus et Cardinalis, 10, 21, 102.
- Alvarotti, Julius, Ferrariensis Legatus in Gallia, 141, 336.
- Alventos, Marchio de, Vide Roxas et Contreras.
- Amangucii Rex, 730.
- Amat (in textu), Vide Torres Amat.
- Ambrosius, germanus, 169.
- Anchieta, P. Josephus de, 620, 621.
- Andaluz, Dominicus, 191.
- Andreas, autuerpiensis, 297.
- Andreas, bohemus, 23.
- Androtius, Curtius, 43.
- Androtius, Dr. Fulvius, 43.
- Androtius, Hortensius, 43.
- Anes, Cosmas, 631, 637.
- Angliae Regina, Vide Maria.
- Angliae Rex, Vide Philippus II.
- Anna, Ferdinandi I, Romanorum Regis, uxor, 239.
- Anriquez, P. Henricus, Vide Enriquez.
- Ansalonus, Petrus, Messanenensis Archiepiscopi et Cardinalis Vicarius, Abbas Mandaniciensis et Cantor Messanensis ecclesiae, 191.
- Anselmus (Custerus?), 266, 287.
- Antiochenus Patriarcha, Vide Rivera.
- Antonius, Sanctus, Florentinus Archiepiscopus, 122.
- Antonio, Guido, 223.
- Antonio, Nicolaus, 384.
- Antonius, Fr., O. S. Bern., 171.
- Antonius, Fr. perusinus, 61.
- Antonius, Ludovici, Portugalliae Infantis, filius, 579, 581.
- Antonius Maria, Fr., 65.
- Aquaviva, P. Claudius, Vide Acquaviva.
- Aquensis (Aix) Archiepiscopus, Vide Gnebrard.

Aquinas, S. Thomas, 271, 412, 458, 513, 555.  
 Aragon, Ferdinandus de, Caesaraugustanus Archiepiscopus, 391-393, 395, 397, 399, 402-408.  
 Aragon, Joanna de, 23.  
 Aragon, Joanna de, Comitissae de Ribagorza mater, 408.  
 Aragon et Gurres, Anna de, Ducis de Medina Sidonia et Comitissae de Niebla uxor, 498, 500 504, 506, 538, 556.  
 Aragon et Gurres, Martinus, Comes de Ribagorza, postea Dux de Villahermosa, 400, 401, 408.  
 Aragoniae Conservator iudex, Vide Gonzalez de Villasisimplex.  
 Aragoniae Prorex, Vide Hurtado de Mendoza.  
 Aragoniae Provincialis Collateralis, Vide Barma.  
 Aragoniae Regens, Vide Camacho.  
 Aragoniae Summus iudex, *Justicia* dictus, Vide Lanuza.  
 Araoz, P. Antonius, Castellae Praepositus Provincialis, 5, 420, 423, 426, 427, 441 444, 447, 457-462, 485, 539, 545.  
 Arcos, Ducis II de, uxor, Vide Toledo et Figueras, Maria de.  
 Arcu, Comes ab, Vide Marcus. — *Id.* Scipio. Ardinghello (vel Ardinghelli), Julianus, 351.  
 Aretin, Carolus Maria von, 260.  
 Aretius, 215.  
 Argentensis Collegii S. J. Superintendens, Vide Pelletier.  
 Argentensis Collegii S. J. Superior, Vide Bonainsegna.  
 Argentensis sacerdos, Societatis candidatus, 128, 135, 154.  
 Argentensis Vicarius, Ravennatensis Archiepiscopi nomine, 135-155.  
 Argentoratensis Episcopi Cancellarius, Vide Welsinger.  
 Argentoratensis Episcopus, Vide Limburg. — *Id.* Manderscheid-Blankenheim.  
 Arias Gallego, Gundisalvus, Gerundensis Episcopus electus, 407.  
 Arnoldus (Arnould?), P. Joannes, 320, 524.  
 Aeshbach, Josephus von, 271.  
 Asnaf Segued (abeurop. communiter Claudius appellatus), Aethiopiae Rex, 8, 603, 610, 682, 690-706.  
 — Ejus mater, 694, 697, 699-701.  
 Astete, P. Gaspar, 411, 412.  
 Athaide, Antonius de, I Comes de Castanheira, 568.  
 Athanasius, Sanctus, 703.  
 Atrii Dux, 68.  
 Atria, Petrus de, 170.

Auer, Lambertus, 169, 252.  
 Auger (Augerius), Mag. Edmundus, 64.  
 Augubio, Fr. Jacobus de, 216, 217.  
 Augustanus Cardinalis, Vide Truchsess.  
 Augustinianorum Conservator iudex, Caesaraugustae, Vide Guardianus Franciscanorum.  
 Augustinus, Sanctus, 274.  
 Auriensis Episcopus, Vide Manrique de Lara.  
 Austria, Leopoldus de, Cordubensis Episcopus, 524, 525, 531, 532, 542.  
 Austriae Archidux, Vide Carolus. — *Idem* Ferdinandus.  
 Austriae Inferioris Cancellarius, Vide Widmanstadt.  
 Avantianus, Erardus, Vide Dawant.  
 Avenionensis Prolegatus, Vide Sala.  
 Avila, P. Alphonsus de, postea P. Basilus vocatus, 424, 485, 487, 493, 498, 501, 513, 514, 521, 528.  
 Avila, B. Joannes de, Baeticae Apostolus dictus, 507, 511, 524, 546, 556.  
 Ayala, Dr., B. Joannis de Avila discip., 478.  
 Aymerich, P. Matthaeus, 384.  
 Ayora, Dr. Joannes de, Placentini Episcopi Vicarius, postea Ovetensis Episcopus, 478, 482.  
 Azevedo, P. Ignatius de, Ulyssiponensis Collegii S. J. Rector, 558, 566.  
 Azevedo (Oleastro, Oleaster), Hieronymus, O. P., Ulyssiponae Inquisitor, 603.  
 Azpilceta, P. Joannes de, communiter P. Navarro dictus, 639.

B

Backer, P. Augustinus de, 55, 81, 184.  
 Backx, Henricus, 300.  
 Baena, II Ducissa de, Vide Córdoba et Figueroa, Francisca de.  
 Baeticae Apostolus, Vide Avila.  
 Baeticae Provincialis Collateralis, Vide Villanueva.  
 Baeza, Fr. Franciscus de, O. Carm., 511.  
 Baeza, Fr. Franciscus de, O. S. H., 511.  
 Balbino, P. Bohuslaus Aloysius, 257.  
 Bandini, Franciscus, Senensis Archiepiscopus, 57, 59.  
 Bañares, Comes de, Vide Zúñiga et Sotomayor, Alphonsus de.  
 Baptista, S. Joannes, 522.  
 Barba, Antonius, archipresbyter, 447.  
 Barbosa, Vide Soares d' Azevedo Barbosa.  
 Barcinonensis Collegii S. J. Rector, Vide Queralt.

- Barcinonensis Episcopi Coadjutor, Vide Casador, Gulielmus.—*Id.* Jubil.  
 Barcinonensis Episcopus, Vide Casador, Jacobus.  
 Bariensis Archiepiscopus et Cardinalis, Vide Pozzo (Puteo).  
 Barlotta, Nicolaus, 217.  
 Barma, P. Joannes Baptista de, Valentini Collegii S. J. Rector, 350, 362, 363, 369, 370, 379, 388, 389, 391, 392, 391, 396, 401, 411, 445, 448.—Praepositi Provincialis Aragoniae Collateralis, 531-533, 551.  
 Barcellius, Stephanus, 141, 142, 145, 146, 152.  
 Barreto, Franciscus, Indiae Prorox, 722.  
 Barreto, Rodericus, 722.  
 Barros, Michael de, 595.  
 Barros, P. Michael de, Eboensis Collegii S. J. Rector, 601.  
 Barzaques, Othardus de, 818.  
 Bartoli, P. Daniel, 50.  
 Barul, P. Michael, 606, 608, 640, 643, 644, 646, 654-656, 667.  
 Barzaeus, P. Gaspar, Vide Berse.  
 Bas (Basus, Bassius), P. Hieronymus le, 41, 92, 113, 320, 321, 325, 333, 346, 347.  
 Bassorae Rex, 658.  
 Baudrand, Michael Antonius, 638, 707.  
 Bavariae Dux, Vide Albertus V.—*Id.* Gulielmus IV.—*Id.* Gulielmus V.  
 Beccatelli, Ludovicus, O. S. Fr., Ravennensis Episcopus, postea Ragusinus Archiepiscopus, 91, 203.  
 Beckovsky, Joannes, 256.  
 Bedula, Bartholomaeus, 98.  
 Béjar, Ducissa III de, Vide Zúñiga.  
 —Ejus conjux, Vide Sotomayor, Franciscus de.  
 Béjar, Emmanuel, 83.  
 Belalcázar, Comes V de, Vide Sotomayor, Franciscus de.  
 —Ejus uxor, Vide Zúñiga.  
 Belalcázar, Vicecomes de, Vide Zúñiga et Sotomayor, Alphonsus de.  
 Belcastrensis Episcopus, Vide Jacomelli.  
 Belgii Gubernatrix, Vide Maria.  
 Bellarmino, Robertus, S. J., Cardinalis, 15.  
 Bellarmino, Vincentius, 15.  
 Bellay, Eustachius du, Parisiensis Episcopus, 326, 328, 328-332, 334-336.  
 Bellay, Joannes du, Cardinalis, 23.  
 Bellefille, Nicolaus, 820, 830.  
 Belver (alias Volver), Petrus, 194, 221.  
 Benedictus, Dr. Joannes, O. P., 321-323, 334.  
 Benoit, Joannes, 12.  
 Benoit, Renatus, 12.  
 Bergh, Burchardus van den, 278.  
 Bergh, Theresia van den, 277-279, 291.  
 Bergh, Wendelina van den, 278.  
 Bergh, Wichmannus van den, Noviomagensis consul, 241, 278, 280-282.  
 Berlianga, Dominade, Vide Tovar.  
 Bermudez, Joannes, Aethiopiae Patriarcha, 695, 722.  
 Bernal, Petrus, S. J., 513.  
 Bernardus, Japonensis, 22, 40.  
 Bernardus, Sanctus, 619, 688.  
 Bernuy, Ferdinandus, 460.  
 Berse (Barzaeus), P. Gaspar, 599, 600, 663, 668, 673.  
 Bertimorae Episcopus, Vide Vannini de Theodulis.  
 Beuter, P. Ludovicus, 366.  
 Bibonae Dux, Vide Luna.  
 —Ejus uxor, Vide Vega, Elisabeth de.  
 Bibonae Gubernator, 222.  
 Biera (P. Franciscus, vel Didacus), Vide Vieira.  
 Bini, Joannes Franciscus, Pauli IV Pontif. secretarius, 169.  
 Bisciola (Bisoli), Gabriel, 129, 146.  
 Bisciola (Bisoli), Laelius, 129, 146, 154.  
 Bivero (Vivero), Hieronymus de, Abbas de Berlianga, 456.  
 Blaeu (Blaeuw vel Blauw), Gulielmus, 44.  
 Blaeu (Blaeuw vel Blauw), Joannes, 44.  
 Blahoslans, fratrum bohemorum minister, 274.  
 Blasquez, Fr. Antonius, 631, 635, 638.  
 Bluteau, Raphael, 689.  
 Bobadilla, P. Nicolaus Alphonsus de, 8, 27, 45, 850.  
 Bocchio, P. Antonius (Joannes, Thomas, Joannes Thomas?), 606, 608, 640, 661, 667.  
 Boero, P. Josephus, 35, 45, 207, 238, 275, 328.  
 Bogado (alias Vogado), Fr. Ignatius, 616.  
 Bohemiae Infans, Vide Agnes.  
 Bohemiae Provincialis, O. P., 253, 254.  
 Bohemiae Rex, Vide Maximilianus II.  
 —Ejus uxor, Vide Maria.  
 Bolet, Joannes, 386.  
 Bonainsegna, P. Andreas, Argentensis Collegii S. J. Superior, 129, 148, 159-157.  
 Bonaventura, Sanctus, 291.  
 Bongiardinus, Marianus, Vide Mongiardinus.  
 Bonifacius, siculus, 170.  
 Bonis, Hemerius de, Vide Hemerius.  
 Bononiensis Academiae Rector, 121.  
 Bononiensis Collegii S. J. Rector, Vide Palmius.  
 Bononiensis Episcopus et Cardin., Vide Campeggi.  
 Bononiensis Prolegatus, Vide Sauli.

Bordes, Ch., 88.  
 Bordon (Scipio), Mag. Franciscus, 120.  
 Borges de Figueiredo. A. C., 587, 588.  
 Borja, Carolus de, V Gandiae Dux, 870, 876.  
 Borja, S. Franciscus de, Provincialium Hispaniae et Lusitaniae Commissarius, 10, 13, 80-82, 47, 175, 865, 866, 869, 876, 884, 886, 888, 890, 401, 404, 411, 418, 423, 424, 427-432, 435-438, 442, 454, 455, 460-463, 465, 466, 468-470, 477, 480-487, 507, 524-530, 533, 537-538, 555-557, 566, 586, 593, 603.  
 Borja, Joannes de, S. Francisci filius, 485.  
 Borja et Aragon, Ludovica de, Comitissa de Ribagorza, *La Santa Duquesa* dicta, 401, 402, 406.  
 Borellus, Fr. Joannes Paulus, 483.  
 Borzekowsky, P. Fridericus, O. P., Praegensis Prior, 254.  
 Bossche (Sylvius), Mag. Petrus van den, 50, 52, 58.  
 Botelho, P. Michael, 195.  
 Boterus (vel Boterius), Juvenalis, 203.  
 Boucler (alias Bouclier, latine Boucletus), P. Antonius, 801, 805, 808-810, 816, 817.  
 Bover, N., 384.  
 Bracamonte, Didacus de, S. J., 513.  
 Bracamonte, Rubin de, Galliae Admiralus, 518.  
 Bragança, Theodosius de, Dux de Bragança, 89, 40, 602.  
 Bragança, Theutonium de, Ducis de Bragança frater, 89, 40, 602.  
 Brantevilla, Domina de, Vide Zúñiga Manuel et Sotomayor, Maria de.  
 Brasiliae Gubernator, Vide Sousa, Thomas de.—*Id.* Costa, Eduardus da.  
 Brassica, Gerardus, Vide Cools.  
 Braunsberger, P. Otto, 28, 32, 34, 86, 37, 44, 45, 224, 227, 228, 280, 235, 236, 240-245, 247-250, 253-262, 266, 268-274, 278-281, 283, 286, 298, 540, 569.  
 Bravo, P. Joannes, 452.  
 Brichanteau, Crispinus de, 12.  
 Britto, Matthaeus de, 710, 720.  
 Brixiensis Episcopus, Vide Durantibus.  
 Brocio (Brosius), Fr.,lotharingus, 236.  
 Broet, P. Paschasius, Galliae Superior, 5, 820, 822-825, 827-829, 831-838, 846, 856.  
 Brosius, Fr., Vide Brocio.  
 Brunellus, P. Franciscus, 122.  
 Brus (de Muglitz), Antonius, Ordinis Crucigerorum Magister Generalis, postea Viennensis Episcopus, 250.  
 Bruziorum Prorex seu Gubernator, 79.  
 Buchana, Georgius, 688.

Bucholtz, Franciscus Bernardus, 248.  
 Bungi Rex, 725-727, 729.  
 Burdigalensis Collegii, de *Guyenne* dicti, Praeses, Vide Gouves.  
 Burgensis Collegii S. J. Rector, Vide Acedo, P. Gaspar de.  
 Burgensis Episcopus et Cardin., Vide Mendoza, Franciscus.  
 Burgos, Augustus de, 364, 486, 503, 549, 543, 544.  
 Burgos, P. Joannes de, 43.  
 Burgundiae Dux, Vide Joannes *Sene* P. wr.  
 Bussierre (De), 254.  
 Bustamante, P. Bartholomaeus de, Septimancensis Probationis domus S. J. Rector, 426, 429-438, 463, 465-467, 486 —Baeticae Praepositus Provincialis, 518, 520, 529-532, 539, 545, 550, 551, 554, 555.  
 Butkena, F. Christophorus, 318.

## C

Caballero, Firminus, 390.  
 Cabral, Franciscus, S. J., 651.  
 Cabrera de Córdoba, Ludovicus, 23, 313, 443.  
 Caesar Augustus, 121.  
 Caesaraugustanae domus S. J. Conservator iudex, Vide Agustin, Petrus.  
 Caesaraugustanae domus S. J. Superior, vel Rector, Vide Rojas.—*Id.* Roman.—*Id.* Tablares.  
 Caesaraugustanae parociae S. Mariae Magdaleneae Vicarius, 391, 392.  
 Caesaraugustanae parociae S. Michaelis de los Navarros Rector, 391, 392.  
 Caesaraugustanus Archiepiscopus, Vile Aragon, Ferdinandus de.  
 Caesenatensis Episcopus, Vide Spiriti, Christophorus.—Ejus Coadjutor, Vide Spiriti, Joannes Baptista.  
 Calaritanus Episcopus, Vide Perragues et Castillejo.  
 Calatayud, Ludovicus de, protonotarius Apostolicus, 462, 554, 555.  
 Calchus, Tristanus, 188.  
 Callistus II Pontif., 55.  
 Calvete de Estrella, Joannes Christophorus, 541.  
 Calvo, Vincentius, O. P., Prior domus S. Pauli, Hispani, 492.  
 Cam, Gaspar, Sancti Thomae (insulae) Episcopus, 609.  
 Camacho, Aragoniae Regens, 800.  
 Camacho, Sylvester, Sanlucarensis Vicarius, 500, 508.

- Cambiagi, Joachim, 350.  
 Cambojae Rex, 723.  
 Cameracensis Episcopus, Vide Croy.  
 Camera, P. Paulus, 653, 656, 655, 673.  
 Campeggi, Joannes, Bononiensis Episcopus et Cardinalis, 122-126, 128.  
 Campensis, Simon, 820.  
 Campo, Hieronymus del, 204.  
 Canal (Canalis), Mag. Petrus, 41, 118, 333, 346, 347.  
 Canariae Episcopus, Vide Cano.  
 Canarius, Mag., Vide Salas.  
 Candidus, P. Adrianus, Vide Witte.  
 Canisius, B. Petrus, Vide Kanya.  
 Cano, Melchior, postea Canariae Episcopus, O. P., 39, 390, 418, 457-459.  
 Canton, Praefectus urbis, Vide Cattigarae.  
 Cantu, Caesar, 143.  
 Caffete, II Marchio de, Vide Hurtado de Mendoza, Andreas.  
 Capella, P. Maximilianus, Vide Chapelle.  
 Capellanorum regionum Praefectus, Granaetae, 514.  
 Cappa, P. Richardus, 541.  
 Cappocci, Marius, 10.  
 Caprili, Vincentius, 129.  
 Capua, Elisabeth de, Princeps de Molfetta, Ducis de Thermoli filia, 93.  
 Caraccioli, Nicolaus Maria, Cataniae Episcopus, 218.  
 Caraffa, Joannes, Comes Montorius, postea Dux de Palliano, 24.  
 Carayon, P. Augustus, 328.  
 Cardelus, Stephanus, 144.  
 Cárdenas et Pacheco, Bernardinus de, II Maquedae Dux, I Marchio de Elche, Navarrae primum, postea Valentiae Prorex, 363, 364, 550.  
 Cardolus, P. Fulvius, 45.  
 Cardona, IV Comes de, Vide Folch.  
 Cardona, P. Alphonsus de, 452.  
 Cardosus, Dominicus, 565.  
 Carne, Eduardus, 45.  
 Carneiro, P. Melchior, Nicaenus Episcopus, Patriarchae Aethiopiae successor, 6, 7, 606-608, 643, 641, 616-619, 654, 655, 662, 665, 696, 707.  
 Caroli V Imperatoris secretarius, Vide Fontana, Alexius.—Id. Vargas.—Id. Vazquez, Joannes.  
 Caroli V Imperatoris Vicecancellarius, Vide Agustin, Antonius.  
 Carolus, Austriae Archidux, 259.  
 Carolus, Hispaniae Infans, Philippi I filius, 543.  
 Carolus, Hispaniae Princeps, Philippi II filius, 460.  
 Carolus V Imperator, Hispaniae Rex, 26, 28, 31, 33, 41, 116, 183, 203, 207, 214, 229, 230, 253, 259, 262-261, 267, 282, 294, 314, 315, 318, 319, 331, 354, 364, 365, 463, 481, 509, 524, 540, 541, 546, 549, 553, 620, 621.  
 Carpi, Rodulphus Pius de, Cardinalis, 8, 88, 42, 43, 70, 85, 91, 102.  
 Carrillo, P. Didacus, 448.  
 Carrionero, Antonius, Vide Corrienero.  
 Carthaginiensis Episcopus, Vide Almeyda.  
 Carvajal, P., 359.  
 Carvajal, Franciscus, Dominus de Torrejon el Rubio, 541.  
 Carvajal, Joannes de, Placentinus Episcopus, Cardinalis, 481.  
 Carvajal et Mendoza, Ludovica de, 481.  
 Carvalho, Andreas, 600.  
 Carvalho, Fr., 411.  
 Casa, Joannes della, Legatus Apostolicus Venetiis, Pauli IV Pontif. secretarius, 169, 170.  
 Casalinius, Hieronymus, 127.  
 Casso, Albertus, Generalis Magister, O. P., 39.  
 Caselli, Thomas, O. P., Cavae Episcopus, Perusinus Prolegatus seu Gubernator, 68-71.  
 Casoni, Philippus, 105.  
 Cassani, P. Josephus, 695, 699.  
 Cassini, P. Joannes Philippus, 120, 220, 221.  
 Castanheira, Comes de, Vide Athaide.  
 Castellae Comes Stabillis, Vide Fernandez de Velasco, Ignigus.—Id. Fernandez de Velasco, Petrus.  
 —Uxor prioris Comitiss Stabillis, Vide To-var.  
 Castellae et Legionis Rex, Vide Ferdinandus III.  
 Castelli Novi neapolitani Praefectus, Vide Mendoza, Joannes de.  
 Castillo, Petrus del, 313.  
 Castro, P. Alphonsus de, 708-710.  
 Castro, P. Christophorus de, 452, 454, 590.  
 Catalanus, P. Joannes, 62, 111.  
 Catalauniae Prorex, Vide Afan de Rivera.  
 Cataniae Episcopus, Vide Caraccioli.  
 Catena, Joannes de, 275, 276, 284, 286.  
 Catharina, Hispaniae Infans, Philippi I filia, 548.  
 Catharina, Sancta, 523.  
 Catharina ab Austria, Joannis III, Portugalliae regis, uxor, 529, 532, 561, 562, 567, 568, 570, 589, 592, 593, 596, 599, 601, 603, 604, 608.  
 Cattigarae (Canton, Cantam) Praefectus (Mandarinus), 719, 720.  
 Cavae Episcopus, Vide Caselli.  
 Cavalleri (Cavaglierus vel Cavallerius), P.

- Laurentius, Tyburtini Collegii S. J. Rector, 49, 51-53.  
 Cazador, Gulielmus, Barcinonensis Episcopi coadjutor, 381.  
 Cazalor, Jacobus, Barcinonensis Episcopus, 379, 380, 383, 384.  
 Cebadilla, Dr., Hispalensis Archiepiscopus Visitator, 497.  
 Cebrian, P. Alphonsus, Vide Cyprianus.  
 Cellani Princeps, Vide Alphonsus.  
 Cellani Rex, Vide Joannes.  
 Cenetensis Episcopus, Vide Torre.  
 Cervantes de Salazar (alias Cervantes de Gaeta), Dr. Gaspar, Hispalensis Archiepiscopi Vicarius, 460, 483, 487, 490, 491, 496, 497, 539.—Messanensis Archiepiscopus, 497.—Salernitanus, 497.—Tarracoenensis, et praeterea Cardin., 497.  
 Cervini, Alexander, Marcelli II Pontif. frater, 15, 74, 75, 79.  
 Cervini, Cinthia, Marcelli II Pontif. soror, 15.  
 Cervini, Herennius, 15.  
 Cervini, Marcellus, Cardinalis Sanctae Crucis, postea Marcellus II Pontif., 9, 10, 13 17, 26, 30, 46, 74, 79, 103, 174, 177, 216, 270, 321, 349, 354-357, 663, 677.  
 Cervini, Ricardus, 15.  
 Cervini, Romulus, 15.  
 Cesari, Octavius vel Octavianus, 41.  
 Cesl, Fridericus de, Tudertinus (Todi) Episcopus, 114.  
 Chacon (Cisconius), Alphonsus, O. P., 15.  
 Chalaza vel Cholasus (Collazo?), Fr., 613, 614.  
 Chalcedonense Concilium, 693, 698, 700.  
 Chapelle (Capella), P. Maximilianus, 765.  
 Charlat, P. Quintinus, Tornacensis domus S. J. Superior, 301, 307-310, 317, 318.  
 Chaves, Antonius de, 411.  
 (Chaves?), Blasius, Vide Chubas.  
 Chaves, Thomas de, O. P., 38.  
 Cherald vel Cheralt., P. Joannes, Vide Queralt.  
 Chetel, Ubertus, 221.  
 Chi-Tsong, Sinarum Rex, Vide Tchon-Hien-Tsong.  
 Chigi, domus seu familia de, 677.  
 Chinchon, II Comes de, Vide Fernandez de Cabrera et Bobadilla.  
 Choëlius (Coelho?), Eduardus, 715.  
 Chossat, P. Marcellus, 351, 358.  
 Chubas (Chaves?), Blasius, Sancti Vincentii Ducatus Praefectus, 623, 624.  
 Cisconius, Alphonsus, Vide Chacon.  
 Cienfuegos, Alvarus, S. J., Cardinalis, 463, 478, 482, 483, 544, 547-549, 553.  
 Cincinnati, Fr., 40, 61.  
 Clair, P. Carolus, 324.  
 Clara, Sancta, 484.  
 Claramontani Episcopi Vicarius, 333, 340, 342.  
 Claramontanus Episcopus, Vide Prat.  
 Clarós de Guzman, Joannes, IX Comes de Niebla, Ducis de Medina Sidonia filius, 500-506.  
 Claudius, Aethiopiae Rex, Vide Asnaf Segued.  
 Clayssone (Clayssonius), Robertus, 320, 325, 333, 337-344, 346 348.  
 Clemens VIII Pontif., 14.  
 Clerc (Clerus) de Sotwell, P. Hermes 1<sup>o</sup>, 317.  
 Clerc, M. Nicolaus 1<sup>o</sup>, 327.  
 Clerus, P. Hermes, Vide Clerc.  
 Climacus, S. Joannes, 113.  
 Closen, Wolfangus von, Pataviensis seu Passaviensis Episcopus, 238.  
 Cocini Rex, 672.  
 Codacio (Codacius), P. Petrus, 9.  
 Codretus, P. Annibal du, Vide Coudrey.  
 (Coelho?), Eduardus, Vide Choëlius.  
 Cogorian (Cogordanus), P. Pontius, 9, 41, 349 359.  
 (Collazo?), Fr., Vide Chalaza.  
 Collinus, P. Dominicus, 221.  
 Coloniensis Archiepiscopus, Vide Schauenburg.  
 Coloniensis Carthusiae Prior, Vide Kalckbrenner.  
 Coloniensis domus S. J. Superior, Vide Kessel.  
 Colonna, Ascanius, 23, 314.  
 Colonna, Camillus, 314.  
 Colonna, Marcus Antonius, Siciliae Prorex, 23, 217, 314.  
 Colonna, Pompejus, Cardinalis, Tyburtinus Gubernator, 59.  
 Colorado (in textu Cholorado), Dr. Hieronymus, Pontificiae domus praefectus, 43, 44.  
 Coms, Fr. Petrus Martyr, O. P. Provincialis, 408.  
 Commissarius Provincialium S. J. Hispaniae et Lusitaniae, Vide Borja, Franciscus de.—Italiae, Vide Viola.—Id. Napol.  
 Complutensis Academiae Cancellarius, Vide Corricnero.  
 Complutensis Collegii S. J. Rector, Vide Lopez, P. Emmanuel.  
 Compluti Dux, Vide Afan de Rivera.  
 Compostellanus Archiepiscopus et Cardinalis, Vide Alvarez de Toledo, Joannes.  
 Conchensis Collegii S. J. Rector, Vide Lopez, P. Alphonsus.  
 Conchensis Episcopus, Vide Fresnela.

Conchus, Mag. Arnoldus, 163, 169.  
 Condianensis (Constantiensis?, Constanti-  
 nensis?) Episcopus, 383, 384.  
 Congi Rex, Vide Jacobus I.  
 Congi Superior S. J., Vide Gomez, P. Cor-  
 nelius.  
 Conimbricensis Academiae Rector, Vide  
 Murcia.  
 Conimbricensis Collegii Regii Rector, 593,  
 594, 597.  
 Conimbricensis Collegii S. J. Rector, Vide  
 Santacruz.—*Id.* Enriquez, Leo.  
 Conimbricensis Episcopus, Vide Soares.  
 Consensus Archiepiscopus, Vide Muzza-  
 relli.  
 Consilii Regii Praeses, Vide Fonseca, An-  
 tonius de.  
 Constantir, Henricus VI, Siciliae Regis,  
 uxor, 214.  
 Constantiensis (alii Constantinensis)  
 Episcopus, Vide Jubi.  
 Cools (Brassica), Gerardus, Dordracensis,  
 286.  
 Cordeses, P. Antonius, Gandiensis, postea  
 Valentini Collegii S. J. Rector, 359, 360,  
 370, 376.  
 Córdoba, P. Antonius de, Salmanticensis  
 Collegii S. J. Superintendens, 100, 410,  
 412, 413, 416, 418-420, 431, 432, 529.  
 Córdoba, Joannes de, Cordubensis eccle-  
 siae Decanus, 521, 522, 524, 525, 527, 528,  
 530, 532, 555.  
 Córdoba et Figueron, Francisca de, II Du-  
 cissa de Baena, IV Marchionis de Gibra-  
 leon uxor, 543.  
 Cordubensis ecclesiae Decanus, Vide Cór-  
 daba, Joannes de.  
 Cordubensis Episcopi secretarius, Vide  
 Sanchez Navarro.  
 Cordubensis Episcopus, Vide Fresneda.—  
*Id.* Austria.  
 Corna (Corneus), Ascanius de la, 70.  
 Corna (Corneus), Fulvius de la, primum  
 Perusinus, postea Spoletanus Cardina-  
 lis, 63-65, 70, 71, 73.  
 Corna (Corneus), Hippolytus de la, Perusi-  
 nus Episcopus, 63.  
 Correa, P. Antonius, 563, 597.  
 Correa, Franciscus, 561.  
 Correa, Petrus, 622.  
 Correa, P. Petrus (loco Antonii), 597.  
 Corriero (alii Carrionero, Gorrionero),  
 Antonius, in Complutensi Academia  
 Abbas major et Cancellarius, Episcopus  
 designatus Almeriae, 557.  
 Corsicae Praefectus generalis, Vide Orsini.  
 Costa, Antonius de, Vide Acosta (postea  
 de Costa).

Costa, Eduardus da (Duarte da), Brasiliae  
 Gubernator, 632, 638.  
 Cotta, P. Melchior, 575, 584.  
 Couderc, P. Joannes Baptista, 15.  
 Coudrey (Codretus, Coudretus), P. Anni-  
 bal du, Messanensis Collegii S. J. Re-  
 ctor, 181, 192, 193, 203, 205, 220, 221, 223.  
 Coudrey (Codretus, Couiretus), P. Ludo-  
 vicus du, Florentini Collegii S. J. Re-  
 ctor, 22, 94, 95, 97, 98, 100, 101, 104.  
 Cousin, Joannes, 818.  
 Couto, Didacus de, 650.  
 Cramaud, Simon de, Rhemensis Archiepi-  
 scopus, 12.  
 Crespo Marmolejo, Joannes, 509.  
 Crevier, Joannes Baptista Ludovicus, 12  
 324.  
 Crispi, Tiberius, Cardinalis, 45, 357.  
 Crispolti, Caesar, 62, 67, 71, 72.  
 Croce, Joannes Andreas, Tyburtinus Epi-  
 scopus, 55, 57.  
 Croce, Lucius, 55.  
 Croce, Marcus Antonius, Tyburtinus Epi-  
 scopus, 55.  
 Cromer, Martinus, 248, 249.  
 Croy, Robertus de, Cameracensis Episco-  
 pus, 310, 311, 315.  
 Crucigerorum Ordinis Magister Genera-  
 lis, Vide Brus (De Muglitz).  
 Cruger, P. Georgius, Vide Kruger.  
 Cuenca, P. Hieronymus de, 545, 607, 640,  
 641, 646, 654, 682, 689.  
 Cueva, Alphonsus de la, Guletae Dux, 205.  
 Cueva, Bartholomaeus de la, Cardina-  
 lis, 10.  
 Cujus, Joannes Dominicus de, Cardina-  
 lis, 59.  
 Cynthia, Lucius, 59.  
 Cyprianus (alias Cebrian), P. Alphonsus,  
 663, 672, 682-684.  
 Cyrillus, P. Petri Canisii socius, 238.

## D

Daniel propheta, 324, 356.  
 Davalus, Alanus, 320.  
 David, Aethiopiae Rex, Vide Lebna Den-  
 guil.  
 David, Rex et Propheta, 523, 686.  
 Davidicus, Laurentius, 73.  
 Dávila (alias de Avila), Ludovicus, Com-  
 mendatarius Major Alcantarae, Caroli V  
 Imperat. legatus in Urbe, 540.  
 Dávila, Stephanus, II Comes del Risco,  
 540.  
 Dawant (Avantianus), Erardus, 228, 237.

Delanoy (De Lanoy, Launoy), P. Nicolaus, Viennensis Collegii S. J. Rector, 8, 12, 163, 225, 227, 228, 234, 236-239, 247, 260, 262, 271.  
 Deleltosa, II Comitissa de, Vide Monroy et Aysia.  
 Delfinus, Zacharias, Pharensis Episcopus, Apostolicus Nuncius in Germania, 84, 96, 87, 173, 240, 246, 253, 265, 268.  
 Delplace, P. Ludovicus, 36, 41, 243, 267, 300, 305, 306, 317, 319, 390.  
 Demochares, Dr., Vide Monchi.  
 Denis, Marchio de, Vide Sandoval et Rojas.  
 Denis, P. Michael, 271, 272.  
 Derfin, P. Joannes, 236.  
 Despence (vel D'Espence), Claudius, postea Parisiensis Academiae Rector, 321, 322.  
 Despuig, Michael, Urgellensis Episcopus, 383, 384.  
 Diaeta Augustana, 27, 36, 37, 99, 125, 201, 254, 256, 265.  
 Diago, Franciscus, O. P., 408.  
 Diaz, Fr. Alexius, 665.  
 Diaz, Fr. Antonius, 721.  
 Diaz, P. Balthazar, Goënsis Collegii S. J. Rector, 560, 649-656, 662, 665.—Indiae Viceprovincialis, 600, 664, 673, 679.  
 Diaz, Didacus, Legatus Portugalliae ad Regem Aethiopiae, 690, 705.  
 Diaz, Fr. Joannes, 518.  
 Diaz, Fr. Melchior, 711.  
 Diaz, P. Petrus, 613.  
 Diaz Ballesteros, Michael, 462.  
 Diaz Vara Calderon, Gabriel, 9.  
 Dillingensis Academiae Rector, Vide Rosendallus.  
 Diodorus Siculus, 215.  
 Dyonisius, P. Henricus, 262.  
 Dioscorus, Alexandrinus Episcopus, haereticus, 698, 700.  
 Dirachius vel Dirsius, Joannes, Vide Dyrsius.  
 Doctis, Gaspar de, Lauretanae domus Gubernator, 42, 43, 73, 74, 79, 80, 83-85, 89-93.  
 Domenech, P. Hieronymus, Siciliae Praepositus Provincialis, 5, 13, 42, 184, 185, 187-189, 193-197, 200, 201, 204, 211-219, 221-223, 300.—Valentini Collegii S. J. Rector, 1532, 359.  
 Domenech, P. Petrus, Septimancensis domus S. J. Rector, 433, 434.  
 Domenech, Petrus, Villae Beltrami Abbas, 879, 380, 617.  
 Drews, Paulus, 260, 305.  
 Druffel, Augustus von, 37, 260, 549.

Du Cange, Dominus, Vide Dufresne.  
 Duarte (alias Ribeiro), Josephus, 608, 611, 640, 642-645, 654.  
 Dueñas, Matthaeus de, 423.  
 Dueñas, Rodericus de, 423.  
 Dufresne, Carolus, Dominus du Cange, 138, 281, 341, 520, 554.  
 Dugast, Robertus, 587.  
 Dumont, Dominus de, Galliae Reginae a libellis et consiliarius, 823, 828, 332, 335.  
 Dupont (Pontanus), P. Eleutherius, 45, 193, 219, 223.  
 Duppeda, Auxiliensis (Aix) Senatus Praeses, 354.  
 Durantibus, Durantes de, Cardinalis, Brixiensis Episcopus, 263.  
 Dyrsius (Dirschius, Dirsius, Durschius, Thyrsius), Joannes, 227.

## E

Eboli, Princeps de, Vide Mendoza et la Cerda.  
 Eborensis Archiepiscopus, Vide Henricus.  
 Eborensis Collegii S. J. Rector, Vide Sousa, P. Michael.—Id. Barrow.  
 Eck, Joannes, 263.  
 Eck, Leonardus ab, 260.  
 Eck, Simon Thaddaeus, 260, 261.  
 Eysengrein, Gulielmus, Vide Eysengrein.  
 Eitzing, von, 244.  
 Eitzing et Schrattenthal, Christophorus Freiherr zu, 244.  
 Elche, I Marchio de, Vide Cárdenas et Pacheco.  
 Elderen (Stevordianus), Gulielmus, 230.  
 Eleonora, Hispaniae Infans, Philippi I filia, 548.  
 Eleonora, Joannis II, Lusitaniae regis, uxor, 570.  
 Eleonora, Lusitani Regis Emmanuelle primum, postea Francisci I Galliae Regis, uxor, 315.  
 Elisabeth, Hispaniae Infans, Philippi I filia, 548.  
 Elisabeth I, Hispaniae Regina, cognomento *la Católica*, 323, 494, 509, 533, 546.  
 Elisabeth, Lusitaniae Infans, 40, 609.  
 Emerius (de Bonia?), Vide Hemerius.  
 Emmanuel, Lusitaniae Rex, 3, 5, 567, 699.  
 Ennen, Leonardus, 283.  
 Enriquez (alias Anriquez, Henriquez), P. Henricus, 650, 653, 662, 663, 672, 679-682.  
 Enriquez, P. Franciscus, 665, 669.  
 Enriquez, P. Leo, Conimbricensis Collegii S. J. Rector, 582, 585, 586, 596, 605.



Enriquez, Theresia, O. S. Clarae, Marchionissae de Priego soror, 533, 542.  
 Erasmus, Desiderius, 163.  
 Ericus, Dux, 197. — Ejus uxor, 197.  
 Esche (Schius), Nicolaus van, 298.  
 Espence, Claudius d', 12.  
 Espina, P. Joannes Baptista, 305, 366.  
 Este, Aloysius de, Ferrariensis Episcopus, 180, 192, 194, 196, 198, 141, 336.  
 Este, Anna de, Ducis de Guise uxor, 836.  
 Este, Hercules II de, Ferrarias Dux, 46, 47, 130, 135, 137, 138, 140, 141, 146, 147, 149-155, 336.  
 Este, Hippolytus de, Ferrariensis Cardinalis, 46, 52, 54, 56-59, 117, 141.  
 Estrada (Strada), P. Franciscus de, Aragoniae Praepositus Provincialis, 5, 300, 359, 369, 377-379, 381-388, 402, 434.  
 Eugenius IV Pontif., 14, 610.  
 Eva, 700.  
 Eysengrein (vel Eisengrein), Gulielmus, 272.  
 Eystettensis Episcopus (1539-1552), Vide Hutten.  
 Ezechiel propheta, 683.

## F

Faber, Aegidius, 296, 297.  
 Faber, P. Joannes Philippus, Vide Leernus.  
 Faber, P. Petrus, Vide Fèvre.  
 Fabritius, Josephus, 44.  
 Fabritius de Bazas, Arnoldus, 588.  
 Faraon, Petrus, 192, 193.  
 Farnese, Alexander, Cardinalis, Montis Regalis Archiepiscopus, 9, 21, 59, 65, 68, 208, 249-254, 358, 359.  
 Farnese, Constantia, 45.  
 Farnese, Rainuccius, Sancti Angeli Cardinalis, Ravennatensis Archiepiscopus, 79, 153, 154, 156 — Ejus soror, 79.  
 Fasciardus (Fajardo, Faxardo?), Joannes Dominicus, 173.  
 Fasella, Stephanus, Vide Frisella.  
 Fazio (Fatius), P. Julius, 113, 173.  
 Felachas vel Falachas, pars populorum Agas dictorum, in Aethiopia, 106.  
 Feltre de la Rovere, Guidobaldus, Urbini Dux, 93.  
 Feltre de la Rovere, Julius, Urbini Cardinalis, 93.  
 Ferdinandus, Austriae Archidux, Ferdinandi I filius, 233, 243, 247-252, 257-259.  
 Ferdinandus, Hispaniae Infans, Philippi I filius, 518.  
 Ferdinandus I, Romanorum Rex, Germaniae Imperator, 27, 28, 32, 34, 36-38, 44, 227, 229, 232-237, 241-247, 250, 252-254, 253, 259, 262-264, 266, 267, 270, 271, 273, 274, 278, 287, 315. — Ejus uxor, Vide Anna.  
 Ferdinandus II, Siciliae Rex, 206.  
 Ferdinandus III, Sanctus, Castellae et Legionis Rex, 494.  
 Ferdinandus V, Hispaniae Rex, cognomento *el Católico*, 382, 494, 509, 546.  
 Fernandez Sardinha, Petrus, Sancti Salvatoris (in Brasilia), Episcopus, 618, 638.  
 Fernandez, Fr. Alphonsus, Genuae, 108.  
 Fernandez, Alphonsus, novitius, Neapoli, 176.  
 Fernandez, Alphonsus, placentinus, 458.  
 Fernandez, Andreas, 40, 600.  
 Fernandez, Fr. Antonius, 674.  
 Fernandez, P. Emmanuel, lusitanus (+ 1555), 574, 576, 577.  
 Fernandez, P. Emmanuel, lusitanus, comes Patris Oviedo, Aethiopiae Patriarchae, 607, 610, 641, 647, 654, 661, 662, 665.  
 Fernandez, P. Gaspar, 439.  
 Fernandez, Fr. Hieronymus, 674.  
 Fernandez, Joannes, 488.  
 Fernandez, Fr. Joannes, 724, 725, 728, 729.  
 Fernandez, P. Urbanus, 599, 600.  
 Fernandez Coutinho, Vascus, brasiliensis regionis Spiritus Sancti Gubernator, 634, 635.  
 Fernandez de Almeyda, Didacus, Prior de Ocrato, 533.  
 Fernandez de Cabrera et Bobadilla, Petrus, II Comes de Chinchon, Orator extraord. Philippi II Regis Angliae, in Urbe, 23.  
 Fernandez de Córdoba, Catharina, Marchionissa de Priego, 527, 528, 530, 532, 542.  
 Fernandez de Córdoba, Gundisalvus, III Dux de Sessa, 548.  
 Fernandez de Pineda, Franciscus, 486.  
 Fernandez de Velasco, Ignigus, Castellae Comes Stabillis, II Dux de Frias, 364, 552.  
 Fernandez de Velasco, Petrus, Castellae Comes Stabillis, 364, 435.  
 Ferrari, Philippus, 37, 219, 295, 298, 463, 643, 647, 688.  
 Ferrariensis Cardinalis, Vide Este, Hippolytus de.  
 Ferrariensis Collegii S. J. Rector, Vide Pelletier.  
 Ferrariensis Ducis filiae, 132.  
 Ferrariensis Ducis secretarius, Vide Moschus.  
 Ferrariensis Ducis soror, 132.  
 Ferrariensis Dux, Vide Este, Hercules II de. — Ejus uxor, Vide Renata.

Ferrariensis Episcopus, Vide Este, Aloysius de.  
 Ferrariensis Vicarius, 129, 141.  
 Fesae Rex, 500.  
 Fèvre (Lefèvre, Faber), P. Petrus le, 296, 300, 558.  
 Fieschi, Alexander, 155.  
 Figueiredo, Melchior, 709.  
 Filia, Antonius, 221.  
 Filiarchi, Dr. Joannes Baptista, 114.  
 Finario, Joannes, Generalis Magister O. P., 89.  
 Fiorabelli (alias Fioribello, Fioribelli), Antonius, postea Lavelli Episcopus, Pauli IV Pontif. secretarius, 169.  
 Firandi Rex, Vide Taquanombo.  
 Florentiae Dux, Vide Medicis, Cosmus I de.—Ejus uxor, Vide Toledo.  
 Florentini Collegii S. J. Rector, Vide Coudrey.  
 Florentinum concilium, 610.  
 Florentinus Archiepiscopus, Vide Antonius.  
 Florentinus Vicarius, Vide Pretis de Consilio.  
 Floris (Goudanus), Nicolaus, 226, 238, 262, 272, 274.  
 Fluviá, P. Franciscus Xaverius, 50, 59.  
 Folch, Joannes, IV Comes de Cardona, Sicilliae Pro-rex (1476), 215.  
 Fonseca, Antonius de, Pamplonensis olim Episcopus, Regii Consilii Praeses, 434, 435, 437, 458, 469, 461.  
 Fonseca, P. Petrus de, 591, 595.  
 Fonseca et Acebedo, Alphonsus, Vide Acebedo et Zúñiga.  
 Fontana, Alexius, Caroli V Imperatoris secretarius, 291, 297, 312, 318, 315, 317-319.  
 Fontana, Bartholomaeus, 141, 386.  
 Fontana, Hieronymus, 148.  
 Forestier (post ingress. in Societatem *Syriaster*), Jacobus, 323, 334.  
 Fort, Carolus Raymundus, 383.  
 Foscarari, Aegidius, O. P., Mutinensis Episcopus, 137, 140, 146-149, 153.  
 Francavilla, Dux de, Vide Hurtado de Mendoza.  
 Francha, Alphonsus de, 694.  
 Francisca Romana, Sancta, 9.  
 Franciscus, Alexander, 352, 353.  
 Franciscus, Anconitanus Doctor, 128, 135, 136.  
 Franciscus (antea Hercules), Dux de Alençon, Galliae Legatus extraordin. in Urbe, 23.  
 Franciscus I, Galliae Rex, 815.  
 Franco, P. Antonius, 576, 583, 589, 595, 604, 608, 609.

Fresneda, Fr. Bernardus de, O. S. Fr., Conchensis Episcopus ac Cordubensis, Philippi II confessarius, 390.  
 Freux (Frusius, de Frusis), P. Andreas, Rector Collegii Germanici S. J. Romae, 12, 24, 242.  
 Freyberg, Maximilianus Freiherr von, 255, 261.  
 Freyre, Fr. Fulgentius, 650, 685, 687.  
 Frias, II Dux de, Vide Fernandez de Velasco.  
 Fricius, Andreas, Vide Frycz.  
 Frind, Ant., 259.  
 Frisella (alias Fasella), Stephanus, 216, 217.  
 Froes, P. Ludovicus de, 721, 723, 731.  
 Frusius, de Frusis, P. Andreas, Vide Freux.  
 Frycz (Fricius), Andreas, Secretarius regius, 248.  
 Fuster, Jacobus, 373.

## G

Gachard, Ludovicus Prosper, 313-315.  
 Gago, P. Balthasar, 722, 724, 726, 729, 730, 731.  
 Galindus, Mag., 479.  
 Galliae Admirallus, Vide Bracamonte.  
 Galliae Marescalcus, Vide La Barthe.  
 Galliae Regina, Vide Eleonora.  
 Galliae Rex, Vide Franciscus I.—Id. Henricus II.  
 Galliae Superior S. J., Vide Broet.  
 Gallo, Joannes, Legatus Philippi II in Urbe, 418.  
 Galvanelli, P. Andreas, 62, 65.  
 Gama, Eduardus de, 721, 727.  
 Gambarus, P. Joannes, 91.  
 Gamero, Joannes, Valentini Collegii S. J. Rector, 359.  
 Gams, Pius Bonifacius, O. S. Ben., 55, 296, 390, 407, 497, 525, 557.  
 Gandavensis Episcopus, Vide Lind.  
 Gandia, V Dux de, Vide Borja, Carolus de.  
 Gandiensis Collegii S. J. Rector, Vide Coriesses.  
 Garzonis, Aloysius de, 163.  
 Gasca (alias *de la Gasca*), Petrus, Palentinus Episcopus, antea Peruviae Prorex, 435, 541.  
 Gaspar, Fr., O. P., 728.  
 Gasser (Gassarus), Achilles Pirminius, 259.  
 Genebrard, Gilbertus, O. S. Ben., Aquis (Aix) Archiepiscopus, 16.  
 Generalis Magister O. P., Vide Finaris.

- Generalis Praepositus S. J., Vide Aqua viva.
- Gennaro, Fabritius, 171.
- Genuensis Archiepiscopus, Vide Sauli.
- Genuensis Collegii S. J. Rector, Vide Loarte.—*Id.* Soldevilla.
- Genuensis Collegii S. J. Superintendens, Vide Gomez de Montemayor.—*Id.* Viola.
- Genuensis Episcopus suffraganeus, 103, 107-112.
- Genuensis Reipublicae Dux, Vide Pinello.
- Georgius, lusitanorum Ambolni Praefectus, 710.
- Georgius, P. Marcus, Vide Jorge.
- Gerardin, P. Desiderius, 204.
- Germaniae Imperator, Vide Carolus V.—*Id.* Ferdinandus I.—*Id.* Maximilianus I.
- Gerson, Joannes Charlier de, 225.
- Gerundensis Episcopus electus, Vide Arias Gallego.
- Gesso (Gipso), vel Jesse, Maria del, 137.
- Gesti, P. Joannes, 379, 384, 385.
- Gewaerts vel Gewarts, Martinus (Stevordiensis vel Stevordianus), 237, 232.
- Giannone, Petrus, 115, 180.
- Gibraleon, IV Marchio de, Vide Zúñiga et Sotomayor, Alphonsus de.—*Ejus* uxor, Vide Córdoba et Figueroa, Francisca de.
- Giennensis Episcopus, Vide Pacheco, Franciscus.—*Id.* Tavera.
- Giglio (Lilius), Thomas, Soranus Episcopus (1561-1577), 128.
- Giglio (Lilius) et Fantuccia, Margarita, Sorani Episcopi soror, 127, 128.
- Gil de Zárate, Antonius, 509.
- Gipso, Maria, Vide Gesso.
- Giraldi, Cynthus Joannes Baptista, 140.
- Giron de Alarcon, Alphonsus, Dominus oppid. Albadalejo et Piqueres, 556.
- Giustiniani, Michael, 52.
- Gilricis, Albertus Dolminus de, Vegiensis Episcopus, 268, 267.
- Glöckler, L. G., 254.
- Gnieto, Joannes Ignatius, Vide Nieto.
- Goënsis Collegii S. J. Rector, Vide Díaz, P. Balthasar.—*Id.* Gomez, P. Antonius.
- Goes, Aegidius, 721.
- Goes, Petrus de, 631, 638.
- Goes, Fr. Stephanus de, 712, 721.
- Gomez, P. Antonius, Goënsis Collegii S. J. Rector, 678.
- Gomez, P. Cornelius, Congi Superior, 613-615.
- Gomez, P. (Ferdinandus?), 422.
- Gomez, P. Franciscus, 524, 527.
- Gomez Bravo, Joannes, 524, 525.
- Gomez de Montemayor, P. Emmanuel, Genuensensis Collegii S. J. Superintendens 86, 111, 112.
- Gomez de Silva, Rodericus (Ruy), Comes de Melito, 23, 29, 318, 390, 400.
- Gonçalves da Camara, P. Ludovicus, 17, 22, 25, 26, 40, 50, 116.
- Gonzaga, Elisabeth, Vasti Marchionissa, 174.
- Gonzaga, Ferdinandus de, 98.
- Gonzaga, Hercules, Cardinalis Mantuae, 59, 62.
- Gonzalez, P. Andreas, 545, 607, 610, 646.
- Gonzalez, P. Gundisalvus, Cordubensis Collegii S. J. Rector, 485-487, 493, 498, 501, 521, 524, 525, 528, 531, 532, 551.
- Gonzalez Dávila, Aegidius, 388, 407, 497, 533, 531.
- Gonzalez de Camara, Vide Gonçalves da Camara.
- Gonzalez de Mendoza, Petrus, Cardinalis, *El gran Cardenal* dictus, 261.
- Gonzalez de Villasiimplex, Alduncia, 402.
- Gonzalez de Villasiimplex, Joannes Ludovicus, Aragoniae Conservator iudex, 397, 401.
- Gorriñero, Antonius, Vide Corriñero.
- Gothein, Everardus, 259, 283.
- Goudanus, Nicolaus, Vide Floris.
- Goutte (Guttanus), P. Joannes, 203.
- Gouvea, Andreas de, Burdigalensis Collegii, *de Guyenne* dicti, Praeses, 588, 590.
- Gouvea, Jacobus (vel Didacus), senior, 587.
- Gobierno, P. Michael, Valentini Collegii S. J. Rector, 359, 363, 364, 367, 537.
- Gozzadina, Violante, 127.
- Grana (allis da Gram), P. Ludovicus de, 618-620, 627-635.
- Granada, Fr. Ludovicus de, O. P., 417.
- Granatensis Academiae Rector, 514.
- Granatensis Archiepiscopi Vicarius, 510.
- Granatensis Archiepiscopus, Vide Guerrero.
- Granatensis regni Prorex, Vide Lopez de Mendoza.
- Grandidier, Philippus Andreas, 254.
- Gregorius XIII Pontif., 13, 14.
- Grisonius, Annibal, 167.
- Gropillus, P. Gaspar, 161.
- Gropperus, Dr. Joannes, 267, 283.
- Grouchy, Nicolaus de, 588.
- Guardianus Franciscanorum Caesaraugustae, Augustinianorum iudex Conservator, 395-397, 399, 403, 404, 406.
- Guarengi, Pauli IV Pontif. secretarius, 169.
- Guarín, P. Jacobus (Jaime), 367.
- Guarino vel Guarini (Varinus, Verinus), Michael, 120.

Guazalotri (vel Guazalotti), Philippus, archipresbyter Pratenſis 98, 104.  
 Guerente, Guilhelmus, 588.  
 Guerrero, Petrus, Granatensis Archiepiscopus, 507, 508, 510, 512-515, 528.  
 Guevara, Josephus de, 482.  
 Guidonis, (Guido?) de, 55.  
 Guillelmas et Gallano, Ferdinandus, 500, 501, 505.  
 Guimera, Fr. Josephus, 367.  
 Guiraldo, Franciscus, 41.  
 Guiscardus, Robertus, Dux, 214. — Ejus uxor, Vide Sichelgaita.  
 Guise, Carolus de, Cardinalis Lotharingus. 11, 12, 321-323, 326, 332, 335, 336, 358.  
 Guise, Franciscus de, Dux de Guise, 141, 336. — Ejus uxor, Vide Este, Anna de.  
 Guletae Dux, Vide Cueva.  
 Guilhelmus, Abbas S. Theoderici (S. Thierri) postea monachus signiacensis, 688.  
 Guilhelmus IV, Bavariae Dux, 260.  
 Guilhelmus V, Bavariae Dux, 255.  
 Guilhelmus V, Juliacensis Comes, 233.  
 Gurcensis Episcopus, Vide Oesterreich.  
 Gustá, P. Franciscus, 184.  
 Gutierrez, Fr. Joannes, 485.  
 Gutierrez, P. Martinus, 413, 414, 416, 419.  
 Gutierrez de Ayala, Josephus, 418.  
 Guttanus, P. Joannes, Vide Goutte.  
 Guzman, Anna a Cruce, IX Comitiss de Niebla filia, 500.  
 Guzman, P. Didacus de, 17, 42, 96, 102, 103.  
 Guzman, Henricus de, II Comes de Olivares (*Onoratus*), Siciliae Prorox, 216.  
 Guzman, P. Ludovicus de, 722.  
 Guzman, Martinus de, 266.  
 Guzman, Petrus de, I Comes de Olivares, 486, 504.  
 Guzman el Bueno, Joannes Alphonsus de, Dux de Medina Sidoris, Comes de Niebla, 498, 500-506, 538, 555.

## H

Habacuc, proph., 356.  
 Hadrianus VI Pontif., Vide Adrianus.  
 Halévy, Josephus, 706.  
 Halifax de Sacro Bosco (Sacro Busti in textu), Joannes, 564.  
 Hamelens, Oliverius, 320.  
 Hammont (Hammontanus), Gerardus, Vide Kalekrenner.  
 Hamy, P. Alfredus, 216.  
 Hansen, Josephus, 10, 197, 227, 230, 266, 275-277, 282-285, 287, 296, 297.  
 Haugvitiun, Baro, 226.

Hees (Hexius), P. Arnoldus van, 239, 291, 298-296.  
 Hees (Hexius), Theodoricus van, 296.  
 Hefele, Carolus Joseph von, 258.  
 Helmi, P. Caesar, Veneti Collegii S. J. Rector, et Patavini Superintendens, 165, 167-169.  
 Hemerius vel Emerius (de Bonis?), 158, 160, 161, 163, 169.  
 Henricus, Antoninus de, 50.  
 Henricus, P., hispanus, 223.  
 Henricus, Eborensis Archiepiscopus, Cardinalis, Lusitaniae Princeps, Legatus Apostolicus a latere, et supremus in Lusitania Inquisitor, 558, 559, 561, 568, 571, 573, 578-582, 589, : 94, 602-604, 607, 608, 610, 612, 613. — Portugalliae Rex, 594.  
 Henricus II, Galliae Rex, 12, 41, 116, 141, 322, 326, 330, 332, 336, 350, 354, 356, 358.  
 Henricus VI, Siciliae Rex, 214.  
 Henriquez, Vide Enriquez.  
 Herbipolensis Episcopus, Vide Zobel.  
 Herculano de Carvalho et Araujo, Alexander, 608.  
 Hercules, postea Franciscus dictus, 135, 146.  
 Heredia, P. Antonius de, 659, 683, 689.  
 Heredia, P. Franciscus de, 452.  
 Hergenröther, Joannes de, Cardin., 258.  
 Hermes, Mag. (Hermes le Clerc?), 317.  
 — Ejus frater, tornacensis canonicus, 317.  
 Hernandez (alias Fernandez), Alphonsus, 176.  
 Hernandez, P. Bartholomaeus, Salmanticensis Collegii S. J. Rector, 410, 411, 415, 417, 418.  
 Hernandez, P. Paulus, 485, 488.  
 Herp (in textu Herk), Henricus, 288.  
 Herrera, Barbara de, 413.  
 Herrera, Gundisalvus, 691.  
 Herzog, Bern., 254.  
 Hervas, Gundisalvus de, 411.  
 Hexius, P. Arnoldus, Vide Hees.  
 Hierapolitanus Episcopus, Vide Oviedo.  
 Hieronymus, Fr., 65.  
 Hinojosa, Eduardus de, 399.  
 Hipponensis Episcopus, Vide Petrus.  
 Hispalensis Archiepiscopatus Visitator, Vide Cebadilla.  
 Hispalensis Archiepiscopi Vicarius, Vide Cervantes de Salazar.  
 Hispalensis Archiepiscopus, Vide Valdes.  
 Hispalensis domus S. Pauli, O. P., Prior, Vide Calvo.  
 Hispaniae Gubernatrix, Vide Joanna.  
 Hispaniae Infans, Vide Carolus. — *Id.* Ferdinandus. — *Id.* Catharina. — *Id.* Eleonora. — *Id.* Elisabeth. — *Id.* Maria.

Hispaniae Princeps, Vide Carolus.  
 Hispaniae Regina, Vide Elisabeth I.—*Id.*  
 Joanna.  
 Hispaniae Rex, Vide Ferdinandus V.—  
*Id.* Philippus I.—*Id.* Carolus V Impera-  
 tor.—*Id.* Philippus II.  
 Hogan, P. Edmundus, 27, 312.  
 Honorius II Pontif., 55.  
 Hont, Cornelius de, 318.  
 Hooghstraeten, Comitissa de, 298, 294.  
 Hosius (alias Osius), Stanislaus, Varmien-  
 sis Episcopus et Cardin., 37, 248, 249.  
 Hostovinus (Hostounsky), Balthasar, 25.  
 Hund, Wiguleus, Ingolstadiensis Aca-  
 demiae Superintendens, 240, 255, 260, 261.  
 Hungariae Regia, Ludovici II, uxor, Vide  
 Maria.  
 Hurtado de Mendoza, Andreas, II Marchio  
 de Cañete, Peruviae Prorex, 541.  
 Hurtado de Mendoza, Didacus, primum II  
 Comes de Melito, postea Dux de Franca-  
 villa, Aragoniae Prorex, 29, 387, 389, 390,  
 393, 398, 399, 402-404, 407.  
 Hus, Joannes, 249, 251, 252, 257.  
 Hutten, Mauritius von, Eystettensis Epi-  
 scopus (1539-1552), 260.

## I

Ignatius, Fr. Joannes, 221.  
 Indiae Proregina, uxor Petri de Mascare-  
 gnas, Vide Mascarenhas, Eleonora de.  
 Indiae Prorex, Vide Mascarenhas, Petrus  
 de.—*Id.* Barreto.  
 Indiae Viceprovincialis S. J., Vide Diaz,  
 P. Balthasar.  
 Infatado, domus seu familia Ducum del,  
 513.  
 Ingolstadiensis Academiae Superinten-  
 dens, Vide Hund.  
 Innocentius II Pontif., 55.  
 Innocentius III Pontif., 14, 214.  
 Inquisitor Generalis Hispaniae, Vide Val-  
 des.  
 Inquisitor supremus in Lusitania, Vide  
 Henricus.

## J

Jacobus O. P., duo ejusdem nominis Dilin-  
 gensis Academiae professores, 268.  
 Jacobus I, Congi Rex, 613-615.  
 Jacomelli, Caesar, Belcastrensis Episco-  
 pus, 57.

Jaffé, Philippus, 55.  
 Janssen, Joannes, 270.  
 Janvier, Mr., 388.  
 Jarric, P. Petrus, 680.  
 Javier (Xaverius), S. Franciscus, Indiae  
 Praepositus Provincialis, 599, 635, 656,  
 663, 664, 668, 670-673, 679, 682, 715, 716, 722,  
 724.  
 Jephthe, 421.  
 Jeremias proph., 683.  
 Jesse, Maria del, Vide Gesso.  
 Joachim, japo, 731.  
 Joanna, Hispaniae Gubernatrix loco Phi-  
 lippi II ejus fratris, 47, 313, 391, 397-399,  
 402-405, 424, 425, 427, 429, 431, 435, 436, 441-  
 443, 459, 460, 463, 470, 481, 484, 509, 541,  
 544 546, 548, 549, 551, 553.  
 Joanna, Hispaniae Regina, Caroli V ma-  
 ter, 435, 509, 544, 646-549.  
 Joanne, Adolphus, 9, 340, 343, 358.  
 Joannes, bohemus, 25.  
 Joannes, Fr., sabaudus, 181.  
 Joannes, Cellani Rex, 651, 653.  
 Joannes, Pauli a Sancta Fide frater, 710.  
 Joannes, Lusitaniae Princeps, Joannis III  
 filius, 47.  
 Joannes Evangel., Sanctus, 658, 662, 700,  
 702.  
 Joannes II, Portugalliae Rex, 570, 587, 677.  
 Joannes III, Portugalliae Rex, 6, 7, 33, 39,  
 40, 47, 552, 561, 562, 567, 568, 570, 573, 586-  
 609, 611, 613-615, 617, 618, 622-624, 631, 632,  
 638, 645-647, 650, 651, 657, 662, 670 672, 674,  
 675, 679, 692, 693, 695, 696, 698, 699, 704,  
 705, 718.  
 Joannes Ludovicus, nauclerus, 646.  
 Joannes Sans Peur, Burgundiae Dux, 12.  
 Job, Fr., 40, 61.  
 Jofre de Borja, Gaspar, Segobricensis Epi-  
 scopus, 379, 383, 385.  
 Jonas, Jacobus, Cancellarius regius, 32,  
 234, 237.  
 Jordan, P. Joannes, 135, 292, 293, 295, 297.  
 Jorge (Georgius), P. Marcus, 579, 582.  
 Josue, 391.  
 Juan, Angelus de, 192, 193.  
 Juarez, P. Joannes, Vide Suarez.  
 Jubl, Fr. Joannes, O. S. Fr., Constan-  
 tiensis Episcopus, alii Constantinensis,  
 Barcinonensis Episcopi Coadjutor, 368,  
 384.  
 Jullacensis Comes, Vide Guilielmus V.  
 Julius III Pontif., 6, 7, 9, 10, 12, 13, 14, 25-  
 28, 30, 35, 39, 43, 44, 65, 70, 79, 95, 127, 159,  
 173, 194, 212, 240, 260, 263, 283, 311, 321,  
 326, 327, 350, 353, 384, 413, 603, 609, 610.  
 Justinopolitanus Episcopus, Vide Stella.  
 Juvece (Juvencius), P. Josephus, 216;

## K

- Kalckbrenner (Hammont, Hammontanus), Gerardus, Coloniensis Carthusiae Prior, 45, 294, 287, 288.  
 Kany (Canisius), P. Petrus, Germaniae Provincialis, 8, 32, 36, 37, 224, 226-228, 230, 232, 233, 235-238, 240-262, 271-275, 278-283, 296.  
 Kany (Canisius), Mag. Theodoricus, 277-279.  
 Kessel, P. Leonardus, Coloniensis domus S. J. Superior, 10, 230, 275-288, 296.  
 Khuen, Marcus, Vide Kuen.  
 Kleselius, Antonius, 236.  
 Knobbaert, Franciscus (in textu Philip-pus), 300.  
 Koch, M., 230, 244.  
 Kruger (vel Cruger), P. Georgius, 257.  
 Kuen (vel Khuen), Marcus, Olomucensis Episcopus, 236.  
 Kuenburg, Michaël a, Salisburgensis Episcopus, 266.

## L

- La Barthe, Paulus de, Dominus de Ther-mes, Galliae Marecalcus, 360.  
 La Fuente, Vincentius, 390, 407, 458, 497, 509, 557.  
 Labacensis Episcopus, Vide Weber.  
 Labaco, Angelus, 181.  
 Labaco, Antonius, 181.  
 Labra, Joannes, 25.  
 Laetavalle, P. Michaël de, 221.  
 Lalliot, Joannes, 215.  
 Lammens, P. Henricus, 267.  
 Lancillotti, Fr., 40, 61.  
 Lancillotti, P. Nicolaus, 650, 668-665, 671-679, 682, 688.  
 Landini, P. Sylvester, 86, 112.  
 Lauoy, P. Nicolaus, Vide Delanoy.  
 Lansac, Ludovicus, Dominus de Lansac, Legatus Galliae in Urbe, 28.  
 Lanusa, Joannes de, Aragoniae Summus iudex (*Justicia* dictus), 399, 406.  
 Laodicensis Episcopus, Vide Marini.  
 Lapidius (vel Lapidanus), Gerardus, 197.  
 Liso de la Vega et Córdoba, Franciscus, O. P., Placentinus Episcopus, (1720-1738), 488.  
 Lassar (alias Lesart), Antonius de, 320, 333.

- Lasso, Petrus de, 230.  
 Lasso de Castilla, Didacus, legatus Ferdinandi I, Romanorum Regis, Romae, 23, 37, 216, 253.  
 Latassa, Felix de, 377.  
 Latreille, Petrus Andreas, 637.  
 Latron, Comes de, 252.  
 Launoi, Joannes de, 322, 335.  
 Launoy (Launoyus), P. Nicolaus, Vide Delanoy.  
 Laurentius, P. Blasius, Vide Lourenço.  
 Lauretanæ domus Gubernator, Vide Doctis.  
 Lauretani Collegii S. J. Rector, Vide Manare.  
 Lauretani Collegii S. J. Superintendens, Vide Montoya.  
 Lavelli Episcopus, Vide Fiorabelli.  
 Laynez, P. Jacobus, Italiae (citra Romam, Tybur et Neapolim) Praepositus Provincialis, 5, 8, 12, 13, 16, 30, 33-35, 42, 62, 88, 85, 98-100, 102-106, 110, 112, 114, 115, 117, 125, 167, 170, 198, 211, 212, 232, 235, 242, 254, 263-265, 270.  
 Lazarus, Mag., 153.  
 Lazius, Wolfgangus, 271.  
 Lebna Denguil (postea David dictus), Aethiopiae Rex, 699.  
 Ledesma, Fr. Martinus de, O. P., 589.  
 Leernus (postea Faber), P. Joannes Philippus, Mutinensis Collegii S. J. Superior, 140, 142, 144, 145, 147, 148, 152.  
 Lefèvre, P. Petrus, Vide Fèvre.  
 Legatus Aethiopiae Regis ad Emmanuelem, Portugalliae Regem, Vide Matthaeus.  
 Legatus Angliae in Urbe, Vide Pole.  
 Legatus Apostolicus Venetis, Vide Casa.  
 Legatus Apostolicus in Dioceta Augustana, Vide Lipomani.  
 Legatus Apostolicus (Nuncius) in Germania, Vide Morone.—Id. Delfinus.  
 Legatus Apostolicus (Nuncius) in Hispania, Vide Marini.  
 Legatus Apostolicus (Nuncius) ad Imperatorem, Vide Muzzarelli.—Id. Marti-nengo.  
 Legatus Apostolicus (Nuncius) in Polonia, Vide Lipomani.  
 Legatus Apostolicus a latere in Lusitania, Vide Henricus.  
 Legatus Caroli V Imperatoris in Urbe, Vide Dávila (alias *de Avila*), Ludovicus.  
 Legatus Ferrariensis in Gallia, Vide Al-varotti.  
 Legatus Florentiae in Urbe, Vide Ser-ristori.  
 Legatus Galliae in Urbe, Vide Lansac.

- Legatus Galliae extraordin. in Urbe, Vide Franciscus (antea Hercules).
- Legatus Hispaniae in Urbe, Vide Ruiz de Castro et Portugal.
- Legatus Indiae Prorogis ad Regem Sinarum, 662, 722.
- Legatus Philippi II in Urbe, Vide Gallo.—*Id.* Fernandez de Cabrera et Bobadilla.
- Legatus Portugalliae ad Regem Aethiopiae, Vide Diaz, Didacus.
- Legatus Portugalliae in Urbe, Vide Alencastre.
- Legatus Regis Siam, 716.
- Legatus Romanorum Regis in Urbe, Vide Marcus.—*Id.* Scipio.—*Id.* Lasso de Castille.
- Legatus Venetiarum ad Regem Philippum II, Vide Soriano.
- Legatus Venetiarum ad Regem Romanorum, Vide Soriano.
- Leo XIII Pontif., 677.
- Leo Magnus Pontif., Sanctus, 698, 702.
- Leonsberg, Lucretia de, 241.
- Leopoldus, Sanctus, 243.
- Lessart, Antonius de, Vide Lassar.
- Lilius, Thomas, Vide Giglio.
- Lima, Cajetanus de, 570.
- Limburg, Erasmus von, Argentoratensis Episcopus, 87, 254.
- Lind (Lindanus), Gulielmus Damasi vander, postea Ruraemundanus et Gandavensis Episcopus, 268.
- Lingard, Joannes, 35.
- Lipomani, Andreas, Prior SSmae Trinitatis, Venetia (aliquando Antistes vocatus), 162, 163, 165-167, 170, 171, 173.
- Lipomani, Aloysius, Veronensis Episcopus, Legatus Apostolicus in Dieta Augustana, Nuncius in Polonia, 8, 37, 45, 173, 253, 258, 274, 350.
- Loarte, P. Balthasar, 512.
- Loarte, P. Gaspar, Genuensis Collegii S. J. Rector, 17, 42, 102, 110, 111, 118, 114, 116.
- Lobo (Lupus), P. Hieronymus, 688.
- Lombardo, Franciscus, 216.
- Lombardus, Antonius, Mamertinus seu Meisanensis Archiepiscopus, 216.
- Longobardorum Rex, Vide Luitprandus.
- Lope de Alvarado, Garcias, 815.
- Lopez, Fr. Alphonsus, Vide Lopez, Fr. Joannes Alphonsus.
- Lopez, P. Alphonsus, Conchensis Collegii S. J. Rector, 444-447.
- Lopez, Antonius, 378.
- Lopez, P. Christophorus, 448.
- Lopez, Fr. Didacus, 455.
- Lopez, P. Emmanuel, Complutensis Collegii S. J. Rector, 273, 447, 448, 452, 453, 456.
- Lopez, P. Franciscus, 665.
- Lopez, Mag. Gaspar, 465.
- Lopez, Fr. Joannes Alphonsus, 607, 640, 645, 646, 662, 668.
- Lopez de Mendoza, Enocus (Iñigo), Comes de Tendilla, Granatensis regni Prorog, 514.
- Lopez Pacheco, Didacus, Marchio de Villena, 437.
- Lopez Pigafetta, Philippus, 615.
- Loredanus, Dominicus, 167.
- Lotharingus Cardinalis, Vide Guise.
- Lothar, Melchior, 262.
- Lothar, Michael, 262.
- Lourenço (Laurentius), P. Blasius, 633-635.
- Lovaniensis Domus S. J. Superior, Vide Adriaenssens.
- Lucas Evang., Sanctus, 121.
- Lucas, bohemus, 25.
- Lucianus M., Sanctus, 216.
- Ludovicus, Lusitaniae Infans, 40, 561, 569, 573, 579, 589, 601, 604, 608.
- Ludovicus, pharmacopola lusitanus, 22.
- Lugdunensis Archiepiscopus, Vide Turnon.
- Luitprandus, Longobardorum Rex, 138.
- Luna, Asdrubal de (post ingress. in Societ. Joannes, et aliq. etiam Josephus dictus), 192, 193, 195.
- Luna, Petrus de, Bibonae Dux, 198, 193, 195, 202.
- Lupus, P. Hieronymus, Vide Lobo.
- Lusitaniae Infans (vel Princeps, Rex, Regina), Vide Portugalliae Infans, etc.
- Luther (Lutherus), Martinus, 262, 265, 492, 572.

## M

- Macrobius, Ambrosius Aurelius Theodosius, 215.
- Madox, Paschalis, 481, 483, 484, 488, 494, 506.
- Madrid, P. Antonius, 512, 513.
- Madrid, P. Christophorus, 22, 30, 37, 179.
- Madrucci, Christophorus, Tridentinus Cardinalis, 263.
- Magalhães (seu Magallanes), Gaspar de, 696.
- Magdalena, Ferdinandus I, Romanorum Regina, filia, 227.
- Magdalena, Sta. Maria, 304, 358.
- Maggius, Laurentius, 44.

- Mahometus**, 196, 372, 678.  
**Majoricensis Episcopus**, Vide Sanchez de Mercado et Zuazola.  
**Majoricensis Prorex**, Vide Rocafall.  
**Malacae Praefectus**, Vide Noroña.  
**Malavoita**, Prosper, 185, 146.  
**Malvenda** (seu Maluenda), Dr. Petrus de, 319.  
**Mamertinus Archiepiscopus**, Vide Mercurio, Joannes Andreas.—*Id.* Lambertus.  
**Mauare** (Manareus), P. Oliverius, Laurentian Collegii S. J. Rector, 16, 17, 43, 50, 73, 75, 78, 81, 82, 85, 87, 90-94.  
**Mancio**, Dr. Paschalis (alias, sed raro, Paschasius), O. P., 456.  
**Manderscheid-Blankenheim**, Joannes de, Argentoratensis Episcopus, 37.  
**Manrique de Guzman**, Stephanus, Joannis Clarós de Guzman, IX Comitis de Niebla, filius, 505.  
**Manrique de Lara**, Franciscus, primum Auriensis, postea Salmanticensis Episcopus, 558.  
**Mantuae Cardinalis**, Vide Gonzaga, Hercules.  
**Manuel** (in textu Manné), N., 115.  
**Manuel**, P. Joannes, 412.  
**Maquedae II Dux**, Vide Cárdenas et Pacheco.  
**Marcellus II Pontif.**, Vide Cervini, Marcellus.  
**Marcen**, P. Antonius, 452.  
**Marche** (Marchiensis), Thomas, 276.  
**Marco**, Fr. Lupus (Lope), O. S. Bern., Verulensis monasterii Abbas, 391-394, 396, 399, 402-407.  
**Marcos**, Melchior, S. J., 498.  
**Marcus**, Comes ab Arcu, Legatus Ferdinandi, Romanorum Regis, in Urbe, 23, 37.  
**Marcus Evang.**, Sanctus, 702.  
**Maria**, Angliae Regina, 35, 318, 316.  
**Maria**, Belgii Gubernatrix, Caroli V soror, 292, 301, 314, 315.  
**Maria**, Bohemiae Regina, Maximiliani II uxor, Caroli V filia, 229, 230, 233.  
**Maria**, Hispaniae Infans, Philippi I filia, 548.  
**Maria**, Ludovici II, Hungariae Regis, uxor, soror Caroli V Imperat., 315.  
**Maria**, Portugalliae Infans, postea Parmensis Princeps, 609.  
**Maria**, Siciliae Regis, Martini, uxor, 207.  
**Marieta**, Joannes, 458.  
**Marini**, Leonardus, Laodicensis Episcopus, Apostolicus Nuncius in Hispania, 399, 402, 403, 405, 406, 457.  
**Marinus**, Mag., 223.  
**Marquina**, Petrus de, 445.  
**Martelli**, Baccius, 349, 350.  
**Martellini**, typogr., 81.  
**Martii**, Franciscus, 55, 59.  
**Martinengo**, Hieronymus, Apostolicus Nuncius apud Imperatorem Carolum V, 41, 240.  
**Martinez**, P. Petrus, ex oppido Rivasfresca, 513.  
**Martinez**, P. Petrus, ex oppido Vayas, 411.  
**Martinez Guizarro**, vulgo Siliceo (Sillicens), Joannes, Toletanus Archiepiscopus, 390, 554, 555.  
**Martins**, P. Ignatius, 591, 595.  
**Martinus**, Mariae, Reginae Siciliae, conjux (1894), 207, 215.  
**Martires**, Bartholomaeus de los, O. P., Bracarensis Archiepiscopus, 581.  
**Mas-Latrie**, L. de, Comes, 342.  
**Mascarenhas**, Eleonora de, Indiae Proregis uxor, 603.  
**Mascarenhas**, Petrus, Indiae Prorex, 600, 606, 646, 649-651, 654, 660, 692, 675, 685, 688, 695, 696, 698, 706, 722, 723.  
**Mata**, N., 544.  
**Matthaeus**, Legatus Regis Aethiopiae ad Emmanuelem, Portugalliae Regem, 699.  
**Matthaeus Evang.**, Sanctus, 122, 209.  
**Maurocen**, Andreas, 163, 169.  
**Maximilianus I**, Germaniae Imperator, Romanorum Rex, 243, 524, 546.  
**Maximilianus II**, Bohemiae Rex, 229, 230, 235, 240, 241, 248, 244, 247, 278.  
 —Ejus uxor, Vide Maria.  
**Mayer**, A., 271.  
**Mayer**, Manfredus, 255.  
**Mayo**, Andreas de, 215.  
**Mazaræ Episcopus**, Vide Terminus.  
**Mederer**, Joannes Nepomucenus, 267, 261.  
**Medicis**, Cosmus I de, Florentiae Dux, 94, 97, 103, 104.  
**Medicis**, Elisabeth de, 350.  
**Medicis**, Joannes Angelus de, Ragusinus Archiepiscopus, 94.  
**Medina Sidonia**, VI Dux de, Vide Guzman el Bueno.  
 —Ejus uxor, Vide Aragon et Gurrea.  
**Medina Sidonia**, VII Dux de, Vide Perez de Guzman el Bueno.  
**Meinshon**, Philippus, 255.  
**Melito**, Comes de, Vide Hurtado de Mendoza.—*Id.* Gomez de Silva.  
**Mello**, Joannes de, Silvensis Episcopus, communiter Algerbiensis Episcopus dictus, 565, 601.  
**Mello**, Martinus Alphonsus de, Piratininae Praefectus, 625.



- Melo, Balthasar, 112.  
 Membrilla, P. Alphonsus de la, 453.  
 Mena, Dr., medicus, 454.  
 Manchaca, P. Rochus, 247, 258, 652.  
 Mendel, Petrus, 492, 498.  
 Mendes, Antonius, 568.  
 Mendez, Fr. Ferdinandus, 711-713, 721.  
 Mendoza, Alvarus de, 815.  
 Mendoza, Bernardinus de, Neapolitanus  
 Prorex, 179, 180.  
 Mendoza, Cardinalis, *Et gran Cardenal* dictus,  
 Vide Gonzalez de Mendoza.  
 Mendoza, P. Christophorus de, Neapolitani  
 Collegii S. J. Rector, 173, 177-179.  
 Mendoza, Franciscus de, Burgensis Episcopus  
 et Cardinalis, 420, 461.  
 Mendoza, Joannes de, Castellani Novi Neapolitani  
 Praefectus, 27, 177, 312-315.  
 Mendoza et la Cerda, Anna, Princeps de  
 Evoli, 390.  
 Menendez et Pelayo, Marcellinus, 490.  
 Meneses, Fr. Philippus de, O. P., 458.  
 Mercato, Georgius, 203, 221.  
 Mercato, P. Petrus, 203.  
 Mercurien (Mercurianus), P. Everardus.  
 Perusini Collegii S. J. Rector, 61-67, 69,  
 71, 72.  
 Mercurio, Joannes Andreas, Cardinalis,  
 Messanensis Archiepiscopus, 194.  
 Messanensis Archiepiscopi et Cardinalis  
 Vicarius, Vide Ansalonus.  
 Messanensis Archiepiscopus, Vide Mercurio,  
 Joannes Andreas.—*Id.* Lombardus.  
 —*Id.* Cervantes de Salazar.  
 Messanensis Collegii S. J. Rector, Vide  
 Coudrey, P. Annibal du.—*Id.* Vinck.  
 Messanensis ecclesiae Cantor, Vide Ansalonus.  
 Methymnensis Collegii S. J. Rector, Vide  
 Sevillano.  
 Michaël, Fr., Commissarius Inquisitionis,  
 352.  
 Michaud, Joannes, 203.  
 Migne, Jacobus Paulus, 377.  
 Miona, P. Emmanuel, 198.  
 Mirabel, I Marchio de, Vide Zúñiga et Sotomayor,  
 Patrique de.  
 Mirabel, II Marchionissa de, Vide Zúñiga  
 Manuel et Sotomayor, Maria de.  
 Miraeus, Aubertus, 272.  
 Miramonte (Miramon?), Franciscus, 204.  
 Miranda, Franciscus de, Abbas de Salas,  
 439-441.  
 Mirandensis Episcopus, Vide Pinheiro.  
 Miron, P. Didacus, Portugalliae Praepos.  
 Provincialis, postea Valentini Collegii  
 S. J. Rector, 5, 7, 40, 359, 366, 376, 529,  
 552, 559, 560, 562, 566, 574, 580, 582, 586,  
 590-597, 599-605, 612, 613, 615, 617, 642, 654,  
 664.  
 Molfetta, Princeps de, Vide Capua.  
 Molina, P. Ludovicus de, 586.  
 Moluci Praefectus, 710.  
 Moluci Rex, 710.  
 Moluci Vicarius, 709.  
 Monchi (vel Mouchi), Antonius de, Dr. Demochares  
 communiter dictus, 323.  
 Mongiardinus (alias Bongiardinus), Marianus,  
 217.  
 Monroy et Ayala, Beatrix, Comitissa de Oropesa,  
 II Comitissa de Deleitosa, 467, 538, 544.  
 Montañans, Nicolaus, Inquisitor in Majorica  
 insula, 389.  
 Monte, Joannes Baptista de, 136.  
 Monteleone, Dux de, Vide Pignatelli.  
 Monterey, III Comes de, Vide Acebedo et  
 Zúñiga.  
 —Ejus uxor, Vide Pimentel et Velasco.  
 Montes, Reinaldus de, 490.  
 Montigni, Comes de, Vide Montmorency.  
 Montis Regalis Archiepiscopus, Vide Venero  
 et Leyva.—*Id.* Farnese.  
 Montis Regalis Collegii S. J. Rector, Vide  
 Ochoa, P. Sanctus.  
 Montis Regalis Gubernator, 198, 209-211.  
 Montis Regalis Sufraganeus Episcopus,  
 Vide Zambeccario.  
 Montmorency, Florentius de, Comes de  
 Montigny, Tornaci Gubernator, 306-308.  
 Montorius, Comes, Vide Caraffa.  
 Montoya, P. Joannes de, Lauretani Collegii  
 S. J. Superintendens, 90, 91.  
 Monzonis Comitissa, 365.  
 Morales, P. Emmanuel, 599, 600, 663.  
 Morales, Sebastianus de, 595.  
 Moranus, Didacus, Vide Morlanes.  
 Morell Terry, Ludovicus, 546.  
 Morellus, Jacobus, 320, 323, 330.  
 Morlanes (in textu Moranus), Didacus de,  
 401.  
 Morone, Joannes Baptista, Cardinalis,  
 Apostolicus Nuncius in Germania, 8, 10,  
 16, 27, 38, 39, 95, 98, 99, 102, 105, 125, 149,  
 253, 262, 264.  
 Mortagnes (vel Mortagna), P. Joannes, 77.  
 Moschus, de Mosti (Musto?), Augustinus,  
 Ferrariensis Ducis secretarius, 47, 141.  
 Moscoso, Alvarus de, Pamphonensis Episcopus,  
 461.  
 Mosquera, Dr. Joannes de, Commendatarius,  
 429-431, 461, 556.  
 Mosti, Augustinus de, Vide Moschus.  
 Motulensis Episcopus, Vide Rebiba.  
 Mouchi, Antonius de, Vide Monchi.

Moya de Contreras, Adicius, Vicecomes  
Episcopus, 378.

Moyssus, 270.

Mudarra, Franciscus, 100.

Müller, Henricus, 254.

Muñoz, Linus, 314.

Muñoz, P. Ludovicus, 458.

Muñoz, Ludovicus, communiter Licentia-  
tus Muñoz dictus, 478, 511, 534.

Muñoz et Romero, Thomas, 377.

Murcia, Didacus de, O. S. Hier., Conimbric-  
ensis Academiae Rector, 598.

Musto, Augustinus, Vide Moschus.

Musto (Moschus?), Augustinus, 47.

Mutiniensis Collegii S. J. Superintendens,  
Vide Pelletier.

Mutiniensis Collegii S. J. Superior, Vide  
Leernus.

Mutiniensis Episcopus, Vide Foscarari.

Mutiniensis Gubernator, Vide Rangone.—  
Hujus successor, 137, 152, 158.

Mutiniensis Vicarius, 145.

Mazzarelli, Hieronymus, Apostolicus Nun-  
cius ad Imperat., Consensus Archiepisco-  
pus, 318, 319.

Myrto, Fr. Vincentius a, O. P., 188.

## N

Nactandonus, Naetandonus, Vide Naintan-  
donus.

Nadal (Natalis), P. Hieronymus, 8, 16, 22,  
27, 29, 30, 32, 36, 41, 69, 95, 99, 179, 219,  
262, 297.—Commissarius in Italia, 102,  
113, 114, 116-119, 123, 127, 128, 187, 140  
150, 156, 162, 164, 165, 168-170.—Visitator  
in Germania, 223-227, 237, 240, 245, 247,  
263-267, 269-272, 274.—Visitator in Hspa-  
nia et Portugallia, 429, 456, 527, 529, 539,  
556, 574, 598.

Nadasi, P. Joannes, 54, 365.

Nagio, vel Naggio, Doymus, Vide Nascio.

Naintandonus (alias Nactandonus, Naetan-  
donus), 730.

Napi, P. Aloysius, 161.

Nascio (alias Nagio, Naggio), Doymus, 48.

Natalis, P. Hieronymus, Vide Nadal.

Navarrae Prorex, Vide Cárdenas et Pa-  
checo.

Navarro, P., Vide Azpilcueta.

Navarro, P. Petrus, 507-512, 519.

Neapolitanae archidioscesis Administra-  
tor, Vide Pavesius.

Neapolitanae ecclesiae Decanus, 175.

Neapolitani Collegii S. J. Rector, Vide

Mendoza, P. Christophorus de.—*Id.* Sa-  
meron

Neapolitanus Prorex, Vide Alvarez de To-  
ledo, Ferdinandus.—*Id.* Afan de Rivera.  
—*Id.* Mendoza, Bernardinus de.—*Id.* Pa-  
checo, Franciscus.

Nepos, Joannes Ignatius, Vide Nieto.

Nevera, Comes de, Vide Philippus.

Nicaenum Concilium, 700.

Nicaenus Episcopus, Vide Caraeiro

Nicolaus, Sanctus, 423.

Nicolini, Mag. Angelus, 104.

Nicolini, nomen datum membris S. J. Mem-  
brans, 187.

Niebla, Comes de, Vide Guzman el Bueno.

—Ejus uxor, Vide Aragon et Gurrea.

Niebla, Comes de, Vide Claros de Guzman.

—Ejus uxor, Vide Sotomayor.

Nieremberg, P. Joannes Eusebius, 264, 366,  
513, 524, 556, 727.

Nieto (alias Nepos, Gnfeto), Joannes Igna-  
tius, 146, 148.

Niger, P. Joannes, 134, 136.

Nobre, Franciscus, 646.

Nobrega, P. Emmanuel, Brasiliae Praepo-  
situs Provincialis S. J., 5, 617, 618, 620  
624, 630-632, 634, 636-639.

Nobrega, P. Michael de, 669.

Nogueira, P. Fructuosus, 614.

Nonell, P. Jacobus, 401.

Nores, Petrus, 23, 47.

Noroña, Antonius de, Malacae Praefectus  
711.

Novaes, Josephus de, 15, 16, 26, 48, 45, 100.

Noviomagensis Decanus, 281, 288.

Nunez, Fr. Balthasar, 665.

Nunez, P. Leonardus, 618, 623.

Nunez, Marcus, 603, 611, 640, 654, 665.

Nunez, P. Melchior, 643.—Indiae Praepo-  
situs Provincialis S. J., 5, 600, 661, 661,  
666, 672, 673, 679, 708, 710-716, 718-723  
727, 731.

Nunez Barreto, P. Joannes, Aethiopi  
Patriarcha, 6, 7, 539, 576, 586, 602, 60  
611, 616.

## O

Ochoa, P. Michael, Ognatensis Collegii  
S. J. Superior, 441.

Ochoa, P. Sanctus (Sancho), Montis Rega-  
lis (in Sicilia) Rector, 207, 208, 210.

Ocrato, Prior de, Vide Fernandez de Al-  
meyda.

Octavianus, Caesar, 198, 195.

Octavius, neapol., 17.

Oesterreich, Urbanus, Gurcensis Episcopus, 286.  
 Ognatensis Collegii S. J. Superior, Vide Ochoa, P. Michael.  
 Olah (Olaus), Nicolaus, Strigoniensis Archiepiscopus, 87, 262.  
 Olave, P. Martinus de, 12, 21, 23, 40, 44, 45, 242, 264, 268, 322.  
 Oliva, Joannes, Cardinalis Fulvii de la Corna Vicarius, Spoleti, postea Theatinus Archiepiscopus, 63-67.  
 Olivares (Olivarius), I Comes de, Vide Guzman, Petrus de.  
 —Ejus uxor, Vide Ribera Niño.  
 Olivares (Olivarius), II Comes de, Vide Guzman, Henricus de.  
 Olivier (Oliverius), P. Bernardus, 23, 27, 177, 279, 291, 301-306, 308-310, 312, 313, 315, 316.  
 Olomucensis Episcopus, Vide Kuen.  
 Onfroi (Onofrius), P. Julius, 9, 349.  
 Oradini, Julius, 62.  
 Oradini, Marcus Antonius, Perusinus Vicarius, 62, 63, 68-70, 72.  
 Oriandini, P. Nicolaus, 9, 12, 23, 30, 37, 45, 59, 117, 273, 278, 283, 293, 300, 335, 547, 560, 565, 597, 609, 639, 640, 648, 660.  
 Ormuzensis arcis Praefectus, 669.  
 Ormuzii Rex, 668.  
 Oropesa, Comes de, Vide Alvarez de Toledo.  
 —Ejus uxor, Vide Monroy de Ayala.  
 Orsini, Paulus Jordanus, Praefectus Generalis in Corsica, 350.  
 Ortega, Andreas, typogr., 513.  
 Ortiz de Zúñiga, Didacus, 485, 492, 494.  
 Oacensis Episcopus, Vide Agustin, Petrus.  
 Osius, Stanislaus, Vide Hosius.  
 Osorio, Hieronymus, Silvensis Episcopus, 581.  
 Otello, P. Hieronymus, 182, 183, 189, 191, 192.  
 Ovetensis Episcopus, Vide Ayora. —Id. Rojas et Sandoval.  
 Oviedo, P. Andreas de, Hierapolitanus Episcopus, Patriarchae Aethiopiae successor, 6, 7, 178, 569, 571, 602, 606, 607, 609-611.

## P

Pacheco, Franciscus, Glennensis Episcopus, postea Siguntinus, Cardinalis et Neapolitanus Prorex, 175, 176, 179.  
 Pacheco, Joanna, Domina oppid. Albada-lejo et Piqueres, 556.  
 Pacheco, Joannes, Dominus oppid. Villarejo de Fuentes, 556.  
 Pacheco et Bobadilla, Franciscus, Marchio de Villena (erratum), 437.  
 Pachtler, P. G. Michael, 261.  
 Padilla, Laurentius de, 412.  
 Paeybroeck, P. Daniel, 190, 197.  
 Paex, Fr. Antonius, 721.  
 Paex, Dr. Didacus, 452.  
 Pagés, Leo, 672, 721.  
 Palatio, Joannes, 15.  
 Palentinus Episcopus, Vide Gasca.  
 Pallavicini, Sfortia, 37, 173.  
 Pallentieri, Alexander, 47, 48.  
 Palliano, Dux de, Vide Caraffa.  
 Palmius, P. Benedictus, 18, 19, 46, 57-59.  
 Palmius, P. Franciscus, Bononiensis Collegii S. J. Rector, 120, 122, 124-128.  
 Paluzzi Albertini, Angelus, 59.  
 Paluzzi Albertini, Balthasar, Marchio, 59.  
 Pamplonensis Episcopus, Vide Fonseca, Antonius de. —Id. Moscoso.  
 Panormitani Collegii S. J. Rector, Vide Achillis.  
 Panormitanus Archiepiscopus, Vide Tagliavia de Aragon.  
 Panvinio, Onuphrius, 15.  
 Papiensis Episcopus, Vide Rossis.  
 Papius Laudensis, Hieronymus, O. P., ferrariensis Inquisitor, 141.  
 Papius, Jodocus, 236.  
 Pappenheim, Georgius von, Ratisbonensis Episcopus, 37, 254, 269.  
 Perisiensis Academiae Rector, Vide Despece.  
 Parisiensis Episcopus, Vide Bellay.  
 Parmensis Princeps, Vide Maria, Portugaliae Infans.  
 Paschalis, P., catalanus, 607, 640, 646.  
 Paschalis, Sanctus, 10.  
 Pasquier, Stephannus, 335.  
 Passaviensis seu Pataviensis Episcopus, Vide Closen. —Id. Salm.  
 Passio, Georgius, 126.  
 Passitanus, P. Thomas (alias Joannes Thomas), 606, 608, 611.  
 Patani Praefectus, 718.  
 Patani Rex, 713.  
 Patarinus, P. Joannes Laurentius, 73, 75-77, 83, 85, 86.  
 Pataviensis seu Passaviensis Episcopus, Vide Closen.  
 Patavini Collegii S. J. Rector, Vide Tavinus.  
 Patavini Collegii S. J. Superintendens, Vide Helmi.  
 Patrignani, P. Josephus Antonius, 178.  
 Pauli IV Pontificis secretarius, Vide Cam.

Pacheco, Franciscus, Glennensis Episcopus, postea Siguntinus, Cardinalis et Neapolitanus Prorex, 175, 176, 179.  
 Pacheco, Joanna, Domina oppid. Albada-lejo et Piqueres, 556.

- Id.* Bini.—*Id.* Guarenghi.—*Id.* Fiorabelli.
- Paulus, P., Vide Alvarez, P. Joannes.
- Paulus, in Florent. Collegio, 98.
- Paulus, japo conversus, 730.
- Paulus, mantuanus, 228.
- Paulus Apost., Sanctus, 46, 90, 181, 183, 272, 389, 345, 518, 700, 701, 721, 730.
- Paulus III Pontif., 25, 39, 43, 45, 216, 217, 220, 327, 605, 663.
- Paulus IV Pontif., 14, 17-19, 24, 26-29, 32-38, 42-49, 52, 59, 65, 70, 72, 84, 98, 100, 102, 103, 118, 122, 127, 159, 169, 171, 178, 174, 176, 177, 179, 189, 198, 201, 212, 233, 243, 253, 261, 262, 270, 274, 291, 311-314, 321, 329, 331, 336, 350, 399, 404, 413, 418, 468, 481, 550, 557, 574, 606, 607, 610.
- Pavesius, Julius, Vestanus Episcopus, Neapolitanae archidioecesis Administrator, 179.
- Payva, P. Emmanuel, 626.
- Pedrell, Philippus, 38.
- Pelletier (Pelletarius), P. Joannes le, Ferrariensis Collegii S. J. Rector, et Collegiorum Mutinae et Argentae Superintendens, 128-132, 134-142, 155.
- Peñaranda de Bracamonte, Comites de (in genere), 513.
- Peralta, Joannes, 215.
- Perea, bacchal., 479.
- Perea, Vincentius, 376.
- Pereira (Perera), Antonius, praefectus navis, 714, 715, 721.
- Pereira (Perera), Didacus, 731.
- Perez, P. Ambrosius, 631, 635-638.
- Perez, P. Andreas, 367.
- Perez, P. Antonius, 630, 631, 635, 637, 638.
- Perez, P. Franciscus, 663-665, 670-672.
- Perez, Gundisalvus, Philippus II secretarius, 26, 318.
- Perez, Rodericus, notarius, 553.
- Perez, P. Stephanus, 453.
- Perez de Arizpe, Joannes, 548.
- Perez de Guzman *el Bueno*, Alphonsus, VII Dux de Medina Sidonia, 505.
- Perez de la Fuente, Ferdinandus, 494.
- Perez (Perez de Nuevos?), Joannes, 408.
- Perpiñá (Perpignan), P. Petrus, 591, 594.
- Perragues et Castillejo, Antonius, Trigestinus et Calaritanus Episcopus, 267, 284, 319.
- Pertusa, P. Gundisalvus, 444, 446.
- Peruscius, P. Joannes Baptista, 53.
- Perusini Collegii S. J. Rector, Vide Mercurius.
- Perusinus Cardinalis, Vide Corna (Cornus), Fulvius de la.
- Perusinus Episcopus, Vile Corna (Cornus), Hippolytus de la.
- Perusinus Prolegatus, Vide Torra.—*Id.* Caselli.
- Perusinus Vicarius, Vile Oradini.
- Peruviae Prorex, Vide Gasca.—*Id.* Hurtado de Mendoza, Andreas.
- Petrella, P. Joannes Nicolaus, 176.
- Petronio, Fr., 40, 61.
- Petronio, Alexander, medicus, 22.
- Petrus, Fr., 169.
- Petrus, Hipponensis Episcopus, 609.
- Petrus Apost., Sanctus, 135, 347, 697, 700, 701.
- Petrus II, Portugalliae Rex, 553.
- Pezzana, Barbara, 151.
- Pezzana, Hieronyma, 151.
- Pezzano, P. Joannes Baptista, 9.
- Pharensis Episcopus, Vide Delfinus.
- Phauser, Sebastianus, 230, 235, 273, 274.
- Philippi II confessorius, Vide Fresneda.
- Philippi II secretarius, Vide Perez, Gundisalvus.
- Philippus, Comes de Nevers et de Rethel, 12.
- Philippus I, Hispaniae Rex, Caroli V Imperat. frater, 539, 546, 548.
- Philippus II, Hispaniarum et Angliae Rex, 10, 17, 26-28, 31-33, 35, 104, 177, 180, 206, 212, 218, 218, 261, 267, 282, 291, 312-315, 319, 361, 365, 397, 401, 403, 407, 418, 443, 460, 463, 481, 509, 548, 555.
- Picard, Dr. Franciscus, 332, 335.
- Piessinus, Andreas, Wolfgangus, 25.
- Pigafetta, Philippus, Vide Lopez Pigafetta.
- Pignatelli, Hector, Dux de Monteleone, 177.
- Pignera, Joannes, Vide Piñera.
- Piluchi, Andreas, 56.
- Pimentel, Bernardinus de, Marchio de Tavaras, 436, 437, 462, 553, 554.
- Pimentel et Velasco, Maria, III Comitissa de Monterey, 417.
- Pine (Pinus), P. Joannes, 93, 104, 111, 179, 194, 208, 243, 376, 384.
- Pinello, Augustinus, Genuensis Reipublicae Dux, 105, 107, 108, 111.
- Pinello, Philippus, 105.
- Pinellus, Joannes, 215, 216.
- Pinheiro, Antonius, Mirandensis Episcopus, 561, 582, 583, 591, 592, 596.
- Piñas, P. Balthasar, 379, 389, 396.
- Piñera (vel Pignera), Joannes, 217.
- Piratinigae Praefectus, Vide Mello, Martinus Alphonsus de.
- Pires, Vide Perez.
- Pirrus, Rocchus, 194, 203, 214-218.

Pissinus Cardinalis, Vide Rebiba.  
 Plack (Scribonius), Henricus, Pragensis ecclesiae administrator, 226, 238.  
 Pius II Pontif., 251.  
 Pius V Pontif., Sanctus, 14, 47, 62, 68.  
 Placentini Collegii S. J. Rector, Vide Villanueva.  
 Placentini Episcopi Vicarius, Vide Ayora.  
 Placentinus Episcopus, Vide Vargas Carvajal.—*Id.* Laso de la Vega et Córdoba.  
 —*Id.* Carvajal, Joannes de.  
 Plaza, P. Joannes de la, 533, 542, 567.  
 Plinius, Cajus, senior, 267, 689.  
 Plodius, 772, 458.  
 Polasy, Colloquium de, 321.  
 Polanco, P. Joannes Alphonsus de, 5 10, 12, 13, 16-19, 22, 23, 25, 26, 29-31, 34-36, 40, 44, 47-50, 54, 61, 65, 66, 69, 73, 96, 112, 114, 117, 118, 130, 135, 154, 167, 168, 170, 181, 184, 186, 194-196, 203, 204, 215, 216, 221, 224, 227, 228, 235, 237, 238, 241-244, 248, 249, 258, 262, 263, 266, 267, 271, 273 279, 282, 286, 291, 292, 296, 297, 299-301, 303, 308, 312, 314, 317, 320, 323-325, 327, 331, 350, 352, 356, 358, 360, 362, 401, 406-408, 412, 313, 418-420, 423, 430, 435, 437, 440, 412, 445, 446, 452, 462, 463, 466, 467, 483-486, 489, 490, 496, 498, 501, 509, 518, 519, 523, 544, 545, 547, 549, 550, 556, 559, 563-566, 568, 570, 572, 575-577, 581, 590, 595, 597, 604, 616, 611, 631, 638, 639, 650, 677, 687, 716.  
 Pole (Polus), Reginaldus, Cardin., legatus Angliae in Urbe, 35, 301, 316, 555.  
 Pollicinus, Mag. Ambrosius, 186, 139.  
 Pollicinus, Mag. Angelus, 194, 200, 202.  
 Pollicinus, Paulus, 203.  
 Poloniae Rex, Vide Segismundus.  
 Ponce de Leon, Ferdinandus, 485.  
 Pontanus, P. Eleutherius, Vide Dupont.  
 Pontificiae domus Praefectus, Vide Colorado.  
 Portalegrensis Episcopus, Vide Alva.  
 Portillo, P. Hieronymus de, Vide Ruiz del Portillo.  
 Portugalliae Infans, Vide Elisabeth.—*Id.* Ludovicus.—*Id.* Maria.  
 Portugalliae Princeps, Vide Joannes.—*Id.* Henricus.  
 Portugalliae Regina, Vide Eleonora, Emmanuelis... uxor.—*Id.* Eleonora, Joannis II uxor.—*Id.* Catharina ab Austria.  
 Portugalliae Rex, Vide Emmanuel.—*Id.* Joannes II.—*Id.* Joannes III.—*Id.* Petrus II.  
 Possevino, P. Antonius, 81, 272.  
 Possini, P. Petrus, 652.  
 Postel (Postellus), Gulielmus, 333.

Potminius, Michaël, 330.  
 Pozo, Petrus dei, 445, 446.  
 Pozo (Puteus), P. Gabriel dei, 203.  
 Pozzo (Puteus), Jacobus dei, Baricensis Archiepiscopus et Cardin., Cardinalis Puteus dictus, 25, 23, 238.  
 Prádano, P. Joannes, Abulensis Collegii S. J. Rector, 410.  
 Pradene, P. Petrus, 49-51.  
 Pragensis, Hieronymus, 255.  
 Pragensis Academiae Superintendens, Vide Widmanstadt.  
 Pragensis ecclesiae administrator, Vide Pisek.  
 Prantl, Carolus, 261.  
 Prat, Gulielmus du, Ciaramontanus Episcopus, 322, 323, 325, 326, 333, 337-343, 345-348.  
 Prat, P. Joannes Maria, 9, 12, 41, 100, 321, 322, 324, 327-330, 335, 348, 351, 359.  
 Pretis de Consilice, Antonius, Florentinus Vicarius, 103, 104.  
 Priego, Marchionissa de, Vide Fernández de Córdoba.  
 —Ejus soror, Vide Enriquez, Theresia.  
 Prolegatus (Agens) Philippi II, Regis Angliae in Urbe, Vide Vega, Garcillasus de la.  
 Prosdocius, P. Angelus, 203.  
 Provincialis Dominicanorum in Castella, 417.  
 Provincialis Praepositus S. J., Aragoniae, Vide Estrada (Strada) = Baeticae, Vide Torres. —*Id.* Bustamante. = Brasiliae, Vide Nobrega = Castellae, Vide Araoz. = Indiae, Vide Javier —*Id.* Nuñez, P. Melchior.—*Id.* Quadros. = Italiae (citra Romam, Tybur et Neapolim), Vide Laynez. = Portugalliae, Vide Rodriguez, P. Simon.—*Id.* Miron.—*Id.* Torres. = Siciliae, Vide Domenech.  
 Puellas (alias Puella, Puellas), P. Didaeus, 365.  
 Pullicinus, Vide Pollicinus.  
 Purinus, Hercules, 149, 151.  
 Puteus, P. Gabriel, Vide Pozo.  
 Puteus, Jacobus, Cardinalis Puteus dictus, Vide Pozzo (Puteus).  
 Puyal, P. Marianus, 604.  
 Pyl, Joannes, 284.

## Q

Quadros, P. Ant nius de (antea Tybur-tius), Indiae Praepositus Provincialis, 573, 600, 607, 608, 640-642, 644, 645, 654, 660-662, 6 5, 666, 668, 676.

Queralt (alias Cherald, Cheralti), P. Joannes, Barcinonensis Collegii S. J. Rector, 379, 385, 402.  
 Quicherat, Julius Stephanus Joseph, 587, 588, 590, 595, 293.  
 Quintano Villalobos, Franciscus, 483.  
 Quirini, Hieronymus, O. S. Ben., 45.

## R

• Rabellensis Episcopus, Vide Beccatelli.  
 Ragusinus Archiepiscopus, Vide Medicis, Joannes Angelus de.—Id. Beccatelli.  
 Raindorff, Christophorus a, 290, 291.  
 Ramirez, P. Joannes, 365, 366.  
 Ramirez, P. Michael, 520, 526.  
 Ramirez, Petrus, 411, 412.  
 Ramirez de Vergara, Dr. Alphonsus, communiter Dr. Vergara dictus, 356, 447, 456, 479.—Complutensis Academiae Rector, 590.  
 Ramiro, Dr. Antonius, 452.  
 Rangone, Hercules, Comes, Mutinensis Gubernator, 130, 137, 148.  
 Ratisbonensis Episcopus, Vide Pappenheim.  
 Raupach, Bernardus, 235.  
 Ravellensis Episcopus, Vide Beccatelli.  
 Ravennatensis Archiepiscopus, Vide Fanese, Rainucius.—Id. Accoltis.  
 Reynaldi, Odoricus, 32, 34, 35, 46, 274, 291.  
 Reiba, Scipio, Mutulensis Episcopus, Cardinalis Pisanus, Theatini Cardinalis Vicarius, Urbis Gubernator, 19, 47, 48, 174-176, 179.  
 Regius, Carolus, 202.  
 Regius, Joannes Aloysius, 202.  
 Regius, Petrus, alias a Riera, etiam Regius dictus, 202.  
 Regius, Vincentius, 202.  
 Reidt (Retius, Rethius, Riedt), Joannes, 9, 276, 283, 293.  
 Reiffenberg, P. Fridericus, 266, 276, 278, 279, 283.  
 Renata de Franco, Ferrariae Ducissa, 130, 135, 139, 141.  
 Rehel, Comes de, Vide Philippus.  
 Retius vel Rethius, Joannes, Vide Reidt.  
 Rhemensis Archiepiscopus, Vide Gramaud.—Id. Roze.  
 Ribagorza, Comes de, Vide Aragon et Gurra.  
 —Ejus uxor, Vide Borja et Aragon.  
 Ribeiro, Josephus, Vide Duarte.

Ribera Niño, Francisca de, I Comitissae de Olivares uxor, 486.  
 Ribero, P. Christophorus, la regna Congi, 615.  
 Ricasoli, Joannes, 86.  
 Riedt, Joannes, Vide Reidt.  
 Riera, Petrus, 202.  
 Riera, P. Raphael, 70, 75, 76, 81, 85, 90, 94.  
 Riess, P. Florianus, 241, 261, 266.  
 Rincon, fr., 411.  
 Rincon, N., Abbas Complutensis, 549-551.  
 Riomensis Vicarius generalis, 344.  
 Ripalda, P. Hieronymus de, 594.  
 Risco, II Comes del, Vide Dévila, Stephanus.  
 —Ejus uxor, Vide Záhiga, Elvira.  
 Ritrovius, Martinus Balduinus, postea Yprensis Episcopus, 288.  
 Riya, P. Augustinus de, 125, 126.  
 Rivadeneyra, P. Petrus de, 22, 30, 34, 39, 41, 48, 74, 69, 81, 97, 181, 184, 193, 282, 315, 319, 391, 392, 534, 556.  
 Rivalola, Joannes Felix Franciscus, 105, 115.  
 Rivera, P. Joannes de, Antiochiæ Patriarcha, Valentinus Archiepiscopus et Prorex, 363.  
 Rivero, Didacus, 677.  
 Roa, P. Martinus de, 515.  
 Roa, P. Vincentius, 204.  
 Robore, Antonius de, 50, 51.  
 Rocafull, Guilielmus (Guillen), Majoricae Prorex, 389.  
 Rodriguez, P., in Sanlucarensi Colleg. S. J., 501, 502, 504.  
 Rodriguez, P. Christophorus, 376, 557.  
 Rodriguez, P. Franciscus, 559, 560, 563, 566, 567, 611.  
 Rodriguez, P. Gundisalvus, 650, 662, 669, 685, 686, 688, 690-704, 706, 707, 722.  
 Rodriguez, P. Joannes, 453.  
 Rodriguez, Pius (vel Pelagius), 590.  
 Rodriguez, P. Salvator, 631.  
 Rodriguez, P. Simon, 164, 169-171, 587, 598.  
 —Portugalliae Praepositus Provincialis, 678.  
 Rodriguez d' Azevedo, Sebastianus, Patris Simonis Rodriguez frater, 587.  
 Rodriguez Villa, Antonius, 435, 544, 547, 548.  
 Rogerius I, Siciliae Rex, 214.  
 Rojas, P. Franciscus, Caesar-Augustanae Domus S. J. Superior, 387, 394, 396, 400.  
 Rojas et Sandoval, Christophorus de, Ovetensis Episcopus, 463.  
 Romae Gubernator, Vide Reiba.  
 Romae Rex, cognomento Superbus, Vide Tarquinius II.

Roman, P. Alphonsus, Caesaraugustanae Domus S. J. Rector, 385, 389, 393, 394, 396, 397, 399, 402-404.  
 Romanorum Rex, Vide Ferdinandus I.—II. Maximilianus I.  
 Romeus, Franciscus, Generalis Magister O. P., 88, 89.  
 Ros, Onuphrius, Gandiensi Judex (*Justiciarius dictus*), 378, 376.  
 Rosendallus, Cornelius (alias Harleminus vel Herlenius), Dilingensis Academiae Rector, 268.  
 Rosis, Mag. Joannes de, 22.  
 Rossis, Joannes Hieronymus, Papiensis Episcopus, Inquisitor, 181.  
 Roullius, Gulielmus, 272.  
 Roxas et Contreras, Josephus de, Marchio de Alventos, 518.  
 Roye, Guido de, Rhemensis Archiepiscopus, 12.  
 Roye, Matthaeus de, 12.  
 Rozius, Christodolus (alibi Christodulus), Sicillae Amiratus, 214.  
 Rozius, Georgius, Sicillae Amiratus, 214.  
 Rubinus, Bartolus, 371.  
 Rueda, P. Antonius de (P. Antonius Alvarez?), 412.  
 Ruiz, P. Alphonsus, 512.  
 Ruiz de Bernuy, P. Petrus, 460.  
 Ruiz de Castro et Portugal, Ferdinandus, I Marchio de Sarria, Legatus Hispaniae in Urbe, 23, 441.  
 Ruiz del Portillo, P. Hieronymus, 438.  
 Ruraemundanus Episcopus, Vide Lind.

## S

Saa, P. Emmanuel de, 45.  
 Saavedra, Dr. Petrus de, 432.  
 Sabinus Episcopus Cardinalis, Vide Accoltis.  
 Sacchini, P. Franciscus, 41, 44, 47, 56, 77, 186, 180, 176, 215, 217, 287, 242, 255, 273, 274, 324, 365, 445, 504, 557, 561, 690, 723.  
 Sacro Bosco, Joannes de, Vide Halifax de Sacro Bosco.  
 Sainz de Baranda, Petrus, 319, 557.  
 Salm, Jacobus Maria, Viveniensis Episcopus, Prolegatus Avenionensis, 351, 354, 358.  
 Salas, Fr. Joannes de, O. P., saepe Magister Canarius dictus, 492.  
 Salazar, Ambrosius, O. P., 88.  
 Salazar, P. Marcellus de, 508, 511.—Valentini Collegii S. J. Rector, 359.

Salazar et Castro, Ludovicus de, 504.  
 Salernitanus Archiepiscopus, Vide Cervantes de Salazar.  
 Salernitanus Princeps, Vide Sanseverino.  
 Salinas, P. Dr. Marcus, 448, 463, 466, 470, 557.  
 Salisburgensis Episcopus, Vide Kuenburg.  
 Salm, Wolfgangus von, Pataviensis seu Passaviensis Episcopus, 235, 236, 269, 270.  
 Salmanticensis Academiae Cancellarius, 418.  
 Salmanticensis Collegii S. J. Rector, Vide Hernandez, P. Bartholomaeus.  
 Salmanticensis Collegii S. J. Superintendens, Vide Córdoba, P. Antonius de.  
 Salmanticensis Episcopus, Vide Manrique de Lara.  
 Salmeron, P. Alphonsus, Neapolitani Collegii S. J. Rector, 27, 37, 103, 167, 173, 178, 224, 240, 254, 258, 274, 275, 350.  
 Sampiero d' Ornano, filius Gulielmi, Domini de Sampiero, 350.  
 San Juan, Fr. Petrus de, O. P., 522.  
 Sanchez, Dr., Granatensis Academiae Rector, 510.  
 Sanchez, P. Antonius, 557.  
 Sanchez, Christophorus, P. Jacobi Santa-cruz frater, 507, 511.  
 Sanchez, Gaspar, 207.  
 Sanchez, P. Joannes Baptista, 429, 434, 463, 470, 486-488, 492, 493, 497.  
 Sanchez, P. Petrus, 411, 412.  
 Sanchez Biedma, Josephus, 39.  
 Sanchez de Mercado et Zuazola, Rodericus, primo Episcopus Majoricensis, dein Sigtuntinus, tandem Abulensis, 442.  
 Sanchez Navarro, Joannes, Cordubensis Episcopi secretarius, 525.  
 Sanclemente, Liranza, 217.  
 Sancta Fide (alias Sanfdio), Paulus de, ormuziensis, 652, 657, 668, 669, 710.  
 —Ejus frater, Vide Joannes.  
 Sanctae Crucis Cardinalis, Vide Cervini, Marcellus.  
 Sancti Angeli Cardinalis, Vide Farnese, Rainuccius.  
 Sancti Joannis de Pesqueira Comes, Vide Alvarez de Tavora.  
 Sancti Salvatoris (in Brasilia) Episcopus, Vide Fernandez Sardinha.  
 Sancti Thomae (insulae) Episcopus, Vide Cam.  
 Sancti Vincentii Ducatus (in Brasilia) Praefectus, Vide Chubaz.  
 Sanctus, P., bononiensis, 170.  
 Sandoval et Rojas, Bernardus de, Marchio de Denia, 546 548.

- Sanfido, Paulus, Vide Sancta Fide.  
 Sanlucarensis Vicarius, Vide Camacho.  
 Sans, Franciscus, 378.  
 Sanseverino, Antonius, Cardinalis, 177.  
 Sanseverino, Ferdinandus (Ferrante), Salernitanus Princeps, 354.  
 Santa Cara, Dr., Reginae Joannae, Caroli V matris, medicus, 548.  
 Santa Cruz, Carolus de, 399.  
 Santacruz, P., Praepositi Provincialis Aragoniae socius, 379.  
 Santacruz, P. Jacobus, communiter P. *Santacruz granatensis* dictus, 507, 551, 559, 560, 564, 565.  
 Santacruz, P. Joannes de, 431, 434.  
 Santacruz, P. Martinus de, Conimbricensis Collegii S. J. Rector, 566.  
 Santacruz, P. Petrus de, 577.  
 Santaflore, Comes de, 104, 814.  
 Santander, P. Ludovicus, 370, 389, 393, 399, 409.  
 Santivañez, P. Joannes de, 363, 435, 436, 439, 490, 493, 506, 513, 515, 521, 522, 523, 556.  
 Saraceni seu Sarracino, Joannes Michael, Cardinalis, 23, 32, 177.  
 Sarmiento de Mendoza, Maris, III Ducissa de Sessa, 543.  
 Sarria, I Marchio de, Vide Ruix de Castro et Portugal.  
 Sauchières, Hieronymus de, 12.  
 Sauli, Bendinellus, Cardinalis, 119.  
 Sauli, Hieronymus, Genuensis Archiepiscopus, Bononiae Prolegatus, 111, 118, 125.  
 Sauli, Nicolaus, 116, 118, 119.  
 Sauli, Stephanus, 118, 119.  
 Sauli, Vincentius, 118.  
 Savii, Joannes de, Tyburtini Gubernatoris locumtenens, 52.  
 Savonarola, Hieronymus, 72.  
 Schaller, Joroslav, 257.  
 Schauenburg, Adolphus III von, Coloniensis Archiepiscopus, 276, 283, 285, 287, 540.  
 Schauenburg, Antonius von, Coloniensis Archiepiscopus (1556-1558), 263.  
 Schinoel, P. Franciscus, 50, 53, 173, 176.  
 Schmidt, P. Joannes, 25, 236, 238, 250, 251, 253, 254.  
 Schorichius (alias Scorchichius), P. Petrus, 9, 252.  
 Schorzini, P. Laurentius, 176.  
 Schotti, Andreas, 590.  
 Schradin, Ludovicus, 250.  
 Schroeder, P. Fridericus, 31, 263.  
 Schwelcker, Henricus, 255, 260, 261.  
 Scipio, Comes ab Arcu, Legatus Ferdinandi, Romanorum Regis, in Urbe, 37.  
 Scipio, Mag. Franciscus, Vide Bordon.  
 Scorchichius, Petrus, Vide Schorichius.  
 Sebastianus, Mag., 120, 121.  
 Segobricensis Episcopus, Vide Jofre de Borja.  
 Segrian, Joannes, Christopolitanus Episcopus, Valentini Archiepiscopi Coadjutor, 372.  
 Sena, Antonius de, O. P., 272, 453.  
 Senensis Archiepiscopus, Vide Bandini.  
 Senensis Gubernator, Vide Toledo.  
 Septimancensis Probationis Domus S. J. Rector, Vide Bustamante.—*Id.* Domenech, P. Petrus.  
 Serrão (Serranus), P. Georgius, 565, 591, 595.  
 Serrão, P. Gregorius, 620, 621.  
 Serristori, Averardus, Florentiae Legatus in Urbe, 100.  
 Sessa, III Dux de, Vide Fernandez de Córdoba, Gundisalvus.  
 —Ejus uxor, Vide Sarmiento de Mendoza.  
 Sevillano, P. Petrus, Methymnensis Collegii S. J. Rector, 420, 422.  
 Sichelgaita, Ducis Roberti Guiscardii uxor, 214.  
 Siciliae Prorex, Vide Folch.—*Id.* Colonna, Marcus Antonius.—*Id.* Vega.—*Id.* Guzman, Henricus de.  
 Siciliae Regina, uxor Henrici VI, Vide Constantia.  
 Siciliae Regina, uxor Martini, Vide Maria.  
 Siciliae Rex, Vide Henricus VI.—*Id.* Rogerius I.—*Id.* Ferdinandus II.—*Id.* Martinus.  
 Siegen, Arnoldus von, 264.  
 Sigismundus Augustus II, Poloniae Rex, 258, 275, 350.  
 Sigüenza, Fr. Josephus de, O. S. Hier., 501.  
 Siguntinus Episcopus, Vide Sanchez de Mercado et Zuazola.—*Id.* Pacheco, Franciscus.  
 Silva, Vide Sylva.  
 Silveira, Alphonsus de, 706.  
 Silveira (alias Sylveira), P. Gundisalvus de, Ulyssiponensis Professorum Domus S. J. Praepositus, 567, 569, 571-574, 599, 600, 602, 603, 611.  
 Silvensis Episcopus, Vide Osorio, Hieronymus.—*Id.* Mello.  
 Sinarum Rex, Vide Tchou-Hien-Tsong.  
 Singkhmoser, M., 243.  
 Sixtus Senensis, 272.  
 Soares, Joannes, O. S. Aug., Conimbricensis Episcopus, 595.  
 Soares d' Azevedo Barbosa de Pinho Leal, Augustus, 558, 593, 595.



Holdevilla, P., catalanus, 50, 178.  
 Soldevilla, P. Antonius, Genuensis Collegii S. J. Rector, 109, 111-113, 115.  
 Holmannus, Turcarum Rex, 324.  
 Sommervogel, P. Carolus, 25, 54, 81, 160, 184, 271, 272, 317, 621, 683.  
 Soranus Episcopus, Vide Ogrila.  
 Soriano (Sorianus), Angelus, 167, 268.  
 Soriano (Sorianus), Michael, Venetiarum Legatus apud Regem Romanorum, postea ad Regem Philippum II, 107, 169.  
 Sosa, Joannes (Petrus in textu, erratum), 403.  
 Soto, Fr. Dominicus de, O. P., 93, 418, 419, 468, 547, 548.  
 Soto, Fr. Petrus de, O. P., 263, 265, 268.  
 Sotomayor, Eleonora de, Joannis Claris de Gusman, Comitis de Niebla, uxor, 500, 501, 503, 505, 506.  
 Sotomayor, Franciscus de, V Comes de Belalcázar, III Ducissae de Bojar conjux, 505, 543.  
 Sotomayor, Fr. Petrus de, O. P., 419, 547.  
 Sotomoro, Gaspar de, 452, 453.  
 Sousa, Cajetanus de, 581, 601, 602, 609.  
 Sousa, Leonardus de, classis lusitanae Praefectus, 609, 641.  
 Sousa, P. Michael, Eborensis Collegii S. J. Rector, 582, 584, 592.  
 Sousa, Thomas de, Brasiliae Gubernator, 623.  
 Southwell vel Sotwell (Sotvellus) Bacon, Nathanael, 54, 81, 184.  
 Soveral, P. Didacus de, 662, 671, 672, 676.  
 Spes (alias Spezius), Michael, 221.  
 Spiga, P. Petrus, 269, 297.  
 Spiriti, Christophorus, Caesenatensis Episcopus, 57.  
 Spiriti, Joannes Baptista, Caesenatensis Episcopi, Christophori Spiriti, coadjutor, 57.  
 Spiritus Sancti (regionis in Brasilia) Gubernator, Vide Fernandez Coutinho.  
 Spoletani Cardinalis (Fulvii de la Corna) Vicarius, Vide Oliva, Joannes.  
 Spoletanus Cardinalis, Vide Corna (Cornaeus), Fulvius de la.  
 Staphilus, Fridericus, 248.  
 Stefano, Petrus de, 174, 177.  
 Steinhuber, P. Andreas, S. J., Cardinalis, 18, 33.  
 Stella, Fr. Thomas, Justinopolitanus Episcopus, O. P., 19.  
 Stephanus, Sanctus, protom., 536.  
 Stephanus, pyrenaeus, 286.  
 Stephanus, Franciscus, 189, 226.  
 Stevez, P. Michael, 169.  
 Stevordianus, Gulielmus, Vide Elderen.

Stewart, Rose, 50.  
 Stockhammer, Georgius, 255.  
 Strada, P. Franciscus, Vide Estrada.  
 Strigoniensis Archiepiscopus, Vide Olab.  
 Strozzi, Leo, Prior Capuae, 349.  
 Sturmius, Wenemius, 85.  
 Suarez, P. Cyprianus, 562, 564, 591, 592, 595.  
 Suarez, P. Franciscus, Dr. Extimus dictus, 419.  
 Suarez (alias Xuaras, Juarez), P. Joannes, 411, 484-488, 491, 492, 495.  
 Sudermann, Hermannus, 204.  
 Surianus, Vide Soriano.  
 Sylva, Fr. Eduardus de, 724, 725, 729, 730.  
 Sylveira, Vide Silveira.  
 Sylvester, Beatus, 16.  
 Sylvester, Jacobus, Vide Ferentier.  
 Sylvius, Mag. Petrus, Vide Bosscha.  
 Syrae, Princeps saracenus, in Asia, 458.

## T

Tablars, P. Petrus de, CaesarAugustanus Domus S. J. Protector, 389-391, 392, 400, 402, 405, 484, 535.  
 Tagliavia de Aragon, Petrus, Pamermitanus Archiepiscopus, 197.  
 Tamayo, brasilienses populi, 639.  
 Taquanombo (alias Taquanomo), Firani Rex, 722.  
 Tarifas Marchio, Vide Afan de Rivera.  
 Tarquinius II, cognomento *Superbus*, fortissimus Romae Rex, 306.  
 Tarraconensis Archiepiscopus, Vide Cervantes de Salazar.  
 Tavera, Marchio de, Vide Pimental.  
 Tavera, Didacus de, Giannensis Episcopus, 435.  
 Tavonus, P. Joannes Baptista, Patavini Collegii S. J. Rector, 157, 159-161, 164.  
 Tavora, Emmanuel de, 703.  
 Tavora, I Marchio de, Vide Alvarez de Tavora.  
 Taxia, Matthias de, postaram magister, 242.  
 Tchon-Hien-Tsong, vel Chi-Tsong, Sinarum Rex, 616, 713.  
 Tellez, P. Balthasar, 39, 536, 574, 576, 593-591, 593, 595, 597, 609, 639, 640, 646, 650, 687, 688, 693, 695, 705, 706, 723.  
 Tello, Ferdinandus (Hernando), 420, 422.  
 Tendilla, Comes de, Vide Lopez de Mendoza.  
 Terminis, Hieronymus de, Mazarae Episcopus, 135.

Tevius (de Teve), Mdaeus, 588, 590, 592, 595.  
 Texter, Urbanus, Vide Weber.  
 Theatini Cardinalis Vicarius, Vide Re-biba.  
 Theatinus Archiepiscopus, Vide Oliva, Joannes.  
 Thermes, Dominus de, Vide La Barthe.  
 Thermoli, Dux de, 98.—Ejus filia, Vide Cepua.  
 Thiebout, G., typogr., 272.  
 Thomas, Fr., 65.  
 Thomas Apost., Sanctus, 671, 692, 695, 696.  
 Thomasinus, messanensis, 221.  
 Tyrinus, Joannes, Vide Dyrinus.  
 Toledo, Eleonora de, Florentiae Ducissa, 94, 93, 94, 97-100, 102, 108, 105.  
 Toledo, Franciscus de, Senarum Gubernator, 100, 104, 529.  
 Toledo et Figueroa, Maria de, Ducis U de Asaca uxor, 542.  
 Tolstanus Archiepiscopus, Vide Martinez Guizarro.  
 Tornacensis Domus S. J. Superior, Vide Charlat.  
 Tornacensis Gubernator, Vide Montmercy.  
 Tornacensis Vicarius, 811, 817.  
 Torre, P. Ignatius, 275.  
 Torre, Michael della, Cometenensis Episcopus, Perusinus Prolegatus seu Gubernator, postea Cardinalis, 43, 44, 61, 67, 70, 72.  
 Torrejon el Rubio, Dominus de, Vide Carvajal, Franciscus.  
 Torres, P. Balthasar de, 22.  
 Torres, P. Comas de, 724, 725, 726.  
 Torres, P. Michael de, Baeticæ Praepositus Provincialis, 5, 479, 485, 486, 490, 514, 515, 518, 520, 524-527, 529, 531, 541, 552, 555.—Lusitanias Praepositus Provincialis, 529, 545, 600, 602, 611.  
 Torres Amat, Felix, 384.  
 Toscanus, Franciscus, praefectus navis, 714, 715, 721.  
 Touraon, Franciscus de, Cardinalis et Archiepiscopus Lugdunensis, 328, 333.  
 Tovar, Maria de, domina de Berlanga, Comitiss Stabilis Castellae, Eneci (Iñigo) Fernandez de Velasco, uxor, 364.  
 Tribunalis regii Granatensis Praeses, Vide Alaba et Esquivel.  
 Tridentinum Concilium, 39, 66, 177, 219, 224, 418, 457, 531, 532, 544, 608.  
 Tridentinus Cardinalis, Vide Madrucci.  
 Trigestinus Episcopus, Vide Perragues et Castilleja.  
 Tristan, Joannes, 126, 129, 131.

Tristan, Laurentius, 58, 59.  
 Truchaces de Waldburg, Otto, Cardinalis Augustanus, 24, 27, 28, 34, 44, 258, 255, 268, 264, 268, 272.  
 Truxillas (Truxillo, Trujillo?), Christophorus, 94.  
 Tudertinus (Todi) Episcopus, Vide Genti.  
 Turcarum Rex, Vide Solimanus.  
 Tyburtini Collegii S. J. Rector, Vide Cavallieri.  
 Tyburtinus Episcopus, Vide Croce, Joannes Andreas.—Id. Croce, Marcus Antonius.  
 Tyburtinus Gubernator, Vide Coleman, Pompejus.

## U

Ughelli, Ferdinandus, 55, 65, 66, 168, 179.  
 Ugoletti, P. Elpidius, 204.  
 Ugucioni, Benedictus, 429, 440.  
 Ulyssiponenensis Archiepiscopus, Vide Vasconcellos et Meneses.  
 Ulyssiponenensis Collegii S. J. Rector, Vide Azevedo.  
 Ulyssiponenensis Inquisitor, Vide Azevedo (Oleastro, Oleaster).  
 Ulyssiponenensis Professorum Domus S. J., Vide Silveira.  
 Urbini Cardinalis, Vide Feltre de la Rovere.  
 Urbini Dux, Vide Feltre de la Rovere.  
 Urgellensis Episcopus, Vide Despuig.  
 Ursinus de Ursinis, Petrus, Tyburtini Gubernatoris locumtenens, 58.  
 Ursula, Sancta, et ejus sociae, 264, 540.

## V

Vai, Fr. Josephus dei, Ordinis S. V. Mariae de Mercede, 377.  
 Valderrábano, P. Joannes de, Vallisoletani Collegii S. J. Rector, 428.  
 Valdes, Ferdinandus de, Hispanensis Archiepiscopus et Generalis Hispaniae Inquisitor, 442, 459, 460, 548.  
 Valdivia, P. Ludovicus de, 412, 413, 462.  
 Valentini Archiepiscopi Coadjutor, Vide Segrian.  
 Valentini Collegii S. J. Rector, Vide Barma.—Id. Cordeses.—Id. Gamero.—Id. Gobierno.—Id. Miron.—Id. Salazar.—Id. Domenech, P. Hieronymus.

- Valentinus Archiepiscopus, Vide Rivera.  
 —*Id.* Villanueva, S. Thomas de.  
 Valentinus Prorex, Vide Cárdenas et Pacheco.—*Id.* Rivera.  
 —Uxor prioris Proregis, Vide Velasco.  
 Valer, Rodericus de, 490.  
 Valera, Cyprianus, 490.  
 Valerius, Joannes, 52, 54, 146.  
 Valle, Paulus de, 680.  
 Vallisoletani Collegii S. J. Rector, Vide Valderrábano.  
 Vannini de Theodulis, Ludovicus, Bertinorae Episcopus, 86.  
 Varea, P. Franciscus, 595.  
 Vargas, Franciscus, Imperatoris summus secretarius, 297, 488.  
 Vargas Carvajal, Gutierrez de, Placentinus Episcopus, 465, 467, 468, 472, 475-477, 480-484, 540-545.  
 Varinus, Michaël, Vide Guarino.  
 Varmiensis Episcopus et Cardin., Vide Hosius.  
 Varon, Marcus Antonius, O. S. Fr., 877.  
 Vasconcellos, P. Simon, 621, 625, 681, 683, 684, 689.  
 Vasconcellos et Meneses, Ferdinandus, Ulyssiponensis Archiepiscopus, 609.  
 Vasti Marchionissa, Vide Gonzaga, Elisabeth.  
 Vaz, P. Antonius, 708, 709.  
 Vaz, P. Gundisalvus, 570, 571, 574, 595, 602.  
 Vaz, P. Martialis, 591, 595.  
 Vazquez, Joannes, Caroli V secretarius, 548.  
 Vazquez, P. Dionysius, 466, 467, 469.  
 Vega, Elisabeth de, Bibonae Ducissa, 188, 192, 193, 198, 202, 204, 222, 228.  
 Vega, Joannes de, Siciliae Prorex, 188-190, 193-196, 199-202, 204-206, 208, 212, 217-220.  
 Vega, Suerus (vel Assuerus) de, 220.  
 Vega, Garcilasus de la, Prolegatus (agente) Philippi II, Regis Angliae, in Urbe, 23.  
 Vegliensis Episcopus, Vide Giliola.  
 Veira, Vide Vieira.  
 Velasco, Elisabeth de, Bernardini de Cárdenas et Pacheco, Valentiae Proregis, uxor, 584.  
 Velli, duo fratres hujus cognom., 205.  
 Velsius, Justus, *Dr. Justus Velsius Hagae* etiam dictus, 288.  
 Veltius, Gerardus, 288.  
 Velper, Petrus, Vide Belver.  
 Venero et Leyva, Hieronymus, Montis Regalis Archiepiscopus, 209.  
 Veneti Collegii S. J. Rector, Vide Helmi.  
 Ventimiglia, Antonius, 215.  
 Ventimiglia, Georgius, 192.  
 Venustus, P. Petrus, 208.  
 Verdère, P. Carolus Henricus, 261.  
 Verdizzotti, Franciscus, 168.  
 Vergara, Dr., Vide Ramirez de Vergara.  
 Vergara, Dr., Joannes, 590.  
 Verinus, Michaël, Vide Guarino.  
 Veronensis Episcopus, Vide Lipomani.  
 Vestanus Episcopus, Vide Pavestus.  
 Vestri, Octavianus, 554.  
 Vicensis Episcopus, Vide Moya.  
 Vicente, Mag. Martinus, 419.  
 Victoria, Franciscus de, O. P., 88.  
 Victoria, P. Joannes, Viennensis Collegii S. J. Rector, 236.  
 Victoria, Ludovicus de, 83.  
 Viennensis Collegii S. J. Rector, Vide Victoria.  
 Viennensis Episcopus, Vide Brus (de Mugglitz).  
 Vieira (alias Viera, Vieyra, Biera), P. Didacus, 567.  
 Vieira (alias Viera, Vieyra, Veira, Biera), P. Franciscus, 650, 654, 689.  
 Vieira (alias Viera, Vieyra, Veira, Biera), P. Joannes de, 708, 709.  
 Vignes, Fabricius, 139.  
 Vignes, Hieronymus, 177, 179, 180.  
 Vignes, Michaël, 178.  
 Viguer, Joannes, O. P., 271, 272.  
 Villela, P. Gaspar, 710, 721.  
 Vilhena, Maria de, 722.  
 Villahermosa, Dux de, Vide Aragon et Gurres.  
 Villanueva, Franciscus de, Neapolitanus Regens, 178.  
 Villanueva, P. Franciscus de, Placentini Collegii S. J. Rector, 447, 448, 452, 465-468, 470, 475, 480-482, 538.—Baeticae Praepositi Provincialis Collateralis, 479.  
 Villanueva, Jacobus (Jaime), 883.  
 Villanueva, S. Thomas de, Valentinus Archiepiscopus, 861, 864, 865, 868, 872.  
 Villarejo de Fuentes, Dominus oppidi, Vide Pacheco, Joannes.  
 Villena, III Marchio de, Vide Lopez Pacheco.  
 Villena, IV Marchio de, Vide Pacheco et Bobadilla.  
 Vinck, P. Antonius, Meesanaensis Collegii S. J. Rector, 192, 194, 221.  
 Vinet, Elias, 588.  
 Viñas, P. Mauritius, 448.  
 Viola, P. Joannes Baptista, 8, 337, 344.—Genuensis Collegii S. J. Superintendens, 108, 112-117.—Italiae Commissarius, 102.  
 Viperanus, Joannes Antonius, 68, 69.  
 Virginia V., Sancta, 216.  
 Virilibus, Laurentius de, 54, 56.  
 Viscaro, Baronissa del, 200.

Vishaven, P. Cornelius, Vide Wishaven.  
 Visitator S. J. in Germania, Hispania et Portugallia, Vide Nadal.  
 Vitalis, Fr., 103.  
 Vitalis, Jacobus, 271.  
 Vito, P. Joannes Philippus, 34.  
 Vitus, bohemus, 25.  
 Vivaniensis Episcopus, Vide Sala.  
 Vivero, Hieronymus de, Vide Bivero.  
 Vives, Ludovicus, 163, 319.  
 Vogado, Ignatius, Vide Bogado.  
 Vossius, Isaac, 658.

## W

Weber (Textor), Urbanus, Labacensis Episcopus, 32, 234, 237, 241, 244, 263, 265, 274.  
 Weil, G., 271, 273.  
 Welsinger, Christophorus, Argentoratensis Episcopi Cancellarius, 37.  
 Widmanstadt, vel Vidmanstetter (Widmanstadius), Albertus, alias Lucretius, Pragensis Academiae Superintendens, Austriacae Inferioris Cancellarius, 241, 271.  
 Wigand, Joannes, 262.  
 Wishaven (Vishaven), P. Cornelius, 9, 300.  
 Witte (Candidus), P. Adrianus de, 269, 291, 312.  
 Wolfangus, Fr., bohemus, 40.

## X

Xaa, Princeps saracenus, in Asia, 658.  
 Xaverius, P. Franciscus, Vide Javier.

Ximenius, P. Emmanuel, 217.  
 Xuares, P. Joannes, Vide Suarez.

## Y

Yprensis Episcopus, Vide Rithovius.

## Z

Zambeccario, Pompejus, Montis Regalis Suffraganeus Episcopus, 208, 211.  
 Zárate, P. Alphonsus de, 518, 519, 523.  
 Zárate, Petrus de, 48, 266, 267, 284, 285, 315, 316, 319.  
 Ziacholl, 205.  
 Zimmermann, Joannes, 271.  
 Zimmermann, Joannes Nepomucenus, 257.  
 Zimmermann, Michael, 243, 271, 272.  
 Zobel, Melchior de, Herbiopolensis Episcopus, 266.  
 Zúñiga, Elvira, II Comitissa del Risco, 540.  
 Zúñiga, Theresia de, III Ducissa de Bejar, et V Comitissa de Belalcázar uxor, 436, 505, 513.  
 Zúñiga et Sotomayor, Alphonsus de, IV Marchio de Gibralfaró, Comes de Bañares, Vicecomes de Belalcázar, 513.  
 Zúñiga et Sotomayor, Fadrique de, III Dominus de Alconchel et Mirabel, I Marchio de Mirabel, 540.  
 Zúñiga Manuel et Sotomayor, Maria de, II Marchionissa de Mirabel, Domina de Brantevila, 540.



## INDEX GEOGRAPHICUS

### A

- Abassinia vel Abissinia, Vide Aethiopia.  
 Abbatia, *Capsella* dicta, prope Neapolim, 177.  
 Abbatia de Mugnano, prope Perusium, 71.  
 Abbatia Dominae Nostrae de Camer (et etiam de Cameren), prope Bruxellas, 288.  
 Abbatia Farfae, 45.  
 Abbatia Italiae, 181.  
 Abbatia Sanctae Mariae de Crypta (della Grotta), Marsalae, etiam S. Philippi dicta, et Panormitano Collegio S. J. unita, 208, 207, 212-214.  
 Abbatia Sancti Amabilis Ricomagensis (Riom), 342.  
 Abbatia Sancti Felicis (San Fins), 594, 592, 605.  
 Abbatia Sancti Joannis de Longovares, O. S. Aug., 592, 602, 604.  
 Abbatia Villae Beltrami (Vilabertran), 380.  
 Abbatia Wounterbrack (Ubonterbrach in textu), 292.  
 Abula, Vide Avila.  
 Abulense Collegium S. J., 441-444, 510.  
 Abulensis dioecesis, 443.  
 Adel, regnum in Aethiopia Superiori, 707.  
 Aden (Adenum), 686.  
 Aegidii, Sancti, templum, Parisiis, 337.  
 Aegyptum, 705.  
 Aemilia, Vide Romania.  
 Aesium, Vide Jesi.  
 Aethiopia Superior (alias Abassinia, Abissinia), 6, 7, 493, 545, 578, 599, 600, 605-608, 611-613, 640, 647, 649, 650, 653, 654, 665, 666, 669, 685, 687, 688, 692-695, 697, 699, 708-703, 707, 722.  
 Africa, 6, 196, 208, 212, 493, 574, 613, 616, 688.  
 Agara, 706.  
 Agrigentina dioecesis, 43.  
 Aiguines, 858.  
 Aix (Auxium), 354-356.  
 Ajaccio, in Corsica, 350, 359.  
 Albadalejo, 556.  
 Alcalá de Henares (Complutum), 6, 359, 432, 441, 444, 447, 448, 450-456, 478, 479, 545, 607.  
 Alexandria, 693.  
 Algeria, 384.  
 Allier, 343.  
 Almaraz, 544.  
 Almeria, 557.  
 Alvernia (Arvernus, Auvernia), 333, 337, 341.  
 Amanguclum, 3, 724.  
 Ambert, 313.  
 Amboinum, 6, 708-710.  
 America, 620, 677.  
 America Meridionalis, 643.  
 Ancona, 43, 87, 196, 352.  
 Anconitana Marchia, Vide Picenus Ager.  
 Andoxem, 705.  
 Andreae, Sancti, templum, Bononiae, 127.  
 Angeli, Sancti, templum, Neapoli, 177.  
 Anglia, 26, 27, 29, 30, 33, 74, 122, 174, 198, 223, 229, 291, 312, 316, 443, 555, 599.  
 Annae, Sanctae, templum, Granatae, 514.  
 Anvers (Antuerpia), 291, 312, 458.  
 Aprutium, 314.  
 Apulia, 97.  
 Aquitania, 463.  
 Arabia, 656.  
 Arabia Felix, 646.

Aragonia, 314, 377, 394, 402, 516.  
 Aragoniae Provincia S. J., 5, 359, 367, 369, 409, 539, 551.  
 Argenta, 6, 128, 146, 153-156.  
 Argentina dioecesis, 234.  
 Argentinum Collegium, 129, 130, 138, 142, 154, 157.  
 Argentoratum, Vide Strassburg.  
 Arkeo (alii Arquico, Ercoco), 687, 688.  
 Armuxia, Vide Ormuz.  
 Arquico, Vide Arkeo.  
 Arvernia, Vide Alvernia.  
 Ascoli (Asculum), 87.  
 Asta Regia, Vide Jerez de la Frontera.  
 Asturicae, antiquum Hispan. regnum, 468.  
 Asuncion (La), alias Paragai vel Paraguay, 618, 620-621.  
 Augsburg (Augusta Vindelicorum), 234, 235, 241, 242-245, 247, 250, 252-255, 258, 261, 262, 264, 265, 267, 270, 273-275, 287.  
 Augustinianarum monasterium, *Incarnationis* dictum, Matriti, 481.  
 Agustinianarum monasterium, Sixenense vel Sexenense dictum, in dioecesi Oicensi, 377.  
 Augustinianorum monasterium, Salmanticae, 417.  
 Augustinianorum (Canonic. regul.) *Sancti Sepulchri* dictorum, monasterium S. Annae, Barcinone, 382.  
 Aups, 358.  
 Austria, 6, 44, 224, 225, 245, 249, 255.  
 Austria Inferior, 243.  
 Auvernia, Vide Alvernia.  
 Auxium, Vide Aix.  
 Avenio, Vide Avignon.  
 Avenionense Collegium S. J., 349, 353, 354, 358.  
 Avignon (Avenio), 9, 11, 349-351, 353, 354, 358, 359.  
 Avila (Abula), 6, 410, 439, 443, 444, 545, 607.  
 Azambuja, 608.

## B

Babillafuente, 557.  
 Baetica, 494, 516, 528, 535.  
 Baeticae Provincia S. J., 5, 6, 411, 427, 464, 465, 529, 533, 539.  
 Bazanum Collegium S. J., 545, 546.  
 Bago, Vide Pegou.  
 Bahia (alias S. Salvador, vel Salvador), caput Brasiliae, 6, 618, 619, 622, 627, 629-633, 635, 637, 639.

Barcelona (Barcinona), 6, 275, 370, 378-386, 389, 402.  
 Barcinonense Collegium S. J., 370, 377, 379, 381, 382, 396.  
 Barcinonensis Academia, 382.  
 Barcinonensis Comitatus, 315.  
 Barnagassi, Africae regnum, pars regni Tigre, 688.  
 Baroa, Vide Dobaran.  
 Basilicata, 219.  
 Bassano, 6, 164, 165, 169, 170.  
 Bassora, 658, 659.  
 Baticala, pagus in India, 657.  
 Baticala, urbs in insula Ceilani, 657.  
 Bavaria, 236, 249, 255, 259.  
 Bayonne, 463.  
 Bazani Collegium S. J., 650.  
 Bazainum, 6, 654, 662, 668, 669.  
 Beauregard-l'Evêque (Euscopia), 338, 339, 342, 347.  
 Beghinorum monasterium, Tornaci, 317.  
 Beja, 587.  
 Belalcázar, 543.  
 Belgium, 6, 26, 41, 135, 264, 291, 296, 301, 312, 313, 319, 556.  
 Belmonte, 453.  
 Benedictinarum monasterium B. M. Virginis Annuntiatae, *Torre de Specchi* dictum, Romae, 9.  
 Benedictinorum monasterium, in oppido La Celle, 9.  
 Benedictinorum monasterium, de Monserrat dictum, in ipso Monserrat (Monte Serrato), 373, 421.  
 Bengala, 681.  
 Berberia, 196.  
 Bernardi, Sancti, monasterium, Conimbriae, 594.  
 Bernardi, Sancti, monasterium, prope Olysaiponam, 559, 562.  
 Bethlehem, Dominae nostrae de, templum S. J., Barcinone, 380.  
 Bibona, 6, 204, 218, 222, 223.  
 Bibonense Collegium S. J., 42, 211, 222, 223.  
 Bilbilis, Vide Calatayud.  
 Billom (Billomum, Billiomum), 320, 326, 338, 339, 341-346, 348.  
 Billomense Collegium S. J., 6, 317, 326, 338, 337, 338.  
 Bohemia, 11, 29, 37, 233, 246, 249, 250, 252, 253, 259, 260.  
 Boissy, in dioec. Senon., 325.  
 Bologna (Bononia), 6, 15, 98, 111, 119-121, 125, 126, 587.  
 Bononiense Collegium S. J., 120, 126, 123.  
 Bordeaux (Burdigala), 572, 595.  
 Bort (Pui-de-Dôme), 343.

Brabantia, 204.  
Bragança (Bragantia, Brigantia), 561.  
Brasília, 6, 15, 574, 617-622, 626, 681, 638,  
634, 638, 648, 677.  
Brasiliae Provincia S. J., 5, 6, 617-619, 621,  
622.  
Braunswick, Vide Brunswyck.  
Bressello (in textu *Bresseli*), 140, 146.  
Briare, 386.  
Brigantia, Vide Bragança.  
Brigantium (Bragança) Collegium S. J.,  
561.  
Brignoles (Brugnola in textu), 9, 351, 353,  
354, 356-359.  
Brixia, 220, 263, 418.  
Brugnola, Vide Brignoles.  
Brunopolis, Vide Brunswyck.  
Brunser (Brunserga), 248.  
Brunswyck vel Braunschwick (Brunopolis),  
197.  
Buxelles (Bruzellae), 27, 41, 267, 284, 292,  
294, 312-319.  
Bujia, 509.  
Bungum, 6, 714, 724, 726-729.  
Burdigala, Vide Bordeaux.  
Burgense Collegium S. J., 421, 438-441,  
460, 552.  
Burgensis dioecesis, 526.  
Burghusana provincia Bavariae, 200.  
Burgos (Burgi), 6, 483, 439, 441, 442, 458, 460,  
551.  
Burgundia, 314.

## C

Cádiz (Gades), 518.  
 Caesaraugusta, Vide Zaragoza.  
 Caesaraugustanum Collegium S. J., 817,  
 387, 392, 396, 403, 407, 409.  
 Cairus, 690.  
 Calabria, 180, 186, 187, 194, 219.  
 Calahorra (Calagurris), 518.  
 Calatabelota, 222.  
 Calatayud (Bilbilis), 389, 408, 453.  
 Camaldulensium monasterium, de Monte  
 Corona vel de la Fratta dictum, prope  
 Perusium, 67.  
 Cambodjæ (Cambodje, Cambodja) regnum,  
 714, 723.  
 Cantabria, 441.  
 Canton (Cattigara), provincia, 717.  
 Canton (Cattigara), urbs, 715-721.  
 Capo d'Istria (Justinopolis), 163.  
 Capranica, 45.  
 Capua, 349.

Caravaca, 587.  
 Carignano, 116, 118, 119.  
 Carmelitærum monasterium, Viennæ, 228, 253.  
 Carmona, 496.  
 Carpi, 152.  
 Cartagena (Carthago Nova, in Hispania), 587.  
 Carthaginiensis diocesis, 588, 589.  
 Carthusiensium monasterium, Dominæ nostræ de *Antago* dictum, non longe a Septimania, 431.  
 Castelfidardo, 76, 86.  
 Castellæ Provincia S. J., 5, 6, 402, 410, 457, 462, 463, 470, 539, 545, 551, 586, 607, 608.  
 Castellæ regnum, 814, 477, 480, 588, 546, 585, 590, 594, 677.  
 Castro (Volscia, Valentiana), 359.  
 Castrogiovanni, 202.  
 Catalaunia, 984.  
 Catana, 215.  
 Catharinæ, Sanctæ, templum Collegii S. J., Cordubæ, 528.  
 Catharinæ de *Fuonari*, Sanctæ, monasterium, Romæ, 19.  
 Cathedrale templum, Abulæ, 448.  
 " " Barcinone, 882.  
 " " Burgiæ, 439.  
 " " Conchæ, 444.  
 " " Ferrariæ, 129.  
 " " Genuæ, 110.  
 " " Granatæ, 509.  
 " " Hispalî, 460, 589.  
 " " Messanæ, 198, 218.  
 Cathedrale templum, Monteregali, in Sicilia, 208.  
 Cathedrale templum, Neapoli, 174, 175.  
 " " Panormi, 198.  
 " " Perusii, 64.  
 Cathedrale templum, Placentiæ, 466, 469, 472, 477.  
 Cathedrale templum, Pragæ, 250, 251, 257.  
 " " Syracusis, 221.  
 " " Tornaci, 816.  
 Cattigera, Vide Canton.  
 Caulanum, Vide Coulan.  
 Cebolla, 544.  
 Cellanum, insula, 657, 679.  
 Cellarium (La Celle) monasterium, prope Brignoles, 354, 356-358.  
 Celle (La), italicæ Cellæ di Brugnola, 9.  
 Celsi, Sancti, templum, Romæ, 19.  
 Ceretanias (Cerdagne) Comitatus, 315.  
 Cervera, 544.  
 Cervera de Aguilari, 458.  
 Chalons-sur-Marne, 321.  
 Champeuelli, 325.  
 Charité (La), 388.



- Chauriat, alias Chauriac (Puy-de-Dôme), 343.  
 Chaves, 411.  
 Chaxumo (Chaxumum), 638.  
 Chíncha, antes Chincax Sibdal, 677.  
 Chinchon, 453.  
 Chingi (in textu *CAtesi*), ager prope Pèrusium, 70.  
 Choram, insula, 680.  
 Chutani (aliis Cutani), 728.  
 Cieza, 537.  
 Cingoli, 81, 85, 87.  
 Clarissarum monasterium, Lovanii, 300.  
 Clarissarum monasterium, Montillae, 583.  
 Clarissarum monasterium, prope Pragm, 250.  
 Clarissarum monasterium, Sanctae Agneti sacrum, Pragae, 250, 253, 254, 257, 259.  
 Clermont-Ferrand, 333-340, 343, 345, 346.  
 Clermont (L'Hotel), Parisiis, 322.  
 Coca, 411, 412.  
 Cochim (Cocinum), 6, 655, 663, 664, 668, 670-672, 676.  
 Cocinense Collegium S. J., 671.  
 Coelestinorum monasterium, Sancti Spiritus, ovinense, in Lusatia Superiori (Oberlausitz), prope oppidum Zitan, 233, 247, 251, 256.  
 Cogolludo, 452.  
 Coimbra (Conimbría, Conimbrica), 6, 410, 453, 559, 563, 566, 581-583, 590-593, 595-597, 604, 605, 612, 621, 631, 688.  
 Colmar, 254.  
 Colonia, Vide Köln.  
 Coloniense Collegium S. J., 275, 288, 289.  
 Coloniensis Academia, 276, 283, 284.  
 Colorado, in ditone Friuli, in Repub. Veneta, 44.  
 Complutense Collegium S. J., 359, 366, 447-449, 452-456.  
 Complutensis Academia, 448, 451, 454.  
 Complutum, Vide Alcalá de Henares.  
 Compostella, Vide Santiago de Compostela.  
 Compostellana diocesis, 529.  
 Compostellanum Collegium, 552.  
 Comurini promontorium, 6, 671, 679.  
 Comurinum, 650, 662, 663, 668, 671, 674.  
 Concha, Vide Cuenca.  
 Conchense Collegium S. J., 441, 445-447.  
 Confluentia, Vide Koblenz.  
 Congum (Magnum Congum, Manicon-gum), 6, 613, 614, 616.  
 Congum, urbs, 614, 615.  
 Conimbría vel Conimbrica, Vide Coimbra.  
 Conimbricense Collegium S. J., 40, 586, 582, 598, 605, 611, 621, 622.  
 Conimbricense Collegium, Regium (Real das Artes) dictum, 552, 561, 562, 565, 566, 568, 569-583, 591-594, 596-598.  
 Conimbricensis Academia, 587, 589, 591, 592, 598.  
 Conimbricensis Prebationis Domus S. J., 612.  
 Consandolo, castellum de, non longe a Ferrara, 134.  
 Conversarum domus, Sanctae Marthae dicta, Romae, 101.  
 Conversarum monasterium, Messanae, 191, 192.  
 Converterarum monasterium, Sanctae Mariae Magdaleneae, Dropani, 217.  
 Córdoba (Corduba), 6, 453, 484, 485, 493, 507-509, 511, 512, 519, 523-530, 532, 533, 535, 540, 542, 543, 555, 560.  
 Cordubense Collegium S. J., 5, 100, 516, 517, 529, 533.  
 Cordubensis diocesis, 529.  
 Corbeia, 86, 112, 350.  
 Cosmae et Damiani, Sanctorum, templum, Parisiis, 337.  
 Coulan (Coulasum), 6, 663, 663, 672, 673, 675, 676, 682.  
 Coulaense Collegium S. J., 673-675, 681.  
 Cracovia, 248, 276.  
 Cranganor, 658.  
 Cremona, 81.  
 Cuenca (Concha), 6, 359, 362, 444, 445, 463, 454, 556.  
 Culenborg, 292, 294, 296, 297.  
 Cutani, Vide Chutani.  
 Cyprus, insula, 171.

## D

- Dania, 29.  
 Debaroa, Vide Dobaraa.  
 Denia, 373.  
 Diest (Distemium), 298.  
 Dillinga, 264, 267, 269.  
 Dilingense Collegium, ad Cardia. Augustanum pertinens, 265.  
 Dilingensis Academia, 264, 265, 268.  
 Distemium, Vide Diest.  
 Dobaraa (aliis Debaroa, Baroa), 688, 690, 706, 707.  
 Dominicanarum monasterium, Nuestra Señora de Gratia dictum, Hispali, 467, 468.  
 Dominicanorum monasterium, S. Marthae de Hortigosa, 458.  
 Dominicanorum monasterium, S. Clementis dictum, Pragae, 247, 250, 251, 253, 254, 256, 259.

Dominicanorum monasterium, S. Pauli,  
vel S. Stephani, dictum, Salmanticae,  
417.

Dominicanorum monasterium, apud San-  
lucar de Barrameda, 535.

Dover, 313.

Draguignan, 353.

Drepanitanum Collegium S. J., 217.

Drepanum, Vide Trapani.

## E

Ebora, Vide Evora.

Eborensis Collegium S. J., 574, 576, 581,  
582, 602, 612.

Eborensis diocesis, 580.

Eibing (Elbingium), 249.

Elivas, 576.

Ereoco, Vide Arkeko.

Escurialense monasterium, *El Escorial* vel  
*San Lorenzo* dictum, O. S. Hier., 509.

Espirito Santo, oppid. in Brasilia, 6, 684,  
685.

Estandeuil, 340.

Eugubienae Collegium S. J., 6, 121.

Eugubio (Eugubium), Vide Gubio.

Europa, 15, 70, 800, 618, 620, 655, 656, 664,  
673, 675, 676, 679, 689, 716.

Europae Academiae, 587.

Euseopia, Vide Beauregard-l' Evêque.

Evora (Ebora), 6, 563, 576, 577, 580-583, 587,  
589, 591, 592, 602, 604, 607, 612, 663.

## F

Farfa, 45.

Fayet (Puy-de-Dôme), 346.

Fermo (Firmium), 87.

Ferrara (Ferraria), 6, 47, 128-130, 134-136,  
138-141, 146, 150, 151, 166.

Ferrariense Collegium S. J., 128, 130, 131,  
136, 138, 139, 142.

Ferrariensis Academia, 129, 141.

Finale, 183.

Firandum, 722, 729, 730.

Firenze (Florentia), 6, 42, 85, 86, 98-106, 238,  
263.

Firmium, Vide Fermo.

Flandria, 80, 224, 264, 294, 306, 314.

Florentia, Vide Firenze.

Florentinum Collegium S. J., 94, 99, 100,  
102, 105.

Foligno (Fulginium), 65.

Fontainebleau, 333.

Fortunatae insulae (Canariae), 569.

Franciscanorum monasterium, in oppido  
Jaraicejo, 438.—Plasenciae, 438.—In op-  
pido Serradilla, 433.—In oppido Trajillo,  
439.

Franciscanorum monasterium, Matris Dei  
dictum, Ulyssipona, 570.

Franciscanorum tertii Ordinis monaste-  
rium, S. Mariae de Angelis a Martogna,  
seu Vallis Clarum dictum, prope Drepa-  
num, 216, 217.

Franciscanorum tertii Ordinis monaste-  
rium, Trinitatis dictum, Drepani, 217.

Francisci *della Vigna*, Sancti, templum,  
Venetiae, 171.

Freiburg (Friburgum in Brisgovia), 268.

Fuldense Collegium, 197.

Fulginium, Vide Foligno.

## G

Gades, Vide Cadix.

Gallacchia, 411, 458, 529, 549, 552, 553.

Gallia, 5, 6, 11, 41, 80, 92, 113, 184, 209,  
317, 320, 322, 324, 327, 330, 331, 333, 334,  
350, 353, 356, 368.

Galliae Provincia S. J., 320.

Ganat, 338.

Gand (Gandavum), 235.

Gaudia, 6, 370-373, 375.

Gaudiense Collegium S. J., 360, 370, 372,  
373, 376, 386, 534, 555.

Gaudiensis Academia, 370.

Garciaz, 267.

Geldria, 294.

Genève (Geneva), 130, 355.

Genova (Genua), 6, 40, 42, 62, 93, 102, 105-  
108, 110-113, 176.

Genuense Collegium S. J., 105, 106, 108,  
110, 112-114, 116-119.

Genuensis Respublica, 111.

Georgii ad Forum, Sancti, templum, Nea-  
poli, 174, 175.

Germani, Sancti, templum, Parisiis, 339.

Germania, 6, 8, 11, 16, 27-30, 34, 36, 80, 102,  
103, 105, 116, 123, 127, 137, 170, 173, 177,  
197, 202, 224, 225, 231, 240, 255, 263, 264,  
266, 270, 276, 309.

Germania Inferior, 41, 224, 233.

Germania Superior, 41, 224, 235.

Germaniae Provincia S. J., 224.

Gervasii, Sancti, templum, Parisiis, 337.

Ghienl, 87.

Gibet, domus, Billomi, 348.

Gibraltar, 513.

Goa, insula, 660.  
 Goa, urbs, 6, 567, 799, 600, 606, 611, 640, 641, 646-648, 652-654, 657-660, 662-664, 667, 669, 670, 672, 673, 676, 685, 707, 710, 722.  
 Goëense Collegium S. J., 569, 608, 611, 649-653, 657-662, 668, 678, 676, 681.  
 Goleta, in Africa, 217.  
 Goritia, 243.  
 Gothia, 29.  
 Gottingen, 270.  
 Gradoli, 349.  
 Granada (Granata), 6, 498, 506-510, 512-515, 528, 530, 531, 538, 544-546, 555.  
 Granatae regnum, 814, 509.  
 Granatense Collegium S. J., 506, 507, 510, 516, 531, 545.  
 Granatense Regium Collegium, 519.  
 Granatensis Academia, 506-509, 519.  
 Granatensis Domus (Residentia) S. J., 516.  
 Græcia, 705.  
 Greenwich, 819.  
 Grenade, 272.  
 Guadalupe, monasterium de, Vide Hieronymianorum monasterium «Nuestra Señora de Guadalupe» dictum.  
 Guarda, in Lusit., 594.  
 Gubio (Eugubio, Eugubium), 79, 120.  
 Guinea, 632, 641.  
 Guipúzcoa, 460, 463.

## H

Halle, 254.  
 Hernani, 464.  
 Hibernia, 29, 30.  
 Hieronymianorum monasterium, Granatae, 511.  
 Hieronymianorum monasterium «Nuestra Señora de Guadalupe» dictum, in oppido Guadalupe, 484, 543.  
 Hieronymianorum monasterium, S. Isidori (S. Isidro del Campo), prope Hispallim, 501.  
 Hieronymianorum monasterium, Sancti Isidori (S. Isidro) quandoque dictum, in Sanlucar de Barrameda, 501.  
 Hieronymianorum monasterium, de Yuste dictum, 514.  
 Hierosolymae vel Jerusalem, 509.  
 Hispalense Collegium S. J., 484, 496, 531, 539.  
 Hispalis, Vide Sevilla.  
 Hispania, 6, 7, 30, 32, 38, 41, 55, 69, 80, 116, 119, 179, 194, 204, 217, 259, 314, 315, 336, 375, 382, 401, 404, 412, 417, 425, 431,

439, 463, 468, 484, 527, 537, 543, 546, 550-552, 555, 556, 574, 594, 621, 677, 691.  
 Hispaniae Academiae, 535.  
 Hispaniae Provinciae S. J., 537, 552.  
 Hispaniae regna, 481, 509, 518, 546, 572.  
 Histria (vel Istria), 163.  
 Hollandia, 286, 292, 295.  
 Hungaria, 11, 37, 235, 262, 271.

## I

Ibiza, insula, 461.  
 Ida, in Japonia, 729.  
 Igualada, 378.  
 Ilerda, Vide Lérida.  
 Inca, oppid. in insula Majorica, 367.  
 India Hispaniae subdita, 556.  
 India Occidentalis, 490.  
 India Orientalis, 6, 15, 136, 412, 503, 506, 567, 573, 574, 576, 587, 599, 600, 608, 609, 611, 612, 615, 640-643, 649-655, 662-664, 686, 688-670, 672, 673, 675, 677-679, 682-684, 686, 69, 698, 705, 707, 714, 721, 723, 724.  
 Indiae vel India (in genere), 488, 493, 509, 622.  
 Indiae Provincia S. J., 600, 640, 643, 664, 667, 670, 679.  
 Ingolstadtense Collegium S. J., 224, 236, 260, 261.  
 Ingolstadt (Ingolstadtum), 236, 243, 253, 260, 261, 264.  
 Ingolstadtensis Academia, 260.  
 Innsbruck (Oenipons), 228, 243.  
 Insulae, Vide Lille.  
 Israel, 633.  
 Issoire, 341, 342, 345.  
 Istria, Vide Histria.  
 Italia, 190, 192, 294.  
 Italia, 6, 10, 11, 16, 18, 31, 42, 44, 70, 80, 115, 116, 140, 170, 179, 202, 216, 230, 270, 271, 358, 384, 389, 471, 528, 590, 594.  
 Italiae Provincia S. J., 5, 6, 61, 172.

## J

Jachatae (aliis Jacatae), 728.  
 Jacobi, Sancti, templum, Romae, 21.  
 Jacobi, Sancti, templum, Tornaci, 308, 316.  
 Japonia, 6, 186, 649, 663, 664, 673, 679, 710-712, 714, 716, 721-724, 726, 727, 728, 731.

Jaralcejo (alias Zaralcedo, Zaraycedo), 481, 484, 544.  
 Jarandilla, 419, 417, 408, 538, 548, 544.  
 Java, insula, 710.  
 Jerez de la Frontera (Asta Regia), 495, 496.  
 Jerusalem, Vide Hierosolymae.  
 Jesi (Aesium), 87.  
 Joannis, Sancti, templum, prope mare Lilybaeum, 215.  
 Joannis Baptistae, Sancti, templum, Mutinae, 137.  
 Jumilla, 367.  
 Justinopolis, Vide Capo d'Istria.

## K

Koblenz (Confluentia), 296.  
 Köln (Colonia), 6, 273, 278, 281, 288-289.

## L

Lambacha, Lampachaon (portus in insula Sanciani?), 715, 720, 721, 724.  
 Landshut (Landishutum), 270.  
 Laurentii, Sancti, templum, Coloniae, 276, 277.  
 Laurentii, Sancti, templum, Florentiae, 96, 98, 99.  
 Laurentii, Sancti, templum, Genuae, 107.  
 Lauretanum Collegium S. J., 18, 42, 73, 82, 91, 92, 94.  
 Lauretanum templum B. Virginis, Vide Mariae, B. V., templum, Laurenti.  
 Lauretum, Vide Loreto.  
 Lebrija, 490.  
 Legio, regnum, 314.  
 Leipzig (Lipsia), 230, 244.  
 Leodiense Collegium S. J., 301.  
 Leodium, Vide Liège.  
 Lerici, 116.  
 Lérida (Ilerda), 378.  
 Liampo, insula, 744.  
 Liège (Leodium), 298, 297, 301.  
 Ligurnus, Vide Livorno.  
 Lille (Insulae), 223, 228, 304, 306.  
 Lilybaeum, Vide Mazzara.  
 Limericensis dioecesis, 28.  
 Limerik, 312.  
 Lipsia, Vide Leipzig.  
 Lisboa (Olyssipo, Olyssipo), 6, 553, 562, 565, 568, 539, 572, 573, 580-583, 587, 591-593, 595,

597-600, 603, 614, 606, 608, 609, 611, 612, 614, 631, 640, 641, 716.  
 Lithuania, 275.  
 Livonia, 249.  
 Livorno (Ligurnus), 97.  
 Llerena, 485.  
 Locustarum insula, 707.  
 London (Londinum), 312, 318, 481.  
 Longobardia, 81, 138.  
 Lorca, 537.  
 Loreto (Lauretum), urbs, 6, 43, 62, 74-92, 102, 103, 112.  
 Lotharingia, 540.  
 Louvain (Lovanum), 6, 224, 230-232, 236-300, 307, 312, 313, 317, 431.  
 Lovaniense Collegium S. J., 26, 264, 269, 296, 298, 301.  
 Lovanium, Vide Louvain.  
 Luciae, Sanctae, templum S. J., Bononiae, 122, 127.  
 Lugdunum, Vide Lyon.  
 Lupi, Sancti, templum, Billomf, 339, 340.  
 Lupi, Sancti, templum, Parisiis, 337.  
 Lusitania, Vide Portugallia.  
 Lutetia Parisiorum, Vide Paris.  
 Lyon (Lugdunum), 272, 322, 440.

## M

Macerata, 79, 81.  
 Maczua, Vide Massowah.  
 Madrid (Matritum, Mantua Carpetanorum), 46, 238, 413, 483, 513, 537, 677.  
 Madrideojos, 546.  
 Magnum Congum (Manicongum), Vide Congum.  
 Majorica, insula, 203, 315, 367, 384, 389.  
 Malaca, peninsula, 713.  
 Malaca, urbs Asiae, 6, 661, 664, 670, 708, 710, 712, 714, 721-724, 731.  
 Malacensis Domus S. J., in Asia, 723.  
 Málaga (Malaca, in Hispania), 412.  
 Maldivae, insulae, 647.  
 Manicoba, pagus in Brasilia, 627.  
 Mantova (Mantua), 81, 136.  
 Mantua Carpetanorum, Vide Madrid.  
 Mariae, B. V., templum, Genuae, 108, 110.  
 Mariae, B. V., templum, Laurenti, 16, 17, 73, 79-81, 83, 84, 87, 102.  
 Mariae, B. V., a Strata, templum, Romae, 11.  
 Mariae, B. V., Adjutricis, templum, in Portu Securo, 636.  
 Mariae, B. V., *dei Passio*, templum, Tybure, 55.

- Mariae, B. V., *del Pino*, templum, Barci-  
none, 381, 383, 386.  
 Mariae, B. V., *della Grotta*, templum, pro-  
pe Marsalam, 214, 215.  
 Mariae, B. V., Donorum (des Doms), tem-  
plum, Avenione, 353.  
 Mariae Magdalensae, Sanctae, eremito-  
rium, in Pyrenaeis montibus, 463.  
 Mariae Magdalensae, Sanctae, eremitorium,  
prope Jaramilla, 544.  
 Mariae Magdalensae, Sanctae, monaste-  
rium, Tornaci, 304.  
 Marsala, Vide Mazzara.  
 Marsalense Collegium S. J., 216.  
 Marseille (Marsilia), 349-351, 355, 359.  
 Massowah, antea Maczua, 637, 704, 707.  
 Matris Dei templum, Cocini, 670.  
 Matris Dei templum, Goae, 707.  
 Matritense Collegium S. J., 483.  
 Matritum, Vide Madrid.  
 Mauri insulae, 709, 710.  
 Mazzara, Mazara, vel Marsala (Mazanum,  
Mazarum, antiq. Lilybasum), 213-216.  
 Meacum, 730.  
 Mecha, vel Mecca, 707.  
 Medina del Campo (Methymna Campi), 6,  
421, 422, 465, 532, 585, 607.  
 Mejorada, 544.  
 Meliapor (alibi S. Thomas), urbs in India,  
6, 668, 682, 683, 723.  
 Melita, insula, 196, 721.  
 Melitense Collegium, 196.  
 Messana, Vide Messina.  
 Messanenae Collegium S. J., 181, 182, 189,  
192, 194, 220, 223, 297.  
 Messina (Messana), 6, 181, 184, 187-194, 196,  
209, 204, 207, 210, 212, 215, 218-221, 223,  
297.  
 Methymna Campi, Vide Medina del Campo.  
 Methymnense Collegium S. J., 420, 423,  
461.  
 Meves, 338.  
 Mexicum, Vide Nova Hispania.  
 Michaëlis, Sancti, paroecia, Hispani, 487.  
 Michaëlis, Sancti, templum, Drepani, 217.  
 Michaëlis, Sancti, templum, Lovanii, 239.  
 Misericordiae domus, Moluci, 709.  
 Mocca, Vide Moka.  
 Modena (Mutina), 6, 53, 137, 138, 141, 143,  
145, 146, 148, 149, 151-153.  
 Moka (antiquis Mocca), 707.  
 Molsheim (Molsheimium), 37.  
 Molucae insulae, 708.  
 Moluci arx, in insula Ternate, 709, 709.  
 Molucus, oppid. in insula Ternate, 709.  
 Monachium, Vide München.  
 Monasterium *S. Matthiae* dictum, Patavii,  
159.  
 Monforte, non longe a Messana, 190.  
 Monomotapa, 723.  
 Monreale (Mons Regalis, in Sicilia), 6, 207,  
218.  
 Mons Regalis, in Hispania, Vide Monterey.  
 Mons Regalis, in Sicilia, Vide Monreale.  
 Monsferanum, Vide Montferrand.  
 Mont-Moria, 940, 943.  
 Montalto, in Hispania, 458.  
 Montalto, in Italia, 350.  
 Montargia, 11, 393.  
 Monte Fano, 74, 76.  
 Monte Polittano, 15.  
 Monte Santo, 86.  
 Montechio, 81, 85.  
 Monterealense Collegium S. J., in Hi-  
spania, 552.  
 Monterealense Collegium S. J., in Sici-  
lia, 207, 208, 211.  
 Monterealense Collegium, Arabicum di-  
ctum, in Sicilia, 199.  
 Monterey (Mons Regalis), 553.  
 Montferrand (Monsferanum), 339.  
 Montilla, 539, 531, 533, 542, 545, 546.  
 Montillense Collegium S. J., 531, 533, 542.  
 Montis Serrati (Monserrat) monasterium,  
O. S. Ben., Vide Benedictinorum mona-  
sterium.  
 Moravia, 29.  
 Moros, 453.  
 Moulines, 338.  
 Mozambicum, insula, 641, 643, 646, 648.  
 Mula, 537.  
 München (Monachium), 293, 258-261, 270.  
 Murcia, 370, 386, 388, 390, 462, 533, 534, 536-  
538, 555.  
 Murcense Collegium S. J., 462, 533, 537-  
539.  
 Murcense regnum, 367, 534.  
 Mutina, Vide Modena.  
 Mutinense Collegium S. J., 130, 137, 138,  
142, 146-150, 152, 153.  
 Mutinensis dioecesis, 140.  
 Mutinensis ducatus, 146.  
  
 N  
  
 Nandy, 325.  
 Napoli (Neapolis), 5, 6, 41, 50, 114, 115, 176-  
180, 219, 314, 509, 546.  
 Navarra, 314.  
 Neapolis, Vide Napoli.  
 Neapolitana archidioecesis, 47.

Neapolitanum Collegium S. J., 173, 173-174, 180.  
 Nellingen, 271.  
 Nemours, 338.  
 Neuss (Novesium), 267.  
 Neuvi, 338.  
 Nevers, 338.  
 Nicolai, Sancti, templum, Messanae, 183, 186, 187, 190, 198.  
 Nimègue (Noviomagum), 277 263, 299.  
 Nizza, 23.  
 Nova Hispania, vel Mexicum, 550.  
 Novesium, Vide Neuss.  
 Noviomagense Collegium S. J., 268, 301.  
 Noviomagum, Vide Nimègue.

## O

Ocanniese Collegium S. J., 453.  
 Ocaña (Ocannia), 366, 462, 554.  
 Oceania, 498.  
 Oenipons, Vide Innsbruck.  
 Oenipontanum Collegium S. J., 227, 228, 266.  
 Offida, 87.  
 Ognate vel Ognatum, Vide Ohate.  
 Ognatense Collegium S. J., 441, 442, 460, 461, 466, 479.  
 Olinda, urbs Brasiliae, 643.  
 Olmütz (Olomucium), 236.  
 Olomucense Collegium S. J., 236.  
 Olomucium, Vide Olmütz.  
 Olyssipo, Vide Lisboa.  
 Ohate (Ognate, Ognatum), 6, 442.  
 Oran, 509.  
 Orihuela (Oriola), 587.  
 Ormuz (Ormuzium, Armuzia), 6, 658, 668, 669, 690.  
 Oropeza, 543.  
 Oropezanum Collegium S. J., 467, 543.  
 Orphanarum puellarum Collegium, Spiritus Sancti dictum, Drepani, 217.  
 Oxford (Oxonium), 587.

## P

Padova (Patavium), 6, 135, 154, 157, 160-167, 170, 171.  
 Palaestina (communiter *Terra Sancta* appell.), 171.

Palermo (Panormum), 6, 192, 197, 198, 200-204, 207, 213, 214, 216, 218, 223.  
 Pampionensis dioecesis, 461.  
 Panormitana Professorum Domus S. J., 214.  
 Panormitanum Collegium S. J., 194, 195, 201, 202, 204, 206, 207, 212, 213, 216, 223.  
 Panormum, Vide Palermo.  
 Paraguay (in textu Paragai), Vide Asuncion (La).  
 Paris (Parisi, Lutetia Parisiorum), 5, 6, 12, 272, 320, 322, 324, 325, 326, 331-333, 335, 336, 341, 451, 587, 595.  
 Parisiense Collegium S. J., 5, 320, 336, 337, 347, 353.  
 Parisiense Collegium, Rhemanse dictum, 12.  
 Parisiense Collegium S. Barbarae, 587.  
 Parisiensis Academia, 11, 12, 550, 587.  
 Passau (Passavia), 269, 270.  
 Patani (alii Patane, in textu Patena), regnum, 713, 714.  
 Patani (alii Patane, in textu Patena), urbs, 713.  
 Patavinum Collegium S. J., 157, 159, 160, 162-165, 172.  
 Patavium, Vide Padova.  
 Pauli, Sancti, templum, Vallisoleti, 458.  
 Pax Augusta (Badajoz), provincia, 485.  
 Pedroche, 100, 378, 529.  
 Pedroia, 400, 492, 498.  
 Pegou vel Bago, Indiae Sinensis regnum, 722.  
 Pelotimaon, Vide Poullo-Timon.  
 Pechalver, 452.  
 Perigueux (Petrocorium), 11.  
 Pernambuci Ducatus, 630, 631.  
 Pernambuci Praefectura, 643.  
 Persia, 690.  
 Peruggia (Perusium), 6, 40, 62-67, 69-71, 111, 184, 274.  
 Perusina dioecesis, 63.  
 Perusinum Collegium S. J., 61, 70-73, 656.  
 Perusinum Seminarium Clericorum, 63.  
 Perusium, Vide Peruggia.  
 Peruvia, 439, 677.  
 Peruwelz (Pervetum), 305.  
 Pescaria, in India, 679.  
 Petri, Sancti, aedes, Bononiae, 122.  
 Petri, Sancti, templum, Lovanii, 289, 290.  
 Petrocorium, Vide Perigueux.  
 Philippi, Sancti, templum, Panormi, 214.  
 Piceus Ager, seu Anconitana Marchia, 15, 58, 87.  
 Pincia, Vide Valladolid.  
 Pinda, in Congo, 614, 615.  
 Piratininga, in Brasilia, 6, 620, 623-626.  
 Pisa (Pisae), 113, 114.

Placentia, Vide Piasencia.  
 Placentina diocesis, 480, 482, 483.  
 Placentinum Collegium S. J., in Hispania, 452, 465, 467, 469, 470, 474-477, 479-484, 581, 589, 541.  
 Piasencia (Placentia), in Hispania, 6, 410, 429, 453, 465-470, 472-474, 476, 478-486, 526, 538, 540, 542-543.  
 PolICASTRO, 193, 219.  
 Polonia, 8, 11, 36, 37, 173, 177, 249, 258, 274, 275.  
 Ponferrada, 549.  
 Porto Ercole, 350.  
 Porto Seguro, urbs in Brasilia, 6, 631, 636, 637, 639.  
 Portugallia vel Lusitania, 6-8, 40, 112, 366, 422, 450, 524, 537, 545, 550, 558, 559, 564, 566, 573, 574, 586, 589-591, 598, 597-599, 601, 602, 607, 608, 611, 615, 617-620, 622, 632, 639, 642, 649, 650, 652, 658, 662, 664, 666, 668, 673, 677, 678, 683, 690, 699.  
 Portugalliae Provincia S. J., 5, 7, 867, 520, 587, 558, 599.  
 Portus Securi Ducatus, in Brasilia, 635-637, 639.  
 Poulo-Timon, vel Poulo-Timoan (alii Pe-lotimaon, Pulotiomani), 718, 714.  
 Pozzuolo (Puteoli), 174.  
 Prag (Praga), 82, 40, 224, 225, 227, 233, 236, 238, 241, 243, 246-260, 275.  
 Pragensae Collegium S. J., 37, 224, 236, 240, 241, 247-251, 253, 255, 256, 258-260, 266, 275.  
 Pragensis Academia, 251, 252, 255.  
 Prato, 104.  
 Priego, 456.  
 Provincia (la Provence), 351, 355, 358, 359.  
 Prusia, 29, 37, 249.  
 Puebla de Montalvan, 452.  
 Pulo Campalo, insula, 715.  
 Pulocendor, 714.  
 Pulopichon vel Pulopisaon (Pulopisang?), insula, 712.  
 Pulotiomani, Vide Poulo-Timon.  
 Punicale, 681.  
 Puteoli, Vide Pozzuolo.  
 Puy-de-Dôme, 843.

## R

Ratisbona, Vide Regensburg.  
 Ravenna, 81.  
 Reate, 45.  
 Recanati (Recinetum), 84.  
 Recinetensis portus, 74, 80.  
 Recinetum, Vide Recanati.

Regensburg (Ratisbona), 44, 43, 269.  
 Reina, oppid. in provincia Pax Augustana (Badajoz), 485.  
 Renteria, 463, 464.  
 Rhemensis diocesis, 12.  
 Riom, 388, 340-342, 344.  
 Rivafranca, 518.  
 Roma, 5-11, 18-17, 21-27, 29-50, 52-54, 58, 61-63, 65, 66, 71, 74, 78, 79, 81, 83, 91, 92, 96-98, 101-103, 105, 110-116, 118, 126-129, 134-139, 146, 147, 150, 153, 154, 157, 160, 169-178, 175-177, 179, 189, 193-195, 197, 202, 211, 212, 216, 218-220, 223, 224, 234-237, 239, 241-243, 246, 247, 250-253, 256, 259-264, 266-268, 270, 273, 274, 278, 286, 287, 292, 295-297, 299, 300, 307, 312, 314, 317, 318, 322, 324-326, 333, 334, 336, 349-353, 358, 359, 379, 384-386, 405, 406, 418, 419, 437, 439, 441, 447, 462, 479, 484, 486, 520, 549, 551, 554-556, 566, 593, 594, 596, 605, 606, 617, 653, 673, 698, 721.  
 Romagna, Vide Romania.  
 Romana Academia, la Sapienza dicta, 23.  
 Romana Professorum Domus S. J., 10, 49.  
 Romania (seu Aemilia, juxta textum, vulgo Romagna), 193.  
 Romanum Collegium S. J., Germanicum dictum, 5, 9, 13, 23, 29-31, 33, 35, 36, 40, 46, 49, 234, 246, 264.  
 Romanum Collegium S. J., Romanum dictum, 5, 9-13, 17, 22, 26, 28-31, 33, 39-41, 46, 49, 139, 178, 192, 193, 212, 227, 246, 266, 312, 318, 455, 551, 590.  
 Rosas, 380.  
 Rotterdam (Roterodamum), 235.  
 Ruchono, monasterium S. Joannis Baptistae de, vulgo dictum de Riglione (in textu *dei Rigiton*), Panormi, 200.  
 Ruscionensis (Rousillon) Comitatus, 315.

## S

Sabaudia, 100.  
 Sacellum Episcopi (Capilla del Obispo), Metriti, 483.  
 Saena, Vide Siena.  
 Saguntia, Vide Sigüenza.  
 Saint-Amant-Roche-Savine, 842.  
 Saint-Dier, 343.  
 Saint-Germain, 322, 332-336.  
 Saint-Pierre le-Montier, 337, 338.  
 Saint-Pourcain, 338.  
 Sainte-Baume (la), 358.  
 Salamanca (Salmantica), 6, 38, 366, 410-417.

- 429, 432, 441, 453, 518, 524, 526, 547, 552, 587.  
 Salernitanum Collegium S. J., 173.  
 Salerno, 219.  
 Sallanches (Haute-Savoie), 100.  
 Salmantica, Vide Salamancia.  
 Salmanticense Collegium S. J., 410-419, 416, 418, 420, 461.  
 Salmanticense Collegium S. Bartholomaei, *Collegio Viejo* dictum, 518.  
 Salmanticensis Academia, 88, 410, 417, 418, 470, 518.  
 Salvador, in Brasilia, Vide Bahia.  
 San Bonifacio, in Corsica, 350.  
 San Fins, prope Conimbriam, 6.  
 San Juan del Puerto, 411.  
 San Lorenzo (El Escorial), Vide Escorialense monasterium.  
 San Salvador, Vide Bahia.  
 San Sebastian, urbs Hispan., 464.  
 San Severino, 87.  
 San Thome, in India, Vide Mellapor.  
 San Vicente, in Brasilia, 6, 619, 628, 626, 681, 638, 634.  
 Sancierum (Sanchoam), insula, 715, 716, 724.  
 Sancti Castrensis monasterium, Monte Regali, 208, 209.  
 Sancti Salvatoris (seu Bahiae) Collegium S. J., 627, 630-632, 637.  
 Sancti Vincentii Collegium S. J., in Brasilia, 618, 620, 622, 623.  
 Sancti Vincentii Ducatus, in Brasilia, 618, 619, 622, 625, 627.  
 Sanctissimae Trinitatis templum, Ulyssiponae, 609.  
 Sanctus Laurentius, insula, 643.  
 Sanctus Thomas, insula, 615.  
 Sanlucar de Barrameda, 6, 484, 486, 495, 498, 500, 501, 506, 509, 510, 531, 538, 541.  
 Santiago de Compostela (Compostella), 558.  
 Sardinia, 314.  
 Sassarense (seu Turritanum) Collegium S. J., 318.  
 Sauriac, 343.  
 Saxonia, 252.  
 Schiedam, 285.  
 Sclavonia, 196.  
 Segontia, Seguntia, Vide Sigüenza.  
 Segoviensis dioecesis, 412.  
 Segurilla, 544.  
 Senae, Vide Siena.  
 Septimaniae, Vide Simancae.  
 Septimancensis Probationis Domus S. J., 429, 437, 438, 453, 529.  
 Sevilla (Hispalis), 6, 389, 410, 412, 429, 460, 468-470, 480, 484-486, 483-491, 496, 498, 501, 502, 506, 511, 521, 524, 526, 528, 530, 533, 538, 539, 611, 544, 546, 551, 677.  
 Siam, 723.  
 Sichido (alii Siguido), 728.  
 Sicilia, 6, 10, 81, 41, 42, 97, 170, 185, 193, 194, 206, 212, 218, 314, 315, 509.  
 Siciliae Provincia S. J., 5, 181, 217, 220.  
 Siena (Saens, Senae), 97, 104, 529.  
 Sierra Morena, provincia in Peruvia, 677.  
 Sigüenza (Saguntia, Segontia, Seguntia), 463, 536.  
 Siguido, Vide Sichido.  
 Siguntinum Collegium S. J., 455.  
 Simancae (Septimaniae), 6, 386, 410, 411, 428, 429, 431, 434, 436, 453, 454, 461, 469, 486, 529-531, 538, 548, 548, 549, 553.  
 Sina, 708, 714, 716, 711.  
 Siracusa (Syracusae), 6, 208, 211, 218, 221.  
 Sirola, 77.  
 Slesia, 29, 246.  
 Socotora, insula, 655, 686.  
 Speyer (Spira), 286.  
 Spiritus Sancti Ducatus, in Brasilia, 638, 634.  
 Spoletana dioecesis, 63, 63.  
 Spoleto, 63, 65.  
 Stephani dei Caco, templum, Romae, 10.  
 Sterzing, 235.  
 Stevoort, in Belgio, 227.  
 Strassburg (Argentoratum), 254.  
 Strigonia, 262.  
 Stuttgart (Stugardia), 255, 261.  
 Styria, 235.  
 Sunda, 731.  
 Syracusae, Vide Siracusa.  
 Syracusanum Collegium S. J., 211, 220, 221.  
 Syri, Sancti, monasterium, Gennae, 117, 118.

## T

- Tana vel Tanae, urbs in insula Salsetarum, 6, 654, 668, 669.  
 Tanascharim (?), 686.  
 Taormina, 218.  
 Tarazona (Turiaso), 452.  
 Templum summum, Billomi, 339, 340.  
 Ternate, insula, 708, 709.  
 Terra Sancta, Vide Palaestina.  
 Tetuan, Tutuam (Tituanum), 6, 616.  
 Theatina archidioecesis, 66.  
 Thomae Apostoli, Sancti, templum, in insula Socotora, 655, 686.



Tigre, regnum, pars regni Abyssinorum, 698, 699.  
 Tina, 26.  
 Tirnavia, Vide Tyrnavu.  
 Tituanum, Vide Tetuan.  
 Tivoli (Tybur), 5, 6, 45, 46, 50, 52, 54, 57, 59, 143.  
 Toledo (Toletum), 462.  
 Tolentino, 57.  
 Toletana Provincia S. J., 539.  
 Toletum, regnum, 462.  
 Toletum, urbs, Vide Toledo.  
 Tolosa, Vide Toulouse.  
 Tolosana diocesis, 272.  
 Tordesillas, 481, 485, 544-545, 546, 677.  
 Tornacense Collegium S. J., 318.  
 Tornacensis diocesis, 311.  
 Tornacum, Vide Tournai.  
 Torrijos, 550.  
 Totana, 557.  
 Toulon-sur-mer, 350.  
 Toulouse (Tolosa), 11, 271.  
 Tourcoing vel Turcoing, 306, 307, 308, 316.  
 Tournai (Tornacum), 6, 224, 301, 306-307, 308-311, 316-318.  
 Trajectum ad Rhenum, vel Trajectum Inferius, Vide Utrecht.  
 Transylvania, 11, 262.  
 Trapani (Drepanum), 216, 247.  
 Treviri, Vide Trier.  
 Trient (Tridentum), 263.  
 Trier (Treviri), 297.  
 Tripolis, 196, 509.  
 Trujillo, 458, 544.  
 Tübingen (Tubinga), 265, 261.  
 Tunex (Tunisiun), 364.  
 Turcoing, Vide Tourcoing.  
 Turias, Vide Tarazona.  
 Turris Roesia, Romae, 21, 48.  
 Turritanum Collegium S. J., Vide Samsarense.  
 Tutuan, Vide Tetuan.  
 Tybur, Vide Tivoli.  
 Tyburninum Collegium S. J., 46, 49, 54-56, 58-60.  
 Tylla, 269.  
 Tyrnavu (Tirnavia, Tyrnavia), 262.

## U

Ultrajectum, Vide Utrecht.  
 Ulyssipo, Vide Lisboa.  
 Ulyssiponense Collegium S. J., Sancti

Antonii dictum, 558, 560-562, 565-567, 569.  
 —Ejus templum, 559, 602.  
 Ulyssiponensis Professorum Domus S. J., Sancti Rochi dicta, 559, 567-569, 571, 572, 599, 602, 610. —Ejus templum, 565-570, 572.  
 Utrecht (Trajectum Inferius, Trajectum ad Rhenum, Ultrajectum), 305, 306.  
 Utrera, 496.

## V

Valencia (Valentia), regnum, 354, 371, 372, 373.  
 Valencia (Valentia), urbs, 6, 53, 194, 360, 362, 363, 365, 366, 368-370, 369, 369, 458, 536, 537, 555.  
 Valentiana, Vide Castro.  
 Valentinum Collegium S. J., 368, 369, 368-369, 370, 368, 364, 536.  
 Valladolid (Vallisoletum, Pincia), 6, 88, 365, 367, 408, 411, 418, 425, 426, 421, 422, 424, 426, 427, 442, 457, 458, 460, 461, 481, 544, 546, 553.  
 Vallisoletanum Collegium S. J., 426, 427, 428.  
 Vallisoletum, Vide Valladolid.  
 Vayas, 411.  
 Vezanzones, 411.  
 Veger de la Mtel, 512.  
 Veglia (Vegia), 267.  
 Velvis, 544.  
 Venetiae, Vide Venetia.  
 Venetum Collegium S. J., 165-167, 173.  
 Venetia (Venetiae), 6, 14, 91, 184, 185, 186-184, 186, 167, 169-171, 227, 271, 272, 274, 554.  
 Verdon, 353.  
 Verona, 81.  
 Vertazon, 343.  
 Vicensis diocesis, 373.  
 Vienna, Vide Wien.  
 Viennense Collegium S. J., 8, 224, 225, 227, 229, 232-234, 237, 239, 245, 251, 273, 274.  
 Viennensis Academia, 271, 274.  
 Villabertran, 350.  
 Villa Vicosa, 602.  
 Villafranca del Bierzo, 545.  
 Villarejo de Fuentes, 553.  
 Vilna, 275.  
 Vincentii, Sancti, templum, Piacentiae, 540.  
 Viscensis diocesis, 567.  
 Vitemberga, Vide Witenberg.  
 Volsola, Vide Castro.

W

Wien (Vienna), 6, 44, 167, 168, 225, 228, 230,  
232, 233, 235-241, 243, 245, 246, 248, 252-254,  
256, 260-262, 264, 266, 269-271, 273-275, 282,  
317.  
Witenberg (Vitemberga), 24', 255, 262.

X

Xenodochium Billomense, 342, 347.  
Xenodochium incurabilium, Panormi,  
197.  
Xenodochium Regium, Goae, 652.

Xenodochium SS. Joannis et Pauli, Vene-  
tia, 170.

Y

Yecla, 537.  
Yuste, monasterium de, Vide Hierony-  
mianorum monasterium.

Z

Zafra, 412.  
Zara, 267.  
Zaragoza (Caesaraugusta), 6, 817, 359, 369,  
377, 379, 384-391, 394-396, 398, 400-409, 441,  
497, 534.  
Zaraicedo vel Zaraycedo, Vide Jaralcejo.  
Zellah, urbs Aethiopiae, 707.

ROYAL ANTHROPOLOGICAL INSTITUTE

17

THE JOURNAL OF THE  
ROYAL ANTHROPOLOGICAL INSTITUTE  
VOLUME 17  
PART 1  
1907

---

---

## INDEX

RERUM, QUAE IN HOC QUINTO VOLUMINE CONTINENTUR

---

ANNUS 1555

	Pag.
De Domo et Collegiis Romanis.....	5
De Tyburtino Collegio.....	49
De Provincia Italiae citra Romam, ac praecipue de Collegio Perusino.....	61
De Collegio Lauretano.....	73
"    "    Florentino.....	94
"    "    Genuensi.....	105
"    "    Bononiensi.....	120
"    "    Ferrariensi.....	128
De Mutinensi et Argentino Collegiolo .....	142
De Collegio Patavino.....	157
"    "    Veneto.....	165
"    "    Neapolitano.....	173
De Provincia Siciliae, ac primo de Collegio Messanensi.	181
De Collegio Panormitano.....	194
"    "    Montis Regalis.....	207
De Provinciali Siciliae, ac Collegiis Syracusae et Bibo- nae.....	211
De Provincia Germaniae, ac primo de Collegio Vien- nensi.....	224
De initiis Collegii Pragensis et de quibusdam a P. Salme- rone, Canisio et Natali actis .....	240
De Collegio Coloniensi.....	275
"    "    Lovaniensi.....	289
De P. Oliverio et aliis, qui Tornaci agebant.....	301
De Provincia Galliae, ac primo de Collegio Parisiensi...	320

	<u>Pag.</u>
De initio Collegii Billiomensis et de Missione P. Roberti Clayssonii.....	337
De Missione P. Pontii Cogordani et primis initiis Collegii Avenionensis.....	349
De Provincia Aragoniae, ac primum de Collegio Va- lentiae.....	359
De Collegio Gandiae.....	370
"    "    Barchinonensi, ac rebus P. Francisci Stra- dae, Provincialis.....	377
De Collegio Caesaraugustano.....	387
De Provincia Castellae, ac primum de Collegio Salman- ticensi.....	410
De Collegio Methymnensi.....	420
"    "    Vallisoletano.....	428
De Domo Probationis in oppido Septimancas.....	429
De Collegio Burgensi.....	438
"    "    Ognatensi, Abulensi et Conchensi.....	441
"    "    Complutensi.....	447
De Patre Provinciali Castellae.....	457
De Provincia Baetica, ac primo de novo Collegio Pla- centiae.....	465
De Collegio Hispalensi.....	484
De nostris apud S. <sup>um</sup> Lucam residentibus.....	498
De Collegio Granatensi.....	506
"    "    Cordubensi.....	516
De principio Collegii Murciae.....	533
De P. Francisco Borgia, Commissario.....	537
De Provincia Portugalliae, ac primo de Collegio S. <sup>ti</sup> An- tonii Ulyssiponae.....	558
De Domo Professorum S. <sup>ti</sup> Rochi.....	567
De Collegio Eborensi.....	574
"    "    Conimbricensi.....	582
De Provinciali Portugalliae, ac de rebus Aethiopiae.....	599
De rebus Africae.....	613
De Provincia Brasiliae.....	617
De Collegio Salvatoris in Baya, quam vocant Omnium Sanctorum, ubi civitas Salvatoris et praecipua sedes Episcopi erat.....	627

	<u>Pag.</u>
De nostris, qui in Portu Securo versabantur.....	635
De Provincia Indiae Orientalis, ac primum de navigatione nostrorum.....	640
De Collegio Goae .....	649
De nostris, qui Ormuzii, Bazaini, Tanae, Cochini, Caulani, et in tractu Commurini et S. <sup>ti</sup> Thomae versantur..	668
De P. Gonzali Missione in Aethiopiam.....	685
De Molucis, Malaca, et itinere ad Sinas P. Melchioris Nugnez.....	708
De rebus Japonensibus.....	724

## INDICES

Index onomasticus personarum .....	735
Index geographicus .....	765
Index rerum, quae in hoc quinto volumine continentur..	779














61. 7100  
**CANCELLED**



3 2044 105 206 049

